Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Caelii Calcagnini, Ferrariensis, protonotarii apostolici, Opera aliquot : Ad illustrissimum & excellentiss principem D. Herculem secundum, ducem Ferrariae quartum. Catalogum operum post praefationem invenies, & in calce Elenchum. Indicanda enim erant retrusiora quaedam ex utriusque ; lingue thesauris, quae passim inferciuntur, & ad veterum scripta intelligenda pernecessaria sunt.

https://hdl.handle.net/1874/397434

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

C. CALCAGNINI

OPERA

Aliquot.

B. fol.
107

Hadrij Cātcāp
hiny opera

104

H. G. Römer.

B. fol.
107

A 134. a.

N°. 236. n.

CAELII CALCAGNINI
FERRARIENSIS, PROTONOTARII
APOSTOLICI, OPERA ALIQVOT.

Ad illustrissimum & excellentiss. principem D. HERCVLEM
secundum, ducem Ferrariæ quartum.

Catalogum operum post præfationem inuenies, & in calce Elenchum. Indicanda enim erant retrusiora quædam ex utriusq; linguę thesauris, quæ passim inferciuntur, & ad ueterũ scripta intelligenda perneccssaria sunt.



Ex donat. bib. à Kirchet.

BASILEAE M D XLIIII.

Cum Imp. Maiestatis autoritate & priuilegio.

AD ILLVSTRISSIMVM ET EXCELLENTISSIMVM HERCVLEM ESTENSEM SECVNdum, ducem Ferrariæ quartum, Antonius Musa Brasauolus ὑγιαίνειν.

QVOTIES illustrissime atq; excellentissime princeps Cælij Calcagnini aut semiuiuum simulachrum, aut è tãti uiri penu literariũ aliquod monumentũ oculis meis obijcitur, à lachrymis temperare nõ possum: præsertim cum id sese offert considerandum, me tam digno præceptore, tamq; in rebus cunctis euigilato priuatum, & inclitam nostram patriam speculo, imò adamante tam relucenti carere. Etenim uir hic ad scientias natus Græcum illud oraculum ante oculos sibi posuerat, ὐδὲν γλυκύτερον, ἢ πᾶν εἰδέναι, Nihil dulcius quàm omnia scire: unde multijugis ac multiuagis lectionibus nihil intentatum relinquebat, ut hunc finem sibi à teneris unguiculis statutum, & alta mente repostum, si non integrè, saltem propè assequeretur. propterea in euoluendis authoribus nunquam satur uidebatur, eaq; tanti uiri peculiaris fuit & trita sentẽtia, Omnium rerum esse satietatem præterquam discendi: nec rarò detestabatur auarum illum Chremylum apud Aristophanẽ, qui dicere ausus est, τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ὅδε πάντων πλησμονή. Omniũ aliarum rerum esse satietatem præterquam diuitiarum. quam sententiam & diuinus ille Plato in uirtutibus & disciplinis intelligendam esse iudicauit. nam uirtutis semel perceptæ cupido nunquam intermoritur, uerum uti phœnix semper rediuiua florens iuuenescit & pullulat. Huius sitis causam esse, & gloriam quæ sola animos mentemq; perurit, & iuge illud desiderium separatis ab his caducis rebus substantijs assimilari, arbitramur. Verum hic eruditissimus uir illustrissime princeps, ut nullum penitus reliquit authorem, cuius monumenta bis terq; non ingurgitauerit, ita sua quęq; despiciebat, & ueluti neglecta ac abortiua, post scamna & scrinia uidebantur: ægreferebatq;, si quis beneuolus ab eo aliquid è suis scriptis petijsset, sua omnia indigna putans ut legerentur: tamen Ioannis Hieronymi Monferrati uiri probi industria multa collecta sunt, quę (proh Dij immortales) perijssent, & in unũ collecta uolumen. Quæ cum reuerendus Cælius in unum ueluti corpus congesta uidisset, & iam iam quid de suis bonis tam animæ quàm fortunæ in posterum agendum esset decreuisset, ut uir semper fuit sapientissimus, fortunæ bona affinibus delegauit, libros suos in publicam utilitatem reliquit, propriorum uero fœtuum, hoc est suorum opusculorum te principem serenissimum hæredem instituit, quem omnium Italiæ procerum & maximum & doctissimum, & sapientissimum esse iudicabat, & id non non sine recto, & penè diuino iudicio: quoniam singula quæ quemq; reddunt insignitum, in te collata uisuntur. rari sunt principes qui uix & summis labris latinas literas delibarint: at tu illas adeò pleno hausto insumpsisti, ut etiã in regenda prouincia tot occupationibus obrutus, nulli sis (ut Cælianis utar uerbis) in uorsa, uel prorsa oratione secundus: in uirtutibus uerò quæ ad mores spectant, qualem te reddas, & qua ingenij dexteritate reipublicę habenas modereris, Ferraria nostra inclyta patria & reliquæ urbes tuæ ditioni subiectæ, & ubertim nouere, & adeò planè testantur, ut nostris literis non indigeas patrone serenissime, quibus per orbem terrarum agnoscaris. nihil enim à te prodijt, quin sit memoria dignum, & æternitate donandum: hancq; nos putamus esse ueram & uitalem uitam, aut scribenda facere, aut scribere legenda. nam famam extendere factis, hoc uirtutis opus. Audiui te sæpius illud Plinianum ex epistolis referre, quando non possumus nos diu uiuere, relinquamus aliquid quo uixisse testemur. nulli igitur mirum sit, si olim uir doctissimus & sapientissimus suorum omnium laborum te Herculem inuictissimum hæredem instituerit. id enim prudentissimus prudentissime fecit, ut digna æternitate monumenta dignum æternitate patronũ nacta essent. immo tres uiros elegit sibi amicitia non

uulgari coniunctos, magnificum Iacobum Boiardum, Ioannem Hieronymũ Monferratũ, & meipsum, qui totis uiribus hæc quæ ita instituerat, post eius fata, in finem ab eo statutum dirigerent. tam erat de futuris etiam solicitus uir hic doctissimus: qui mentem sine literis, uiui hominis sepulturam esse dicebat, & animã sine animo, quæ seorsum à literis uagabatur, & quæ in publicum commodum pro suo captu aliquid non conferret. Nunc igitur, princeps eminentissime, cum plura Cælij opuscula in lucem & publicum usum proditura sint, ne id præteriremus quod Cælius præceptor uiuens optabat, & commiserat, hac nuncupatoria epistola, illustrissimæ excellentiæ tuæ, ueluti dignissimo hæredi, reuerendi Cælij nomine hæc opuscula dicamus, atq; deuouemus, quorũ sis & hæres, & patronus, & tutor, & ueluti antiquus ille Hercules à calumniantium linguis ea tuearis: quanquam ab his nasutis cum nomen inuictum, cui dicata sunt, recognoscent, tuta fore confidimus. Vale.

CÆLII CALCAGNINI ALIQVOT
operum Elenchus.

Epiſtolicarum quæſtionum, & epiſtolarum familiarium lib. XVI. Ad Herculem Eſtenſem II. ducem Ferrariæ IIII. pag. 1

Iudicium uocalium ad Thomam Fuſcum epiſcopum Cymaclienſem. 218

De rebus Aegyptiacis commentatio, ad Alfonſum Trottum. 229

Diſquiſitiones aliquot in libros Officiorum Ciceronis In gratiam Alberti Bendedei. 253

De imitatione cõmentatio, In gratiam Cynthij Ioannis Baptiſtæ Gyraldi 269

De iudicijs liber, In gratiam Seraphini Iacobelli inceptus. 276

De Talorum, Teſſerarum & Calculorum ludis In gratiam Lilij Gregorij Gyraldi. 286

De re nautica, Ad Lilium Gregorium Gyraldum. 301

Quod ſtudia ſunt moderanda, Ad eundem. 316

Ne quis ſe ab ſua umbra uinci ſinat, Ad Franciſcum cognomento Epiſcopum. 325

De uerborum & rerum ſignificatione, commentatio In Gratiam Gilini epiſcopi Cymaclienſis incœpta. 338

Collectanea uetuſtatis. In gratiam Ioannis Hieronymi Monferrati alumni ſui. 376

Quod cælum ſtet, terra moueatur, commentatio Ad Bonauenturam Piſtophilum. 388

De libero animi motu, Ad eundem. 395

De uita Aulica, Ad Ludouicum Balneum. 400

Encomion pullicis, Ad Ladislaum epiſcopum Vatienſem. 405

De concordia, Ad Georgium epiſcopum Quinqueeccleſienſem. 409

De calumnia, Ad Herculem primum ducem Ferrariæ ſecundum 415

De ſalute ac recta ualetudine, ad Hippolytum ſecundum cardinalem Eſtenſem. 423

Paraphraſis trium librorum Meteororum Ariſtotelis, Ad eundem. 427

De mutuo amore, Ad Antonium Conſtabilem tribunum plebis. 436

Compendium rhetoricæ In gratiam Bartholomæi Ferrini incœptum. 442

Paraphraſis in primum librum Ethicorum Ariſtotelis, Ad Antonium Muſam Braſauolum. 453

Paraphraſis in Politica Ariſtotelis, Ad eundem. 457

Paraphraſis in commentationem de ſenſu & ſenſili Ariſtotelis, Ad eundem. 469

Quod Stoici dicunt magis fabuloſa quàm poetæ, Ad eundem. 476

De Citrio, cedro & citro commentatio, In gratiam eiuſdem Antonij Muſæ Braſauoli incœpta. 479

In Venetæ claſsis expugnationem, Ad Hippolytum primum Cardinalem Eſtenſem. 484

Deſcriptio ſilentij, Ad Thomam Fuſcum epiſcopum Cymaclienſem. 491

De Trinitate & ſapientia diuina ſermo per ipſum authorem in Cathedrali eccleſia Agrienſi publice habitus. 492

In ſacramentum Euchariſtiæ ſermo per ipſum authorem in eadem eccleſia Agrienſi publice habitus. 494

Compendium Magiæ, Ad Nicolaum Corrigium. 497

In funere Beatricis reginæ Hungariæ oratio. 503

In funere Herculis Strozzæ oratio. 505

In funere Hippolyti primi cardinalis Eſtenſis oratio incœpta. 508

In funere Antonij Conſtabilis oratio. 512

In funere Anſonſi primi, ducis Ferrariæ tertij oratio. 515

Pro Alfonſo primo, duce Ferrariæ tertio, orationes duæ, Ad Leonem decimum Pontificem maximum. 519
Pro Hercule ſecundo, duce Ferrariæ quarto, oratio, Ad Paulum tertium Pontificem maximum, per ipſum autorem in publico conſiſtorio habita. 523
Pro oratoribus Fauentinis, Ad Iulium ſecundum Pontificem maximum 526
Pro eiſdem, Ad Hadrianum ſextum pontificem maximum. 527
Pro Alfonſo primo, duce Ferrariæ tertio, Ad Iulium ſecundum Pontificem maximum Apologia. 529
In laudem Iuris peritiæ orationes duæ. 542
In ſolennitatibus Epiphaniæ orationes tres. 547
Pro promotore doctore oratio in collegio habita. 550
Encomion artium liberalium. 552
In doctoratu Ruben Hebræi, oratio. 556
Pro amico doctore in patriã redeũte, qui inſignia doctoratus acceperat, oratio. 557

DIALOGI

Equitatio, Ad Herculem ſecundum ducem Ferrariæ quartum. 558
De memoria, Ad eundem. 591
Galatea, Melene, Proteus, Ad eundem. 599
Rex Albaniæ, Alexander, Piora, Ad eundem 600
De menſibus, In gratiam Alfonſi Calcagnini incœptus. 604

APOLOGI

Linelæon, Ad Herculem primum ducem ſecundum. 614
Somatia, Ad Hippolytum primum cardinalem Eſtenſem 610
Perſonati, Ad Alfonſum Trottum. 616
Obligatio, Ad Nicolaum Corrigium. 621
Gigantes, Ad eundem. 622
Super inſcitia, Ad eundem. 624
Abſentia, Ad eundem. 624
Apologorum liber, Ad Ioannem Hieronymum Monferratum 625

Oraculorum lib. In gratiam Ioannis Hieronymi Monferrati 640
Quædam dicta moralia In gratiam eiuſdem. 647
Panegyricus pro Calcagnino Protonotario apoſtolico. 652

CAELII CALCAGNINI FERRARIEN. AD MAGNIFICVM EQVITEM ET COMITEM THOMAM CALCAgninum nepotem Epistolicarum quæstionum,

LIBER PRIMVS

CÆLIVS CALCAGNINVS DANIELI FINO S.

NISI ME multum amares, securius possem de iudicio tuo iudicare: nunc dum acerrimo ingenio, dum nimio plus mei amantem te agnosco, non possum nõ animo fluctuare, & quod decernam incertum habere. Rogas enim me, ut epistolas quas ad Comitem Thomam Calcagninum nepotem meum aliquãdo dedi, ex quibus non nihil frugis colligi possit, conquiri iubeam, & mittam ad te: & si id periculosum ac difficile sit, tum quòd non ea causa scriptę sint, ut in manus hominum prodeant, tum quòd earum exempla minimè sub manu habeantur, quòd negligenter admodum & succisiuis temporibus tantum scriptę sint. Mandaui tamẽ, ut undiq; repetantur, explorentur, & quasi tumultuarium in ordinẽ reuocentur, ut uoluntati tuæ satisfiat. Ita enim abunde iudicabis, quantum te amem, quãti te faciam: si intellexeris, me multo maiorẽ uoti tui quàm existimationis meæ rationem habuisse. Vale. XVI. Calend. Septemb. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CALCAGNINVS COMITI Thomæ Calcagnino nepoti. S.

PERCVNCTARIS à me, cur ex tot frugiferis glandiferisq; arboribus Vergilius nullam elegerit, cui aureum illum ramum, id est uirtutis symbolum, assignaret: sed ilicem unam optauerit, cui hoc decus tribueret. breuiter sentẽtiam tibi meam expediam. E frugiferis quidem nulla fuit eligenda, quòd sui gratia, non præmij, uirtus sit expetenda. Magnum enim abunde sibi pretium est uirtus: quę causa fecit ut ex coronis quas honoris gratia dedit antiquitas, nulla æstimatione censeretur. ut sanè ex Ilice ciuica corona primò fuit: postea magis placuit ex Aesculo Ioui sacra. eadem nunquam folia amittit, materie spissa & robusta, radice admodũ alta & multiplici, semper glandifera. Nam ueterem fructum nouus occupat. Adde quòd inter omnes nulla fœcundior, utpote quæ præter glandem coccum etiam, id est granum puniceum, ferat. Quòd si ad religionem Dryudum Vergilius allusit, ut putamus, quom dixit, Quale solet syluis brumali frigore uiscũ Fronde uirere noua, quod non sua seminat arbos: Nec enim quicquam uisco sanctius in sacris habent Dryudes, si Plinio in XXVI. libro Naturalis historiæ credimus: ilex eadem uiscum à septentrione, hyphear à meridie producit. uirtute autem nihil fortius, nihil robustius, nihil feracius, nihil deniq; æternius agnoscimus. Bene uale, & hanc unã ilicem perpetuò uestiga oculis, in qua Dij uirtutem & cum uirtute felicitatem posuere.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEPOTI S.

QVÆ sit sententia græci carminis, quod uice prouerbij à multis usurpatur, à me petis: Nec enim græci enarratores in eo (ut scribis) se satis expediunt: δέξιον εἰς ὑπόδημα, ἀριστερὸν εἰς ποδόνιπτρον. Sudas ex Aristophane id nũcupatim mutuatur, Alij Pythagoræ tribuũt. Ego profecto inter Pythagorica symbola recensui, quom ea priuato uolumine declararem. Mea uero sententia est, nos eo uersiculo admoneri, ut exornemus & excola-

mus, si qua sunt in nobis honestamenta à natura tributa. Quòd si qua uitia inolita sunt, procurandum ut ea quoq; diligenter eluamus. hoc enim est dextro pedi calceum inducere: siniſtrũ uero εἰς ποδονιπτρον, id est in peluim, immittere. Alij ad ueterẽ superstitionem reuocandum putant, quòd illi primo dextrum pedem induerent, primo siniſtrum lauarent. Ad quam eorum opinionem non inepte fortasse & Augusti prodigiũ referri potest: qui prodidit, leuum sibi calceum præpostere inductum, quo die seditione militari penè afflictus est. Bene uale.

CÆLIVS CAL. COM. THO. CAL. S.

VR mentam belli tempore neq; serendam neq; edendam ueteres præceperint, quæris rem sanè dignam inquisitione, in qua magis conie-
C cturis, quàm dijudicatione uti par est. Nam locum summouendum inimicitijs ac simultatibus admonẽtes, quas immortales esse turpissimum est, neq; edendam neq; serendam mentam dixere: quando hæc semel sata diutina durat ætate: uel certe indicantes, turpe esse belli tempore delicijs indulgere. Hac enim & in condimentis & in suaueolentia, ex qua etiam ἁδύοσμος apud Græcos sibi nomen uendicauit, uti solemus: quorum utrũq; parum hominem militarem decet. Vel quòd ferrum reformidet, ut periti rerum naturæ affirmant. Adde quòd generationi dicitur aduersari, cui tempore belli maximã operam dari par est, ut humani generis iactura, quã Mars recte ab Homero βροτόλοιγος appellatus, afferre solet, sarciatur: alioqui ob frigiditatem, qua damnata est, imbelles instrenuiq; milites ad expeditionem reddi creduntur. Postremæ opinionis autor est Aristoteles, cæteri fauent proximæ. Bene uale.

CÆLIVS CAL. COM. THO. CAL. NEP. S.

ERQVIRIS à me quæ nam causa antiquis suaserit, ut arborum sapientissimam morum, stultissimam terebinthum dixerint. Non habeo
P quomodo hoc tibi cõmodius explicem, quàm si Plinij uerba adscripsero, quibus astipulatur Theophrastus: Morus nouissima urbanarũ germinat, nec nisi exacto frigore, ob id dicta sapientissima arborum. Idem alibi: Syria & terebinthum habet. mascula sine fructu est, fœminarum duo genera: alteri fructus rubet, lentis magnitudine: alteri pallidus. Nihil ergo mirum, eam arborem stultam uocari, in qua altero tantum fœmineum genus, masculum superat. Ad hoc accedit, quòd quom radices ualidas ac robustas admodum habeat: materies deinde lenta est, & parum resistens: & quod est præter aliarum arborum consuetudinem, altis profundisq; uulneribus fit fœcundior. Quidam ad ramorũ amplitudinem & uastitatem retulere: quod non placet. Bene uale.

CÆLIVS CAL. COM. THO. CAL. NEP. S.

CRIBIS, adolescentes quosdam Romanos constantissimè, magnisq; clamoribus asseruisse nuper uersiculũ quendã Marij Aequicoli mei,
S is est, Has Marius tales fundebat pectore uoces: non carere fœdissima labe solœcismi. Super qua re iudiciũ meum exploras. Ego uero mi Thoma charissime, non minus Marianũ hoc carmen syncerum puto quàm Vergilianum illud ex septimo Aeneidos,

Quæ ne monstra pij paterentur talia Troes,
Delati in portus, neu littora dira subirent,
Neptunus uentis impleuit uela secundis. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

ON est quòd dubites & Risum & Impudentiam & Paupertatẽ à ueteribus cultas. Nam autorem Risus habes Plutarchũ, qui scribit Lycur-
N gum nõ ita seuerũ fuisse, ut putatur uulgò, ceu qui Risus simulachrum erexerit

erexerit. putabat enim ille risum laboris & modesti victus condimentum. Scimus & nos, Romanos Hilaria risu & iocis celebrasse. Quin & de festiuitate risus habes nõ pauca apud Apuleium in Asino. Certe inter comites Bacchi poetę Risum annumerant. Et Homerus Venerem φιλομμήδη, scilicet risus studiosam appellat. ex testimonio aũt Diogeniani Theophrastus in Legibus prodidit, apud Atheniẽses aras fuisse Contumelię & Impudẽtiæ cõsecratas. Arrianus uero à Gadireis Paupertatẽ atq; Artem cultas scripsit: hãc quòd uitam alat, ut est in prouerbio: illam quòd ad artes comminiscendas industrios ac ingeniosos homines reddat. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

ILLA uel intactæ segetis per summa uolaret
Gramina, nec cursu teneras læsisset aristas.
I Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, medias nec tingeret æquore plantas.

Dixeram tibi (id quod excidisse scribis) Vergilium quatuor his uersibus, qui in fine septimi Aeneidos positi sunt, ad Iphiclum & Orionẽ alludisse: quorum alteri datum, ut per summas aristas ita leuiter excurreret, ut ne summa quidem aristarum fastigia deturbaret: Orioni uero, quẽ ex Euryale Minois filia Neptunus sustulit, pater indulsit, ut suspensis uestigijs ita fluctus inambularet, ut neq; summos pedes allueret. Vtriusq; opinionis apud Græcos autor Hesiodus: apud nos prioris Hyginus, Bene uale & mei memineris.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

CATECHVMENOS (nam te hoc uelle scire significas) uox est planè Christiana, utpote qua ethnici scriptores abstinuerint. utĩ ea Paulus
C aliquot locis, ut in epistola ad Romanos, δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου. Probas sublimia institutus à lege. Ea significat instructum eruditumq;, & id quidem non de scripto, sed uoce tantũ. Quimos & hodie seruatur, quom fidei candidati, maiores præsertim natu, nondũ aqua sacri fontis perfusi sunt. Docentur enim & erudiuntur, ita ut memoria, non commentario cõcipiant ac teneant ea quæ traduntur. Tunc enim planè κατηχούμενοι appellantur, atq; ita solet piorum cœtus pro Catechumenis, scilicet ad fidem migrantibus preces effundere. Dicta uero est ἀπὸ τοῦ κατηχεῖν, quod est uerbis coràm erudire ac instituere. ἦχω enim sonus, & ἠχεῖν sonare dicitur. Seruabant etiã hunc morẽ Hebræi, ut sacras institutiones per manus traderent, nequaquam eas literis commendantes. Quare Cabala secretior illa disciplina uocitata est, quã primus Esdras in scriptum redegisse dicitur. Sic Pythagoras uoce tenus suos erudiebat auditores. adde quòd quibus hæc erudiendi Catechumenos prouincia demandabatur, Catechistæ nuncupati sunt, quales Dionysius susceptores dicit: quorum uicem nunc fermè implent, qui πρὸς τὸ ὕδωρ τῆς παλιγγενεσίας, id est ad aquam regenerationis, pro ijs, qui pelluuntur, sponsionem subeunt. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

AN cubi, quos tesseras appellamus, ossei eburneiúe fuerint antiquitati, ut sunt ætati nostræ, à me perquisisti mi Nepos charissime. In qua
A percunctatione licet compertum habeam, me multorũ testimonijs uti posse, ero tantum uno contentus, quo osseos fuisse facile intelliges. Inter Aenigmata enim antiquis agitata, illud est maximè uulgatum uel apud Diomedem: uidi carnem humanam in campo ligneo ossibus ludentem, ubi erat mare cõcretum. Quo significabatur Tesserarius lusor in alueolum cubos iaciẽs: quo loco & salinũ astabat. Quod uero tu erudite obijcis mihi Plinijũ in XVI. asserentem ex genista tesseras confici consueuisse, nolim tesseras eo loco pro cubis accipere, sed uirgulis ac symbolis ligneis, quibus imperatores liberaliter populum acci-

pientes in cõgiarijs uti solebãt, quom in ijs annotarẽt quæ munera elargirent̃. Nec enim putato oleum, uinũ, triticũ, altilia, & id genus alia in uulgus iactata: nam earũ rerũ maxima pars deperijsset. uerũ prout q̃sq; è populo fortuitò tesseras arripuerat, ita priuatim subinde à promis & diribitoribus, quæ in ijs erãt impressa, accipiebat: qua in re peculiariter genista utebãt̃, uel ob exilitatẽ, uel ob firmitatẽ materiæ. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

PLINIANA uerba quæ à me pensitari uis, in XVII. Naturalis historiæ scripta sunt. Plerique id demum cauent, ut plaga deputati cacuminis meridiẽ spectet, ignari fissuris nimij uaporis opponi. Id quidem in horam diei quintam uel octauã spectare maluerim. Quom simpliciter & absq; adiectione horas dicimus, æquinoctiales paresq; intelligimus. Quòd si hibernas aut ęstiuas addiderimus, breuiores productiores ue intelligemus, quas καιρικὰς Gręci, nos dicere possumus tẽporarias. Ita enim perpetuò antiqui in XII. horas noctes diesq; diuisere, pares numero, nõ pares quantitate, ut in annotationibus plenius ostendimus. has ex cursu solis mutabant ac metiebantur. Quom ergo sol ad mediũ axem peruenerat, accensus Consulis Romæ inter rostra & græcostasin obseruans meridiem pronuntiabat, quo tempore sexta hora diei censebatur. Ad hunc ergo prospectum Plinius non probat deputati cacuminis plagam spectare, propter uim ardentissimi caloris, qui scissuras afferre solet: sed uel paulo citra uel aliquãto ultra meridiem. hoc enim est in horam diei quintam uel octauam, quarum illa ex dimensione Vitruuiana Leuconotum, hæc Libanotum spectat. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

LICET quod quæris, ex libello quem de ueterum ludis conscripsi, petere possis, nõ tamẽ diutius tuum uotum morabor. Scito itaq; Hieromeniã apud Græcos ludum fuisse, in quo uir nudo glabroq; capite arieti (ut ille ait) reciprocicorno occursabat: sæpiusq; eadem die ad tonstrinã se recipiebat: ut obarmaret loricaretq; caput feruenti pice. Quòd si minimè arieti cessisset, & firmiter arietasset, certo præmio donabatur. Hinc ludicrũ illud natũ puto, in quo hodie autorati quidã solẽt glabello capite in ælurũ alligatum quidem, sed dentibus unguibusq; sæuiẽtem, obluctari: quos deinde, quom ælurum alliserint, per iocum ælurarios equites appellamus. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

VERBA sunt Ciceronis in Sextiana, Ex te igitur Scaure potissimũ quæro, qui ludos apparatissimos magnificentissimosq; fecisti. Ille ipse maximus ludius nõ solũ spectator, sed actor & acroama, qui omnia sororis embolia nouit, qui in cœtu mulierũ pro psaltria adducit̃. Quæris quid sibi uelit Cicero, quom Clodium actorem & acroama uocat: quæ item sint sororis embolia. Nosti tu quidem constuprationes illas Clodianas, & ceremonias Bonæ deæ pollutas. Nihil enim uulgatius. Ac Cicero ob eas Clodium non spectatorem modo, uerũ actorẽ etiam & acroama, id est mimũ histrionemq; appellat, utpote qui uestes muliebres & mimicas indueret, & pro psaltria adduceret̃. Acroama enim uel ἢ συναίρεσιν acroma, licet auditionẽ significet, unde libri Aristot. in quibus secretior philosophia claudebat̃, ἀκροαματικοὶ dicti sunt. & Antisthenes summũ acroma laudẽ uocauit: tamẽ & pro ipsis qui audiunt̃ inspectanturq; accipit̃, sicut opera non pro actu sed & pro ijs qui actum exercent accipi solet. sic Atheneus scribit, M. Antonium cum Acromatibus, id est mimis ludijsq; collusisse. Sic Alexander Imperator nanos, nanas, moriones, uocales exoletos, Pantomimos & omnia acromata populo donasse scribitur. Embolia autem sororis, cõmenta Veneris & argumẽta libidinis intelligit. Sicut Cyrene græcis δυοδεκαμηχάνη appellata est, quòd imagines & machinas portentosæ uoluptatis à nouem ad XII. produxerit.

Alioqui

Alioqui obscœna potest esse allusio: quòd ἔμβολα, rostra nauium. extremam uero bellici arietis partem, ἐμβολίω: & clauiculam formandis axibus accõmodatam, ἔμβολιον græci dicunt, licet embolium proprie intentionẽ & acutam animi coniectionem, commentationemq; dicere possimus, ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλω. unde dies ἐμβολιμαῖοι, interiecti & intercalares dicti sunt. hinc Cicero ad Atticum, Embolium nouum cogito. Quidã in Sextiana nõ embolia, sed ecbolia legũt. Nam sic Græci medicamenta dicũt, quibus fiunt abortus & eliduntur fœtus. Vnde apud Plinium, uinum ἐκβολινόν, quod eo scilicet partus eijciantur. quorum opinionem multo argutiorẽ quàm ueriorem puto. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

RATIONEM à me ὀπτικὴν, id est, perspectiuã de lumine fenestrarum perquisisti, quæ à Cicerone in secundo Epistolarum ad Atticum posita est. Cuius uerba sunt, Fenestrarũ angustias quòd reprehendis, scito te κύρου παιδείαν reprehendere. Nam quom ego idem istuc dicerẽ, Cyrus aiebat, ueridiorum τὰς διαφάσεις latis luminibus non tam esse suaueis. etenim ἔστω μὲν ἡ ὄψις α. τὸ δὲ ὁρώμενον β. γ. ἀκτῖνοι δὲ δ. καὶ ε. uides enim cætera. Nam si περὶ εἰδώλων ἐμπτώσεις uideremus, ualde laborarent εἴδωλα in angustijs. Nunc fit lepide illa ἔκχυσις. Qui pariter τὰς ὀπτικὰς καὶ τὰς φυσικὰς γνώμας pertracta runt, affirmãt, uim cuiusq; sensus eo ualentiorem esse, quo collectior sit: atq; iccirco scorpionarij, statuarij, pictores & architecti uno loco oculũ sistunt: à quo deinde radij deducũtur. Et profecto uidemus naturã media oculorũ cornea fenestrasse pupilla, cuius angustię nõ sinunt uagari incertã aciem, & uelut canali dirigunt. Vnam ergo literam Cicero merito assignat τῇ ὄψει, id est perspectui. utitur enim literis more geometrico in re describẽda. Nam & Aristoteles in prioribus Analyticis probationes huiusmodi certiores putat, quòd à forma scilicet, non à materia proficiscantur. Diducit deinde in partes geminas ὧν ἀκτῖνας, id est radios, δ. καὶ ε. qui τὸ ὁρώμενον, id est rem subiectam uisui hinc & hinc, hoc est β. γ. amplectãtur. Ex quibus subsequitur partem unde uisus & obtutus noster progreditur, angustam potius ac reductam quàm latã & profusam esse debere. hæc enim ratio est, qua Cyrus architectus usus est, defendens fenestrarum angustias, quas fecerat. Nam sic oculi rectà tantum uiderent, quæ è regione obuia sunt. hoc enim est, quod ait, περὶ εἰδώλων ἐμπτώσεις, id est, simulachrorũ occursus. Imagines enim & spectra rerum uisilium quæ oculis inhærent, εἴδωλα nuncupat. In quibus illud mirum, quòd magnarum adeo molium imagines à tam parua reddantur pupilla. Et furtim Cicero opinionẽ Epicuri taxat, cuius sectator fuit Atticus, existimantis effluere semper ex omnibus corporibus simulachra quædam corporum ipsorum, eaq; sese in oculos inferre: atq; ita fieri uidendi sensum. Hęc itaq; est κύρου παιδεία, id est Cyri architecti eruditio, qua probauit ueridiorum τὰς διαφάσεις, id est transparentias, angustis quàm latis luminibus suauiores. Et furtim ad Pædiam Cyri alludit, quam scripsit Xenophon, absolutissimi principis imaginem uolens exprimere, quam nemo sine infamiæ periculo reprehendere audeat. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

ITA est mi fili, nec tua ista hæc suspicio te fallit. Nec enim à mure Murineus sed murinus deflectitur, ut carmẽ illud Martialis, Campis diues
I Apollo Murineis: minime ad Smintheum illum Homericũ, & mures populatores frugum referendum sit, quod dubio procul ad Gryneum referri oportet. est enim autore Stephano Γρύνοι πολίχνιον μυριναίων, ὃ καὶ ἱερὸν ἀπόλλωνος, καὶ μαντεῖον ἀρχαῖον, ἡ ναὸς πολυτελὴς λίθου λευκοῦ λίθος, ἐν ᾧ λιμᾶται. Grynæ, inquit, est oppidulum Myrinæorũ, ubi & sacrũ & oraculum uetustissimũ Apollinis. Quin & templũ prædiues ex albo lapide, in quo deus multa religione colitur. De Myrina uero ciuitate Aeolię, à qua Myrinæi campi admodũ opulẽti dicti sunt,

præter alios nominatim meminit idem Stephanus & Strabo. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

VIte nobilem generosumq; dixit, indignus omnino est, qui huius ergô male audiat: quom non modo te dignis laudibus honestarit, uerum

Q neq; in figurâ illam inciderit, quã Greci ὁμοιοπτῶτα appellant. Differũt enim planè, non longo licet interuallo, generosus & nobilis: quando alij nobilem uirtute ac receptis moribus, generosum uero maiorũ imaginibus censent, quorum utrũq; Aristoteles multo secus distinxit. Εὐγενὲς μὲν γὰρ φησὶν ἐστὶ τὸ ἐξ ἀγαθῶν γένος, γενναῖον δὲ τὸ μὴ ἐξιστάμενον ἐκ τῆς αὑτῶν φύσεως. Nobile quidem est, inquit, quod ex bono prodijt genere, generosum quod à sua natura non degenerauit. Generosus itaq; se nititur, nobilis aliũde pendet: ut is proprie nobilis sit, quẽ rude uulgus hoc tempore gentilem non adeo fortasse inerudite appellat. Dixerunt enim antiqui gentiles, si Iureconsultis credimus, eos qui inter se eodem nomine dicebantur, ab ingenuis oriundi, quorum maiorum nemo seruitutem seruierit: neq; quis capite diminutus fuerit. Horum siquidem uere gentilitas est, quom neq; seruorum, neq; libertinorum gentilitas ulla dici possit. De qua re commodius in libello in quo seminaria linguæ uernaculæ explorauimus. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

ERSÆPE tibi coràm testatus sum sententiã meam, quam nunc quoq; per literas postquam ita efflagitas, testari non pigebit, me minimè uul

P gatę grammaticorũ opinioni accedere: qui uerba quædam personis & numeris quasi capite diminuta existimant, quoties aliorum uerborum infinita à fronte sortiuntur. fallit eos scilicet æstimatio, quòd nunquam ea in multitudinis numero deprehendantur, quom infinito adhæserint: quod non uerborum culpa nec imminutione, sed infinitorũ certa ratione contingit, quibus in numero tantum unitatis cõsuetudo utitur: quorum deinde proportionẽ uerba ipsa sequi necesse est. Neq; illud uerum puto, Refert & Interest, ex re nomine coalescere. Neq; pronomina illa, mea, tua, sua, nostra, & cętera id genus, iũcta qdẽ alteri recto, alteri uero, latino casu constare: atq; ita dici, mea refert, mea interest, quasi mea res fert, & in re mea est. Quæ omnino multo argutius quàm uerius mihi uidentur excogitata, ut uerum intelligamus quod Græci dicũt, ἁπλῶς ἀληθέας λόγῳ. multo enim simplicius ac uerius est, à re illud, hoc ab inter, præpositionibus coaluisse: ut casus sit utrobiq; accusatiuus, & quidem amplioris numeri & tertij generis: & quom dixerimus, mea refert ocium, mea interest solitudo: intelligamus ocium & solitudinem referre & esse inter mea, id est ad res meas pertinere: sicut quom dicimus, Maronis refert aut interest diligentia: intelligimus diligentiã referre atq; esse inter ea quæ Maroni cõueniunt. Ceu absolute interdum dicimus, meum est, Maronis est omnibus prodesse, id est meũ & Maronis munus est omnibus prodesse. Sic itidem latine dicimus, mea Cælij refert uel interest amicis gratulari. Nam ex eadem ratione dicimus, Refert aut est inter res meas Cælij amicis gratulari. Mei enim Cælij res non dicitur sine uitio. Quòd si refert & interest, ex re nomine cõpositum foret, uerba illa Ciceronis in Quintiana non carerent suspitione barbarismi: Negat se alia ratione facturum quod promisisset, non plus sua referre quàm si quom auctionẽ uenderet, domini iussu quippiam promisisset. Non enim sua, sed suã fuerat scribendum. Nisi eo in infinito fortasse ijdem grãmatici res etiã casu recto seruari posse contenderent: quod q̃ absurdũ sit, res ipsa & ratio latinitatis uel me tacente ostendũt. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

ETIS à me quid sibi uelit Cicero, quom ad Atticũ scribẽs in quinto E-

P pistolarũ scribit, Bibulũ in Amano cœpisse laureolã in mustaceo quærere. Scies id mi fili non sine sale & cauillo à Cicerone dictum. fiebant

enim

enim mustacei, ut tu optime ex Catone nosti, farinę siligineæ modio uno, musto cõ sperso. Cui anisum insuper & cuminum & adipis pondo duo, caseiq; libram addebant, & quod de uirga lauri deraserant immiscebant: & quom defrixerant, lauri folia substernebãt. Qua de causa etiam scimus à Pompeio Leneo laurũ Cypriam mustacen appellatã. Quom quis ergo iam absumpto mustaceo serius aduenisset, quod de Pinarijs in sacro Herculis traditũ est, quo tẽpore iam nihil erat reliqui prẹter laurum quæ mustaceo substernebatur: facete & σκωμμαλικῶς dicebatur ille in mustaceo laurum quærere, utpote cui præter sedimentũ nihil superesset. Quom itaq; deuictis profligatisq; à Cicerone incolis Amani montis, sempiternis hostibus P. R. Bibulus superuenisset, ut dicitur, κατόπιν ἑορτῆς, aliquid gloriæ inde aucupãs: falsę nec sine stomacho scribit Cicero, eum in mustaceo laureolam quærere. & acute admodum ac eleganter laureolæ nomine usus est, quæ non laurum tantum, uerum & uictoriam etiam significat. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

QVOD Bononiæ uideris Franciscum Galliarũ regem saliua tantum pollice in decussem allita strumis mederi, id quod gentilitium & peculiare Gallorũ regibus prædicant: non est quòd mireris, aut ulla te rapiat superstitio. Nam & saliuæ humanæ, ieiunæ præsertim, ad multas maximasq; ægritudines remedium inest: ceu quæ non uenenis modo medeatur, sed si in os serpentis inspuatur, ita efferuescit, ut serpentẽ disrumpi oporteat. Memoriæ proditũ est, Vespasianum imperatorẽ Ro. cæco homini uisum restituisse, quom saliuam oculorũ membranis infudisset. Quod ut à uictore principe exoraret, per somnũ Serapis admonuerat. Sed & Pyrrhũ regem Epirotarũ ferũt ingenita & admirabili ui prẹstitisse. Is enim quom splenęticos pressisset dextro pede, morbus decedebat. erat eo in pede pollex diuina illa facultate præpotẽs, qui post regis obitum, neq; igni absumptus est, neq; ætate contabuit. At qui fuerant à rege salutẽ consecuti, candidum gallũ, & nihil præterea, in gratitudinis testimoniũ reponebant, ut Aesculapio totius medicinæ autori rite sacrum persolueretur. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

ITTO ad te quem petijsti à me seu specimẽ seu gustum mauis appellare eius libri, quem super re curuli nuper condidi. Is est appellationes & uocabula, quibus ueteres currus nuncupabãt: carri, carrucę, currus, currícula, plaustra, plostra, plostella, pilenta, bastarnæ, uehicula, cisia, ochemata, petorita, conbennæ, plamoratum, apene, calpe, binoris, bigæ, trigę, quadrigæ, hamaxa, arcera, thensa, fercula, carpenta, rheda, epirhediũ, pampillum, couinus, serperastrũ, staticulũ, iumentum, uectabulũ. Quę omnia quomodo struantur, qua effingãtur materia uel forma, quę illorũ partes, quo in usu haberent, & cętera id genus, ex ipso fonte, id est à libello ipso cõmodius petes. Quando aliud est propinare, aliud omnẽ seriam relinere: aliud rectã, aliud sportulam dare. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

VOS Cicero nunc decẽ primos, nunc legatos appellat in oratione pro Roscio Amerino. Ait enim: Decurionum decretũ statim fit, ut decem primi proficiscãtur ad L. Syllam. & mox, quom T. Roscius Capito qui in decẽ legatis erat, adpromitteret. Eos putamus fuisse, quos principes seu capita decurionum appellant. Scis autem decuriones eos appellari in municipijs, qui Romæ senatores dicuntur. quidam eosdem putant, qui & mancipes, conductores scilicet redemptoresq; uectigaliũ, qui in auctione sublata manu se uictores significabant, quos principes publicanorum nuncupat Pedianus. Certe græci δεκαπρώτους, id est decemprimos appellant: ad quos publicorũ tributorumq; exactio pertinebat, & pro uectigalibus defunctis detrimenta reipublicę sarciebant,

quorum munus δεκαπρωτίαν etiam Iureconsulti uocitant. Sed de ijs alij plura. Nobis satis est Ciceronis locũ attigisse, et percunctationi tuę breuiter respõdisse. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

TVÆ literæ mihi sunt semper quàm gratissimæ, sed tũ imprimis, quom te non minus doctrinæ quàm sapientiæ studiosum significãt, ceu quas nuper accepi: quibus me consulis, an mulierem quam habes inter seruitia tua uernam ac domi natam, fide & probitate tibi perspectam, sed inuisam ac omnibus una de causa odio habitã, quòd pili & pubes quędam præter mulierum consuetudinẽ, circa inferiores genas fruticet, quæ secta repullulet, retinere debeas an depellere: putant aũt hoc pleriq; ominosum & magno eius malo expiandum. Cõsulis uero quid super ea re uel tam rara uel tam inauspicata putem tibi faciundum: quando hinc te mulieris probitas, hinc uulgaris trahit opinio. At ego qui portẽtis & auspicijs omnem fidem summoueo, & prudenter adeo illa à sacrosancta pietate Christiana explosa exibilataq; existimo: & mores habitumq; animi, nec quicquã præterea, metiri soleo, nihil tibi amplius dixerim, quàm tantũ abesse ut huiusmodi mulieres antiquitas damnauerit, ut etiã admirata sit, & nõnusquam pro uatibus ac Phœbadibus acceptę sint. Testatur hoc Aristoteles in libro Animalium. Cuius uerba nõ pigebit adscribere: γυνὴ δὲ τὰς ὑπὲρ τοῦ γενείου οὐ φύει τρίχας, πλὴν ὀλίγαι ἐνίαις γίνονται, ὅταν τὰ καταμήνια σῇ, καὶ οἷον ἐν καρίᾳ ταῖς ἱερείαις, ὃ δοκεῖ συμβαίνειν σημεῖον τῶν μελλόντων. Quæ sic Theodorus, Pili in mento mulieris non prodeunt nisi interdum pauci, cum menstrua substiterũt, & ut in terra Caria mulieribus sacerdotibus euenire aiunt, quod diuinationis signũ interpretantur. Quare tu non meis quidem, sed summi philosophi uerbis admonitus disce populares opiniones aspernari: & non quę uulgus, sed quæ tu te ipse putas optima sectare. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

OMNIA ista nomina, quæ ad me scripsisti, r. id est caninam literam habent quarto ordine. Nam à uerto originem trahunt primogeniã. Quare posthac prorsam non prosam orationẽ dicito: sicut & uorsam dicimus. Prorsa enim ea est quæ quantũ lubet in rectum limitẽ extendi potest, quam solutam & pedestrẽ appellant nonnulli. At uorsa: quam uerti & ad caput reduci necesse est, quam equestrẽ uel carminalem uel camenalẽ, quidam nunc antiquitatis, nunc cacozelię sectatores uocant. Ipsi etiã ueteres Prorsam deam coluerunt, quæ recto partui præsidebat: Sicut Postuertam, quæ præposterũ, præproperumúe auertebat, & ne Agrippæ nascerẽtur, prouidebat. Erat enim id ueteribus inauspicatũ. Sic rursus, prorsus, sursum, deorsum, sinistrorsum, leuorsum, & id genus sexcenta à uorsus deducta. Quin & Rursonẽ deum, qui rerum reparationi restituendisq; uicibus præses erat, appellabant. De quibus omnibus memini me coram uerba fecisse, quom tu uulgatam mihi omniũ ferè opinionẽ obijceres: quam tibi tantisper obseruandã duco, dum certa ratiõe uel recepta autoritate nitatur. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

QVOD catuli duo ex eo genere quos ἰχνευτὰς Gręci uocant, tibi nuper dono dati frequenti suctu ex grandioris canis papillis lac euocauerint, ita ut nunc ille non sine magna omnium admiratione matris uice educationis munere perfungatur: minus tibi insolens ac mirum uidebitur, si intellexeris, hircum aliquando ita mulctraria impleuisse, ut colostra inde conficerentur, quod fidem & opinionẽ ueterum adeo excessit, ut in audentes tentantesq; irrita & nunquã successura prouerbium torqueretur, quasi hircum emulgeret, quod græci τραγὸν ἀμέλγειν dicunt. Et Demonactes philosophus quom sophistas duos uidisset ita simul contendentes, ut absurda & ridicula alter proponeret, alter uero importuna quędã & ἀπροσδιόνυσα respõderet, Nõne, inquit ille, uobis uidetur

uidetur, hic hircum emulgere, at ille cribrum subijcere. quod tamen factum & memoria cõstat, & Aristoteles posteritati tradidit. eius uerba sunt, τῶν δὲ ἀῤῥένων ἔν τε τοῖς ἄλλοις ζώοις καὶ ἐν ἀνθρώπῳ ἐν οὐδενὶ μὲν ὡς ὧν τὸ πολὺ γίνεται γάλα, ὅμως δὲ γίνεται ἔν τισιν. ἐπεὶ καὶ ἐν λήμνῳ αἴξ ἐκ τῶν μαστῶν, οὓς ἔχει δύο ἄῤῥεν παρὰ τὸ αἰδοῖον, γάλα ἠμέλγετο τοσοῦτον, ὥστε γίνεσθαι τροφαλίδας. καὶ πάλιν ὀχεύσαντος τοῦ ἐκ τούτου γενομένου συνέβαινε τ' αὐτόν. ἀλλὰ τὰ μὲν τοιαῦτα ὡς σημεῖα ὑπολαμβάνουσιν, ἐπεὶ καὶ ἐν λήμνῳ ἀνεῖλεν ὁ θεὸς μαντευσαμένῳ, ἐπίκτησιν ἔσεσθαι χρημάτων. Maribus, inquit, magna ex parte nec bestijs nec hominibus gignitur lac. Fieri tamẽ potest, ut aliquibus interdum gignatur. Nam & in Lemno insula caper ex mammis, quas geminas iuxta genitale habuit, tantũ lactis emulgebatur, ut colostra inde conficerent: quod idem etiam proli masculæ capri illius euenisse accepimus. sed hæc ostentis annumeranda potius ducunt. Nam & Lemnio illi pecoris domino consulenti deus amplius incrementũ peculij futurum respondit. Quare te mi fili non modo minus mirari oportet, uerum & si qua in augurio fides, lætum animum & bonam spem induere, ceu tibi feliciter & ex animo successura sit uenatio. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

VERBVM hoc ait, cuius imperatiuũ, ai Plautus enuntiauit, non omnino simpliciter dicere significat, sed proprie de oratione affirmatiua dicitur. Quare Cicero in Topicis scripsit, alias esse enuntiatiões seu proloquia aientia, alia negantia. Quas Dialectici καταφάσεις καὶ ἀποφάσεις, id est affirmationes & negationes appellant. notum est Terentianũ illud: ait aio, negat nego. quin & Cicero in Officijs, Diogenes, inquit, ait, Antipater negat, cui potius assentior. Non ibo inficias, quin aliter usurpatum inueniatur. Sed hoc propriũ est, in quam rem tu tibi, si accurate legeris, plura exẽpla colliges. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

QVOD tardius quàm aut ego uellem, aut tu optabas, literis tuis respondeam, ne me cessatorẽ uel tui parum memorẽ putato. Nam utrunq; crimen tantum à me abest, ut nihil possit abesse longius. Te enim nõ animo modo, uerum ipsis planè oculis gero, sed huius moræ culpa omnis in tabellarijs fuit, qui cœli inclementia & aquarũ restagnatione impediti sero ad me peruenerũt: & uix demum post decimũ diem tuas mihi optatissimas literas reddiderũt. Quòd uero à me petis, de silenti sitientiq; & caua luna, quæ locutiones Catoni & Plinio nostro frequentes sunt, scito tibi parũ mea opera opus esse, quom ex tribus duo priora Plinius ipse interpretetur. Alterũ sextodecimo libro. Diem enim, ait, coitus lunę, ab alijs silentis lunæ, ab alijs interluniũ appellari. Alterum libro decimoseptimo: oleas, inquit, & ficos per uer tantum insere sitiente luna, scilicet sicca. Sic enim Catonis uerba enarrat. Siccam uero lunã intellige uel quom himbres non sunt: uel quom luna in signis minimè pluuialibus Zodiaci obuersatur. Nã ex ijs alia humecta, alia sicciora existimari, & Manlius & Mathematici docent. De Caua autẽ luna meminit idem Plinius in octauo. Mutianus, inquit, luna caua tradit tristes esse, quibus in simiarũ genere cauda sit. Ego cauam interpretor imperfectã, qualis est quom κυρτὸς uel ἀμφίκυρτος est, necdum ad plenilunium interluniumúe peruenit. nam & ueteres cauos menses dixerũt, qui pari dierum numero constarẽt: ceu quibus imparis numeri uel perfectio uel superstitio deesset. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

DIRIBITORIVM, super quo sententiã meam exquiris, locus fuit Romæ celebris, ab Agrippa conditus, ab Augusto publicatus, ad eosdem ferè usus ad quos λογιστήριον græci parabãt. In eo enim publica pecunia diribebatur, id est diuidebat̃ militibus: unde nomen inuenit. Nam & pecuniarum diuisores à Cicerone & alijs diribitores dicti sunt. Fuit id ædifi-

id ædificium admiratione dignum, uno tãtum tecto cõspicuum: quod Dionis tempore, ut ipse in LV. libro testatur, dirutum uisebatur, nec propter magnitudinẽ instaurari potuit. Certe Plin. in XVI. trabẽ celebrat pedum centũ, sesquipedali crassitudine, in porticib. septorũ à M. Agrippa relictã, quę diribitorio superfuerat. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

A Tu etiam inter uoluptates agrestes literas curas: & tantũ tibi ocij superest ut ad me scribas, rogesq; per literas, tibi uinearũ species antiquis consuetas, & quæ ad eam rem uoces pertinent, explicẽ. quod facio, & quidẽ lubens, sed multo forsitan breuius quàm tu ipse uelles: tũ quòd tuæ literæ me occupatum offenderunt, & nihil minus quàm uineas curantem: tum quòd libri à me absunt, & tabellarius qui epistolam attulit, quo appulit momento, eodem abitionem parat. Sic itaq; rem habeto. Vineas quinq; modis disponi docuit post Columellam Plinius. aut enim uites sparsis per terram palmitibus impune serpunt, uel per se nullius ope fultę stant erectæ: aut adminiculo quod alij pedamentum, alij ridicam, alij πλὼ χάραξ, unde characatæ uites dictę, adnituntur: aut pedatæ, id est pedamento affixæ simplici iugo, quod canteriũ uocant, porriguntur, quom scilicet duobus palis transuersæ incumbunt, quod iugum & Liuius appellat: aut certe quadruplici iugo sustinentur, quæ à cauis ædium cõpluuijs compluuiatæ dicuntur. Seritur autem uitis aut uiuiradice, id est surculo radicem habente: aut malleolo, id est sarmento (sic quicquid inutile à uite deputatur appellant) qui quoniam utrinq; capitulatus à duro, seu duramento dicere mauis, hoc est adulto uitis ramo decerpebatur, à mallei similitudine malleoli nomen accepit. hunc resecem Columella, & à numero gemmarũ nunc bigemmem, nũc trigemmẽ appellauit: qui si intortus & sine calce (sic crassiorẽ extremitatis partẽ uocabat) arriperetur, sagitta dicebatur, quod serendi genus multo cæteris expeditius putauerunt. Erat & propaginis laudata ratio, quom in terrã uitis caput immergebant, ex quo & mergus dicebatur: nec prius à matrice abscindebatur, quàm radices egisset. licet hoc interdum à terra procul tentarent, fictilibus uasculis terra refertis uitis apicem includentes: ut prorsus mirum uideretur, tam procul à solo radices agi. quem modum Plinius perquàm securum putat. Quom uero in arbusto (ita uites arboribus maritatas dixere) ad proximas arbores traherent, traduces nuncupauere. At si breuiores palmites sarmento iungebantur inter se, à funiũ similitudine funeta dicta sunt. Duo quoq; palmitum genera annotarũt ueteres, pampinarium, qui è duro exiens materiã in proximum annum promittit. Quòd si supra cicatricẽ sit, fructuarium uocant. custos uero est, nouellus palmes nõ longior tribus gemmis, si uitis luxuriauerit, proximo anno materiã, id est inutile sarmẽtum daturus. hunc iuxta minor alius uerrucæ magnitudine, furunculus nomine, qui si custos fefellisset, uices suppleat. Atqui Plinio non placet ueterem palmitem, quem alij draconem, alij iuniculum uocant, in longum & ad quartum usq; pedamentum emitti, ut faciat, quæ à robore ætatis masculeta appellant. Quocunq; autem modo uitem iam consenescentẽ renouarint, nouellare, & ex eo nouelleta, renouatæ scilicet iam uineæ dicebantur. quod uero adultiorẽ grandioremq; ramum durum diximus, quod alij duramentũ, in uite autẽ proprie draconem iuniculumq; nominant, eum putamus, quẽ Theophrastus & græci ἀκρέμονα nuncupant: quod nomen Theodorus negauit haberi in latinitate. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

Q Vi sint Di nouensiles apud Liuium, à me postulas: de quibus scribis nihil hactenus te certi comperisse. At ego lubens, quod ex lectione Varronis decerpsi, impartiar tibi, hos scilicet deos à Sabinis Romam deductos: atq; ijs à Tatio rege uoto ædes dicatas, quibus indigitamenta hęc adscribit, Herculẽ, Vestam, Salutem, Fortunã, Fortem, Fidem: quę uoces quanquam Sabinorum linguã olent, ad Romanę tamen linguę speciẽ adornatæ

sunt

sunt. Nonnulla enim, ut præclare idem scribit, in utraq; lingua habent radices: ut arbores, quę in confinio natę in utroq; agro serpunt. Potest enim esse Saturnus hic alia de causa dictus atq; in Sabinis. Originem uero uocabuli huius nonnulli putant, quòd hæc numina nuper in Apotheosin, id est deorum numerũ, recepta sunt. atq; hinc Nouensiles, quasi nuper saliẽtes dicti. alij nõ Nouẽsiles, sed Nouensides, quasi nouandis rebus pręsides dicendos censent: certe sic apud M. Varronẽ scriptum est, nisi ea lectio luxata sit. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

RECTE sapis mi fili, nec tibi alieno cõsilio opus est in ea re, quam tu ipse optime calles. Nec enim quisquam dixerit qui rationẽ latinitatis teneat, eũ admiratiõe affici, qui alios admiretur. Nam ille planè ac latine admiratiõe afficitur, de cuius gestis aut uirtute multa & incredibilis hominũ opinio est. Testis honorarius sit tibi Cicero: cuius uerba in Officijs hæc legimus, Admiratione quadam afficiuntur ij qui anteire cæteros uirtute putantur, & quom omni carere dedecore, tum uero ijs uitijs quibus alij nõ facile possunt obsistere. Bene uale.

COELIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

ALIA omnino est unguis & ungulæ differentia, quàm grammatici definiuerint, quorum obseruationes recte quidam plurima ex parte (nec enim ubiq; damnauerim) fœtutinas & prærancidas uocat: quando in ijs uere unguis dicitur, quæ digitos habent. In cæteris quæ μώνυχα ἢ δίχηλα, id est solida uel bisulca dicũtur, ungula agnoscitur. Cui sentẽtiæ locupletissimi testes accedũt ueteres, atq; inter eos Plinius noster, Vngues enim, inquit, qui clausulæ neruorum summæ existimantur, omnibus ijs, quibus & digiti. Et mox, Elephãto, inquit, informes, numero quidem quinq;, sed indiuisi ac leuiter discreti, ungulisq; non unguibus similes. ut facile intelligi possit, eum unguem esse latinis, quẽ ὄνυχα: ungulam uero, quã ὁπλὴν apud Græcos uocauit Aristoteles. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

CVR uulgò recepta sit opinio apud ueteres, eos formosos dieb. aliquot fore qui lepore uescerentur: nonnulli rationẽ afferre conati sunt, quòd id pulpamentum ui polleat extergendi bilem atram, atque ita animos exhilarãdi. At ego hoc quicquid est uulgò assertum, ex ui uocabuli tractum puto. In uocibus enim antiquitas religionem & auspiciorum obseruationem magna parte constare dixit: cuius rei gratia in publicis uectigalibus lacus Lucrinus primus omniũ locabat eruẽdus, boni ominis gratia, ut id reip. redemptoribusq; lucrosum quæstuosumq; fieret. Hinc etiã in delectu censuq; faciundo primi, Valerius, Saluius, Staterius, nominabãtur, ut id P. R. felix ac salutare euaderet. Non secus igitur eos lepidos fieri, leporemq; mutuari crediderũt, qui lepore uterentur. Cui sententiæ nonnihil suffragij afferre uidetur epigramma antiquum, quod in Seuerum Alexandrum imperatorem quotidie lepusculos esitantem iactatum est, cuius uerba hæc sunt,

Pulchrum quòd uideo ducem esse nostrum,
Quem Syrum sua protulit propago,
Venatus facit & lepus comesus,
Ex quo continuum capit leporem. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

CVM Plinius testetur, ueteres illos pictores nunquã satis laudatos quatuor coloribus solis immortalia opera illa fecisse, quæ nõ desinimus mirari: ex albis melino, ex silaceis attico, ex rubris sinopide pontica, ex nigris

nigris atramento: Quæris à me qui nam sint colores silacei. id uero facile atq; obuium est, Plinio ipso id alibi docente. Sil, inquit, ceruleum: quod propè limus est. optimum ex eo quod atticũ uocatur. quare silaceos colores, ceruleos iure dixeris. Sed quoniã uideo, à multis dubitari qui nam sit ceruleus color, quom præsertim scriptores eo uocabulo persæpe abutantur, non tam ad proprium quàm ad propinquũ significatũ trahentes (id quod in lutheo, purpureo, glauco, cęteriscq; coloribus frequẽs est) scito uere ac signate ceruleũ dici quem uirides ac luxuriantes adhuc segetes repræsentant, qui ita uiridis est, ut ab humoris tamen fœcunditate multum nigredinis mutuetur. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

RHINOCYRA, quę in Aegypti & Arabię finibus posita est, de qua toties Ptolemæus meminit, non à rhinocerotum uenatione dicta est, ut quidam putant, sed ab excisis naribus. Actisanes enim rex Aethiopum, quom deuicto captoq; Amase Aegyptum in ditionẽ redegisset, grassatores & latrones, quorum maximus numerus latè regionẽ inuaserat, comprehensos non capitali pœna, sed sola narium exectione castigauit, ut ab omnibus facile noscerẽtur. quos postmodum ita male mulctatos in desertã regionẽ Aegypto & Arabię confinem, mariq; finitimam relegauit. quo loco & ciuitatẽ condidit, eamq; ἀπὸ τοῦ κύρμη τῆς ῥινὰς Rhinocyrã appellauit: ut perpetuo habitantiũ uel scelus uel supplicium nomine testaretur. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

QVOD ad dialectum & periodum attinet, rectè sentit qui sequiore genere utranq; uocem enuntiandam putat. In sorite autẽ, quem latini acerualem interpretantur, fallitur. ablegata enim omni suspitione nostri generis est. Cicero: Sicut multa uerba Græcorũ, sic sorites satis latino tritus est. Et alibi soritas lubricos & periculosos appellat, utpote quos neque ipse autor Chrysippus sat sciat explicare. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

NON est quod admireris, Androcyden uirũ naturę consultissimũ quom magnum Alexandrum ab ebrietate deterreret, dixisse: Memineris rex quotiens uinum biberis, te epotare sanguinem terrę. Nam sicut homini cicuta uenenum est, ita uinum cicutæ. Poeticè enim nimis tibi uidetur ille in re tam seria uinum sanguinem terrę appellasse. quod sane uir non medendi solum, sed etiam dicendi peritus, uidetur nõ ab re fecisse, ut uim ac uehementiam uini magis exprimeret: & indicaret, sicut in corpore sanguis plurimum pollet, utpote conceptaculum spiritus, & animæ uehiculum, ita uinũ ad excitandos animos propellendamq; mentẽ mirificam potestatem habere. quæ causa fecit, ut ueteres dixerint, Bacchum è concremata matre editum. Alioqui Aegyptij in sacris indigitamentis uinum Gigantum sanguinẽ uocabant. Et Plutarchus in libello De Isi de & Osiride, quem nuper non tanquam interpretes, sed uelut paraphrastæ latinitati dedimus, testatur, priscos Aegypti reges ad Psametichi usq; regis ætatẽ, neq; uinũ bibisse, neq; dijs libasse, atq; ab eo omnino, ceu parũ superis grato, abstinuisse: ueluti quod eorum sanguinem putarẽt, qui cũ dijs aliquando dimicassent, ex quo effuso & terra admisto uites esse progenitas. quare largius ingurgitantes se mero ebrietatem & insaniam furoremq; incidere, nõ secus ac si se impiorum bellatorũ sanguine expleãt. Super qua Aegyptiorũ opinione nos aliquãdo hoc epigrammate lusimus,

Terrigenæ uicti, uictor Saturnius, actis
Vndiq; Phlegręis molibus horror erat.
Mœsta parens tellus in uites ossa redegit
Cæsorum, & uinum est, qui modo sanguis erat.

Ah nequis

Ah nequis mala uina bibat, de sanguine nata
Qui biberit, cædes, exitiumq; bibet. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

NON accedo eorum opinioni, qui mostellum hoc principis nostri inter pumiliones nanosq; censent. Nam (si Aristoteli credimus exactissimo naturæ exploratori) pumiliones duabus maximè partibus agnoscuntur, capitis scilicet & genitalium magnitudine. quorum utrunq; quom nõ modo in eximiam molem, ut scribis, non excreuerit, uerum etiã cæteræ corporis amplitudini minimè respondeat: par est ut omni depulsa suspicione è pumilionum albo expungas. Quòd siqui fortasse obstinatius reluctẽtur, ne tuam, ut dicitur, litem facias, eos ad Aristotelem protinus reijcito. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

SINT alijs Psittaci, monedulæ, ligurini, passerculi, melitæi, sint & quibusdam sua mõstra in delicijs: ectrapeli puta, nani, obtorti, cercopithe-ci, sciuri, mustelæ: (Scio enim quasdam reginas hos quasi Erichthoniũ alere & familiariter attrectare, quod apud Plinium de aspide, apud alios de hypnali Cleopatræ legimus:) me certe nihil pœnitet interdũ quom uel à negocijs, uel à studijs aliquid tẽporis succiditur, eluro, seu mauis felẽ appellare, blandiri, eumq; adludentem & festiuis rhonchis supparasitantem permulcere. Cur enim mihi illud iocanti uitio detur, quod Aegyptus serium atq; adeo sacrum habet. Nam inter bruta quæ nimis superstitiose colit, æluro tantũ tribuit, ut in eos qui reliqua sponte uolentesq; interemerint, decretum sit supplicium capitale. quod si casu aut certe nolentes fecerint, scelus præscripta mulcta posse expiari putãt. Sola felis inter quadrupedes, inter auitia ibis, nominatim excipitur: has nolẽs uolens úe quis letho dederit, crimen non nisi capite luitur. Cuius rei tanta religio fuit, ut Diodorus in secundo Bibliotheces fidem atq; oculos suos in testimoniũ adducat: quom ætate Ptolemæi, inita nuper amicitia cum Romanis, Romanorum quidam præter animi uoluntatem ælurum occidisset, facta impressione Aegyptij agminatim eius domũ obsederunt, eum ad pœnam poscentes: neq; magnitudo Romani nominis, neq; amicitiæ recẽtis necessitudo ei satis præsidio esse poterat: ni Rex præfectiq; regij eum magis præsenti periculo subtraxissent quàm liberassent. quòd si fato aut natura diem obijsset ælurus, uniuersa domus non secus funesta fuit ac si paterfamiliâs cecidisset. Idem præterea quom inter omnia scarabeum maximè uenerentur, eiusq; aliquot species numerent, eam quæ æluromorphos dicitur, & æluri facie pingitur, longe omnibus præferebant. Nec modo Aegyptij, uerum Arabes etiam ælurum, & eam quidem auream pro deo habebant in Rhadata. Nec sanè mirum, quom ritu naturæ numeros lunæ ostendat, & lunaribus incrementis oculos etiam habeat grandiores. Quid? quòd Aesopus nobilis ille fabulator puellam fuisse ælurũ scripsit, & quidem ita præstantẽ forma, ut inuidiam in se Veneris concitarit: qua Venus percita pristinam formam abstulit, nouam intulit, nec eam tamen degenerem aut deformẽ, utpote quæ uegeta atq; agilis sit, & leonis formæ simillima. Sed quid hæc tamen ad me? qui nec fabulas recipio, nec superstitioni faueo. alo enim ego ælurum, qui aduersus mures soricesq; perpetuos Palladis (ut Homerus scribit) id est Musei ac bibliothecę meæ hostes excubet, & stipendia faxit: cui non delicias modo, uerũ etiam, si gratus esse uolo, dimensum & annonæ autoramentum debeo. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

VERERIS de me quòd nihil ad te pridẽ scripserim: quom multo mihi sit de te iustior expostulandi ratio. Nunquã enim se mihi nuntij obtulit occasio, cui literas nõ dederim: nec profecto à me quicquam percunctatus es, cui uel occupatissimus non rescripserim. Nunc quod de Mamona uerbo in sacris literis frequẽti, à me petis, uideo plerosq; expositorũ falli,

qui teterrimi genij seu dæmonis nomen id putant, & quidem qui ad auaritiam cupiditatemq́ animos impellat. Quos ideo deceptos puto, quòd maximus ille nostræ salutis interpres Christus in Euangelio dixerit: nos iuxta deo & Mamonæ non posse inseruire: quom ille potius admonuerit mentem nõ oportere distrahi, neq́ nos satis cõmode utriq́ uitæ, scilicet quæ ad spectationẽ actionemq́ pertinet: quam sacri scriptores nunc Rachel & Rebeccam, nunc Martham & Magdalenam, græci θεωρίαν καὶ πράξιν appellant: posse incumbere. Nam Mamon seu Mamona apud Hebræos nõ proprium, sed generale uerbum est, significatq́ præfectum & præsidem. Hinc illud receptum in recõdita Hebræorum disciplina, à primo mundi incunabulo deum optimum maximum quatuor orbis regionibus ac uentis genios quatuor Mamonas, id est præfectos dedisse: Michaelem scilicet quà sol emergit, Raphaelem quà occidit, Gabrielem Boreali, Vrielem Austrinæ præfecisse: quorũ duo priores clementiam, posteriores seueritatem iustitiamq́ diuinam in genus humanũ exerceant. Sed quid hæc ad te, quom de mamone tantum rogaueris. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

S CRIBIS ad me, communem sententiam medicorum existimare isatin herbã esse, qua infectores utuntur, eam uulgato nomine gualdum aplantes. ita est sanè, & sic eruditi putant. nam Dioscoridis in secundo περὶ ὕλης ἰατρικῆς uerba sunt, ἰσάτις ἣ οἱ βαφεῖς χρῶντες, φύλλον ἔχει ἀρνογλόσσῳ ἐμφερὲς, λιπερώτερον καὶ μελάντερον. καῦλον δὲ ὑπερδίπηχυν, id est, Isatis qua infectores utuntur, folium simile plantagini habet, sed pinguius & nigrius, scapum duobus cubitis ampliorem. Plinius tamen noster occasionẽ dubitandi præbet libro XX. quom species lactucæ enumerans, tertium genus in syluis nascens Isatin uocari scribit: & mox quartũ subiungit, glastũ nomine, simile non plangini (ut Dioscorides scribit,) sed lapatho syluestri folijs, nisi quòd plura habet & nigriora. Certe uernacula nũcupatio Plinio cõsentit, quæ gualdum, quasi glasdum seu glastũ appellat. eo se Britanni, ut Tacitus scribit, tam mares quàm fœminæ oblinebãt: illi ut ceruleo colore metũ hostibus inferrent: illæ ut quibusdam in sacris nudæ incederẽt, colorem Aethiopũ imitãtes: quã ob causam & Martialis ceruleos Britãnos appellauit. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

S IC est mi fili, ut tu pulcherrimè scribis. nulla enim natio unquã tam fuit aliena à bonis moribus, tam planè Barbara, quæ disciplinas & disciplinarũ professores nõ fuerit aliquando amplexata. habuerunt Aegyptij prophetas, Assyrij Chaldæos, Dryadas Galli, Bactriani Samaneos, Persę Magos, Indi Gymnosophistas et Brachmanas, Hebręi Essenos, Cabaleos, Thalmudicos: quin & Scythæ Anacharsin, Thraces Zamolxin admirati sunt. Quare mi optime fili, enitamur amabo, atq́ hoc unũ agamus, ne nos qui medio in Latio nati sumus, qui plurima à parẽtibus ad uirtutes pręsidia accepimus, tãto dei & naturę beneficio indigni iudicemur: & ne quom cætera abũde adsint fortunæ & ingenij adiumenta, nos soli nobis defuisse deprehendamur. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

Q VÆRIS à me, cur magis apud Plinium de brumalibus herbis & pulegio ipso mentionẽ habentem, id reflorere in coronario, quàm in carnario legendum putem. miraris enim me de re apud eruditos cõtrouersa tam facile decernere. Paratũ, obuiumq́ responsum, & quod de Pythagoricis tradunt, αὐτὸς ἔφα. ipse enim Plinius libro XX. magnã societatem mẽtę cum pulegio scribit ad recreandos spiritus: qua de causa dignior, inquit, ê pulegio corona uertigini, quàm è rosis cubiculis nostris pronuntiata est. Coronaria autem ea sunt, quę græci στεφανώματα nuncupãt: ex quibus corollaria deducta sunt. Vides itaq́, apud Plinium pulegium coronis accommodatum censeri, carnarijs aũt nusquam, quod recolam. Bene uale.

Cælius

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

GRATVLOR tibi mi fili, quòd & has maioris studij disciplinas attingas aliquando. age puer macte uirtute, nusquam enim quantũ uires & ingenij captus suppeditabit, abero per istæc senticeta proficiscenti. Di faxint ut pergas, & tu te ipsum, id est ingeniũ tuum, sequare. Non enim uereor quin breui duces, id est præceptores, longe præcurras, & (quod aiũt) è manu lampada arripias. Quòd uero petis an interpretes Posteriorum Aristotelis διανοητικὴν μάθησιν in ipso planè uestibulo, alij quidem intellectiuam, alij intellectualem disciplinã recte uerterint, (in eo enim sophistas & enarratores elaborare) ut mea fert opinio, quemadmodũ utriq; sustineri & latebra aliqua defendi possint, ita neutri proprie locuti uidentur. Quom enim teste Ammonio, quinq; sint cognitionũ opifices, νοῦς, διάνοια, δόξα, φαντασία, αἴσθησις, id est, mens, discursus, opinio, imaginatio, sensus: Mens quidẽ & sensus syllogismo minime operãtur. Altera enim multo altior, alter ratiocinatione multo inferior. Sed nec imaginatio quoq;, quom sit statio sensus & apparitionum inde manantium thesaurus: sensibus autem nequaquam ratiocinantibus, ne putandum est quidem spectra sensuum ratiocinari posse. Reliquæ igitur sunt opinio & excursus. at opinio est ipsius excursus conclusio: qua propter ea ipsa syllogismo non utitur. Soli ergo excursui, quæ διάνοια nominatur, relicta est syllogizandi facultas. Recte itaq; Aristoteles de Syllogismo τῆς ἀποδείξεως, id est, demõstrationis acturus, mentionẽ habet περὶ τῆς διανοητικῆς μαθήσεως, quam ego neq; intellectiuã neq; intellectualem, sed excursiuam planè & ratiocinatoriã appellauerim. Suffragantur itidẽ nobis & Sudę uerba, nescio quo ex autore eruta, quę ad me scribis, τῆς γὰρ διανοίας συλλογιζομένης, ὅτι ἀθάνατος ἡ ψυχὴ, τὸ συμπέρασμα μόνον οἶδεν ἡ δόξα. διανοίας δ' ἐστὶ τὸ οἷον ὁδόν τινα διανύειν μεταβαίνουσαν ἀπὸ προτάσεως εἰς τὸ συμπέρασμα, ἐξ οὗ καὶ τῆς κλήσιν ἕλκυσε, Excursu scilicet ingenij ratiocinante animam immortalem esse, solam conclusionẽ capit opinio. Excurrentis autem ingenij munus est, dum à propositione in conclusionem transit, quasi uiam quandam sternere: ex quo διανοίας, id est excursus, nomẽ sibi uendicauit. Est enim proprie διανοεῖν cogitare & mente animoq; peruagari. quare qui cogitatiuam transtulerunt, & si non elegantius, cõmodius tamen uertisse existimandi. Bene uale mi fili, & me sæpe hisce quæstionibus exerce.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

TRITVM est illud, discentẽ credere oportere. Nam ut uere inquit Quintilianus, nil proficienti cõmodius euenire potest, quàm si pręceptori rectè consulenti summã fidem habuerit. alioqui & philosophi, qui se rerũ omnium rationes tenere putant, neq; summas immediatasq; propositiones, nec summa scientiarũ principia probari posse testantur. Nec enim probatio ratiocinatioq; usquã finem esset inuentura. Quare Hebræi salubriter instituerũt, ut quom quis arcanorũ ad diuinitatẽ pertinentiũ causam percunctatur, nil ulterius respondeat̃, quàm sic asserũt sapientes: sicut Pythagorici nihil amplius responderũt interrogati, quàm αὐτὸς ἔφα. αὐτὸς aũt erat Pythagoras. At nostri sacro sanctæ pietatis professores, qui omne ueritatis dogma fide niti arbitrant̃, satis habẽt hortari eos q uerę religiõis cãdidati sunt hac uoce, πίστευσον, id est, fidẽ habe. De quare elegãter Gregorius Nazianzenus scribit aduersus Iulianum Imperatorẽ nos his uerbis arguentẽ, ὑμῶν ἡ ἀλογία, καὶ ἡ ἀγροικία, καὶ οὐδὲν ὑπὲρ τὸ πίστευσον, τῆς ὑμετέρας ἐστὶ σοφίας, uos, inqt, adeo à ratiõe abestis, ea uestra est rusticitas, ut nil præter hoc ipsum, fidẽ habe, uestræ sit sapientiæ. At cõtrà Nazianzenus illi dogma Pythagoricũ obijcit, εἰς τ' αὐτὸν ἥκοντος τοῦ, αὐτὸς ἔφα, τοῦ παρ' ἡμῖν πίστευσον, ἐν ἄλλαις συλλαβαῖς τε καὶ ῥήμασι, Quom scilicet in idem incidat Ipse dixit, Pythagoricorum, & apud nos Fidem habe: alijs licet syllabis & uerbis enuntiatũ. Ne mireris igitur mi fili, si rei cuiusq; certa ratio reddi non potest. Nam ut uere scripsit Plinius, nõ magis mirũ uideri debet, rerum quarundam afferri, quàm non omnium reddi posse rationem. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

VNT hæc mi fili in arbitrio cuiusq; posita, nec iccirco apud me quis-
quam reprehensionem subiuerit, si diuersa senserit: habēt alij autorem
S Priscianū, qui gemino i, Dis & Dijs scribunt. nam ita ferè solebāt eam
literam geminare ueteres quom producebatur, ut Maijus Pompeijus,
sacrijs, dominijs: & sic notatum adhuc in quibusdam antiquis monu
mentis animaduertimus. Alij ratione græca nixi e, & i, scribunt, sed i, tantum enun
tiant: sicut & in latinis dictionibus quibusdam nunc supereſt consuetudo, Treis, tur
reis, omneis, quem scribendi morē nos aliquandiu sumus imitati. Sed quom utranq;
cōsuetudinē iam exolitam penè uideamus, malumus ea ita scribere ut enuntiamus,
ne affectationis suspicionem incamus, & ne à uoce scribēdi ratio dissideat. Id quod
in dictionibus græcis ad nos migrātibus magna parte obseruamus, πλθὼ, κλὼ, ἔκλει
ψις, εἰρωνεία, εἰρδυιώνη, Pitho, Clio, eclipsis, ironia, iresione: quæ omnia non multo se-
cus ad aurē ueniunt, quàm in pugillari exscribatur. & profecto, ut Cicero admonet,
nobis scientiam reseruare, populo consuetudinem debemus relinquere. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

ECTE dictum est mi fili, omnem ætatem de suo tempore conqueſtam
esse: ex ijs enim quæ ab antiquitate accepimus, ijsdem ferè, aut certe
R similliimis oneribus ac tributis exhausſtas olim gentes & uexatos popu-
los cognoscimus, quibus Itali & prouinciales nostro tempore ingemi-
scunt. Vnde enim Romanis tantas opes congeſtas putemus, nisi acer-
bissimas exactiones exercuissent: atq; utinā nō & rapinis gentes, atq; ipsum orbem
terrarum attriuissent? Hinc enim leges illę sociales, de repetundis, de peculatu, salu-
briter latę, sed negligenter obseruatę. Qui uero fuit certus præscriptusq; prouentus,
ex his tribus maximè eruebatur, testimonio Ciceronis: ex portu, ex decimis, ex scri-
ptura. portu, cōtinebantur subuectiones mercīū: decimis, fruges quæq; ex terra col-
ligebantur: scriptura, pecorum fœtura & quæ in pascuis uersabantur. Iis adde salina
rum reditus ab Anco Marcio rege primū instītutos. Hæc uerò omnia uno canonis
nomine cōcludebātur, ceu ordinariū legitimūq; id foret uectigal, suis quasi mēbris
constītutum. Sed ad hæc accesserunt oblatio & indictio. prioris exactio precaria fer
mè fuit, qualis auri coronarij ab imperatoribus sæpe Italiæ remissi: indictione, popu
li reluctantes reclamantesq; licet, adigebantur, & consueti oneris superpondiū ferre
cogebātur: illam subsidiariā, hanc impositītiam exactionē hodie appellamus. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

VRE illum risisti, qui Hipposelinū interpretatus subapium, id est mi-
nus gracilius q; apium dixit, sicut hypocisthidem eam appellamus quæ
I sub cistho nascit. Fallitur enim ille toto circo, ut est in prouerbio, neq;
latebrā errori habet. nec enim ab ὑπὸ præpositione, sed ab ἵππος, quę
uox non solum equum, sed rei cum qua iungitur, magnitudinē ampli-
tudinemq; indicat, ut hippomarathrum, hipposelinum. sicut βδ quoq; particula, ex
qua βάπτω & βάλλω dicitur. Tantum enim abest ut ἱπποσέλινον, paruum quis api
um putet, ut multo magis magnū procerumq; intelligere debeat. Quare nostri non
inconcinne equapium uerterunt. Paludapium uero ἑλεοσέλινον, quando ἕλος palu
dem græci dicunt. sicut Oreoselinum quod in montibus nascitur. Decrementū uero
imminutionemq; significantes nūc ὑπὸ præpositione, nunc χάμαι aduerbio, quod
humi significat, utūtur: ut chamędaphne, chamelæa, chamæpytis, chamæplatanos,
quibus uocibus humilis laurus, oliua, pinus, platanus designantur. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

VPIS scire à me, quis sit color colossinus. licet ego colossenū magis le-
C gendum putem. Nam græci κολοσσινον dicunt. atq; ita in XII. Strabo
nis scriptum. καὶ οἱ κολοσσινοὶ ἀπὸ τοῦ ὁμωνύμου χώματος πλησίον οἰκοῦντος.
à colossis

à Colossis scilicet urbe Troadis. Vnde & Colossenses illi celebres diui Pauli epistolis, tantũ abest ut à colosso Rhodio dicti sint. Color aũt is purpureus est, aut in purpureum declinans. Nam cyclamini florem colossinũ describit in XXI. Plinius. & nos testes oculos habemus: hunc enim colorẽ in flore cyclamini nunc agnoscimus, quem turba olitorum panẽ porcinum appellat. Quin & Dioscorides eum sic describit, κυκλάμινος φύλλα ἔχει ὅμοια κισσῷ, πορφυρὰ, ποικίλα κάτωθέν τε καὶ ἄνωθεν κηλίσιν ὑπολεύκοις, καυλὸν δὲ τετραδάκτυλον, γυμνὸν, ἐφ' οὗ ἄνθη ῥοδοειδῆ πορφυρίζοντα, id est folia habet similia hederę, purpurea & uaria, in quib. supra infraq; albicant maculæ, caulicu lo digitorũ quatuor carente folijs, flore in modũ rosę purpureo. Scio ab eodẽ autore alteram cyclamini speciem referri clauiculatim se arboribus inuolentis, flore candido. Ita enim scribit, περιελισσομένου τοῖς πρακειμένοις δένδρεσιν ἑλικωειδῶς, ἄνθη λευκά. Sed priori mihi uidetur Plinius colossenum colorem tribuisse. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

OBLECTARVNT me mirifice literæ tuæ, quæ mihi significarũt te uenationibus hoc tempore operã dare. Nulla profecto præclarior exercitatio, nulla honestior, nulla ad cõfirmandas uires accõmodatior. Quare quoties tibi uel otiũ suppetit, uel certe ualetudini inseruire uis, hoc age. Venatio enim in gymnastica, quã omnibus præfert Plato, primas partes habet, & magnũ est in ea militiæ instar. Quare Xenophon exercitationibus ferè omnibus eam anteposuit. Quin & περὶ τῆς θήρας priuatũ uolumẽ cõdidit. Quòd uero petis à me, quod nam uenationis genus ueteres maximè probauerint, scribam ad te aliàs quid cõpererim apud idoneos, quom fuero solutior: nunc te non desinam ad tam ingenuos labores hortari, ut siquãdo fuerit in uero Marte excubandum, ad perferenda incõmoda, ad sudores, pulueresq; hauriẽdos iam sis paratior. Habenda enim est semper in memoria, atq; adeo in oculis nobilis illa Socratis sententia, ἄσκει σαυτὸν πόνοις ἑκουσίοις, ἵνα καὶ σοὺ ἀκουσίους ὑπομένῃ. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

QVID est elegantiarum quod lingua latina habeat, & gręca nõ habeat? non est quòd dubites Græcos omnium orationis scitamẽtorum conditores fuisse, certe quod petis habent. Nam pro eo quod latine orare & exorare dicimus, habent ipsi λιπάρεσθαι καὶ ἐκλιπάρεσθαι. hinc nobilis illa Catonis sententia in memoria omnium qui rempublicã adeũt adfigenda, à Plutarcho ijs uerbis græce scripta, τὸν δ' ἄρχοντα ἢ κρίτην ἔλεγε δεῖν μηδὲ ὑπὲρ τῶν δικαίων λιπάρεσθαι, μηδὲ ὑπὲρ τῶν ἀδίκων ἐκλιπάρεσθαι. id est Magistratũ scilicet dicebat & iudicem nec de obtinendo iure orari oportere, nec de iniuria exorari. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

QVAESISTI nuper à me, quę nam forunt apud ueteres auspicia per acumina, de quibus Cicero in libro de Diuinatione ita meminit. Bellicam rem maiores nostri nisi auspicato administrari noluerunt. quàm multi anni sunt, quom bella à procõsulib. & proprętoribus administrãtur: qui auspicia non habent. Itaq; nec amneis transeunt auspicato, nec tripudia auspicantur. Nam ex acuminibus quidem (quod totum auspicium militare est) Marcus Marcellus quinquies consul totum omisit, idem imperator & augur optimus. Ego sanè qcquid hoc scrupi est, diu à doctis uiris perquisitũ noui, nec dum à quoquam expeditum. Si tamen in auspicio tam ueteri, & iam tam longo tempore omisso uaticinari licet: dixerim hoc illud esse de quo Seneca in Quæstionibus naturalibus sic mentionẽ habet, de cælestibus ignibus loquens. Gylippo Syracusas petenti uisa est stella super ipsam lanceã cõstitisse. In Romanorũ castris uisa sunt ardere pila, ignibus scilicet in illa dilapsis: qui sæpe fulminũ modo animalia ferire solent & arbusta: & si minore ui mittuntur, defluunt tamen & insidunt: nõ feriunt nec uulnerãt. Cui Plinij uerba in II. Naturalis historiæ nõnihil uidentur suffragari: Vidi,

inquit, in nocturnis militum uigilijs inhęrere pilis pro uallo fulgurum effigies. Sunt qui ad Geomantiã ea putent referenda, quæ acuminibus ita exercet̃, ut punctorum paritas, imparitas, obliquitas, quadratio, decussatio, & id genus cętera curiose, ne dicam superstitiose, spectentur. Sed nondum quicquam mihi priore sententia melius in mentem uenit: quam tantisper tenebo, dum certiora offerantur. Bene uale.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLICARVM QVAESTIONVM LIBER II.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

ROGAS me, ut quom nuper Hori Hieroglyphica in latinitatem cõuerterim: & nunc omnẽ operam exponam in discutiẽda indagine Aegyptiæ rationis, qua in sacris literis utebantur: uelim tibi per epistolam delibare quasi exemplum huiusce totius conscriptionis, ne nouus & omnino expers ad iusti deinde operis lectionem accedas. quod, ut studijs tuis omnia sumministrem præsidia, propẽso admodum animo facio. Et profecto qui sunt maiorem quampiam picturam aggressuri, solent eius uestigia, quod Ichnographiæ beneficiũ est, prænotare: tum ut aliorum iudicia eliciãt, tum ut habeãt præ oculis, in quibus periclitetur ingeniũ. Ablegata itaq; rerum difficultate, sic habeto,

Aeuum ab Aegyptijs luna & sole, interdum serpente, qui caudam sub reliquo corpore abderet, expressum fuisse. Mundum alio serpente, sed squammoso & suam caudam absumente. Annũ Isi, id est, mulieris imagine, interdum & palma. Mensem spadice, uel luna inferius inuersa. Pręsentem annum quarta aruræ portione, ea centum cubitis censetur. Deum, sublimitatẽ, humilitatem, excellentiã, sanguinẽ, uictoriam, Martem, uno accipitre. Martẽ & Venerem gemino accipitre, uel duabus cornicibus: quę posterior pictura & nuptias indicat. unicũ filium, generationẽ, patrem, scarabeus ostendebat. At matrem, obtutum, terminũ, prænotionem, annũ, Cælum, quam ipsi Cæliam uocare maluerũt: misericordiam, Mineruã, Iunonem, drachmas duas, uultur. Vulcanum scarabeo & uulture: rursus permutato ordine, Mineruam uulture & scarabeo significabant. Deum mundo præsidentẽ, fatum, quinarium numerum, astro. lunam, mundum rursus, literas, sacerdotẽ, iram, natationem, cynocephalo. lunæ ortum rursus cynocephalo, sed stante & priores pedes arrigente. Aequinoctia cynocephalo quidem, uerum sedente. Animi magnitudinem leone: fortitudinem, prioribus leonis partibus: uigiles & custodias, leonis capite: quę pictura & terribilem notat. Nili incremẽtum nunc leone, nunc tribus hydrijs. Aegyptum thuribulo accenso, cui cor superpositũ sit. hominem nunquã peregrinantem onocephalo. Amuletum uel terroris discussoriũ, gemino capite humano. Imperfectum hominem rana, apertionẽ lepore. Locutionem lingua & suffuso sanguine oculo. Taciturnitatem tribus notis ά, ς, ἑ, quæ trecentasexagintaquinq; significant. Longinquam inclamitationẽ, tonitru, uetustatem generis, papyro. Gustum absolutum, oris principijs: nõ absolutum, lingua & dentibus: uoluptatẽ numero XVI. Animal longæuũ, uel restagnationẽ, uel redeuntem à longa peregrinatione, phœnice. Cor ibi aue. eruditionem cęlo irrorante. Aegyptias literas, sacrum scribam, finem, atramẽto, cribro, funiculo, pingunt. Sacrum scribam rursus, prophetẽ, sacrorum cadauerũ pollinctorem, splenem, olfactũ, risum, sternutationẽ, cane. Principem & iudicẽ, cane rursus, & regia stola, quæ nudo simulachro substrata sit. Castitatẽ igne & aqua. Impium pisce. os quo uoramus, serpente. Castum & fortem, boue arrecto genitali. Auritũ rursus, aurito boue. pudendum hominis admodum uenerei, hirco. Impuritatẽ, oryge: interitũ & iudiciũ, mure. Impudẽtiã, musca: cognitionẽ, formica: filiũ, chenalopece,

quam

quam nos anſeriuulpem transferre poſſumus. Dementẽ, pelecane: gratitudinẽ cucu
pha, quam ego ciconiam puto. Ingratũ iniuſtumq́, duobus hippopotami unguibus
infrà cõuerſis. Ingratum infenſumq́ ijs, qui de ſe benemeriti ſunt, columba. Impoſſi
bile factu, pedibus hominis per aquam ambulãtis: uel homine, cui caput ſit reciſum.
Regem peſſimũ, ſerpentem in orbe reuoluto, qui caudam mordicus tenet: nomen
uero regis in medio orbis adſcribitur. Regem excubantẽ, ſerpente uigili. Regem re
rum humanarũ potientem, ſerpẽte orbiculato, in cuius orbe picta domus. Populum
regi obtemperantẽ, ape. Fullonem, duobus rurſus pedibus humanis in aqua. Men
ſem, iterum luna. Raptorẽ, multorum liberorum patrẽ, inſanientem, crocodilo. ortũ
duobus oculis crocodili. occaſum crocodilo pariente. Lethalem obſcuritatẽ, croco
dili cauda demonſtrant. Stella interdum deum, interdum noctem, interdum tem
pus, interdum animam ſignificat. Duo pedes iuncti, ſolem in hiemali tropico. Ho
minis manus, altera arcum, altera arma tenẽs, bellum. Pudendum in manu, caſtita
tem. Flos anemones, caſtitatẽ. Roſtrum cothurnicis, ſecuritatẽ. homines duo, cõcor
diam. Homo inferius armatus & ſagittas iaculans, turbam. Hominis digitus, dimen
ſionem. Solis circulus cũ ſtella & diſco, fœminam prægnantẽ. Accipiter in ſublimi,
uentum. Fumus aſcendens, ignẽ. Aequus fluuialis, horam. Ceruus, longæuum. Ny
cticorax, mortem. Rete, amorẽ. Scala, urbis expugnationẽ. Integram hæreditatem
à patre prouenientem, hirundo. Mulierem conſtantẽ uiduam, columba nigra. Virũ
impotentem, ichneumon. Formicarũ internecionẽ, origanum. Mutuos hoſtes, ſcor
pius & crocodilus. Mulierem uiraginem, gale, id eſt muſtela. Hominẽ pernitioſum,
orcus. Iram immodicam, leo proprios ſcymnos deartuans. Senem muſicũ, cygnus.
Hominem ſe proprię uxori cõmiſcentem, duę cornices. Hominem à ſole febricitan
tem ac pereuntem, ſcarabeus cæcus. Mulierem ſterilem, mula, Mulierem mares tan
tum generantẽ, taurus in ſiniſtram declinans. Veſpas, equus mortuus. Mulierem a
bortum facientẽ, equa lupum conculcãs. Hominem ſibi ipſi medentem, palumbus
folium lauri tenẽs. Hominem ſine felle, columba poſteriora ſubrigens. Hominẽ tu
tò habitantẽ, aquila lapidem ferens. Hominem à fortiore oppugnatũ, equus & auis
otis. Filium quem pater inſectetur, paſſer & noctua. Debilem uero & temerariũ, ue
ſpertilio. Egregiam nutriculam turtur. Tripudio & tibicinio indulgentẽ, rurſus tur
tur. Initiatum & myſticum, cicada. Regem ſuis non parcentẽ, aquila. Inſtaurationẽ
diuturni tẽporis, phœnix. Amatorẽ patris, ciconia. Vxorem uirũ exoſam ipſiq́ ad
mortem inſidiantẽ, echidna concumbens. Filios matri inſidiantes, echidna pariens.
Hominẽ calumnia oppreſſum, baſiliſcus. Igne ambuſtũ, ſalamandra. Cæcum, talpa.
Hominem ingredi nequeuntẽ, formica & ueſpertilionis ala. Hominem cui propria
bona damno ſint, caſtor. Virũ cuius hæreditatem adeat inuiſus filius, ſimia. Propria
probra occultantem, ſimia micturiens. Eximie audientẽ, capella. Hominem modo
fortem, modo imbecillem, nunc audacẽ, nunc meticuloſum, hyæna. Hominẽ ab im
potentiore læſum, pelles duę, hyænæ altera, altera pardales. In periculo cõſtitutum,
hyæna in ſiniſtrã: pereuntẽ autem, in dextram cõuerſa. Hominem intrepide adeun
tem pericula, hyenæ pellis. Minimo autẽ damno à periculo liberatũ, lupus extremũ
caudæ floccũ abijciens. Occulta pericula formidantẽ, lapis & lupus. Hominẽ metu
ignis ad meliorẽ frugẽ redactũ, leo & faces. Se curantẽ ex febre, leo ſimiã deuorãs.
Ad modeſtiam redactũ, taurus alligatus caprifico. Hominem incertę modeſtiæ, tau
rus itidẽ dextro genu alligatus. Hominem abſumentẽ oues & capras, hæc ipſa peco
ra conyzã paſcentia. Raptorẽ & ignauũ, crocodilus in capite ibis pennã geſtãs. Mu
lierem ſemel generantem, leæna. Informem natũ qui ad formam reuocetur poſteri
us, urſa pariens. hominem probi olfactus, elephas. Regem moriones auerſantem, e
lephas iterum & aries: regem nugatores à ſe depellentem, elephas quoq; et porcus.
Temere fugientem, cerua & echidna. Intelligentem innata cõmoda, elephas dentes
ſuffodiens. Hominẽ qui iuſta ætatis ſpatia impleat, cornix moriens. Occulentẽ ma
litiam, pardale. Deceptum adulatoribus, cerua canente tibicine. Præſagiũ fœcundæ
uindemię, epops. Ab uua offenſum & ſibi medentẽ, epops & adiantũ herba. Cauen
tem hoſtiles inſidias, grus uigilans. Præpoſterã uenerem, duo perdices. Senẽ inedia

pereuntem, aquila recuruo roſtro. Hominem irrequietũ, cornicis pulli. Sapientem ſublimia, grus uolans. Pellentem filios ob inopiam, accipiter prægnans. Pigrum in ingrediendo, camelus. Sagacem, ſed impudentẽ, rana. Eum qui tarde pedibus cõualuit, rana poſterioribus pedibus prædita. Omnium cõſuetudini infenſum, anguilla. Seruãtem multos in mari, piſcis quem græci νάρκην, nos torporem dicimus. Vtilia & inutilia promiſcue abſumentẽ, polypus. Superantem cognatos, carabus & polypus. Ab ineunte ætate mulieribus ſe permiſcentẽ, pinnæ prægnantes. Patrem familiâs qui non ſibi conſulat, ſed aliorum præſidium expectet, pinna & carcinus. Lamiam habentem, ſcarus. Cibos euomentẽ & rurſus immodicè comedentem, aquatilis gale, id eſt muſtella. Amantem externorum cõmercia, murena. In morte pœnas dantem & pœnitentia captum, trygon, quam paſtinacã dicimus. Aliena & mox ſua abligurientẽ, polypus. Se furtim ſubducentem periculo, ſepia. Hominẽ prolificum, paſſer turrarius. Bene cum ſodalibus conuenientẽ, lyra. Ad prudentiam redeũtem, ſyrinx. Aequaliter partientem, ſtruthiocamelus. Subſtructionũ ſtudioſum, hominis manus. Hæc ab Horo mutuati, ſi modo Hori libellus eſt qui circumfertur, neutiquã tanto dignus nomine. Cęterũ ex aliorum traditionibus, uultur naturam. Apis melli ficium exercens, regem iucunde imperantẽ. Draco caudam abſumẽs, annum. Accipiter, rem cito factã. Malum crocodilus, papauer fœcunditatẽ. Manus dextra expanſa, liberalitatẽ. Siniſtra compreſſa, tenacitatem. Crux, ſpem futuræ ſalutis. Serpens, accipitris caput habens, felicẽ populi genium: quem nunc conniuentibus, nunc apertis oculis formabant. Inter bicolorem circulum ſerpens itidem cũ capite accipitris, ut ſit quaſi forma ⊙ literæ, totius orbis molem. Limus, primã mundi congeriem. Lotus deum & diuinæ mẽtis perfectionem. Rota rerum humanarũ uiciſſitudinem. lucerna uitã. Oculo & ſceptro, oſirim. Pædogeronte, id eſt puero ſene antiquitatem & poſteritatẽ. Corde cui cratícula ſubiecta cœlum, unitate Apollinẽ. Binario Dianam. Mineruam ſeptenario. Neptunum, primo cubo, id eſt octonario. Imaginibus quibus reciſæ manus, iudices incorruptos. & quæ inter eos oculis conniueret principẽ iudicũ ſignificabat. Machæra Orcus rex ſanguinarius, cane Mercurius. Habes mi fili, nudas rerũ imagines, & quaſi elenchos ipſos, quas nos deinde ita circunlitionibus & pigmentis honeſtauimus, ut ſiquando, hic certe maximè priſcum illud conueniat, plus eſt mantiſſa quàm obſonium. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

E TSI quod à me percunctaris, ex priuata hiſtoria magis aut ephemeride populi Mutinenſis petendũ uideatur, quàm ex publicis ſcriptorum monumentis: quicquid tamen illud ſit, dico mihi nõ placere, tam excellentem populum uetuſtate, fide, ac rebus geſtis illuſtrem, tam deformi ſimulachro dehoneſtari, quod certe ad exemplum pudicitię & publicos mores pertinebat aboleri. Quid enim fœdius, quàm in celeberrima parte urbis, hoſpitibus aduenientibus, proſtitutæ mulieris effigiem partes, quas ſine pudore appellare nõ poſſumus, & quas tegi uerecundiæ publicæ intereſt, oſtentantis, in oculos incurrere. quod non ſine poſtremæ & conclamatę laſciuiæ atq; imbellię ſuſpicione poteſt euenire. Apud Herodotum ſcriptũ legimus, Seſoſtrin regem Aegypti, quom magnam orbis partẽ ſubegiſſet, uictis à ſe gentibus fortitudinis aut ignauiæ teſtimonium reddidiſſe. ὁτέοισιν μὲν αὐτέων ἀλκίμοισι ἐνετύγχανε, καὶ ἀνδρηΐως μαχομένοισι περὶ τῆ ἐλευθερίης, τόποισι μὲν στήλας ἀνίστη ἔν τε τὰς χώρας, ἅς μιν ἐδέξαντο, γράμματα λέγουσας τό, τε ἑωυτοῦ ὄνομα καὶ τὴν πάτρην, καὶ ὡς ἀμείψ τῆ ἑωυτοῦ καρτερίῃ σφέας. ὁτέοισι δὲ ἀμαχητὶ καὶ ἀνυπερθέτως παρέλαβε τὰς πόλις, τόποισι ἐν ἐνέγραφε ἐν τῆσι στήλῃσι τῆσι τοῦτα καὶ τοῖσι ἀνδρηΐοισι τῶν ἐθνέων γνωμοίοισι. καὶ ἐν τῆ ἀσθενίῃ γυναικὸς παρεμίγραψε, στήλας βολόμενος ποιέειν ὡς ἧσσαν ἀνάλκιδας. Quaſcunq; enim nactus erat gentes ſtrẽnuas, & pro libertate tuenda acriter & percupide dimicantes, per horum ille regiones ſtelas, id eſt cippos lapideos ſtatuebat literis ſignificantibus eius regis nomẽ & patriam, & quibus copijs eos ac uiribus ſubegiſſet. Quorũ uero urbes nullo negotio aut incruento certamine cepiſſet, apud hos itidem, ut apud illos qui ſtrẽnuitatis ſpecimen ediderant, cippos

cippos quoq; ſtatuebat, atq; eo amplius muliebria genitalia adſculpebat, ſignificare uolẽs eorum ignauiam. Addit his Diodorus in ſecundo Bibliotheces, ſicut ignauiæ indicium genitalia muliebria quibuſdã affixit, ita quibuſdam uirilia in ſignũ fortitudinis ſtatuiſſe. Sunt itaq; qui ſimulachrum Mutinenſe à Theodoſio imperatore poſitum fuiſſe ſuſpicẽtur, quom ad eam urbem Tryphalos Thraciæ populos à ſe uictos deduxiſſet. quorum inſtitutum patrium fuit (ſi Marcellino credimus) tantiſper alienę libidini obſequi, dum egregiũ aliquod facinus perfeciſſent. Quare pro ea neceſſitudine qua ſummæ nobilitati eius urbis iuncti ſumus, optauerim, eos tam impudẽs ac propudioſum monumentum, uel extinguere: uel, ſiqua religione fortaſſe tenentur, Rhodios imitari. Qui quom indignarentur Artemiſiæ Mauſoli coniugi, reginæ Cariæ, obtemperare, & armata claſſe profecti eſſent ut eius regnum occuparent: tum Artemiſiæ quom eſſet id renunciatum, in eo portu abſtruſam claſſem cælatis remigibus & epibatis comparatis, reliquos autem ciues in muro eſſe iuſſit. Quom autem Rhodij ornatam claſſem in portum maiorem expoſuiſſent, plauſum iuſſit à muro ijs dare, pollicericq; ſe oppidum tradituros. Qui quom penetraſſent intra murum relictis nauibus inanibus, Artemiſia repente foſſa facta in pelagus eduxit claſſem ex portu minore: & ita inuecta eſt in maiorem. expoſitis autẽ militibus & remigibus claſſem Rhodiorum inanem abduxit in altum. ita Rhodij non habentes quò ſe reciperent, in medio concluſi in ipſo foro ſunt trucidati. ita Artemiſia, in nauibus Rhodiorum ſuis militibus & remigibus impoſitis, Rhodum eſt profecta. Rhodij autem quom proſpexiſſent ſuas naues laureatas uenire, opinantes ciues uictores reuerti, hoſtes receperunt. Tunc Artemiſia Rhodo capta, principibus occiſis, trophæum in urbe Rhodo ſuæ uictoriæ conſtituit: æneasq; duas ſtatuas fecit, unam Rhodiorum ciuitatis, alteram ſuæ imaginis, & iſtam figurauit Rhodiorum ciuitati ſtigmata imponentem. Poſtea autem Rhodij religione impediti (quod nephas eſt trophea dedicata remoueri) circa eum locum ædificiũ ſtruxerunt, & id erecta graia ſtatione texerunt, nequis poſſet aſpicere, & id ἄθεατρον uocitari iuſſerunt. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

H Æc pars, quã petis à me de obnuntiatiõe, tota ad augures pertinet, & magiſtratus P.R. de qua Dion libro XXXVIII. de accuſatione Ciceronis uerba faciens, cõmode hæc ſcribit. Quom auſpicia multis modis obſeruentur, longe illa pollent, quæ è cælo ſeruantur. Nam cætera uarijs erant negocijs accõmodata, hæc una die ad omnes pertinebãt. Cætera uel planè prohibebant quid fieri uel ſuſpendebant: hæc generatim omnia P.R. decreta ſummouebant, & felicia aut infelicia nuntiarẽtur, nihil intererat: ex æquo enim omnia tollebantur. quæ res quom publicè nota ſit, non tamen facile inueneris, qui eius cauſam dixerit. Itaq; multi magiſtratus decreta publica uolentes impedire, nuntiabãt ſe uelle de cælo ſeruare, nequid ſcilicet iure ſanciri poſſet. quare Clodius ueritus nequis eo modo accuſationem Ciceronis impediret, magiſtratus omnes exorauit, nequis eo die de cælo ſeruaret. Quod pręſentiens Cicero, cum L. Neuio Quadrato egit, ut ſe conatibus Clodij obijceret. quod erat facturus, niſi Clodius ea re comperta Ciceroni uel iureiurando recepiſſet ſe minime ei diem dicturum, modo eius leges non moraretur. Cui quom Cicero fidem mutuo habuiſſet & dediſſet, & ipſe & Quadratus nihil obſtitiſſent, mox Clodius poſthabito iureiurando Ciceronem poſtulauit: atq; illi negligenti, multa licet de prudentia ſua ſibi pollicenti, pulchre os ſubleuit. Hactenus Dion. uerum hæc poteſtas auguribus & magiſtratibus Romanis ex XII. tabulis data fuit. Cuius hæc erant uerba: Omnes magiſtratus auſpicium, iudiciumq; habento, exq; ijs ſenatus eſto. Quæ uerba enarrans Cicero in tertio libro De legibus, inquit: Deinceps igitur omnibus magiſtratibus auſpicia, & iudicia dantur: iudicia, ut eſſet populi poteſtas ad quam prouocaretur: auſpicia ut multos inutiles conatus (ita enim legendum eſt) probabiles impedirent morę. ſæpe enim populi impetum iniuſtum auſpicijs Di immortales repreſſerunt. Sed in ſecundo

cundo de iure auguratus loquens, profusius hæc exequitur. Quid enim maius est, inquit, si de iure quærimus, quàm posse à summis imperijs & summis potestatibus comitia tollere, & cõsilia uel instituta dimittere, uel habita rescindere. quid grauius quàm rem susceptam dirimi, si unus augur aliter dixerit? quid magnificẽtius quàm posse decernere, ut magistratu se abdicent consules. Quarum rerum exempla apud historicos, & Valerium imprimis de contempto deorum cultu, inuenies. Ex ijs uero facile colliges, in latinis literis quid sit conatibus magistratuum obnuntiare. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

NVLLVM esse certius specimen bonæ indolis potest, quæ aliquãdo ad optimam frugem peruentura sit, quàm inter medias uoluptates, ipsaq; maxima animi auocamenta, uirtutes curare, & eas summæ oblectationis loco censere: quod tibi euenire mi Thoma plurimũ gratulor. Scripsisti enim, nuper dum genialibus iocis operam dares, & frequens conuiuium clarissimorum procerum celebrares, de polio mentionem incidisse: cuius mira prorsus natura proditur. Folia enim eius mane candida, meridie purpurea, sole occidente cerulea aspici traduntur. Cuius rei ratio quom foret perquisita, hæsisse omnes significas, nec quid certum responderent habuisse. Quod profecto non multum debes admirari. Nam ut Alexãder ex Aphrodisiade in Quæstionibus scribit (si modo eius Quæstiones sunt, quæ circunferũtur: quod permulti negarunt) quædam ita abdita esse, ut in arcanis adhuc naturæ delitescant: quæ explorare & diligenti nimium indagine persequi, ocioſi magis animi quàm accurati existimat. De polio igitur quod percunctaris, & si in hac obscuritate rerum nihil temere sit affirmandum, sunt tamẽ qui ad eius naturã interiorem referant: quæ mane coercita suffrenataq; frigore expallescat, mox increscentibus solis caloribus uires augeat, & sanguinem, id est succum illum feruentẽ diffundat undiq;, qui mox excedente solis æstu rursus contabescat, atq; in obscuritatem degeneret. Alij nõ interiorem ullam uim, sed exteriorem hunc & peregrinũ obtutum in causam uocant. Roribus enim & pruinis matutino tempore solum obtegentibus pellucida illa polij cutis, chamæleontis more, eundem colorem trahit: quę mox exæstuante ardenteq; meridie incandescit, & minimo minus incenditur. Quom primũ uero sol deferuescit, appetẽte iam suprema diei tempestate, & ipsa tenebris ac terræ inumbratione offunditur. Sunt rursus, qui hanc omnem de polio fabulam arbitrentur, à Musęo confictam, & ab Hesiodo deinceps confirmatã. Nam & Plinius (ut solet quom rem supra fidem refert) cunctanter adeo de polio hoc asseuerat. Alij more Pythagorico & συμβολικῶς rem æstimandam suspicantur, ut caniciem ætatemq; hominis iam ingraueſcentis ex nomine polij interpreteris, quę per suos quasi limites procedat, incipiens, intendens, desinẽs: atq; hoc esse referunt, quod ijdem autores dignationis gratia id aspergendum putãt, & gloriæ auidis percunctandum, nec aliud magis conuenire medicamento quod ἀλεξιφάρμακον uocant, testantur. Canos enim homines & iam prudentię incoctos sectari, & ex eorum iudicio sua omnia metiri: hoc demum est, quod non solum dignationẽ afferre solet, ut Plutarchus in Politicis monet, uerumetiam reluctantis fortunę ictus atq; impetum eludere. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

QVOM Lacedæmonius quidam audisset, Athenienſem ociũ damnatum fuisse: quis uero est, inquit, qui tam ingenuã mulctam subijt? Existimabat scilicet ille magnificum & glorioſum, eius uirtutis reũ peragi, quæ uotis omnibus esset expetenda. Propterea non iniuria Alexander Philippi, regium esse prædicabat, ab eo male audiri qui benefecerit. Haud multo secus mi fili, oblectauit me grandis illa (ut tu scribis) dica, quam nonnulli mihi solent impingere, qui me erronẽ desultorẽq; uocant, utpote qui uni disciplinæ nõ me addixerim, nec una in classe censeri uelim: quom modo ita mathematica amplectar, ut nil curẽ præterea: mox philosophica ita attingã, ut totus in illis uersor: mox ad logica

ad logica recurſem, nũc Platonis, nũc Ariſtotelis cõmentarijs inuigilãs: rurſus θεολογούμενα non euoluã ſolũ, ſed excutiã, & interea tamẽ neq; morũ rationẽ, neq; Muſas, neq; Pithûs hortos deſerã, ex equo Romanã & trãſmarinã Venerẽ colẽs: aiuntq;, eũ minimè legitimũ eſſe ciuẽ, qui tribũ in qua ſuffragiũ ferat, demonſtrare nõ poſſit: tũ uero paria eſſe, omnia & nihil amplecti. Iaciũt etiã in me ſæpius illud Iſocratis, præſtare una in re ſummũ eſſe, quàm in plurimis mediocrẽ. &, qui multa loca peruagaẽ, hoſpitẽ ſemper eſſe: quiq; tot diuerſa adeat caſtra, non effugere trãsfugæ & emanſoris crimen. Adde quòd planta quæ toties trãsfertur, ægre coaleſcit. Quæ omnia tam argute in me iactata, tantum abeſt ut reformidem, ut ultro etiã appetam, meq; adeo honorifice accuſari gaudeam. Vtinam me tam nobili crimine dignum putarem, atq; iſ forem qui tam grande facinus poſſem perficere. Votum certe non deeſt, deeſt ocium, deeſt facultas: quòd ſi iuſtam hanc accuſationem agnoſcerem, tum uero mihi uictum publice in Prytaneo (ut Socrates dixit) cõſtituí uelim. An ego qui me ſemel literis ac ſtudijs uniuerſum ita mancipaui, ut nullo iure prætorio uindiciæ dici poſſint: ſi modo uires atq; ingenium ſuperſit, non omnes iſtos theſauros perluſtrem, & ſi minus illos exportare poſſim, non ſaltem Alcmeonis more me in ijs uolutem, atq; humeris, ſinu, calceis, quantulum licet, conuehã? Qua uero in tribu honorificentius cenſeri poſſum quàm in hac literaria? Quicquid enim tracto, quicquid ſcrutor, nónne hoc omne literarium eſt? quare ſi cubi legitime uerſari debeo, hic debeo maximè. Sed uideo quid bonos homines fallat. exiſtimãt illi literaria ſtudia inter ſe diſſidere, & partem parti non poſſe cõmode ferruminari. Hoc eſt ſeminarium improbæ accuſationis, hinc me erronem emanſoremq; uocãt: atq; alijs fœdiſſimis titulis polluũt: neſcientes hoc unum eſſe corpus, quod παιδείαν Græci, noſtri pulcherrime humanitatem dixere. Hoc omnia membra continentur, quæ alij impudenter, ne dicam crudeliter & inhumane, diſcerpſere, alij quæ ad mores, alij quæ ad orationẽ, alij quæ ad naturam, alij quæ ad diuinitatem pertinent: alij quæ media inter naturam & diuinitatem ſunt, ſibi arrogantes. Quæ ita iuncta & copulata ſunt inter ſe natura, ut ſine piaculo diſiungi nõ poſſint. Nam ſicut in corpore humano nihil fruſtra poſitum eſt, quod ad ſuum opus ſit inſtitutum, cæteriſq; partibus reſpondeat, ut non ſine pernicie auelli poſſit: ita diſciplinæ, id eſt humanitatis membra, inter ſe connexæ ſunt, ut ſeorſum poſitæ mancæ ac mutilę ſint. Nemo ergo phyſica ſine logicis, nemo logica ſine mathematicis, nemo omnia ſine orationis præſidio aſſequaẽ. Quare belle hanc harmoniam nõnulli ἐγκυκλοπαιδίαν dixere. Quòd ſi philoſophia eſt humanarum diuinarumq; rerum cognitio, ſi humanitas eſt earum rerum quæ ad hominem pertinent intelligẽtia: omnia uero hominis cauſa à deo condita ſunt, quid eſt in cælo aut ſub cælo, quod ad me ſpectare non debeam arbitrari. An ego putem me magnũ poetam fore ſine hoc ſcientiarum cinno? quom uideam apud Homerum omnium diſciplinarum ſeminaria, quæ philoſophi & iureconſulti quaſi oracula admirãtur: quom uideam Vergilium omniũ rerum peritiſſimũ appellari. An oratoriam aſſequar, niſi ſupellectilem paratam habeã, ut cõmode & ad perſuadendũ de omnibus rebus copioſe dicere poſſim. An ego magis Ciceroĩs linguã quàm pectus ſuſpiciã: an neſcio quantũ Demoſtheni Plato, quantũ Gorgias Iſocrati cõtulerit? cui uero parũ explo ratum eſt in foribus Academię ſcriptum fuiſſe, ὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω? Nunquid ergo menſuras ſine quantitatibus, aut quantitates ſine numeris percipi licet? an nõ Zeno dialecticam & oratoriã ſtricta apertaq; manu diſtinxit? Tum uero cælum hoc ſuſpiciens nõ quęrã quis ille fulgor, unde in tam pernici ambitu tã admirabilis ornatus? Tum uices temporũ & terræ partus oculis colligens, quibus ea pariantur, quã uim habeant non ſcrutabor? In me poſtmodum deſcendens, nõ explorabo quomodo huic corporis imbecillitati conſulere poſſim? non exigam à me, unde hæc animi pernicitas, unde hic excurſus ingenij, tum cæteros hominum conſiderans non mecum cogitem, qua re inter ſe maxime contineantur? An homo homini natus ſit, an ſibi unus? an alia quædã ſint imperuia ſenſibus, ſoli cogitatiõi obuia? ubi nam uera felicitas deliteſcat, ubi ſummã uotorum ſiſti oporteat? Demum quę ſit princeps cauſa omnium opifex, omnium conſeruatrix? Hæc niſi per gradus, & quaſi traduces per-

quiſiue

quisiuero, me brutum animal putem, mihiq; hanc animam rationis participem frustra datam suspicer. Quisquis ergo ille est, qui me ac mea studia tam breui curriculo, imò uero curriculi particula conatur includere, meminerit se deo inuidiã facere: qui interminũ nobis animũ ideo dedit, ut ad omnia quantũ uel breuis ętas permittit, uel eius cõditio patitur, prouehatur. Quòd si omnia amplecti nõ possumus, danda tamẽ est opera, ut non animũ, non studiũ, non uotũ, sed uires defuisse cõprobemus. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

S CRIPSISTI ad me, procuratores tuos proximũ rus cum uilla & prætorio empturire, quod sine consilio meo faciundum non putas, præsertim quom plus pretij sit in tecto quàm in solo. Addis, & prætoriũ quidem satis instructum esse, uillam aũt cemẽtitiam & ruinosam. Ego mi fili, quoniam longe absum, nec possum in rem præsentẽ uenire, atq; oculos consulere: licet nouerim procuratores tuos fide ergate & rerũ experientia spectatissimos, quorum iudicio facile possis acquiescere: illud nõ prætermittã ad te scribere, quod in monumentis ueterum scriptum reperimus: in fundo emendo ita modum seruandũ esse, ut neq; fundus uillam quærat, neq; uilla fundum. Male enim audiuisse eadẽ ætate uiros magni, sed diuersi exempli, L. Lucullũ & Q. Scæuolã: quom uilla Scæuolæ fundus careret, uilla Luculli fundo. Non addã castigationẽ illam censoriam ad te: turpe esse minus arare quàm uerrere: quom habeam perspectũ quanta latifundia & noualia tum in Venetia, tũ in Flaminia atq; Aemilia possideas. Quod uero ad cemẽtitios parietes, ex quibus uillã constare scribis, attinet, Vitruuianã illã rationẽ obsecro diligenter memineris: qui sunt è molli cemẽto parietes, nõ esse non ruinosos. Itaq; quom arbitria cõmunium parietũ sumuntur, non æstimant eos quanti facti fuerint. Sed quom ex tabulis inueniunt eorũ locationis pretia, præteritorum annorum singulorũ deducunt octogesimas, & ita ex reliqua summa partẽ reddi iubent pro ijs parietibus. sententiamq; pronuntiant, eos nõ posse plus quàm annos octoginta durare. De lateritijs uero, dum modo ad perpendiculũ sint stãtes, nihil deducitur: sed quanti fuerint olim facti, tanti esse semper æstimantur. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

D E lilio quod petis, mea sententia est, ex græco deductum uocabulum litera una immutata. λείριον enim dicunt illi non florem tantum, ut Lucianus in Hercule Celtico testatur, sed & priuatã quãdam lilij speciem uere nascentis, autore Theophrasto, quod rosæ proximũ describitur: ex quo forte Dioscorides id à Latinis rosam Iunonis uocari tradit. Album hoc colore, utpote quod è lacte Iunonis Herculi per somnum lac præbẽtis germinauerit. Alteram speciem quæ purpurea est, tradit Plinius propriè κείνον appellari, & si hac uoce cõmuniter græci utantur. ex floribus nulli proceritas maior, folia foris striata, resupina per ambitum se laxantia effigie calathi, languido semper collo & suæ sarcinæ impari: tenui filo croceo in medio stante. Mirum traditur, si liliorum scapi arescentes in fumo suspendantur, & nudantibus se nodulis deinde in fæce uini nigri mense Martio macerentur ita ut colorem accipiãt, mox in scrobiculis serantur uini fæce circunfusa, purpurea nasci. Mirũ prorsus, ita tingi aliquid, ut nascatur infectum. Tu quidem de nomine tantum petieras: sed ego quom de lilio uerba facerem, non absurdum existimaui corollarium etiam assuere. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

A MABO minime aduerbium est, ut grãmatici putauere, alioquí casum habere non posset: sed dicendi figura, qua ita rem nobis gratam fore ostendimus, ut inde amorꝭ cumulus sit accessurus. Interdũ sine casu pronuntiamus, ut illud Catullianũ, Amabo mea dulcis Hypsitilla. Interdũ casum addimus, & tunc perfecta locutio est. Cicero ad Atticũ sic quandam finit epistolam, Amabo te epistolam πολιλκὼ. Malum uero epiphonema per

inter-

interpositionem est: & sic Donatus super Terentio annotauit, quæ (malum) ista hæc demētia est. Ea quoq; figura dicendi per interpositionē est. quæ tua sapiētia, quę tua humanitas est: id est, prout tua sapiētia, tua fert humanitas. Illud Ciceronis in epistola ad Appium, rariusculum, Equidē pro eo (quanti te facio) quicquid feceris approbabo. Hæc quidē pusilla sunt mi fili, & citra mediocritatē posita quæ annotasti, sed quæ tamen nonnunquam magna exerceant ingenia. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

QVEM græci σωτῆρα dicunt, nos seruatorē, salutarēq; transferre possumus, nō saluatorē. Nā saluus quidē dicitur, saluare nō dicitur: sicut rursus seruare dicit, seruus in eo significato nō dicitur. Nā licet antiquitus iure gentiū qui in bello seruatus erat, seruus diceret: mox tamē ea uox in diuersum abijt, & ad omnes iure ciuili manu captos deducta est. Sospitā quidē Iunonē, quasi seruatricē coluit antiquitas. De seruatore non multū perquirēdū. Vox enim est ępe obuia. Plin. lib. XXII. de corona graminea, Cōtigit, inquit, nulli, nisi ab uniuerso exercitu seruato seruatori decreta. Extat elogiū uetus in Pharo scriptū, Deis salutaribus ob nauigantes. Saluatorē autē, licet ea uox protrita sit in sacris literis, nondū mihi permiserim, tantisper dum latine loquar. Nam siquando ad sanctos scriptores, qui magis animū quàm uerba metiūtur, diuertero, & communem usum sequar, & inusitatum uerbum (ut Cæsar monuit) quasi scopulum fugiam, habeboq; illud Aristophanis in memoria, ἀμαθέσφορμπῶς εἶπε καὶ σαφέσφορμ. Nā sicut apud Alcibiadē nō dedecet lambdacismus: ita apud σολοίκοντας solœcismus nō damnabitur. καὶ πῶς τὸ ζήτημά σε iudicium meum tenes. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

DIFFICILE est, ne dicam improbum, bonis ingenijs terminos præscribere, quibus includantur: liceat illis uagari impune & lasciuire, ut eorum fert pernicitas. Multa inueniunt, multis meditantur, multa cōminiscuntur: quæ si ad alienum præscriptum adigantur, segnia, inertiaq; quasi præmanso uiuentia iacent. Vides quàm turpe, immo quàm tardū sit per aliena uestigia excurrere, & quātum auiculæ illæ, quibus cælū & solum omne peruium dedit natura, degenerent, postq; in caueas detrusæ sunt, ut alienis, non suis moribus assuescant. Quare ego imitationē quidem utilem ac salutarem imbecillis ac primum promouentibus ingenijs semper existimaui. Ita enim serperastra (ut inquit Varro) damus infantibus, ne uarri aut compernes fiant, dum adhuc ingredi condiscunt: quibus uti adultos etiam quàm probrosum uideatur? Sicut ergo aliquando innatandum est sine cortice, ita non semper pędagogo nitendum est: ne quod Athenienſibus obiecit hospes Aegyptius, pueri semper deprehēdamur. Vias & semitas, quæ ad forum perducant, non quærunt nisi peregrini homines. Neq; hoc dixerim mi Thoma suauissime, quòd alieno consilio uti turpe putem, quom Græcorū prouerbio scitum sit, πλὼ βαλλωι ἰδρὼ τι ἔσω. sed quòd non per se aliquando sapere, & ex aliorum semper uel iudicio uel imitatiōe pendere, fœdissimū arbitrer. Hoc existimaui quasi præludio utendū, quom à me nuper fueris scisitatus: qua ratione tibi utendum cōsulam in perlegendis euoluendisq; antiquorū monumentis, ut certius ac tenacius memorię insideāt. Quo enim es ingenij acumine, tu per te hoc facilius quàm ex magistro, multa scilicet perfunctus lectione, intelliges. quisq; enim eam studiorum rationem sequi debet, quæ maximè oblectet, inuitet, alliciat. Neq; unum est omnium palatū. Quis uero est qui gustum suū melius agnoscat, quàm ille ipse qui sibi propinat nullo indigens prægustatore: præsertim quom iam multa delibauit pocula, multasq; releuit serias: ut ille inquit. Scripserūt quidem nonnulli præclari autores, quomodo studijs incūbendū sit. Nam & Quintilianus qua ratione pueris prima elementa & subinde reliquæ disciplinæ inculcandæ sint: qui nam autores in dicendo phrasin facere possint, luculenter executus est. Seneca aliquot locis, qua diligentia, qua intentione ueteres scriptores euoluamus admonuit. Plutarchus quàm caute

poetas tractari oporteat: quomodo pueri ab incunabulis sint instituẽdi, demonstra uit. Proximo seculo Paulus Vergerius, & mox Baptista Guarinus olim præceptor meus, nuperrime etiam magnus ille uir omni maior prȩconio Erasmus, quomodo li teris ac moribus incumbendũ sit exposuerunt. Sed pueris imbecillisq; ingenijs nec dum satis constantibus eam operam dedere. quorum ego uel exempla uel instituta nunquam mihi uel puero sequenda duxi: neq; quenquã ex ijs qui ad frugem perue nere, accepi eorũ auspicijs profecisse. Arripit enim quisq; quod gratum & compen diosum putat, & naturæ suæ consentaneum. Plinius nullum unquam autorem legit, ex quo non excerpserit: qua assiduitate tot subinde præclara confarsit uolumina: nã Piso dicebat, non libros sed thesauros esse oportere. omne tempus amitti putabat, quod literis non impenderetur. Portius Latro nunquã studia inchoabat, quom de sierat: nũquam desinebat, quom inchoauerat. Pandulphus Collenutius nostro æuo uir multę eruditiõis, in studendo annotandoq; hac usus est religione, ut præclara ge sta, quęq; ad uirtutes pertinebãt, sinopide allineret: quę ad uitia morbosq; attinebãt, atramento: quæ ad herbas arbores fruticesq; silaceo: quæ ad medicamenta & metal lica ferrugine designaret. Quæ opera quàm operosa sit, quantũ morę addat ad pluri ma, prȩsertim festinanti: quis sine admonitore nõ cognoscit? Sed uir ille inexhausti laboris maximus omnium lucubrator (parcissimus enim somni fuit) incomparabili omnia perficiebat diligẽtia. Noui quosdam ad præsidiũ memoriæ in margine libro rum, quos legunt, turriculas, manciolas, columellas, & id genus alia sigillaria quasi symbola tesserasq; effingere, quę rerum quæsitarũ imagines è memoriæ promptua rio facile euocent. Ego (si inter tot magna nomina iudicium meum admitti pot est) modum omnibus in rebus saluberrimũ puto, studijsq; immorandum, nõ immorien dum suadeo: omnia puto excutienda etiã exchartabula & opisthographa, ut ex alijs quid sequamur, ex alijs quid nõ sequamur, obseruemus. Nihil omnino respuendum studiosi hominis putat diligẽtia: quando nullus liber tam malus (ut Plinius dixit) ex quo boni aliquid eruí nõ possit. Nusquam fertiliores segetes asserũt coloni nostri q; in sterquilinijs nasci. Seruandũ tamen est sine exceptione illud Senecę præceptum, ut multum legamus, nõ multa. Auocatur scilicet mens rerum multitudine & oppri mitur. Quare optima quæq; seligenda sunt: quod fieri nõ potest, nisi omnia attigeri mus: in his incumbendum, hęc iterum atq; iterum excutienda. Nihil enim lubricum magis homini dedit natura, quàm memoriam, quam iacturam sola assiduitas & dili gentia sarcire potest. Elocutioni imprimis, ex qua oratores apud græcos nomen na cti sunt, uacandum: mox eruditioni, uel utriq; potius ex æquo. Philosophia & disci plinæ interiores tractãdæ. Illud in omni uita seruandum, priuatim aut publice quid agas: ut quæ ad mores pertinent, ita amplectamur, nequa pars ab officio desciscat: ne linguam quàm uitã excultiorẽ habere uideamur, neue existimemur sapere μεχρὶ τοῦ λέγειν. Ego profecto quicquid lego, quicquid meditor, ita omne in arcanis animi recõdo, quasi mox ad usum humanarum actionũ expositurus. & quoniam arduum nimis reor omnia seorsum excerpere: multa sanè in cõmentariũ refero, aut seorsum in pagella exscribo. Sed in margine compendiose omnia, quæ digna sunt aliqua ani maduersione, sepono: quòd siqua præstant, quasi coryphęa & optimatia in summa marginis coronide. hinc ea mihi utilitas nascitur, ut uel sesquihora multa possim uo lumina recognoscere. Tentaui aliquando Plinij Naturalem historiã in epitomen re uocare, quando eius autoris mira semper cupidine exarsi: sed rem sine controuersia ridiculam feci, qui omnem fermè Plinium exscripserim. In philosophia Paraphrases quales Themistius cõdidit, quàm cõmentarios magis semper probaui. E Greco uer tere utilissimũ putaui, non tanquam interpretem: nihil enim meo iudicio infelicius quàm uerbis ad æquilibrium se obligare: sed quasi excerptorem, cõditoremq;, ut in tegrum tibi relinquas addere aut detrahere, quæ maximè in rem uideantur. Summa est, ut diem nullum sinamus effluere per negligentiã, nullus careat linea: ut de literis multum cogitemus, multum loquamur, multũ disceptemus, dummodo absit alterca tio: multum etiam scribamus & cõmentemur, tam prorsa quàm uersa. Proficiendum enim est dum scribimus, scribendum dum proficimus. Deniq; satius est male, modo

non

non pessime, scribere, quàm nihil. Verum ea adsit religio, ut nec pręcipitetur editio, nec nobis ipsis uerba demus, nec persuadeamus plus in rebus nostris quàm cęteros, doctos præsertim & amicos, cognoscere. Nulla enim in omni uiuendi genere pestis maior quàm φιλαυτία & persuasio, in studijs uero mera pernicies. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

ADIANTO Plinius testimonium reddit: aliud, inquit, adianto miraculum est, æstate uiret, bruma non marcescit. & aquas respuit: perfusum mersumq́ sicco simile est. Tanta dissotiatio est, unde & nomẽ Græcis. διαίνω enim humecto. Cur hoc fiat, is prętermisit, & tu quæris. Nam ipse alio loco testatur, suum esse propositum naturas rerũ manifestas indicare, nõ causas iudicare dubias. At ego tibi nihil possum negare. Facit enim mutuus inter nos amor, ut tuum Manilianum sit imperium: & si multarum rerum conditio, quæ pari naturæ pollent beneficio, id parum dubiũ reliquerit. Multa enim ex eo genere auitij, quod Aristoteles νευστικὸν uocat, hac quasi prærogatiua potiũtur, mergi, cycni, anates, onocrotali. Quin & multæ arborum frondes, multæ olerum, fici, platani, brassicæ, heliotropij, hanc quoq́ nactæ sunt cõmendationẽ. Id uero cõtigit, uel quòd per quàm lubricæ sint, uel quòd per quàm lanuginosæ. aut igitur ob leuitatẽ coagmentationẽq́ guttæ defluunt: aut cũ lanugine cui inhęrẽt, concerpuntur. Nam sic etiã in siccissimo puluere uel arena uidemus, ut guttę excidentes conglomerent̃, excurrãtq́ in globum, neq́ interim ullam inuehant humectationem. Cæterum quæ oleo perlita sunt, nulla possunt ratione exaquescere: tum quòd leuia, extersaq́ sint, tum quòd aduersus aquas & plerosq́ alios humores natura oleum armauerit, eiq́ arcanam illam repugnantiam indulserit, quam multis locis à Græcis ἀντιπαθείαν diximus appellari. Bene uale.

CÆLIVS CAL. COM. THO. CAL. NEP. S.

QVOD Alexander, quẽ tu recte βιβλιοτάφην appellasti, inepta usus excusatione recusauerit nobis uetustum Demosthenis codicem accõmodare, tu minimè irascendũ homini tã male officioso putas: & eius quasi patrocinium tuis literis suscepisti, existimãs thesauros condi oportere, & tunc mysteria mysteria esse desinere quom promulgantur. Deniq́ si hoc uitium, perexiguum admodum esse contendis, & de quo minimè amicitiã rescindi deceat. At cõtrà mi fili sentio, tibiq́ tam peruersam opinionem (si modo ea opinio est, & non potius ironia) nullo modo uelim probari, qua urbanitas & beneficẽtia mutuaq́ inter homines societas tollitur. Quid enim fœdius, quàm unde tu nullum detrimentũ referas, alteri nolle accõmodare? Quid uero tu appellaueris nisi inuidentiam & pessimi animi testimonium? An non isti libenter (si eis liceat) solem de mundo sustulerint, ne cęteris affulgeat animãtibus: indigni prorsus ipsi uita atq́ hoc cõmuni æthere, qui rem tam præclaram, id est humanitatẽ liberalitatemq́ prodant, & quantum est in ipsis, è consortio humani generis depellant. At tu thesauros condendos putas. Hoc etiam putant auari homines. At ego pretiosissima quæq́ ad utilitatem mortalium nata aut inuenta in cõmunem maximè usum puto esse prodigenda, ut omnibus plurimum prosint. Nam musicæ absconditæ quæ demum utilitas? ut est in prouerbio. Et quæ nam alia ratio summum illum & æuiternũ opificem rerum conditorem illexit, ut tot mari terraq́ animalia, ut tam eximiam orbis molem strueret, nisi ut bonitatem, munificentiãq́ suam largissime omnia experirentur: cuius exemplũ nos homines inter cuncta ingenio & ratione honestatos maximè decet imitari. Mysteria uero semper mysteria sunt, modo in aures prophanas nõ instillentur. Demum quod perexiguum uitium putas, ego maximum iudico. Nam quid honesti ab eo expectari potest, qui absq́ ullo suo incõmodo præsidia ingenij amico denegarit? Apud Athenienses scimus non parricidas, non plagiarios, non depeculatores publicæ execrationi, qua singulis annis solenniter utebantur, fuisse obnoxios: sed eos qui uel roganti uiam ostendere, uel lumẽ de lumine accendere, uel aquam ex pro

fluente prębere recusarent. prudenter scilicet existimauerunt, eum nihil sceleris, nihil flagitij in homines non admissurũ, qui res tam obuias, tam illaboratas denegasset. Ad summã, putato infelicis inauspicatiq; ingenij ac sibi parũ cõfidentis esse, ea abscõdere, quæ ad publicam utilitatẽ uel fortuna exposuit, uel natura genuit, uel deus erogauit. Bene uale.

CÆLIVS CAL. COM. THO. CAL. NEP. S.

I Nlege ueteri quid sit ruta cęsa recipere popoſciſti. Res profecto à multis agitata, & ab illis petenda, unde emersit. Vlpianus ait: In rutis cæsis ea sunt, quæ terra non tenentur, quæq; opere structili tectorioue non cõtinentur. Quare omne intestinum opus in ijs teneri iure dixerimus. est autem intestinum opus (ut ex Vitruuio colligitur) quod uel parietibus minimè annexum est, uel certe sine domus iniuria reuelli potest, ex abiete aliaue materie cõstructum, idq; uenditis ædibus solebat nuncupatim excipi: utputa subsellia, fulcra, plutei, armaria, hemicycli, mẽsæ, tripodes, monopodes. hinc Cicero in calce Topicorum: Plura fortasse q; à te desiderata erant, sum amplexus: feciq; quod sæpe liberales uenditores solent: ut quom ædes fundúmue uendiderint, rutis cæsis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornãdi causa apte & suo loco positũ esse uideatur. Sic nos ad id, quod quasi mancipio dare debuimus, ornamenta quędã uoluimus nõ debita accedere. In ijs nõnulli imagines parentũ ac maiorũ censeri existimauere, quas uenditis etiã ędibus emptori refigere nõ licebat: quod an uerũ sit nõ decerno. Dixerunt aũt ueteres interdũ absolute & quidẽ elegãter ruta cæsa, interdũ intercursante copula, ut illud Ciceronis ex secũdo de Oratore. Quid patri nunciari uis? cui rei? cui gloriæ? cui uirtuti studere? Patrimonio ne augẽdo? At id nõ est nobilitatis. sed fac esse, nihil supereſt, libidines totũ dissipauerũt. An iuri ciuili? est paternũ. Sed dices, te quom ædes uẽderes, ne in rutis quidẽ & cæsis solũ tibi paternũ reliquisse. Recipere aũt Iureconsultis est excipere reseruareq; & de uenditione subtrahere. hinc receptitius seruus & receptitia bona, de quibus pręter alios Gellius. hinc Plautinum illud: Quom ædes uendidit, posticum sibi recepit. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

S IGNIFICAS mihi, nuper inter doctos quæsitũ esse, cur simiæ quadrupedesq; assuetæ uinum bibere unguibus careant, sed dubitandi magis quàm statuendi quicquam occasionem dedisse. Quod tibi minimè mirum uideri oportet, quom & Aristoteles & clarissimi autorum suas illas rerum abditarũ perquisitiones προβλήματα, id est coniecturas nuncupauerint: ut intelligas eos acumine magis animi, quàm certa ulla indagine, remotiora naturę placita explorasse. Nam quod ad percunctationẽ tuam attinet: quidam putant id accidere, quoniam in uino sit uis discussoria, & ad emolliendum efficax. Hinc euenit, ut qui plus nimio se uino ingurgitauerint, resolutis neruis in paralysin facile delabantur. Sint igitur ungues uel neruorum clausulæ, ut dixit Plinius: uel caro cõcreta & quasi in callum obdurata, ut alij putauere, uino accedẽte emolliri resoluiq; fit uerisimile. Alijs humoris sanguinis, qui plurimus uino fieri solet, exundatione callosiorem contumacioremq; ac retorridam illam partem quasi macerari uidetur & emollescere, id quod aquę & aceto usui uenire quotidie uidemus. Illa enim fruges & legumina incoctilia ad coctura perduci experimur: illo plumbũ in cerussam resoluitur, & ouum ita tenerescit, ut uel per annulũ toto calice integro pertranseat. Ex hoc item facile colligi potest, cur ueteres existimauerint uini potu effici, ut mulæ calcitrosæ esse desinant. Mitescente enim ungula & pede quodammodo exarmato, feritas illa tollitur extunditurq;: præsertim siquando euenerit, ut calcibus impetẽtes solido illidant, plusq; inde damni accipiant quàm afferãt: quare conscię imbecillitatis suæ ferocire desistunt. Sicut & cerui eo tempore abditi latent, infirmitatemq; suam fatentur, quo natura cornua illis ademit; nec prius in medíũ prodeunt, quàm illa sibi renasci intellexerint. Vale.

Cælius

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

NVLLA pars est rerũ humanarũ, in qua magnitudo maiestasq; naturæ omniparentis non large se detegat: modo nos homines uacemus huic theatro, nec cõniuentes eius beneficia prætereamus. Id uero quod postulas non potest profecto nõ uideri admirabile: Sambucum scilicet eo loco canoram & concinnam magis prouenire, ubi gallorũ cantus non exaudiatur. Cur id fiat (si modo uerum est) nemo facile dixerit. Sunt qui hoc nõ simpliciter, sed συμβολικῶς traditum putent more Pythagorico, ut multum diuersum quàm dicitur, intelligatur. Sicut proditum est, non ex omni ligno Mercuriũ debere fieri: Deũ non populari ritu, sed electo ac religioso colendum esse: sic nõ uulgari sed remotiori musicæ incumbendum esse admonentes, non ex obuia quaq; sambuco tibiam, sambucenq; coagmentari oportere dixerunt: & expedire ut remotiora petantur, atq; inde decerpatur, ubi cantus galli nõ obstrepat. Nam sic hodie quoq; locum longe sepositum, ad quem nemo adeat significantes, dicunt in eo ne gallum quidem unquam exauditum. Aut certe stridula illa atq; admodum obstrepera uox galli hebetare, & stridore suo quodammodo diffindere & cõuellere potest penetrabilẽ ac fungosam sambuci materiẽ, utpote qua leo etiam tantę animal constantiæ cõsternetur. Alij sunt qui eo dicto nil præterea ostendi putent, quàm syluestrem sambucum satiuæ multo esse præferẽdam: quòd ea procul locisq; abditis, hęc propè inter nostra septa adolescat. De caprifico, quo ita boues edomentur, ut propè immobiles consistant: res perquisita etiam à Plutarcho in libro τῷ συμποσιακῶν, sed iniuria temporũ desiderata. Nũquid uero id ui illa propria atq; insita caprifico euenit, quã Græci ναρκωλικὸν, id est torporem segnitiemq; inuehentẽ uocant, qua & echeneis & torpedo inter pisces pollet? Nam & caprifici cinere, cui septica, & smectica potestas inest, id est quæ detergere possit & erodere, medici pro spodio utuntur. An forte odore acri & stiptico id contingit, qui uim illam ferocientis tauri opprimat, compescatq; & quasi obstupefaciat? nam inter ea, quæ solent maximè naturã prosternere, odor censetur. Sic amaracinum subus acre uenenũ esse, cecinit Lucretius. An profecto id magis accidit ad insuetudinẽ, & inertia ponderis? est enim caprificus non adeo multæ sarcinę. Quare ex eo clypei militares faciles admodum & cõmodi gestatu fiunt: licet alia causa potior, quòd accepto ictu lignum id statim coalescat & plagam contrahat. Eo itaq; taurus oppressus, nouitatem leuitatis admirans consistit: & qui maiori sarcinæ obluctaretur, ad minimã immobilis manet. Sic fulmina durissima quæq; expugnant, in facilioribus nullam omnino uim exercẽt. De Marpesia caute traditum est, quòd ad maximos impetus immobilis, leuissimo deinde attactu cõmouetur: & quã toto nixu corporis non potes concutere, mox uel digito facile impuleris. Hæc tibi ex libro Quæstionum nostrarũ tumultuario excerpsimus. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

EST mihi satis perspectum alios, qui se omnes spectatiõi & indagini rerum abditarum in natura tradiderunt, quo præstant acumine ingenij, rationes uel multo ueriores, uel similiores uero inuenturos. Nec dubito quin si mea hæc quæsita, quibus horas succisiuas accommodo, aliquando in manus hominũ uenerint, multos habitura sint, non dicam obtrectatores: id enim uel optabile, quom nullum sit certius testimonium aliquo in numero censeri quæ scripta sint, quàm à multis perstringi & cõuelli: sed irrisores plane, & qui ne legenda quidem arbitrentur. Quare desine mi fili immaturos & procíduos adhuc fœtus efflagitare: & satis tibi habeto, si percunctanti pro tempore quasi carioso è penu deprompsero, quæ in rem facere uideantur. Quale hoc scilicet, quod modo deposcebas: cur pomorũ onera à iumẽtis statim sentiantur: ac nisi prius ostendantur ijs, quamuis pauca portẽt, sudare illico. Quod ego ex nulla remotiore ratiõe petendum duco, sed ex ipsa nuda apertaq; animantiũ consuetudine. Quãtum enim existimas interesse, spõte quid facias an inuitus? spe pręmij, an nulla proposita mer-

cede? Nemo profecto sanus diffiteatur, quin animum maximè cuiusq; ad labores ærũnasq; fortiter perferẽdas, uel spes gloriæ, uel quæstus expectatio illiciat. Quòd si hoc homini ratione excellenti contingit: quanto id brutis, quæ omnia ex sensu pendent, euenire minus mirandum. Iumẽta igitur poma quamuis pauca imposita sunt, odore ac desiderio illorum pulsa, ferunt quidem, sed ferũt inuita, totoq; animo in ea feruntur quasi denegata. Hinc sudor ille, non magis ex onere q̃ ex cupiditate prouocatus. Quòd si prius ostendantur, gustandoq; aliqua liberaliter propinẽtur: tunc ea quodammodo inuitatione demulsa, & pollicitatiõe exhilarata, quamuis multa ac onerosa facili propensoq; animo conuehunt: ut ea non minus bona expectatione quàm dorso suo perferre intelligantur. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

NON sine causa uidentur Philosophi dixisse, ex malis bona nunquam, è bonis autem mala quandoq; oriri posse. usu enim rerum probatum est, deprauatas cõsuetudines & pessima instituta ab optimis plerunq; principijs initium habuisse. Diuinis nominibus & cælestium geniorũ nomenclatura quid accepit in terris homo diuinius? & hęc tamẽ uidemus ita maleficis artibus corrupta atq; in transuersum abducta esse, ut quidam etiam ex Theologis nostratibus illa ignorantes, ceu inauspicata uocabula, & cum honoris etiam, immo uero pręsidij diuini, præfatione nũcupanda auersentur. Hoc scilicet effecit pessimorum hominũ consuetudo. In sacro Cõcilio, quod Arimini annis ab hinc plus mille celebratum est, accepimus sanctissimos patres Arianorum astu traductos atq; illusos fuisse. quom enim disceptaretur, an inter personas Diuinitatis pater ac filius eiusdẽ essent substantiæ, quod ὁμοούσιον græci uocant: nonnulli damnati dogmatis professores ita uiros simplices sed synceros interrogasse dicũtur: an uero uos deũ unum trinumq; agnoscitis, an ὁμοούσιον magis colendum putatis? At boni uiri quid esset ὁμοούσιος prorsus nescientes, se deum unum, trinumq; agnoscere ac uenerari, ὁμοούσιον uero ignorare, atq; adeo abhorrere fatebantur. Ex quo eorum dolo senatusconsultum factum est: Christianos nequaquam ὁμοούσιον credere. Ad quam maculam eluendam proximis annis opus fuit Niceense cõcilium cogere, in quo anteacta retexta sunt, & uerę sanctiones assertę. Sic hoc tempore quotus quisq; est qui sacras dei angelorumq; nuncupatiões à barbaris, id est Hebræis, uel Græcis acceptas, utputa, Semhamophores, cum mũdum crearet Elohin, quom creasset Adonai: Sadai, id est nullo egens, Sabaoth, & quadriliteram ihe uhe, pro quo nomine XII. literarum utũtur, ne prius illud nimio usu uilescat: Hagios, Tetragrãmatos, ἀπερίμετρος, aliasq; id genus casto tantũ ore proferendas, ob inscitiam non exhorreat, & ceu excantationũ uerba audiens nõ reformidet. Quod & in nominibus angelorũ, de quibus ut ad te scribam rogas, multo magis solet euenire: utpote quæ ignotiora sunt, & à consuetudine uocis humanæ magis aliena: de quibus unum illud tibi uere affirma uerim, ea mortaliũ uoce nõ posse enuntiari. Sunt enim, ut Gręci dicũt, ἀνεκφώνητα, utpote qui de luce uestimenti summi opificis altera die magnæ creationis facti sunt: atq; profecto apud Hebræos describũtur, ut neq; literæ neq; syllabæ satis inter se cohæreant. Quæ tamẽ ut aliquo modo cõmonstrent, quantũ inopia & infantia nostra permittit, Hebræi præsidio duarũ uocũ utũtur: quę inter adscita seu attributa dei nomina censentur, Iah scilicet & El: quorum alterũ bonitatẽ, alterũ magnitudinẽ dei significat: quasi tu Romana uoce optimũ maximũ dixeris. Nullum enim uerũ & propriũ dei nomen efferri potest. Quare illum Plato recte ἀνόνομαστον appellauit. Sicut ab alijs multo rectius dictus est ἀπειροδύναμος καὶ παντοδύναμος δυναμοποιὸς δύναμις, id est infinite potẽs & omnipotens potentifex potẽtia. Hinc factum est ut omnia angelorum nomina in iah uel in el desinant. Sic angelus quem Adamo tribuerunt, Roziel, quem Semi Iophiel, quem Abramo Iachiel, quem Isacio Raphael, quem Iacobo Peliel, quem Ezechieli Hismael nũcupati sunt. Sic duo & septuaginta illi qui in traijciendo populum Israeliticũ Mosi operam nauarunt, appellationes sortiti sunt. Quas tamen ab operibus quibus pollent, possuntq; humano generi opitulari, accepisse tradunt

dunt qui ſecretiores literas apud Cabaleos profitentur: utputa Raphaelem à medicina, Gabrielem à fortitudine, Michaelem ab admiratione. Qua ratione factum eſt, ut Gabrielem Raphaeli uirtute ac fortitudine tantum exiſtiment præſtare, ut illum intellectum agentem, hũc poſſibilem nuncupauerint. Illud non omittendum, Veteres penultima producta huiuſmodi nomina Barbara quidem, ſed ad normam latinitatis redacta, contra inuulgatam cõſuetudinem pronunciaſſe. hinc illud apud Valerium Flaccum in VI.

Hic & odoratus ſpiranti crine Michael. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

DVORVM & ſeptuaginta angelorũ nomina quæ à me petis, operoſum æquè & ſuperuacuum eſt recenſere. Hoc certe habe, quod ad te antea ſcripſi, duabus ea diuinis uocibus finiri, Iah ſcilicet & El: quę ſanè ego elementarius in remotioribus Hebræorum literis nequaquam memoriter memini, nec codices idonei hoc tempore apud me ſunt, unde poſſim exſcribere, & tu me in Octauij circulũ detruſiſti. Quare te (ſi modo tanta eſt hęc explorandi cupido) ad tertium Capnionis uolumen relego, unde locupletius omnia mutuere. Septuaginta quidẽ & duos fuiſſe, qui Moſem dirimentẽ aquas & transfretantem Erythreum mare adiuuerũt, Cabalei certo affirmant: quòd ſalutis ueræ quã mortalibus ſalutaris uindex Chriſtus inuexit non temporariam illam quidem, ſed nunquã nobis excutiẽdam, ſymbolum credimus. Cuius & myſterij teſtem ſacrũ & inenarrabile dei nomen adducunt, quod quatuor literis proferũt, Iod, He, Vau, He. Quarum prima decem, ſecunda quinq;, tertia ſex, quarta rurſus quinq; demonſtrat. Nam ſuos numeros ea dialectos literis cõmodiſſime deſcribit, atq; eis mira quędam theoremata eliciunt. Quare omnis ſecretior doctrina in ſephiroth & ſemoth, id eſt numerorũ & nominũ traditionem diuiſa eſt. Eos itaq; ſi unà ita coniunxeris, ut coalescentes componas, duorum & ſeptuaginta numerum reſilire inuenies, quippe decem ſepoſitis quibus quinq; adnectas, quindecim, mox ſex additis unum & uiginti euaſerint. Poſtremo quinq; adſcriptis, ſex & uiginti emetieris. Hoc tertio ſeorſum enumerato, XX ſcilicet, XV, unũ & uiginti, ſex & uiginti, duos et ſeptuaginta indubitato emerſiſſe comperies. Quòd ſi mihi parũ fidei adhibes, conſule calculum, rem ad digitos uoca, & de puteo ueritatem eduxeris. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

QVANTVM licebit uerbis compendium faciam. Nam & ego alijs auocatus negocijs, & tu quod petis aliunde liquidius haurire potes. Siquis alteri damnum iniuriamúe attuliſſet, ex lege XII. tabul. ſiquidem leuior ea erat iniuria XXV aſſes in mulctã ſtatuebantur. Si grauior, talio decernebatur. Sed poſtquã creſcente opulentia urbis, & multorum audacia inualeſcente, non defuerunt qui ſpreta XXV aſſium mulcta maximas maximis ciuibus contumelias inferre auſi ſunt, & taliones ad arbitrium iniquorũ iudicum trãsferebãtur: tum iure honorario, quod omne prætorium eſt: prætoribus enim leniendi exaſperãdiq; leges XUirales poteſtas fuit: introductũ eſt iudiciũ recuperatorium Aelio Gallo maximè adnitente. Ad hoc tres à prætore urbano eligebantur recuperatores, id eſt æſtimatores damni illati, quam pauperiem interdum appellabãt: hinc illud apud Iureconſultos, ſi quadrupes pauperiem fecerit: uel iniurię uindicandę atq; aſſerendæ: niſi forte actor condicere, id eſt in perſonam actionẽ mallet intendere. Tunc enim nõ æſtimatione ſed corporis afflictione res agebatur. De recuperatorio autem iudicio in perpetuo edicto ſic legebatur, Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ iudicium recuperatorium dabo, teſtibusq; publice decem denuntiandi poteſtatem facio. Adhibebatur enim recuperatoriũ in cauſis publicis tantum, non etiã priuatis. De his locupletius in Collectaneis antiquitatũ diximus, ex quibus exemplum Ciceronis ex ſecũdo Rhetoricorum in Hermagoram facile per te potes colligere, à Victorino parũ explicatũ. Quom ad uim faciẽdã quidã armati ueniſſent, armati con-

tra præſto fuerũt:& cuidam equiti Romano quidam ex armatis reſiſtens gladio manum præcidit. Agit is cui manus præciſa eſt iniuriarum. Poſtulat is qui cum agitur, à prætore exceptionẽ, extra quam in reum capitis præiudicium fiat. Hic is qui agit, iudicium patrum poſtulat. Ille qui cum agitur, exceptionem addi ait oportere. Quæſtio eſt, excipiendum ſit an non. ratio qua reus utitur: non enim oportet in recuperatorio iudicio eius maleficij, de quo inter ſicarios quæritur, pręiudicium fieri. Infirmatio rationis: eiuſmodi ſunt iniuriæ, ut de ijs indignum ſit non primo quoq; tempore iudicari. Iudicatio: atrocitas iniuriarum ſatis ne cauſę ſit, quare cum de ea iudicetur, de aliquo maiore maleficio, de quo maleficium comparatum ſit præiudicetur. Sic enim in antiquis codicibus legimus. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

A N eadem ratio inſit lineis, quas Ariſtoteles intellectui tribuit, & circulis quibus ad eam rem utitur Plato, à me per literas quęſiſti: quom ſummos philoſophos habeas, à quibus coràm id percũctari, & exquiſitius audire poſſis: Leonicenũ ſcilicet & Bonazolum, uiros Di boni quàm in omni philoſophiæ genere excellentes. Non deſciſcam tamen à moribus meis, & tibi tam pleno paſſu ad recta ſtudia anhelãti non deero. Quare illud tibi ſpectandum eſt imprimis, Quędam eſſe ſcilicet quorum ratio propter quam ſunt, & forma per quam ſunt, nihil diſcrepet. Qualia ſunt omnia ſimplicia & abiuncta à materia: angelus puta, mens, punctum: quod materię inſitis & adglutinatis longe aliter euenire neceſſe eſt. Ipſa enim à ſua propriaq; eſſentia longe differũt. Ignis ſiquidem qui oculis uſurpatur, id eſt concretum illud ex forma & materia, nõ minimum differt ab ea ratione, cuius beneficio exiſtit. In utroq; eorum genere perſpiciendo linearũ Ariſtotelis & circulorum Platonis exemplum intellectus hic noſter ſequitur: ſed longe diuerſa ratione. Ariſtoteles enim tradit intellectum noſtrũ ſimillimum effici rebus quas ſpectat: & licet unus idemq; ſit, lineæ tamẽ interdum rectæ, interdum arcuatæ & obuerſæ ſimilem euadere. Quom enim res meras & ſimplices à materia colligit, tũc & ipſum merũ ac rectum ad inſtar lineæ recte in eas ferri. Rurſus quom dilutas & concretas relegit, ad obliquæ & refractæ lineæ imitationem retorqueri. contrà Plato concreta primũ & compoſita ſcribit ab intellectu recte & ſimplicis lineę more cognoſci, ut prima quædã tranſitio depromi intelligatur. At quom ad ſimplicia & abiũcta remeat: tunc ad circinnati ac recurrentis circuli imaginem in ſe replicari. Hoc itaq; inter Ariſtotelem Platonemq; intereſt, quòd hic intellectũ ad ſimplicia & ſincera recuruari, ille rectum protẽtumq; excurrere: hic ad impura & commiſta prorſum ire, ille retrouerti exiſtimauit. Nec me præterit quoſdam in Peripateticis, atq; inter eos Themiſtium, non lineam rectam Platoni, ſed circulum rectum, & rurſus non ſimplicem nec ſemel flexum circulum, ſed iterum atq; iterũ ſeſe remetientem ac recurſantem tribuere. Verum hac parte qua de opinione Platonis mẽtio fit, libuit magis Academicos ſectari. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

P LVTARCHVS tradit morem fuiſſe, ut matutinis horis quidã à cubiculo regis Perſarum ad regem ingrederetur, eumq; hac ratione excitaret, ἀνάστα ὦ βασιλεῦ· ἡ γὰρ φρόνησίς ἐστιν ὧν σε φροντίζειν μεσορομάσδης ἐθέλησε. Surge, ait, rex: & ea cogita, quæ te cogitare uoluit Meſoromaſdes. Quæſitũ dicis à multis quis ille Meſoromaſdes, cuius inſtitutis rex parere admonebatur. Ego ne multis te teneã, eum Zoroaſtrem puto, magni Oromaſi filium, de quo in ſecundo Alcibiade mentionẽ mirifice ad hanc rem accõmodatam habet Plato, ubi regis Perſarum educationẽ deſcribit. Nam & regis natalem tota Aſia quotannis celebrari cõmemorat: & ipſum nõ à nutricibus ſed ab eunuchis educari, curariq;, ut per quàm cõpoſita forma adoleſcat. VII. anno ad magiſtros uenationum & equeſtris diſciplinæ ablegari. XIIII. ad eos qui magiſtri regij nuncupantur. ij quatuor ſunt, ex quibus primus magicã edocet, quæ à Zoroaſtre Oromaſi filio prodita eſt

dita est. Ea deorum religionem continet, & regia instituta prę terea. Alter ueritatem colere, Tertius libidini & affectibus imperare. Quartus nihil extimescere, & animũ supra res humanas attollere condocefacit. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

NON omnino ignobilis nec respuenda est annotatio, quam à me petis: eoq; maiore digna animaduersione, quo magis uulgata & summorum scriptorum autoritate cõfirmata cognoscitur. Quis est enim qui potionem ad dolores ac curas excutiendas ab Helena propinatam non existimet ab Homero priuo & proprio nomine νήπενθες appellatam: præsertim quom Macrobius & Plinius, multiq; tum græci, tum latini summi nominis conditores hoc affirmauerint, alij uinum, alij orationem, alij medicamentũ, alij alia interpretantes. Atqui νήπενθες apud Homerum neq; proprium neq; fixum est nomen, sed τὸ φαρμάκῳ ἐπίθετον: sicut ἄχολον & ἐπίλησθον, quæ eodem carmine continentur. Sunt enim ij uersus de ea re ex quarto Odysseæ libro,

Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ᾧθεν ἔπινον,
Νήπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.

Actutum uino medicamen miscuit, unde
Et luctus curasq; graues detergere possint,
Et simul epotent obliuia longa malorum. Bene uale.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLICARVM QVAESTIONVM LIBER III.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

AVES scire an ueteres id genus uestium in usu habuerint, quas feltrias à Feltro urbe (ut uere putas) mercatorũ uulgus appellauit. Tũ illud exquiris, an peristromata & phrygianas & attalicas & plumarias & Babylonicas & pictas & triclinares easdem putẽ. Tertio de pura ueste & recta tunica perquiris. Mox de scutulatis, ungulatis, pexis, rasis, xerampelinis, Dalmaticis, clauatis, rogas quid sentiam. Postremo de gausapinis, galbanis, mallotibus, diphtheris, amphimallis, percunctaris. Longa sanè percunctatio, & quam non facile uir aliud agens, in tanta præsertim rerum mutatione, & antiquitatis obscuritate possit explicare. Non recuso tamẽ respondere quicquid in mentem uenerit, uberius fortasse aliàs responsurus, quom & plus ocij nactus fuero, & maiorem lucem comperero. Feltrias quidem imprimis fuisse antiquis existimo, uestes scilicet non textas, non consutas, sed lana igne adacta cõpactas, quales nunc ad pilea & penulas in usu habemus. De quibus puto Plinio sensisse his uerbis in octauo. Lanæ & per se coactæ uestem faciũt, & si addatur acetum, etiam ferro resistunt: immo uero etiam ignibus nouissimo sui purgamento. Quippe ahenis coquentium extractæ indumentis usu ueniunt. Galliarũ, ut arbitror, inuentum: certe Gallicis hodie nominibus discernuntur. Nec facile dixerim, qua id ætate cœperint. Peristromata & stragula cõmune nomẽ est: nostrum alterũ, alterum trãsmarinum. Sunt tamen qui peristromata ea credant proprie appellari, quæ parietibus affiguntur: ceu sunt quæ belluata, uariegataq; ex ulteriore Germania afferuntur. quæ quom ad triclinia & cœnacula accõmodantur, triclinaria appellantur: qualia Plinius triclinaria Babylonica nuncupauit, quæ sanè (si eidem autori credimus) à phrygijs & attalicis uestibus distãt. in Babylonicis enim colores diuersos picturæ intexere Babylon maximè celebrauit

celebrauit. unde ijs nomen impositũ, quom phrygias, id est acu factas, Idęi Phryges inuenerint: unde phrygiones dicti. In Attalicis certe aurũ intextũ fuit: cuius rei Attalum autorem celebrant. Nam Dimitis, Trimitis, & Polymitis liciorum numerus nomen dedit: quod ad ostentandos uarios colores & habitus paucis licijs fieri non poterat. Cuius operis certissimũ &, ut puto, antiquitatis ęmulum exemplum uidere potuisti apud eximium ætatis nostræ attalicarium. Plumarias uero uel plumatiles uestes dictas existimamus, in quibus nõ una facies nec unus color, sed plures & incerti uisebantur, quales in columbarũ collo agnoscuntur. quo argumẽto ἀκαταληψίαν suã probabat Arcesilas. Pictæ uero ad cultum maximè humanũ pertinebant. In quo genere triumphales cẽsentur: quæ Dalmaticæ & palmares, uel à palma intexta, uel à uictoria, quę & ipsa palma dicitur, uocantur. In pictis autem antiquitus erant imagines, quales à Catullo & Vergilio describuntur. Quin & Homerus:

Τὴν δ' εὗρεν μεγάρῳ, ἡ δὲ μέγαν ἱστὸν ὕφαινεν,
Δίπλακα μαρμάρεον, πολέας δὲ ἐνέπασσεν ἀέθλους,
τρώων θ' ἱπποδάμων καὶ ἀχαιῶν χαλκοχιτόνων.

Quem locum libentius attulimus: quòd eum à Plinio designatum existimamus, ubi de hac re mentionem habet. Festus tradit pictam, quę nunc toga dicitur, uocari purpuram, & eam esse sine pictura: ut intelligas nomen manere, rem exoluisse. Quin & Liuius ostendit togam pictam & tunicam palmatam uocari: quom scribit, Masinissam à Scipiõe toga picta & palmata tunica donatum fuisse. Quod uero ad puram togam attinet, quam exeuntes pueritiam adolescentes & ad maturiorẽ ætatem prouecti anno ferè XVI. ætatis induebant, non sine parentum & cognatorum hilaritate, quæ uirilis etiã dicebatur: ea fuit colore uel simplici uel candido: aut in candoris animi testimoniũ: aut quòd gerendis magistratibus iam idonea ętas uideretur: candidati uero magistratuũ competitores comitia inibant: uel certe quod nondum quicquã descriptione dignum gesserant. Nam sic & tyronibus prima stipendia facientibus alba parma & pura hasta tradebatur: quam Seruius sine ferro interpretatur. Huic recta subijciebatur tunica, orthostadios à Græcis dicta, & inter cõmunes utriq; sexui Polluci adscripta, à recto texturæ ordine, non à rigore sic appellata. Nam Festus rectas uestimenta uirilia, quę à stantibus in altitudinem texantur, dictas testatur. Quo nomine iuuenes, ut iam recta studia capesserent, admonebantur. Atqui scutulata erat partibus & quasi scutilis digesta, Gallorum inuento. scutulis enim diuidere Gallia prima instituit. Quales aũt essent scutulæ, nõ uideor tibi melius significare posse, q̃ si tibi aranearũ telas ostẽdero: quas illi scutulatas ad capiẽdũ muscas circà grassantes mira arte cælant. Vngulata ab intexta unguiũ imagine. nã & ungues in floribus notamus: & uetustas anulos ungulos dixit. Sicut & undulatas ab undis, & papaueratas nõ ab albedine, sed à papauerũ textura dictas accepimus. Sanè undas etiã hodie uidemus in trisanello, undoneq́: quẽ Cymatilẽ à fluctuatiõibus intextis quidã uocant. Hũc emporia (ut reor) symballotũ ab illa undarũ coniectione appellant. licet Hermolaus meus quasi σύμβλητον dictũ putauerit: hoc est coacti per se uelleris implexu magis quàm textu conditũ. sanè flosculos & papauera & mæandros nunc maximè in eo texturę genere agnoscimus, quã Dalmaticã à regione dicimus. De papauerata profecto mẽtionẽ habet Plinius. Crebrę papaueratę, inquit, antiquiorẽ habẽt originẽ. Idẽ de ungulata: Vngulata, inqt, primo è lautissimis fuit. Inde surculata defluxit. Sic enim legendũ puto, à surculis & ramusculis, ut nũc etiã uidemus intextis & contortuplicatis. fuit quando soriculata à soricibus legendũ putauerim. Nam Pollux myoton, quasi tu soricinam dixeris, Armenijs peculiarẽ celebrat. Et apud Eusebium legimus peplum Proserpinæ muribus contexi consueuisse. Virgulatas etiam non præterit Pollux: in quibus uirgæ purpureæ, quas πρόφους Græci uocant. Nam cerinas, melinas, subminias, coccinas, sinopicas, crocotas, calthulas, compluuiatas, nõ à textura, sed à colore ceræ, melini, minij, cocci, sinopidis, quæ colore rubro sunt. Lutheam etiã caltham nobis indicauit Virgilius. Compluuiatas fumosas uidetur Marcellus interpretari. Apud Plautum in Epidico de Geranio uideo mẽtionem haberi, corruptis licet uulgatis codicibus, Cerinum, inquit, uel Geraniũ. & epiphonema

nema statim per annominationē subiungit, Gerræ maximę. hanc uero à colore gruis cineritio puto dictā, ut ea sit quā Græci ποδοειδῆ uocant. ijdem γέρανον gruem dicunt. Nam ab aere quem nos cælestem dicimus, auro, undis, croco, grue, myrtis, amethystis, rosis, castaneis, amygdalis, cæra, uestes quasdā dictas ostendūt uel Ouidiani uersiculi illi,

Aeris ecce color, tum quom sine nubibus aer,
Nec tepidus pluuias concitat auster aquas.
Ecce tibi similis, qui quondam Phryxon & Hellen
Diceris Inois eripuisse dolis.
Hic undas imitatur, habet quoq; nomen ab undis,
Crediderim Nymphas hac ego ueste tegi.
Ille crocum simulat, croceo uelatur amictu
Roscida luciferos quom dea iungit equos.
Hic Paphias myrtos, hic purpureas amethystos,
Ardentesúe rosas, threiciamúe gruem.
Nec glandes Amarylli tuæ, nec amygdala desunt,
Et sua uelleribus nomina cæra dedit.

Quæ colorum nomina magna parte ad hanc ætatem uenere. nam & à cælo, cælestem: & à myrto, myrticinum dicimus. Nec me tamen præterit, Neuiū uestes quasdam mortuales appellasse, quibus cadauera induebantur. Asbestinas sanè eas dixerunt ex lino uiuo, lapidi Carystio simillimo: quibus mortui reges cremabātur, ut ijs cinis colligeretur. nomen ex eo adeptæ sunt, quòd igne nō absumerent. Dicimus & rosaceas, & grittas, & castaninas, & magdalinas, & mistas, licet has postremas à coloris mistura nō ab amethysto pleriq; dictas malint. apud Ouidiū certe nō albentes, sed ardentes rosas scribendū: ut milesias intelligas coloris ardentissimi non excedentes duodena folia. nos etiam roseas purpureas appellamus. Nam Plinius uerum colorem purpuræ ostendens duobus locis, priore pretiosum liquorem nigrantis rosæ colore sublucentem: altero, in colorem sanguinis concreti, nigricantē aspectu & eundem suspectu refulgentem describit. Vnde Homero purpureus sanguis dictus. Sed & de ijs coloribus uestium idem autor eximie in XXI. cuius uerba nō sine piaculo prætermiserim. Luxuria, inquit, uestibus quoq; prouocauit eos flores, qui colore cōmendantur, Hos animaduerto tres esse principales, unum in cocco, qui in rosis micat. gratius nil traditur aspectu, & in purpuras, tyrias dibaphasq́; ac laconicas. Alterū in amethysto, qui uiola, & ipse in purpureū, quemq́; Ianthinū appellauimus. genera enim tractamus in species multas se spargētia. Tertius est qui proprie cōchylij intelligitur multis modis, & in aliquo ex ijs plerūq; saturatior: alius in malua ad purpuram inclinans, alius in uiola serotina conchyliorum uegetissima. Paria nunc componūtur, & natura & luxuria depugnante. Luthei uideo honorem antiquissimū in nuptialibus flammeis, totum fœminis concessum: & fortassis ideo nō numerari inter principales, hoc est cōmunes maribus & fœminis: quoniā societas principatum dedit. Amarantho non dubie uincimur. Est autem spica purpurea uerius quàm flos aliquis, & ipse sine odore: mirumq́; in eo, gaudere decerpi, & lætius renasci. Prouenit augusto mēse, durat in autumnū. Alexandrino palma, qui decerptus asseruatur. mirumq́;, postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiscit, & hibernas coronas facit. summa eius natura in nomine est, appellato quoniam nō marcescit. In nomine est & cyani colos, item holochrysi: omnes autem hi flores non fuere in usu Alexādri magni ætate, quoniam proximi à morte eius autores siluere de illis. Quo manifestum est postea placuisse. A græcis tamē repertos quis dubitet? non aliter Italia usurpante nomina illorū. De laconicis iocose meminit Plautus: cani quoq; ademptum est nomen, uocant laconicum. Amarantum autē, cuius descriptionem addidimus, scito eum putari quem pagi omnimenstruū appellant. Cyanum autem doctiores eum credunt, qui quom sit omniū pulcherrimus & odoratissimus, adhuc tamen in controuerso nomen habet. Olitores non à foliorum gratia, sed ab odore gariophyli pigmentarij, Gariophyllon nuncupauere, alij hyacinthum, alij uaciniū, alij

caltham

caltham, alij alia nomina confinxere. Nam à malua, nõ à mollicie malachas dictas ſuſpicor. Nec tamen ſum ignarus, inter ueterum indumenta, mollicinam recenſitam. illud non prætermiſerim, purpureas & conchyliatas differre plurimum inter ſe: ſicut purpuræ & conchylia etiã differunt. nam concha ad utrunq; genus eſt. purpuræ quidẽ florẽ illum tingendis expetitũ ueſtibus in mediis habent faucibus: liquoris hic eſt minimi in candida uena, unde pretioſus ille bibitur, ut diximus, nigrãtis roſæ color ſublucens. reliquum corpus ſterile. Viuas capere contendunt, quia cũ uita ſuccum illum euomunt. Et maioribus quidem purpuris detracta cõcha auferunt: minores trapetis frangunt. Hinc faſces ſecuresq; Romanæ honeſtantur. pro maieſtate in pueritia prætextis additur. Diſtinguit ab equite curiam, Dis aduocatur placãdis, omnemq; ueſtem illuminat. In triumphali miſcetur auro. Romulus in trabea ea uſus. Tullus Hoſtilius primus è regibus in toga prætexta & latiore clauo uſus eſt. Paulò ante Auguſti ætatem uiolacea purpura uigebat, mox rubra tarentina, deinceps dibapha tyria. Hac Lentulus Spinter ædilis curulis primus Cicerone cos. uſus eſt in prætexta, quæ deinceps etiam ad triclinaria tranſijt. Dibapha dicebatur bis tincta, qualiter nunc omnes cõmodiores purpuræ tinguntur. Purpurę caliculatim procurrit roſtrum, & caliculi latus introrſus tubulatum, qua proferatur lingua: prętera clauatum eſt ad turbinẽ uſq; aculeis in orbem ſeptenis ferè: qui nõ ſunt buccino, ſed utriſq; orbes totidem quot habẽt annos. Purpuræ alio nomine pelagiæ appellantur. maioruis cuiq; quanto recentior. Feruere in plumbo, ſingulisq; aquę amphoris centenas atq; quinquagenas medicaminis libras æquari iuſtũ eſt, ac modico uapore torreri, & ideo longinquo fornacis cuniculo. Ita deſpumatis ſubinde carnibus, quas hæ ſiſſe uenis neceſſe eſt, decimo ferè die liquatis cortina uellus elutriatũ mergitur in experimentũ, & donec ſpei ſatisfiat uritur liquor. Rubens color nigrãte deterior. Quinis lana potat horis, rurſusq; mergitur carminata, donec omnem ebibat ſaniem. At conchylijs uirus graue in fuco. Color auſterus in glauco, & iraſcẽti ſimilis mari. Nomen conchylio buccinum, & murix minor purpura, ad ſimilitudinem eius buccini quo ſonus editur, unde cauſa nomini, rotunditate oris in margine inciſa. buccinum per ſe damnatur, fucũ remittit. Pelagio, id eſt purpureo admodum alligatur, nimięq; eius nigritiæ dat auſteritatem illam, nitoremq; qui quæritur cocci. Ita permiſtis uiribus alterũ altero excitatur, aut aſtringitur. Si buccini libræ ducentę, pelagij centum undecim confundantur in libras uellerũ, fit amethyſti color eximius ille. at color Tyrius pelagio primum ſatiatur, immatura uiridiq; cortina, mox permutatur in buccino: atq; geminatur luxus, & amethyſtum rurſus abſolutũ inebriatur Tyrio, & fit ex utroq; nomẽ Tyriamethyſtus. quin & terrena iuuat miſcere, coccoq; tinctum tyrio tingere, ut fiat hyſginum. Coccum Galatiæ aut Luſitaniæ circa Emeritã rubẽs granum: anniculo languidus ſuccus, quadrimo euanidus. ita nec recenti uires, neq; ſenescenti. cętерum in cõchyliata ueſte quantũ medicaminis, tantundem pro indiuiſo excrementi potus humani ingeritur, ut fiat laudatus ille pallor ſaturitate fraudata, tantoq; dilutior quãto magis uellera eſuriunt. Sunt & leucophęæ non multũ abſimiles muſtellinis & cineritijs, in quibus λευκὸς καὶ φαιὸς, id eſt albus & niger color cõfunditur, quali confraternitates quaſdam religioſorũ uti uidemus: ſicut & quædam cillio, id eſt colore aſinino utuntur. Nam Dores κίλλον aſinum uocãt. Purpureæ & puniceæ, & batrachides à ranis dictę, hominum ſunt. Sunt qui cæſitium, à cæſio, id eſt cælio colore nuncuparint. Marcellus à circunciſis oris, uel à cædendo tractum exiſtimat, quòd ſic ad candorem perueniat. Sed hoc minime inter ueſtes annumeauerim: ſicut neq; ricam, quę ſudariolum ſignificat, unde ricamis & riciis ſuis noſtrates puellæ nomen indixerunt. Pompeius ricas & riculas parua ricinia, id eſt palliola ad uſum capitis accõmodata deſcribit. alij ricã quadratũ ueſtimẽtum fimbriatũ, purpureum, quo pro pallio utebãtur flaminicę, teſtantur. Et id ex lana ſuccida alba conſtitiſſe, quod cõficiebant uirgines patrimæ & matrimæ ciues, ut inficeretur lutheo colore, quo indui flaminicas mos fuit. Vel certe rica fuit tegmentum capitis, quo mulieres ſacris operantes tegebantur. Suffibulum enim, album prætextũ, quadrangulum, oblongũ, quod in capite ferebatur, & fibula cõſtringebatur, ueſtaliũ uirginum propri-

proprium fuit. Hic omnis cultus ad antistitas & stolatas mulieres, quæ in uirginijs degunt abijt: sicut tutuli ad sacerdotes uelantes capita & ritu Romano sacra facientes. Melanchlęna tota nigra est: unde populis nomen. Calyptra qua nunc uiduæ uti solent, etiam capita teguntur. Calantica itidem muliebris est, sed solum caput tegit. Cæterum pallã & paragium & intusium à situ dixit antiquitas. Nam duæ priores dictæ, quòd altera palàm, altera patente loco ferretur. Sicut supparus quod supra, qua uoce & minora uela quæ maioribus imponebantur, significantur. Fuit autẽ is habitus Alexandrinarũ proprius, si credimus Senecę. Sic & toga ad uestes alias tuendas uel tegendas tota Romanorũ, quæ posteriore ætate cum centone & succentone ad meretrices ablegata est. Induebantur tamẽ ea clientuli, id est salutatores & anteambulones. Epitogium aũt togæ imponebatur. Pallium Græcorũ est, quibus nunc cassiacam uestem tribuimus: quam à mõte Cassio dictã putat Hermolaus. Intusium uero intus & sub alio amictu ferebaẽ: sicut & tunica, subucula: quas camisias quasi canusias à canusino uellere nonnulli deductas credunt. Qui hanc sententiã tuentur, illud Iuuenalis afferũt: Tunicati fuscina Gracchi. et illud Martialis: O soles, ó tunicata quies. qui repugnant, Horatianũ illud, Si forte subucula pexæ trita subest tunicæ. & illud adducũt: Malchinus tunicis demissis ambulat, est qui Inguen ad obscœnũ subductis usq; facetus. Ego sicut utranq; uestem interiorẽ puto, ita certo camisiam affirmare nõ ausim. Hodie tunicæ laneæ ad monachos & profitentes seueriorem uitam reiectæ sunt. Quòd uero nos recepto more lineas tunicas induamur, Aegyptiorum imitationem puto: qui hunc cultum suis tribuebant sacerdotibus, quòd ex his minime pediculi generentur. Nam & Plutarchus linũ minime φθειροποιὸν asseuerat. Has xilampelinas nõnulli docti uiri appellatas crediderunt, quod xilon linũ Aegyptij dicãt. Ego sanè apud Iuuenalem xerampelinas à colore iam siccescentiũ uitium legendum credo, ut eædem ferè sint, quæ batrachiæ, obscurum uirorẽ referẽtes, ut uulgo appellant officinæ. Quem colorẽ alij ceruleum, alij uenetũ, alij thalassicum uocant. Cui maximè infensos fuisse Agrigentinos memorię proditum est, quòd eo satellites Phalaris tyranni induerentur: sicut Macedonibus gratũ omphacinum colorẽ, id est aperte uiridẽ, quo magnus Alexãder oblectabatur. At ferrugineus cum nigredine ruborẽ habet, non uirorẽ admistum. Habenẽ & domesticæ ac cibariæ uestes, quales intra domesticos parietes gestamus, quas triclinares & cœnatorias appellamus. sicut forẽsem uestẽ, & absolute forẽsia, quibus in foro utimur. Basilicæ quę & regillę, & exoticæ, generalia magis nomina q̃ ꝓpria, à regibus & externis sumpta, quãuis & regilla auro intexta etiã augures uterenẽ. Candys propria regis Persarũ, cæteris eiusdem gentis cõmunes, anaxyris, cyrbasia, cidaris, capyris. Massilienſibus tribuiẽ chorteas. Rhiza Thracib. caunaces Babylonijs, saragis Medis. Tibænã & cleobini cõ uẽdicãt sibi Argiui. Chalassiris laxior est & Aegyptijs daẽ: sicut et phoson è crassiore lino. Amorginę etiã nobilioribus datę, de qbus Pollux, è lino constabant. Fuit & cypasis è lino usq; ad mediũ femur demissa. Basara Dionysicorũ fuit. à raritate aũt & crebritate texturæ spissam & rallã Plautus appellauit: quæ nomina & nũc sunt in consuetudine: rallã nõnulli à Græcis μονομίτου, id est uniliciũ dici credunt. Sunt & operariæ ac tabernarię, quibus sellularij opifices utuntur. Chirodotis quæ à nostris uel manicatæ uel manuleatæ dictæ sunt, manicarũ longitudo nomen dedit, quod sanè probrosum fuit. Colobia sine manicis fuere, quasi mutila. Exomides citra humeros desinũt. Talaris, quæ à Græcis ποδήρης dicitur, ad talos demittitur. Peplum muliebre est: unde Homerus πρώασλας ἑλκεσιπέπλους dixit. Xenophon tamen etiã ad uiros relegat: & quom in peplo multæ sint picturæ, eanos nullam picturã habet: sicut & catastictos multis animaliũ formis distincta est. Muliebres præterea sunt, epomis, diploidion, hemiploidion, epiblema, catagogis: prout ad uiros pertinent, chlamys & chlamydula, quæ à Polluce ὁλόλυκος describitur: & chlęna quæ alijs uestibus super induitur. & hæ ferè militares sunt: unde apud Plautũ, chlamydatus miles. Lacerna uirilis quidem est, non solum ad milites, sed ad grauiores etiam personas attinens. Inter cœnatorias, aut certe parasiticas, annumerãt trechedipna illa, de quibus tot di gladiationes, apud Iuuenalem. Sanè τρεχεδείπνους legimus in Plutarchi symposiacis

eos appellatos, qui appetentes licet & ambientes alienas cœnas, in mora tamẽ erãt cæteris conuiuis tardius accedentes, ut per contrarium trechedipni uideantur dicti. Scimus uero apud Comicos morẽ fuisse parasitis ut uestem intortã collo inijcerẽt, quo forẽt expeditiores: sicut senibus candidus color, adolescentibus discolor, seruis breuis & succinctus amictus, diuiti purpureus, inopi phœnicatus, quem uulgo balium dicimus, qui & latine spadix uocat. Leno uario colore induebatur, & meretrix lutheo. Maribus & fœminis cõmunes erant, ledos, xystis, theriston, quæ æstati fuit accõmoda. Cimbaricũ pellucidum scilicet amiculũ. Ampechomiũ, quo undiq; cingebãtur. Pallã solis mulieribus tribuo, nec uersiculus ille plenus cauillo obstat apud Martialẽ: Dimidiasq; nates Gallica palla tegit. cuius loco parmam nonnulli substituunt. Quin & limbum sibi uendicant fœminę orificio prædituũ, ex quo limbolarij dicti. Eisdem cyclas ceditur, suprà arctior, ampla inferius, mollis ac leuis admodum, in qua & nostræ puellæ uisuntur hac tempestate, linea ut plurimũ. Stola & muliebris est. Stolã quidẽ Semyramis inuenit & uiros & mulieres decentẽ, qua deinde Assyrij reges usi. ea omnes tegebantur: quali ferè purpurati patres Romæ utuntur in secretioribus conuentibus. Multitia, & ipsa delicatiora, non sine probro à uiris induuntur. Ex aduerso endromis uirorum est hirsuta, uiatoria, ut reor, arcẽdo frigori habilis. Adasus infra humeros non erat consuta, mollis itaq; & puellaris, quo habitu apud Euganeos puellę etiamnum in saltationibus præsertim uti solent. Hac tamẽ & candidati literarum, quos lytas & prolytas appellant Iureconsulti, me puero tacito consensu uti desierunt. Celebrantur & paragaudes lineæ subsericæ, holosericæ uiris tributæ: quin & militibus. Has Vopiscus monolores, dilores, trilores & pẽtalores à loris, id est licijs appellat. Chalasam alij uestem muliebrem, alij nodum quo uestis cõnexa circa ceruicem summittitur. Diximus de uestibus gentium, occurrunt tamen sarabarra Parthorũ fluxæ & sinuosæ. Strigia Hispanorũ succinctæ & astrictæ magis: unde nomen. Sardorũ mastrucæ, rhenones Gallorum & Germanorum sunt, nauticis & castrensibus usibus accommodatæ. Pexæ & rasæ generales uoces sunt, quom uillosæ aut apicæ, id est sine uillis sunt. hinc pexati. Ex quo illud Martialis: Pexatus pulchre rides mea Zoile trita: & Iuuenalis, Galbana rasa. Sic tabernæ uulgò uillutũ & rasum peculiari uocãt nomine. Proinde Plinius recte admonet, histriã & liburnicã lanam, quæ pilo propior est quàm lanæ, pexis esse alienam uestibus. Iuuenalis celebrat cerulea scutulata, & galbana rasa: quæ à galbani colore nomẽ mutuatæ inter molles numerantur. quare non sine felle prodijt illud Martialis: Fuscos colores, galbinos habet mores. Hinc uernaculum gabani uerbum receptũ est. Inter pelliceas ascribunt diphtherę, increscẽti ætati cõmodæ & ferè uiatoriæ. Itẽ betę & sisirę, thorax pelliceus est. Ad defendẽdas hyemis iniurias habemus et hodie scorteã penulã. Lanerum lana cõstat succida. Amictorium puellare est, candidũ & molle ex lino. De compluuiatis diximus. Impluuia & impluuiatas sacerdotibus tribuunt, his usos per imbrem innuit Varro. Salium quoq; sereno tempore impluuia amictũ fuisse criminabantur. Hoc nomen ferè ad hanc ætatem integrum mansit. Penula & ipsa pluuialis est, quæ ad grammaticos postea transijt. Hinc Martianus penulatam grãmaticam introducit. Mallotę uillosæ simpliciter dictæ: uillosæ utrinq;, atq; ita arcendo frigori paratæ, amphimalla. μάλλος enim græcis lana est. Pollux ingenuis tribuit ἀμφιμάσχαλα, ceu tu dixeris utrinq; subalaria: seruitijs uero ἑτερομάσχαλα, id est una tantum parte uillosa. Nam μασχάλη subala dicitur. At quæ neutra parte uillos habuerunt, qualibus & æstiuo tempore nos utimur, Plinius neutralia appellat, nõ uentralia, ut quidam falsò crediderunt. Gausapinę laneę sunt, & quidem crassiores. ut toto errent stadio q molles & æstiuo etiam tẽpore (si Dis placet) opportunas scripserunt. Nec carmẽ Martialis eos, satis si introspexerint, tuetur. Is mihi candor inest, uillorũ gratia tanta est, Vt me uel media sumere messe uelis. nam poeta intelligit eam quidẽ brumalẽ, sed tãta mollicie, tantoq; candore, ut inuitet se sumi uel per messem. Sic & illud schematicôs dictũ: Mense uel Augusto sumere gausapinas. Nam gausape stragulum laneũ crassius, in quo milites conquiescebant, simile illi quod nunc uocamus à Sclauorum scilicet natiõe deductum, uel quod σκύλω apparatum Græci dicunt.

Certe

Certe Plinius antiquis torum è ſtramento fuiſſe teſtatur, qualiter nunc etiam gauſape. Et mox ſuo tẽpore ſcribit tunicã lati clauí in modum gauſape texi cœptam. Ex quibus uerbis conijcimus non uideri admodum recte ſentire, qui torum antiquitus putant ad matteæ imaginem ſtramento fuiſſe fartum: quom ſcorpeæ uel phormionis, quam nũc ſtoriam dicimus, imaginem potius habuiſſe uideatur. Vergilius ſanè regem Rhamnetem in tapetibus altis ſcribit cæſum, dum ſomnum caperet. A tapetibus amphitapites uillis utrinq; obſiti nuncupati. Clauatas autẽ ueſtes, quòd ferè unum reſtat ex ijs quæ à me petijſti, eas dixerunt antiqui, quibus clauí & uerrucæ & quaſi bullę, uel ex auro uel cocco, uel purpura, uel id genus quopiam eſſent inſerti: à quibus tractas puto, quas noſtrum ſeculum brochatas nuncupat. Qualis uero ſit clauus ex deſcriptione Pliniana purpuræ, quã ſuperius egimus, facile quiuis intellige re poteſt. Hinc latus clauus ueſtis ſenatoria: de qua elegãter Varro: Siquis tunicam, inquit, ita cõſuat, ut altera plagula ſit anguſtis clauis, altera latis, utraq; pars carebit analogia. Et Quintilianus de habitu oratorio: Notatur interim negligẽtia latum habentium clauum: modus eſt ut ſit paululum cinctura ſummiſſior. Et cui latus clauus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paululum, poſterioribus ad medios poplites uſq; perueniant. Nam infrà mulierum eſt, ſuprà centurionum. Idem alibi, Vt affert lumen clauus purpuræ loco inſertus: ita neminem deceat intexta pluribus notis ueſtis. Suetonius in Iulio: Vſus ferẽ lato clauo fimbriato ad manus: nec unquam aliter, quàm ut ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura: unde emanaſſæ Syllæ dictum, optimates ſæpius admonẽtis, ut male præcinctum puerum cauerent. A clauo præclauum, ueſtis quæ ante clauum texebatur. Nec tantum ueſtibus, uerum & mantilibus ac mappis clauí inſerebãtur. Lampridius in Alexandro: Cõuiuiũ neq; opimũ neq; nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit, ita tamẽ ut pura mãtilia mitterẽtur. Sæpius cocco clauata, aurata uero nunquã. Et illud Martialis. Et lato uariata mappa clauo. Hic mos nũc ferè abolitus, in ſacris tantummodo & lautiorũ paganorum menſis retinentur. Erant etiam in quibuſdam ueſtibus teſſerę, non diſſimiles (ut puto) à ſcutulis, de quibus ſuprà. Plinius, Zeuxis aureis literis in palliorum teſſeris intextum nomẽ ſuum oſtentabat. Hinc teſſellatæ dictæ. Has quidam ſegmentatas & uermiculatas uocãt. Quidam etiã abollam ſenatoribus tribuũt. Alij militibus, nec à clamyde ſeu chlęna admodum diuerſam ſuſpicantur. quale ſagũ uulgò notum eſt. Soli imperatores paludamento utebantur, & quidem coccino, aut purpureo: unde & de ſacro murice ſæpe in iure Cæſareo habetur mẽtio. Quom uero paludamentũ conſuetum foret in expeditionibus tantum, prætexta purpurea & auro clauata in pace utebantur. Fuerunt & ueſtes aureæ, & holobryzæ, id eſt obryzo auro cõfectæ, in nomine. aurum enim, quod ſanè mirabile eſt, netur ac texitur, lanę modo & ſine lana. Tunica aurea triumphaſſe Tarquinium Priſcũ conſtat. Agrippina Claudij principis, edente eo ſpectaculũ, aſſedit ei induta paludamẽto ex auro textili ſine alia materia. Militaris quoq; ſyntheſis putabatur, quã Saturnalibus equiti & ſenatori ſine probro licebat ſumere. Alioqui ſyntheſis à lurecõſultis pro ueſtiario, id eſt theſauro ueſtium, uidetur accipi. Atqui prætexta ingenuorum puerorum erat, antequam puram togam induerent: quo tempore ſiquid peccaſſent, non pecuniam ſoluebant, ſed anguillarũ tergoribus molle mulctabantur. Quæ ſic dicta credi tur, quòd prętexeretur purpura. Tarquinius uictor de Sabinis filium annorum quatuordecim, qui hoſtẽ percuſſerat, prætexta & bulla aurea donauit. Fuit & prætexta magiſtratibus conſueta. Trabea itidem reges, augures & conſules bella indicturi utebantur. Gabino ritu, quom toga ſcilicet ita in tergum reijciebatur, ut una eius lacinia reuocata hominem cingat. Hodie apoſtolicũ ritum appellant. is à ſubito euentu originem duxit. Nam Gabini aliquando ſacris operantes quom improuiſus hoſtium incurſus nuntiatus foret, ut erant togati, reiecta in humerum toga occurrerunt depuleruntq;. parta itaq; uictoria, eum induendi morem ſolennẽ habuere. Illud adde re non puto ſuperuacuũ, quòd ex lanis quibus ueſtes conficiebantur, aliæ erant nativæ, quales Hiſpania habet uelleris nigri, ex qua prætexta pulla deſignatori, id eſt curatori funeris, fieri ſolebat: Canuſia rutilas, quas erythras uocabant. De quibus

Martialis: Roma magis fuscis uestitur, Gallia ruffis. Et placet hic pueris, militibusq; color. Tarentinæ fuluæ laudantur. tingebantur aũt uel nondum textæ & tantum carminatę, id quod Plinius signat, Vidimus iam & bidentiũ uellera purpura, cocco, conchylio infecta, ueluti sic nasci cogente luxuria. uel certe quom iam contextæ ac coagmẽtatę forẽt. Prior ratio multo cõmendatior. Sed quo nam ego desiderio placendi tibi prouectus sum? ut ea quæ minime petijsti, immo uero quæ neq; ipse animo præceperam, congesserim. Supereſſent tamen & alia uel ad materiam, uel ad formã, uel ad colorem, uel ad infectionẽ, uel ad textrinam, uel ad nomina & schemata uestium pertinentia: quæ quoniã maioris operæ sunt, & iam nimis exturget epistola, prætermittam, atq; hic sistam. Bene uale.

CÆLIVS CAL. COM. THO. CAL. NEP. S.

R ISI mi fili optime (ita me Di adiuuẽt) eos, quos scribis literas meas nuper accusasse, quòd in his ἀκύρως, improprie nimis (ut putant) me sartum tectũ consilium habere uelle scripserim in satisfaciẽdo uoto. Non negant illi quidem latine atq; adeo eleganter sartũ tectum dici: sed tantisper dum proprie utaris. ad structuras enim atq; ædificia tantum referri posse contendunt: hinc postquam abduxeris & in alienum migrauerit, à latinitate desciscere. Risi itaq;, & risi quidem iure, horum hominũ imperitiam, qui uel nesciũt, uel nescire præ se ferũt, tum demum uocabula in oratione enitescere, quom honeste transferũtur. Id quod in hoc ipso, quod accusant, egregie cognosci potest. licet enim proprie ac genuine sartũ tectũ parietẽ, prætoriũ, tabulatũ, id est integrũ absolutũq; & inconcussum dicant Iureconsulti: quale illud Ciceronis ex XXIII Epistolarum ad Brutum: Arpinatum omnia cõmoda omnesq; facultates quibus & sacra cõficere & sarta tecta ædiũ sacrarum locorumq; cõmunium tueri possint, consistunt in ijs uectigalibus quæ habent in prouincia Gallia: ad alia tamen belle sine periculo latinitatis & eloquentiæ traducitur. Cicero in Epistolis familiaribus ad Cælium: Si ullam in amicitiam meam spem habes, si ea quæ in me officia Brunduſij contulisti, uis mihi etiam gratiora efficere, quanquam sunt gratissima: si me à tuis omnibus amari uides, hoc mihi da atq; largire, ut M. Curiũ sartum & tectum (ut aiunt) ab omniq; incõmodo, detrimento, molestia, sincerũ, integrumq; conserues. Idem in oratione ad equites Ro. pridie q̃ in exilium abiret: Si igit̃ aliquo tẽpore ijs hominibus consuluisti, quorum animus religione pietatis est iunctus, debetis quoq; mihi prospicere, qui numini Deorum consecratũ sartum ac tectum ab omni piaculo cõseruaui. En tibi illic sartum & tectum M. Curium, hic sartum & tectum animũ non sine lepore nuncupauit. Sed & Plautus in Trinummo uide quàm longe abduxerit. Sarta tecta, inquit, præcepta pater usq; habui mea modestia. Quòd si illi Ciceronem & Plautum etiam, si Dis placet, lapsos errore cõtendunt, bene est. malo, malo equidem cum Plauto & Cicerone labi, quàm cum alijs recte sentire. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

I N dubium uenisse scribis an procõsul & proprætor, an pro consule & pro prætore dicendũ sit, ita ut hæ uoces in e semper desinant. tum quid ego ea in re sentiã petis. Scio equidẽ sententias controuersas esse, nec omnes idem putare. B. Augustinus perpetuo uult in e desinere, Martianus multo liberalior utrunq; admittit. Cuius autoritati propemodum album calculum addo. Nam & in monumẽtis antiquitatis utrunq; agnoscimus. licet plerunq; mutilatis literis huiuscemodi magistratus annotentur, hoc modo. Procos. Propræt. Proquæst. Nec obstat præpositio, quin hæc mutari per casus possint, quando in compositione præpositionũ uis & προσῳδία, id est accentus, delumbatur. Sic interrex, proconsulatus, proprætura dicitur. Et quod posteriore seculo frequẽs esse cœpit, Exconsul, exquæstor, pro eo quod ueteres consularem & quæstorium dicebant, eum scilicet qui consulatu & quæstura aliquando esset perfunctus. Vale

Cælius

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

NIHIL est quod moreris, quin actutũ acerrime ius tuũ persequaris aduersus eos, qui occasione bellorũ quibus Aemylia nuperrime cõflagrauit, oppidũ tuũ Cypriacũ inuaserũt atq; occuparũt. neq; est quod tibi calumniã intendãt, quasi partes ducis aduersus conatus Iulij Pontificis foueris. Isti enim ætati quæ decimum & septimũ annum nondum attigit, nulla potest culpa irrogari, præsertim quom exploratum sit cunctis publicam edicto principis interminationẽ fuisse propositam sub capitis & fortunarum periculo, ne quis urbe discederet, ne quis se in hostis castra reciperet. quod quom nõnulli ausi forent, in hostium numero statim ex decreto habiti sunt. Tibi uero in ista ætatula neq; licuit aduersus tam parati principis uoluntatẽ, neq; decuit aduersus tam coniũcti ac benemeriti ducis utilitatem quicquã cogitare. In altero enim facultas defuit, in altero neq; suspicio adesse debuit. Et profecto clarigatio illa Bononiæ & mox Mutinæ ac Regij promulgata nõ potest tibi fraudi esse aut præiudicio, quom iusti metus exceptione submoueatur. Ad hoc præterea nauiter faciendum debet te hortari gratia & fauor iustissimi æquè ac maximi Pontificis Leonis: qui me olim apud eum agente recepit liberaliter se daturum operam, nequid detrimenti patereris, quo tempore & te in cognationes ac necessitudines suas recepit, utpote quom pater tuus frater mihi patruelis ex eius amitina de clarissima Strozarũ familia natus sit: cuius etiam animi sui in te propensi proferre uolens testimoniũ, te unum sponte in maximo Italorum & prouincialiũ principum consessu equestri dignitate honestauit. Neq; sanè credibile est, id eum adolescenti negaturum, quod puero tam prompte polliceba tur: quom præsertim indolem illam, quę maximas tunc uirtutes promittebat, ad frugem ac propemodum maturitatẽ prouexeris. accedit fratrum uxoris tuæ patrocinium, quorum nõ ætate, sed dignitate maior Hercules inter purpuratos patres nuper adscitus, plurimũ autoritate pollet. Hannibal præfectus prætorio, Guido princeps militiæ pontificiæ, singulari certamine uictor modo spolia hostis cum maxima gloria rettulit. Hos tibi nusquam defuturos habeo persuasissimum, sed nec Borsij comitis patrui uiri sapientissimi & in utraq; fortuna spectati cõsilium ac diligentia usquã aberit. Tu modo ne desis tibi, & paulisper sepositis Musarũ studijs sarciendis rebus tuis studeas, memor nihil prius nos liberalibus studijs edoceri, quàm nosse, quando ea incipere, quando desinere oporteat. nam (ut ille ait) πάντα καιρός, pudendo multorũ errore, qui tunc se lectioni aut orationi dedunt, quom nec legere nec dicere, sed facere maximè expedit. Vale.

CÆLIVS CAL. COM. THO. CAL. NEP. S.

QVOD in epistola quadã de Hessenis, Cabaleis, & Thalmudicis Iudæorum sapientibus mentionem fecerim, petis à me an eiusdem omnes disciplinæ professores fuerint, an aliquo inter se limite distarent. dicam quod apud ueteres & recentiores obseruaui. Hesseni enim non tam disciplinam & scientiam quàm uiuendi morem cæteris mortalibus ignotum, & seueritatem ac solitudinẽ profitebantur. Quare magna fuerunt in admiratione: eosq;, ut Plinius testatur, nocentes usq;quaq; fugitabant, muliebris consortij expertes, sine pecunia, palmarum socios, in medium uiuentes, conuenarũ cœtu immortales. Ita per seculorũ milia gens æterna fuit, in qua nemo nascebatur. At Cabalei hi fuerunt, qui abditam & cælitus erogatam scientiam tenebant, quæ de deo, de publica salute humani generis, de substantijs abiunctis à corpore, atq; id genus naturæ captum excedentibus cõmentatur: quæ sine ope diuina conquiri non potest. atq; iccirco illam Cabalam patria lingua, quasi receptionẽ dixeris, nuncupauerunt. Hæc nemini nisi iam bene adulto, & de cuius probitate constans esset opinio, aperiri solebat. Primus Esdra eam literis mãdasse dicitur & publicã fecisse, ueritus ne si per manus, ut moris erat, traderetur, diuturna uexatione gentis Hebreę aliquãdo aboleretur. Thalmudici uero citrà suprà in naturalibus et mathematicis uersabãtur. Quare

quom duas maximè celebret disciplinas illa natio: alteram opus de Bresith, id est de sapientia naturæ, alteram opus de Mercana, id est sapientia diuinitatis: in priore Cabalei, in secunda Thalmudici elaborarunt. Quæ omnia locupletius in doctissimi Pici & Capnionis lucubrationibus enarrata inuenies. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

A LIOQVI, pro quo Græci ἄλλως ἢ τὰ ἄλλα dicũt, uox rara ętate Augusti, frequẽs proximo seculo, utriq; Plinio & Senecæ maximè: certe apud Ciceronẽ nusquã memini me illã legisse, pro ea utiẽ aliàs. Est quidẽ locus in epistolis ad Atticũ lib. (ut puto) XIIII. nũc enim mihi copia eius codicis nõ est: in quo alioqui legitur. Sed luxatus est locus ille, ut antiqui codices lõge aliter habẽt. Sic extra, in eo significatu, quẽ petis, id est pro prẹter, nõ est apud Ciceronẽ, qđ teneã. Eã aliquot locis Plinius & q Plinii secuti sunt, usurpauerũt. Vt illud quod nũc succurrit ex li. XXI. De coronis extra supradictos scripsit Theophrastus apud Grẹcos: ex nostris aũt inscripsere aliqui libros ἀνθολογικῶν. hæc tumultuario ab homine occupatissimo scripta accipe, & boni cõsule. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

S IGNIFICAS mihi, coram summo pontifice, quom tu forte interesses, à magnis de symbolis ac sigillis magicis primũ, & mox totius antiquitatis, uerba facta esse: ibiq; obiter de nota seu signo Antiochi mentionem habitam: nec tamẽ quenquam ex ijs qui aderant satis potuisse expedire, quale id foret. proinde te putasse id à me exposcendum. Ego uero licet sciam non abesse à temeritate, eius rei explicationẽ tentare, quam magni illi proceres uel nescierunt, uel dissimularunt: tibi tamẽ tam prudenter, tam dulciter eflagitanti, nihil possum negare. quantum igitur mihi memoria constat, perscribam. Pugnabat Antiochus cognomento σωτὴρ aduersus Galatas, nec satis feliciter procedebat expeditio. quom itaq; res magno uersaretur in discrimine, Antiochus per quietem, aut uidit, aut certe, ut ex superstitione bonas spes militum animis induceret, uidisse simulauit magnum Alexandrum monentem, ut in principijs pro signo quoddam sanitatis symbolum proponeret: idq; pro tessera tribunis daret, ac militũ lacernis insueret. Sic fore ut certa facilicq; uictoria potiretur. Huius uero effigiem in uetustis adhuc Antiochi numismatis aduertimus. Est autẽ id τριπλᾶν τρίγωνον δ' ἀλλήλων τὸ πενταγράμμου. id est triplex triangulus mutuò insertus, ex quinq; lineis cõstãs: cuius margines extimos si solerter excluseris, sanitatẽ expresseris: quæ à Græcis ὑγίεια dicit, & Aesculapij filia tradit. hanc ut cõmodius percipias oculis subij ciã.

tum demum parta uictoria profligatisq; Galatis, signũ id cuius auspicijs pugnatum erat, quasi salutare, magno esse cœpit in nomine: quod deinde magi sibi peculiare ad exercenda sua mysteria adsciuere. Hinc uulgò pentaculorũ nomẽ innotuit, corrupta scilicet ut fermè fit dictione: quom πενταγώνια à quinq; prominentibus angulis, non pentacula dicenda sint. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

Q VALI habitu quorundam philosophorum statuæ ponerentur, scribis tibi abunde compertum esse: sed ipsius habitus rationẽ causamq; significas nondum esse perspectam. Ego quid nunc in mentem uenit, enarrabo, magis ut consilium meum in satisfaciendo tibi perpetuò tuear, & quod aiunt Iureconsulti, sartũ tectum habeam, quàm quòd hoc tempore hoc agam. Platoni siquidem lati humeri & nomen & formam dederunt. Socrati prudentia canam albicantemq; comam attulit. Pythagoræ rerum abditarũ pretium & excellẽs indicatura femur aureum fecit. Zenonis frontem seuerĭtas professionis contraxit. Aristoteles contentionum & disceptationũ causa brachium è pallio expediuit. Chrysippus sorites suos & syllogisticam breuitatem contracta in condilum manu ostendit: quam Euclides dimetiendi causa expandit. Heraclito fletus & rerum

humana-

humanarum miseratio oculos cõniuentes, & semihiulcos reddidit. Sed illas Democritus apertis labris irridet. Xenophanes collecto crure ad statarias disputationes se parat. Aratus panda fronte sydera cõtemplatur. Zeuxippus inclinata ceruice Geometricas notas, quas eleganter quidam humana uestigia nuncupauit, in docto puluere contuetur. Cleanthi antlia & hauriendi puteum labor digitos attriuit. Diogeni incuria cynica barbam promisit ac desquammauit. Epicurus inter delicias curata cute nitet ac uoluptuatur. Hæc raptim: tum plura, quom plus temporis fuerit indultum. Bene uale.

CÆLIVS CAL. COM. THO. CAL. NEP. S.

QVOD Orcus Peneo Thessalię olei more supernatet, id omne leuitati nitatiq; aquarũ referẽdũ est. Sũt enim aquis sua ponduscula, prout plus minusue terrenæ habitudinis cõceperint: quicquid uero leuitate præstat, id altius tolli potest. Hinc occasio data est effingẽdi, Orcum ab inferis emergere. Quòd uero Peneus delicias suarum aquarũ recusет cũ illis confundere, nõ sanè abest à ratione, quom crassiores aquæ, atq; ideo terrę aptiores ad fertilitatem: leuiores autem, quæ facilius solui & concoqui possunt, ad potum atq; salubritatem humani corporis magis cõmendentur. Hæc breuiter ad te perscripta, longissima existimabis: si ex tabellario intellexeris quàm essem præpeditus, quom ea scriberem. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

SCISCITATVS es nuper me, quid esset apud ueteres uelũ suspendere ex Ianiculo: rem latinis hominibus parum exploratam, & (ut magis me suppudeat) à Græcis petẽdam. quòd si paulo serius q; mea fert consuetudo, tibi respondeo, non uoluntatẽ, sed occupationũ, quibus nõ distineor modo, sed obruor, aceruos causeris uelim. Quod uero petis, Dion noster (nostrũ appello, cuius epitomẽ collegerim) tibi li. XXXVI. id est primo eorũ qui hactenus in manus meas peruenerũt, cõmode expediet, quo loco de C. Rabirij accusatione agit: qui XXXVI. pòst anno postulatus est parricidij de nece Saturnini: quod ille factũ constanter inficiabatur. oppugnabãt tribuni. defendebãt senatores. Sed à Cæsare ac tribunis ei perduellionis die dicta, ne à populo etiã damnarẽt, Metellus Celer augur effecit: qui Ianiculũ propere ascendens, uexillũ propositũ cõcerpsit. Erat ea uetus inolita consuetudo, ne quid cũ populo agi posset, nisi custodia in Ianiculo excubaret. Veriti eñ Romani, ne dũ ipsi ad ferenda suffragia in campum Martiũ extra urbẽ cõuenissent, uicini hostes arrepta occasiõe per Ianiculũ irrũpentes furtim urbẽ aggrederentẽ: publico patrũ decreto et plebiscito statuerũt, nequãdo populus cõueniret, nisi Ianiculo diligẽter custodia offirmato. Cuius rei testimoniũ dabat uexillum publice expositũ ac propendens. Eo enim prospecto iure populus cogebatur, eo subducto cum populo iure agi non licebat. Erat illud datæ missionis & custodum decedentium indiciũ. Posterioribus uero seculis aucto imperio & parta securitate, licet populus finitimorũ hostium metu solutus foret: eam tamen consuetudinẽ religiose obseruabat. Tunc itaq; amoto concerptoq; signo à Metello, & cõcio abijt, & Rabirius periculo liberatus est. Hæc fermè Dion. Extat luculenta oratio Ciceronis pro C. Rabirio reo perduellionis, quem T. Labienus Tr. pl. accusauit. Suetonius in primo Cęsare de hac accusatione ita meminit, Subornauit etiã qui C. Rabirio perduellionis diem dicerẽt, quo præcipuo adiutore aliquot ante annos L. Saturnini seditiosum tribunatũ senatus coercuerat: ac sorte iudex in reum ductus tam cupide cõdemnauit, ut ad populũ prouocãti nihil ęquè ac iudicis acerbitas profuerit. Meminerũt etiã alij, sed de illa consuetudine ne uerbũ quidem fecerũt. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

CHAMÆLEVCE ut χιζόχμοι nostræ ætatis profitentur, ea est quam olitores & agrestium uulgus ungulã equinã uocat: ex antiquis nõnulli

tussilaginem uocauerunt, quòd arcendæ tussi sit accõmodata. ex eo factũ puto ut ueterinarij, quos κτηνιάτρους dicunt Græci, ad discutiẽdam equorũ πλευροπνευμονίαν illa utantur. ea est uehemens pulmonis inflammatio, ex distillatione plerũq; proficiscẽs: quã grauis anhelitus subsequitur. Hinc ἵππους οὓς πνευμονικοὺς appellãt medici: quos latine pulmonarios recte nuncupaueris, à grauitate respirationis, & ab illis quæ difficulter admodum trahunt. Mulomedicorũ imperitia hoc tempore uulsos uocitauit. Hæc indoctius nescio an properantius scripta boni consule. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

Q VI negant scirpum pro ænigmate atq; ambiguo dicẽdi genere accipi, hac fermè ratione utuntur: scirpũ enodẽ esse, neq; in eo inueniri quicquam quod offendat unguẽ aut moretur. Atq; adeo stultum esse in scirpo nodũ quærere, ut Ennianus uersiculus in prouerbiũ abierit. Quærũt in scirpo, soliti quod dicere, nodum. quare pro scirpo scrupũ substituendum contendunt. Notũ est enim uel Donati testimonio scrupum pro lapillo accipi, qui calcatus pedem male habeat. Vnde illud Terentianum, inieci scrupũ: & apud Plautum scrupea cœna, ad quã calceatis dentibus sit eundum. Et scrupea meretrix. atqui illis placet cõmentum, mihi nõ fit uerisimile: quando aliud est ænigma sermoq; ambiguus & cõplicatus, aliud scrupus. quicquid enim legenti morã facit, quicquid difficultatẽ inuehit, id protinus scrupus appellari potest. Sed longe aliter habet ænigmatis & tortuosi lex sermonis. Nam quom omne ænigma difficultatẽ habeat, non tamen recurrit, nec omnis difficultas habet ænigma. Aenigmate enim aliud auditur, aliud intelligitur. Tum omne αἴνιγμα παράδοξον est, & ita implicatũ ac nodosum, ut non facile soluí queat. quale illud Platonis, homo non homo, uidens non uidens, percussit non percussit, lapide non lapide, auem non auem, sidentẽ non sidentem, in arbore nõ arbore. quo significatur uespertilionis è sambuco pendentis alam ab eunucho, & quidẽ lusco, pumice percussam. Fatemur itaq; scirpum enodem esse: sed ita fatemur, ut eum quoq; inter uitilia annumerari, & ex eo nodos implicatiõesq; tortuosas fieri fateamur. Ex his enim crates, storeas, phormiones, fiscinas, nassas, & id genus texta tum agresti tum nauticæ & piscatoriæ supellectili accõmodata cõsuí complicariq; legimus. Certe Cato crates uimine contextas, scirpeas appellauit. Scirpare enim apud receptos autores uincire, innectere, implicareq; significat. Ex quo scirpiculæ falces dictæ, quæ scirpandis ligandisq; uineis sunt idoneæ. Sicut igitur Græcis γρίφος & rete & implicitã tortuosamq; orationem notat: unde γριφώδεις λόγους: sic nostris scirpi nõ iuncos tantũ ac uitilia, sed inextricabiles & obtortos sermones designant. Hæc mea sentẽtia est, utrũ tamẽ uerius arbitreris, tua sit optio. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

Q VOD ex anteambulonibus tuis, quos πρόδρομους Græci, tu uerbum è uerbo transferens præcursores appellasti, duo altera die quo hinc discesseras splenitico morbo correpti in hospitio proximo desidere coacti sint: & molestũ fuit audire, & uetus illud Galbæ dictũ uenit in mentem, Rideo cãterium in fossa. Quom enim de se ac pernicitate sua multa magnaq; recepissent, quàm probrosum est in limine succidisse. Nec minus risi, quòd me rogasti ut ad lyenis incõmoda aliqua tibi remedia præscriberem, quasi uero ego Aesculapius, aut artem medicam profitear. Vt tamen tibi obsequar, cui tam possum quicquã negare, quàm me ipsum exuere, ex obuio autore qui forte erat ad manũ, hęc excerpsi. Apollodorus tradit, barbaros suffitum cypiri herbę, quã nos gladiolum appellamus, ore excipientes lyenes consumere: & non egredi domo nisi ab hoc suffitu. Vegetiores enim firmioresq; sic fieri. Cortice radicis Italici cappari, si quis utatur ad duas drachmas, dempto interim balnearũ usu, ferunt triginta quinq; diebus per urinã & aluum totum lyenẽ emitti. Asplenίũ herba est ab hoc usu nomẽ assecuta: huius foliorum iure in aceto decocto per dies quadraginta poto lyenẽ absumi aiunt. Myrices, quã & tamaricẽ Lenæus uocat similem scopis amerinis, præcipua uis

pua uis est aduersus lyenem, si succus eius expressus in uino bibatur. adeoq; mirabilem eius antipathiam contra solum hoc uiscerum statuũt, ut affirment: si ex ea alueis factis bibant sues, sine lyene inueniri. Et ideo homini splenetico cibũ potumq; dant in uasis ex ea factis. alia quoq; occurrerunt remedia, sed proletaria: hæc mihi præcipua uisa sunt, & maxime parata, quæ ad te darem. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

E TSI ex libello nostro De mensibus, quo satis accurate nostras & Græcorũ Aegyptiorumq; rationes prosecuti sumus, uoto tuo cumulate (ut puto) satisfieri possit: tamen quoniam is nondum publicũ accepit, neq; amanuẽsis meus adest, à quo raptim possit excribi, & tua cupiditas omnem celeritatẽ tardam putat: ego tibi succisiuam hanc operam dabo, præsertim quom cæteros quos adjisti, hactenus parũ stare promissis & desiderio legentis minus respondere significes. Primus Aegyptiorum mensis Θὼθ dicitur, Mercurio consecratus: qui addita litera ϑωὺθ patria eorũ lingua nomen accepit. Huic enim fermè rerum principia addixerũt: quando & sacrarũ literarum, quæ ἱερογλυφικὰ dicũtur, princeps ibis, eiusq; numini dicata est. Is mensis fermè in septembrẽ nostrum excurrit, ut non me pudeat hunc habere natalem. Eo putator Aegyptius uitibus operatur. Alter Phaothi, quo piscatores aliaq; publica uenationis oblectamenta exorent. Tertio qui Athyr dicitur, pleiades emergunt. Mox Chœac sationi impendit. Tybi uero qui totus hyemalis est, uestes honestiores arcendo frigori induuntur. Mechir nauigationi maria aperit. Phamenoth ad castrenses expeditiones inuitat. Pharmuthi uernantes rosas promittit. Pachon sectas iam fruges recondit. Payni autumnum prænuntiat. Epephi uindemia carpitur. At Mesori qui postremus in augustum fermè descendit, Nilus restagnat, & excrescente aquarũ mole latè agros inundat, quæ omnia græcum carmen ita breuiter complectitur,

Πρῶτ⊙ θὼθ ἐσ'άγ ϑρεπάνῳ ὠδῖ βόῤῥω ἐγείρ⊙μ.
Ἰχθιβολοῖσι φαωθὶ φόρ⊙ς παν'ήμιον ἄγρῳ.
Πληιάδ'ων φαίνεσαν ἀθὺρ τεκμαίρετ⊙ ὥρῳ.
Χοιὰκ σπερομένων σπυρίδι λείκνυσι γυνέθλιν.
Τῦβι δὲ πορφυρέον βαλυφόρον εἷμα ἐπαίν⊙.
Σημαίν⊙ πλωτῆρσι μέχρις πλόον ἀμφιπολεύ⊙μ.
Ἀρε⊙ ὅπλα φόρ⊙μ φαμενὼθ λείκνυσι μαχητὰς.
Εἰαρίνων φαρμοῦθι ῥόδ'ων πρωτάγγελ⊙ ὀδί.
Λήϊα δ' ὠωνθέντα πάχων ϑρεπάνοισι φυλάσσ⊙μ.
Εὐκάρπ⊙ δὲ πάϋνι πῶάγγελ⊙ ὄβριν ὀπώρης.
Καὶ σαφυλῶ κατέχων βυάμπελ⊙ ὄβριν ἐπηφὶ.
Καὶ μεσορὶ νήλοῖο φόρ⊙μ φυσίζοον ὕδωρ.

Hæc nos tumultuariò ita latina fecimus.
Persequitur ferro uites Thoth primus adunco.
Retibus & laqueis populatur stagna Phaothi.
Spectat Athyr primo pliadas emergere cælo.
Altrici Chœac cõmittit semina terræ.
Purpureum Tybi & sapientem extendit amictum.
At prius intercluſa Mechir secat æquora puppi.
Bella mouet Phamenoth, mauortiaq; induit arma.
Vernantes Pharmuthi rosas mox affore monstrat.
Arentesq; Pachon conducit in horrea fruges.
Fertilis autumni prænuntius esto Payni.
Vitibus ingentes botryas decerpit Epephi.
At Mesori Nili genitales inuehit undas.

De his etiam in annotamentis Plinianis non pauca diximus. Nec te moueat quôd à moribus & temporibus nostris quædam dissidere uideantur. Nam sub alio cælo diuersæ rationes terrarum & absimiles siderum excursus iure conueniunt. Vale.

Cælius

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

D quod nuperrimè perquisisti à me, pridem in dubiũ uenerat. Et Apollonius ille inter grammaticos primi nominis ita quæstionem discusse-
I rat: cætera quidem uerba Græcos ad sensum pertinentia, ἀΐδομαι scilicet ἀιδάνομαι, ἄκέω, γδύομαι, ὀσφραίνομαι, ἅπτομαι, cum genitiuo ideo cõstrui quòd exterius sensa mutuentur, eaq; aliunde in sese recipiant, sola uero quę ad oculos pertinent, utputa ὁρῶ, βλέπω, σκοπῶ, εἶδον, accusatiuum expetere, quòd hic sensus ex omnibus nõ se externis affectibus sternat, sed ipse potius in alienũ migret. Sic enim græce habet. αἱ ἄλλαι ἀιδήσεις κατ' ἐπομπὴν γινόμεναι, τετίσιν ἐκ τῶν ἐκτὸς εἰς ἑαυτὰς λαμβάνουσαι, γνῶσιν. ἡ δὲ ὅρασις κατ' ἐκπομπὴν, τετίσιν ἀφ' ἑαυτῆς ἐπὶ τὰ ὁρώμενα γνῶσιν πέμπει. Scio alios alia in medium afferre, sed Apollonij sententia mihi maximè sit uerisimilis. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

XTAT apud me fragmẽtum magiæ Zoroastris græce scriptum (si titulo fidem haberi oportet) quo naturæ uis ac maiestas plantis &
E animalibus insita cognosci potest, cuius rationem afferre non facile est. & profecto magi, ut sua cõmenta maiore digna admiratione uideantur, nullas causas prodi posse cõtendunt, sed genijs naturæ, cælóq; id imputari uolunt. quod si uerum existimamus, frustra sanè nuper ex me percunctatus es: unde contingat, ut baculus ex aquifolia arbore in quoduis animal emissus, etiã si citrà ceciderit defectu mittentis, ipse tamen per sese recubitu propius adlabatur. Tam præcipuam huic inesse naturã arbori. quod si credimus, nõ est quod dubitemus, cur ueteres augures inter nefastas atq; infelices arbores aquifoliã adnumerauerint. quod non aduertisse Hermolaum, tam diligentẽ hominem, in lectione præsertim Pliniana, profecto perquã mirum est. nec me fugit de hac eadem arbore alia enarrari miracula, utpote quæ in domo aut uilla fata ueneficia arceat: cuius etiam flore aquam glaciari Pythagoras tradidit. Quod uero ad quęstionẽ tuã attinet: in re licet tam abdita, in tuæ tamen spem gratiæ tentauimus quædam si non uera, uero saltẽ finitima explorare: quando id euenire potest grauitate ipsius ligni, quod semel emissum subinde sponte suo pondere deuoluatur: uel certe quòd tereti sit forma, & cylindri more quom primo uolui cœpit, non desinat, sed natura sua longius proruat: nisi quid cursum remoretur. Sunt qui existiment, non grauitate sed leuitate potius materiæ id euenire, quæ dum iacitur, multum aeris concipiat, atq; ita mox etiã non impulsa proueharur. quod in calamis & sagittis præsertim arundinaceis animaduertimus: quæ cessante ac remittente etiã iaculatoris impetu non sistunt, sed concepta iam aura uel longiuscule deferuntur. Vale.

CÆLIVS CAL. CO. THO. CAL. NEP. S.

ERCVNCTARIS à me quomodo una uoce latine exprimeremus eũ scopum ad quem nullius industria peruenire posset, à nullo ictu contin
P gi. nam intangibilem tibi parum latinũ, & minus rem exprimere uere existimas. Scio equidem à Lucretio intactilem dictũ esse: sed & hoc nõ adeo uidetur proposito satisfacere. Quare aut imperuium uel inaccessum, aut extra ictum dixerim, sicuti græci ἔξω βέλους appellãt: & ijdem Cænea ἄτρωϐος, quasi tu dixeris inuulnerabilem, inuiolabilemq;. Bene uale. V Idus Martij. M. D. XVIII.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLARVM LIBER IIII.

CÆLIVS CAL. IOANNI MANARDO S.

QVÆ ad me scripsisti de stomacho, fuerunt pergrata Manarde uir clarissime: tum ut doctissimis literis tuis perfruerer, quibus nec doctius quicquã nec mihi suauius esse potest: tum ut sententiam tuam cognoscerẽ, cuius tanta est apud me autoritas, ut omni prorsus careat prouocatione. Ad hoc accedit, quòd ex his non leuis calculus additus est eorum opinioni, qui magnis autoribus nixi in stomacho cibũ cõcoqui pernegarant: si stomachũ proprie accipias, non autẽ fuse & ἀκύρως, ut fermè uulgus medicorũ usurpare solet. Hic enim totius quęstiõis iugulus. Tu uero ut doctissimũ uirum decebat, ita utranq; paginã excussisti, ut neuter ordo habeat quod tecum expostulet: ut tu unus planè inuẽtus sis, qui tantã litem possit sine cuiusq; iniuria cõponere, & (quod aiunt) ex eadẽ fidelia duos parietes dealbare. Galeno scribis & Græcis qui post Aristotelis ætatẽ ad Galeni usq; tempora scripserunt, stomachum meatũ illum significare, qui fauces & os uentriculi interiacet: & per quẽ cibus & potus ad inanitatem, cui cõmittitur, deglutiendo descendit: quem meatũ Aristoteles & ueteres Græci omnes œsophagũ, latini gulam, Arabes & nostrates Arabum imitatores merin nuncupauere. His addis non defuisse ex antiquioribus, qui ipsius uentriculi os stomachum nuncupauerint. Et hæc quidem tua libuit uerba meminisse, tum quòd facundè dicta sunt, tum quòd ei sentẽtiæ suffragantur, cui ego sum patrocinatus. Nã quis obsecro est qui cum Galeno tanto Hippocratis interprete nõ malit falli, quàm cum recentioribus istis, de malis loquor, bene sentire. Honestus planè error, tam oculatum ducem sequentibus. Quare uel hoc satis esse potuit ad sententiæ nostræ defensionem: sed ne contraria sentientes destituti & ἀπράκλητοι (ut aiunt Græci) forent, blandiris & his quoq;: quom nõ solum uulgo, sed Plinio quoq;, & interdum Celso, nec non plerisq; Græcis, quorũ in uarijs suarum cõmentationum locis meminit Galenus, eam corporis cauitatẽ significaret, in quã cibus recipitur, & prima cõcoctio celebratur. Constitueram equidem ab initio nihil tuis literis respondere, præsertim quod ad rem pertineret: ne quã forte abs te dissentiẽdi maleuolis suspicionẽ darem: qui nescientes quanta semper inter nos concordia uixerimus, quanta in te mea obseruantia semper fuerit, quantũ tibi deniq; debeam, cui cultum animi tanquã pręceptori, & salutẽ tãquam σωτῆρι seruatori acceptã fero, peruerse possent meas literas interpretari. Sed quom multa in mentẽ uenirent, quę dubitationem & quæstionem facerẽt, nolui prætermittere, quin hanc animi mei inductionẽ tibi aperirẽ, ut si parũ sanus est, ei mederi possis. Agnosco enim uetus illud, Amyclas tacẽdo perijsse. Primus igitur qui me mouet affectus hic est. Aristotelẽ scribis (nam reliquos nunc prętermitto) eum meatũ qui à Galeno stomachus dicit οἰσοφάγου appellasse, quẽ Theodorus gulam uertit: Arabes & quidã alij, nõ uestrates, ut scribis, sed à uobis utputo longe dissidentes, Arabas imitati merin dixerunt. At ego mihi uideor apud Aristotelem longe aliter obseruasse: quãdo ille interdũ stomachũ & œsophagũ ita uidetur cõfundere, ut nõ satis appareat distinctio. Nam lib. primo quom prius ita scripsisset, αὐχὴν δὲ τὸ μεταξὺ προσώπου καὶ θώρακος. καὶ τούτου τὸ μὲν πρόσθιον μέρος λάρυγξ, τὸ δὲ ὀπίσθιον στόμαχος. τούτου δὲ τὸ μὲν χονδρῶδες καὶ πρόσθιον, δι' οὗ καὶ ἡ φωνὴ καὶ ἀναπνοὴ, ἀρτηρία. τὸ δὲ σαρκῶδες στόμαχος ἐντὸς πρὸς τῇ ῥάχιως. τὸ δ' ὀπίσθιον αὐχένος μόριον, ἐπωμίς. Quę ita Theodorus uertit. Collũ quod inter pectus & faciẽ est: cuius pars prior [a] guttur, posterior [b] gula. quantuncũq; colli ipsius chartilagineũ priorem obtinẽs situm, uocẽ transmittit & halitũ, id arteria nominatum est. At uero quantũ interius carneum spinæ præiacet, [c] gula dicitur: pars autẽ posterior colli extima ceruix. Nec me putes uir candidissime, frustra aut ambitiose græca uerba præscribere. Nam ita necessariũ iudicaui

[a] λαρυγξ
[b] στόμαχος
[c] στόμαχος

dicaui ad rem uerius exprimendam: & ut intelligatur, quando de œsophago, quãdo de stomacho, Aristoteles mentionẽ faciat: quom præsertim Theodorus promiscue τὸν στόμαχον καὶ τὸν οἰσοφάγον gulam uerterit, puto utrunq; uel idem uel proximũ arbitratus: licet eodẽ libro nõnihil distinguere uideat, capite in latinis codicibus XVI. nec enim Aristoteles, sicut nec Plinius, in capita sua uolumina distinxerũt. Aristotelis uerba hæc sunt. ᾧ πότερον ἢ τοῦ αὐχένος, ὅ, τε οἰσοφάγος καλούμενος ὄπισθεν, ἔχων τὴν ἐπωνυμίαν ἀπὸ τοῦ μήκους καὶ τῆς σφότητος, καὶ ἡ ἀρτηρία. πρότερον δὲ τῇ θέσει ἡ ἀρτηρία κεῖται τοῦ οἰσο-
[a] οἰσοφάγος φάγος· ᾧ πᾶσι τοῖς ἔχουσιν αὐτῶν. ἔχει δὲ ταύτην πάντα, ὅσα πνεύμονα ἔχει. [z] Gula intra collũ est ab angustia & longitudine nuncupata. Cui comes arteria iungitur priorem obtinens situm, in omnibus ijs quę eam habere naturæ placuerat. Habent autẽ omnia, quibus pulmo est. Ex prioribus uerbis stomachum posteriorẽ colli partem, ex posterioribus intra collum situ tantum agnoscimus. Nõ procul aũt inde eodẽ cade stomacho ita meminit. ὁ δὲ στόμαχος ἕκτης μὲν ἀνωθεν ἀπὸ τοῦ στόματος ἐχόμενος τῆς ἀρτηρίας, σωληνώδης ὢν πρός τε τὴν ῥάχιν καὶ τὴν ἀρτηρίαν ὑμενώδεσι δεσμοῖς. τελευτᾷ δὲ τὸ στόματος εἰς τὴν κοιλίαν, ἀρκώδης ὢν τὴν φύσιν, καὶ τάσιν ἔχων καὶ τῷ μήκος καὶ τῷ πλάτος.
[b] στόμαχος Theodorus. [b] gula ab ore & ipsa dependet, continua tum spinæ, tum arteriæ nexu fibrarum, & per septum transuersum in uentriculum finit, carnis speciem referens, & pariter distendi in longũ, latumq; habilis. ex quibus omnibus colligimus, οἰσοφάγον uel stomachum esse uel stomachi superiorẽ angustioremq; partẽ, sic dictum quod cibum deuehat. quod etiã animaduerti potest ex capitis eiusdem peroratione, quã in hæc uerba finit: τὰ μὲν ὄπισθεν τοῦ στόματος καὶ τὴν ἀρτηρίαν ὅπως ἔχει, nulla de œsophago mentione habita, quasi minime digna parte de qua priuatim fuerit dicẽdum. Sicut & apud Pollucẽ quom ex professo earum partium uoces prosequatur, succurrit ne uerbum quidem de œsophago factũ libro secundo περὶ ὀνομαστικοῦ. De stomacho sic agit. ὁ γὰρ φάρυγξ στόμαχος ἐστιν ἀρχή, ὡς βρόγχος λάρυγξ. & mox subsequens. τοῦ δὲ στομά-
[c] φάρυγξ χου καταλήγοντος εἰς τὴν κοιλίαν, ἡ τῆς κοιλίας εὐρυχωρεία κεῖται πρὸ τοῦ λαιοῦ μέρους. [c] guttur stomachi principiũ, sicut [d] gutturis [c] fauces. Stomacho desinente in uentrẽ, uentris amplitudo iacet in leuam partem. Quod si recte procedit æstimatio, stomachiq; partem
[d] βρόγχος
[e] λάρυγξ œsophagum esse cõstat, facilis eius esse excusatio potest, qui stomachũ non cibi sed spiritus gratia factũ putat: licet hic, ut professus sum ab initio, non uertatur quæstionis cardo. Et sanè perpenso diligenter, ut mones, capite tertio tertij libri de partibus animalium, & imprimis ijs uerbis. ὥσπερ δὲ τῇ κεφαλῇ ὁ αὐχὴν πέφυκεν εἶναι τοῖς ἔχουσιν αὐχένα τῶν ζώων, οὐ γὰρ πάντα ἔστιν τὸ μόριον ἔχει, ἀλλὰ πάντα τὰ ἔχοντα, ὧν χάριν ὁ αὐχὴν πέφυκε. τοῦτο δ' ἐστίν, ὅτε φάρυγξ καὶ ὁ καλούμενος οἰσοφάγος. ὁ μὲν οὖν φάρυγξ τοῦ πνεύματος ἕνεκα, διὰ τοῦτο γὰρ εἰσάγεται τὰ ζῶα τὸ πνεῦμα, καὶ ἐκπέμπει ἀναπνέοντα. διὰ ταῦτα μὲν ἔχοντα πνεύμονα ὀκ ἔχουσιν οὐδ' αὐχένα, οἷον τὸ τῶν ἰχθύων γένος. ὁ δὲ οἰσοφάγος ἐστὶ διὰ τὴν τροφὴν πορεύεται εἰς τὴν κοιλίαν. ὥσθ' ὅσα μὴ ἔχει αὐχένα, οὐδ' οἰσοφάγον ἔχουσι. ὅλως, ὀκ ἀναγκαῖον δ' ἔχειν τὸν οἰσοφάγον ἕνεκα τροφῆς γένεσιν, οὐθὲν πρᾶσκλυάζει πρὸς αὐτόν. ἔστι δὲ μετὰ τὴν τοῦ στόματος θέσιν, ᾗ διέχεται κεῖσθαι τὴν κοιλίαν εὐθέως. τὸν γὰρ πνεύμονα ὀκ ᾗ διέχεται, διὰ γὰρ ἓν ἀνὰ κοινὸν οἷον αὐλόν, διὸ ἐμπεσεῖται τὸ πνεῦμα πρὸς τὰς ἀρτηρίας εἰς τὰς σύριγγας, διόπερ ὢν, καὶ μάλιστα ἂν ὅπως ἀρτιλαβὴ τὴν πνοὴν. τοῦ δ' ὀργάνου τοῦ περὶ τὴν ἀναπνοὴν, ὃ ἀναγκαῖον ἔχοντος μῆκος, ἀναγκαῖον τὸν οἰσοφάγον ἓν μεταξὺ τοῦ στόματος καὶ τῆς κοιλίας. ἔστι δ' ὁμοίως οἰσοφάγος ἀρκώδης ἔχων πολυρώδη τάσιν. πολυρώδη μὲν ὅπως ἔχει διατάσιν, εἰσίσης τῆς βροφῆς. ἀρκώδη δὲ ὅπως μαλακὸς ἢ καὶ ᾗ δεῖ, καὶ μὴ βλαπτηται βαχυόμενος ὑπὸ τῶν καπνῶν. Quæ sic
[f] αὐχὴν Theodorus. [f] Collum capiti subiacet his quæ id habẽt animalibus. Non enim omnia
[g] φάρυγξ habẽt, sed ea tantum quibus sunt partes illæ, quarũ gratia collum conditum est. Hoc
[h] οἰσοφάγος est [g] guttur & quæ [h] gula uocat. [i] Guttur spiritus gratia datum est. Hoc enim spiritum
[i] φάρυγξ animalia trahunt & reddunt, respirando & expirando. Quamobrem quæ carẽt pul-
[k] αὐχένα mone, [k] collo etiã carẽt, ut genus piscium. [l] gula est qua cibus et potus deuoratur, itaq;
[l] οἰσοφάγος ea quæ carent [m] collo, [n] gulam hæc manifestam nõ habẽt, nec [o] gulã haberi cibi causa
[m] αὐχένα necesse est: nihil enim ad cibum parat. Et quidẽ à situ oris cõtinuo uẽter esse potest,
[n] οἰσοφάγου pulmo nõ potest. Aliquẽ emẽ quasi tractũ cõuallis adesse cõmunẽ oportet, quo spiri-
[o] οἰσοφάγου tũ ad fistulas per arterias digerat bipartitus: atq; ita efficere spiritus reprocationẽ maximè potest. Cum igitur instrumentũ spiratiõis accõmodatum longitudinẽ habeat

necesse

neceſſe ſit, [a]gulam inter os & uẽtrem haberi neceſſe eſt. Cõſtat gula ex neruo & car [a] οἰσοφάγος
ne: ex neruo ut extendi poſſit quom cibus ingeritur: ex carne ut mollis ſit & cedat,
nec lædatur aſperitate cibi deſcendentis. Quæ uerba quomodo poſſumus non gene-
ratim ad omnia animalia referre: ut ea ſcilicet guttur & gulam, id eſt φάρυγγα καὶ οἰ-
σοφάγον habeãt quæ ſpirant, pulmonemq; habent: quibus duobus carent non ſpiran
tia: quales ſunt piſces. Cuius rei cauſam referẽs Philoſophus ſubiungit, ea eſſe inſtru
menta ſpirationis accõmodata: nam gutture planè trahi & reddi ſpiritum: at gulam
nõ ſolum deglutiẽdo cibo, ſed & ſpiritui halituiq; paratã, quaſi conuallẽ quandam,
& ideo longitudinẽ habere, & inter os & uentrem conſtitutã eſſe. Nam obiter, non
neceſſario cibum deuehere, quod ex eo probatur, quòd quæ nõ ſpirãt, gulam nõ ha-
bent: ſed ab ore uenter actutũ hiat. Id uero certius patet: quom collum gutturis καὶ
οἰσοφάγου cauſa à natura datũ animalibus profitetur. Nam quod exploſam ab Ariſto
tele pridem eorum ſententiã ſcribis, qui περὶ τὴν βραχέαν ἀρτηρίαν non ſolum ſpiritum
ſed & humorẽ inuehi putauerũt, parum ad rem facere uideatur: quom nõ eueſtigio
ſequatur, ſi per illam potus nõ defertur, quin aliquid ſpiritus per οἰσοφάγου, id eſt per
partem ſtomachi ſuperiorẽ, atq; ita per ſtomachum efferatur. Nam ſicut Ariſtoteles
ei ſententiæ aduerſatur, ita hãc comprobat, quom τὸν οἰσοφάγου, id eſt gulæ tractum
cõmunem tum cibo, tum ſpiritui deſcribit, quo pulmo ſpiritũ ad fiſtulas per arterias
digerat bipartitus: atq; ita effici ſpiritus reciprocatio maximè poſſit. Habet tamẽ &
exploſa illa opinio ſuos & magnos quidem illos aſſertores, Alcæum imprimis, Hip
pocratem, Platonem, Philiſtiona Locrum, Dioxippum Hippocraticũ celebres me-
dicos: quin & Plutarchus in Sympoſiacis aduerſus Eraſiſtratũ ijſdem ferè ratiõibus
quibus uſus eſt Ariſtoteles Platonẽ oppugnantem, eius ſentẽtiæ patrocinium ſuſce
pit. Et ſanè nemo eſt qui in re tam nota, tam nobis familiari falli poſſit, aut fallere: ni
ſi certam aliquã rationem ſequatur. Nam pulmoni fouẽdo rigandoq; humectatione
opus eſſe intellexerunt, non tamen effuſa ac immodica: quare ὑδρογλωττίδα quaſi mo
deratricẽ & arbitram à natura adhibitam: quæ prohibeat admittatúe quantũ ex ſalu
te animantis uſui eſſe poteſt. & cibos quidem arceat depellatq; in ſtomachum, ut in
uentre colligantur: potum autẽ moderate inter ſtomachum & pulmonem partiatur.
Hæc fermè Plutarchi defenſio in cõpendium redacta: nã ille pluribus. At mihi Di-
mentẽ meliorem, quàm ut inter Philoſophorũ proceres auſim diſceptator occurre-
re. Reliqua potiſſimę quæſtiõis pars eſt, an ex ſententia Ariſtotelis, quẽ maximum
autorẽ habuimus, γίνεσθαι συμαχῶ ἢ γὴν τῇ κοιλίᾳ fiat cõcoctio. & me quidem aut omnia
fallunt, aut Ariſtoteli in uentre concoquitur. Nam dum ſuperiorẽ Platonis ſenten ti
am, tacito tamen nomine, diluit, hæc aliud agens interpoſuit, ἄλλην δὲ καὶ ὅτι οὐκ ἄνθε
ως εἰς τὴν κύστιν σωάγεται τὸ ὑγρὸν, ἀλλ' εἰς τὴν κοιλίαν πρόσφορον. Theodorus: humorem
non cõtinuo colligi in ueſicam, ſed prius in uentrem, certum eſt. Quod primo libro
De animalibus multo apertius, quo loco de ijs agit, in quibus cõueniũt differuntúe
animantia. In omnibus enim partem qua cibus recipitur, os appellari: in quã deuo-
ratur, uentriculũ, id eſt καλεῖται δ' ὅλην λαμβάνῃ, σῦμα εἰς ὃ δὲ δέχεται, κοιλία. Et mox,
τὸ μὲν τῆς ὑγρᾶς τροφῆσεως δεκτικὸν μορίον, κύστις. κοιλία δὲ τῆς ξηρᾶς. licet indifferenter ac
ſine diſtinctione τῆς κοιλίας nomine Ariſtoteles aluum & uentrẽ capiat. Quæ alij ita
diſtinxerunt, ut τὴν ἄνω κοιλίαν uentrem, τὴν κάτω κοιλίαν aluũ appellarint. Sed quid
mirũ: quom Lactãtius in Opificio hominis, & alij quidam latinorũ promiſcue uen-
trẽ & aluũ acceperint, quę tamen multũ differunt: ut minus mirari oporteat quoſdã
ueterum & recentiorũ, de qbus puto Galenũ dixiſſe, tam impropriè locutos, ut οἰσο-
φάγου, σῦμα, καὶ κοιλίαν confuderint: nos autẽ οὐκ ἀκυρῶς, ἀλλὰ κυρίως, & imprimis
περὶ τὸν ἀνθρωπίνου loquimur. Poſſem & ex alijs innumeris locis Ariſtotelis, probare
propriũ ciborum receptaculum, ſed & adhibebo modũ, & paucis ero cõtentus. Al-
ter eſt in primo Problematũ ubi quẽrit: cur medicamẽta purgare ualeant, quom alia
pleraq; amariora, cæteris q; eiuſmodi qualitatibus inſigniora id facere nequeant. Ibi
enim hæc uerba ſunt ex Theodori interpretatione, nã græcus codex abeſt. An quia
non ob eiuſmodi uires purgandi obtinent facultatẽ, ſed quia cõcoqui nequeunt. Et
enim quæ ob exceſſum caliditatis, aut frigiditatis quamuis exiguo corpore incocti-

lia sunt, aptaq́ uincere non uinci ab animantum calore, resoluiq́ eadem facile à uentre utrolibet possint, hæc medicamenta habentur. ubi enim uentrẽ adierunt resolutaq́ sunt, statim ad uenas per easdem feruntur semitas, quibus permeat cibus. mox quom nihilo cõcoqui potuerunt, sed uictrice perstiterũt potentia, relabũtur, & quæ sibi obsistũt, secũ detrahũt: quę res purgatio uocitatur. ex libro De animalibus quarto in uentre cõcoqui cibũ manifestè ostenditur. ὅσα τε ζωοτοκεῖ, ἐν τῇ ὑστέρᾳ ἔχει. καὶ τάγε οὐ περιπεφυκότα ἐν τῇ γαστρὶ ἐπέπτετο καὶ ὥσπερ ἡ τροφὴ. & quæ animal gignũt suo in utero fœtũ continent, nõ in uentriculo. Ita enim non secus quàm cibus coquerentur primordia genituræ. Idẽ in secundo De partibus animaliũ: ὥσπερ δὲ καὶ τὸ στόμα τοῦ ἀκατεργαίστου τροφῆς πόρος ὀστὶ καὶ τὸ περιεχὲς αὐτῷ μόριον, ὃ καλοῦσιν οἰσοφάγον, ὅσα τῶν ζώων ἔχει τοῦτο τὸ μόριον, ἐὰν ἂν εἰς τὴν κοιλίαν. Et quæ sequuntur. Theodorus sic. Sed ut os animalis cibi inconfecti meatus est, atq́ etiã pars ei annexa, quam gulam appellant: cibum quibus data est animalibus usq́ ad uentriculum deducit. Huic stomacho meo alia superest opera, ut quod nõnulli te autore sperãt sibi Plinij suffragium adesse, certis rationibus extorqueamus. Te autore dixi, quòd ipsi non modo Plinij genium non agnoscant: sed gratis etiam insectentur. quòd si Plinius meus à me tamen nunquam satis laudatus ab illis staret, multũ ex hac defensione mihi ademptum putarẽ. At ille multis quidem locis de stomacho meminit, sed in XI. tamẽ signate de tota illa dispositiõe pertractat. Cuius uerba planè ex Aristotele, cuius ille quà potest imitator est, facile trãscripta agnoscas. Ea sunt: Interiorẽ arteriam operit in epulando epiglottis, spiritu ac uoce illàc meante: ne si potus cibusúe in alienum deerrauerit tramitem, torqueat. Altera exterior est arteria, appellatur sanè gula, qua cibus atq́ potus deuoratur. Tendit hæc ad stomachũ, inde ad uentrẽ. Hanc per uices operit, cũ spiritus tamen aut uox cõmeat: ne restagnatio intempestiua alui obstrepat. Ex chartilagine & carne arteria, gula neruo & carne constat. Quæ cõmodius uertisse Plinius q̃ Theodorus existimatur. Nam Theodorus, ut diximus, gulæ nomine stomachũ & œsophagum amplectitur. At Plinius stomachum suo, id est Gręco appellat nomine, œsophagum autẽ gulam propriè dixit. Sed paulo mox idem luculentius rem enarrat. Summum gulæ fauces uocantur: postremum stomachus. hoc nomine est sub arteria iam carnosa inanitas, adnexa spinæ, ad latitudinem ac longitudinẽ lagenæ modo fusa. Quibus fauces nõ sunt, ne stomachus quidem est, nec colla nec guttur, ut piscibus: & ora uentribus iunguntur. Testudini marinæ lingua nulla, nec dentes: sed rostri acie cõminuit omnia. Postea arteria & stomachus denticulatus callo in modum rubi ad conficiendos cibos, decrescentibus crenis quantũ appropinquat uentri, nouissima asperitas, ut scobina fabri. Mox etiã explicatius ostendit, nõ in stomacho sed in uentre concoctionẽ fieri. eius uerba hęc sunt: Subest uenter stomachum habẽtibus, cæteris simplex, ruminantibus geminus, sanguine carentibus nullus. Intestinum enim quibusdam ab ore incipiens quadam uia eódem reflectitur, ut sepiæ ac polypo. in homine adnexus infimo stomacho, similis canino. His solis animalium inferiore parte angustior. Itaq́ & sola uomunt, quia repleto propter angustias supprimitur cibus: quod accidere nõ potest ijs, quorum spatiosa laxitas eum ad inferiora transmittit. Sed non hinc procul omnẽ dubitandi ansam summouet, palamq́ ubi concoctio fiat aperit. Venter solidipedũ asper & durus: terrestriũ alijs denticulatę asperitatis, alijs cancellatim mordacitatis: quibus dentes utrinq́, nec ruminatio. Hic cõficiuntur cibi, hinc in aluũ delabuntur. Et rursus ubi sit uenter nequis dubitare possit, sic ait: Pectus, hoc est, ossa pręcordijs & uitalibus natura circũdedit. At uentri, quẽ necesse erat increscere, ademit. nulli animaliũ circa uentrem ossa. Hoc incrementũ uẽtris non adolescente corpore: nam hoc & pectori contingit: sed dum cibus ingeritur, solet euenire. Verba autẽ illa quæ sunt posita in septimo de malacia prægnantiũ: Fastidium in cibis, redũdatio stomachi, indices sunt hominis inchoati: tantũ abest ut nobis aduersentur, ut multo maximè nostram sententiã adiuuare intelligamus: quãdo tunc redundare stomachus cognoscitur, quom refluctuante nec bene capiente cibũ uentre restagnatio fit in stomachũ. Qui quoniam locus non est cibo à natura dictus, idcirco nauseã & uomitionẽ fieri oportet. quomodo & cætera loca accipienda sunt,

in qui-

in quibus hoc dicẽdi genere Plinius utitur, tũ propter utriusq; uicinitatẽ, tum quòd eodem ferè contextu tegmentoq; cõpacti sunt, mutuamq; habẽt συμπαθείαν: ut qui alteri auxilietur sciat se utriq; profuisse, & qui alterũ læserit, se utrunq; offendisse intelligat. Ad ea quæ diximus, hoc quoq; addi potest, quòd natura sapientissima nostri corporis artifex, nõ stomacho, sed uentri umbilicũ, unde infantes concepti alantur in utero, affixit: quòd locus ille sit ubi fiat potissima concoctio, atq; inde in cæterum corpus alimentũ facillime deducatur. Qua ex re & uentrem in medio corporis collocauit, ut ad omnes extremitates ex æquo uitę præsidiũ possit peruenire. Quòd si uera scribit Plato in Cratylo: magnũ quẽdam Dialecticũ, consultũ totius naturæ, nomina rebus indidisse: si à uoce locus est in Topicis, summiq; autores uel subtilissimas quæstiones & Iuris & Philosophiæ à ratiõe nominũ sunt interpretati: minimè mihi fraudi esse debet, si & hoc quoq; stomachi nomẽ in rationis meæ patrocinium uocauero. Dictum aũt est illud quòd effundendi infundendiq; cibi os & uestibulum sit, quasi στόμα χέων. In ore autẽ & uestibulo transitũ fieri, nõ moram trahi, notius est quàm ut probatiõe indigeat. effundi uero & infundi per eum cibum, nõ etiã acquiescere, ipsum nominis ἔτυμον, id est ipsa ueritas satis ostẽdit. Nam & Galenus stomachum στόμα τῆς γαστρὸς definiuit. Sed & Cicero in secũdo De natura deorũ: Linguam autẽ ad radices eius hærens excipit stomachus, quò primum illabuntur ea quæ recepta sunt, & oris utraq; ex parte tonsillas attingens palato terminatur. Mox alui naturam stomacho subiectam dicit, quæ cibi & potionis sit receptaculum. Vnum adhuc superest, ut quicquid in Celso superest spei, id præcidamus. Turpe enim foret hunc unum apud latinos medicũ sentire cum barbaris. & quoniã eius à me liber abest, unusq; locus libro quarto capite quinto: Faucibus subest stomachus: tantũ succurrit, ero eo cõtentus. Ventriculus autẽ, inquit, qui receptaculum cibi est, cõstat è duobus tergoribus. Isq; inter lienẽ & iecur positus est: utroq; ex ijs paululum super eum ingrediente, Hactenus Celsus. Hæc sunt uir clarissime, quę animũ perstringũt, nec temerè sinũt manus dare diuersa sentientibus: quę si abs te probatũ iri sensero, in cælo sum. at si (ut Græci dicũt) οὐδὲν ὑγιὲς putaris, iam nihil reluctor, & me tibi curandum præbeo. Bene uale. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. IOANNI MANARDO S.

QVOM essem nuper in Gracchouia, quę urbs in extrema Germania ipsiusq; Vistulæ ripa sita est, in comitatu amplissimi principis mei ad regias nuptias inuitatus, contigit ut cũ uiro bene docto & in rebus ad medicinam pertinẽtibus exercitato, & ex eo tempore mihi singulari amicitia cõiuncto, uerba facerem de re literaria. Quo in sermone forte incidit de Hermolao Barbaro mentio, cuius ego memoriã ita admiror, ut postuetus illud seculum, in quo admirabilis fuit ingeniorũ prouẽtus, nullum ex æquo in omni disciplinarũ cognitione tanti facere soleã. Cuius ego literaturã quom nõ modo nõ probari sed uehementer etiam taxari intellexissem, exhorruerũt aures propè tanto piaculo perculsæ. at ille qui tam excellentis uiri monumenta oppugnabat, quom à me rogaretur ut rationẽ stomachi sui afferret, & cur unus aduersus sentẽtias ferè omniũ niteretur: nihil habuit quod afferret, nisi se nuperrime Dioscoridem ab eo latinitate donatum & auctum corollario percurrisse: in quo Di boni quot se lapsus & inscitiæ testimonia & quasi literarum portenta deprehendisse testabatur. Tum ego quom pertinacius instarẽ, efflagitaremq; ut huius indaginis suę gustum & quasi specimẽ aliquod proferret, reluctatus ille plusculum, deniq; pręter alia innumera se offendisse locum ex quarto Dioscoridis, ubi de elaterio agit, professus est, quẽ neq; hominum neq; deorũ quisquam ab infamia tueatur. Præcipit enim Dioscorides modũ quo elaterium confici debeat, his uerbis, οὗ ἅμα τοῦ ἅψασθαι σικύους ἀπηνθῶντας ἐκλέγων, ἀπτίθεσο, ἐῶν νύκτα. Quæ sic Hermolaus interpretat̃. Cucumeres eliges q simul tanguntur exiliũt receduntq; à pediculo. Seruantur autẽ decerpti una nocte. At his magnas rixas cõcitabat amicus meus, et propè classico doctos uiros euocabat, quod Hermolaus participiũ illud ἀπηνθῶντας ita foret interpretatus, ut de suo illud addi-

disset, eos à pediculo recedere: quom nihil minus Dioscoridis mentem attingeret. Voluit enim ille significare, colligẽdos esse cucumeres elaterij gratia, quom iam ex illis semina exilirẽt. atq; huius opinionis suę astipulatorẽ Plinium uocabat, in XX. Naturalis historię de hoc medicamẽto uerba facientẽ. Ex cucumere, inquit, syluestri fit medicamentũ quod uocatur elaterium, succo expresso è semine. Cuius causa nisi maturius incidatur, semen exilit oculorũ etiam periculo. Hæc tum ille, quę ego pro tẽpore, quantũ potui memoriter meminisse, in Hermolai gratiã reieci. Sed paucos post dies quom alij quidã mihi retulissent, eũ hac in re tragœdias & (ut aiũt) in simpuuio fluctus cõcitare, & iam iustũ uolumen cogitare, nactus etiã utriusq; Dioscoridis occasionẽ, non potui mihi imperare quin exactius locũ recognoscerẽ, & doctissimi uiri partes defenderẽ, pręsertim quom aduersarius nõ nihil primo cõgressu afferre uideatur. Nemo aũt paulo accuratius rem ipsam attrectãs nõ intelliget, longe ab omni culpa uirum de literis benemeritũ abesse. Quis est enim tam audax, qui se sensus Dioscoridis melius eruere posse iudicet quàm Hermolaus eruerit? qui hoc unũ agebat negotium: uel qui se Pliniana melius tenere putet, quàm ille qui magnã ætatis partẽ in Plinij recognitione absumpserat? quod eo promptius constabit animaduertenti Plinij sententiã ad uerbum in Corollario exscriptam esse. Verũ operæpretium est agnoscere multa & à Dioscoride præter Plinij sententiã, & à Plinio preter Dioscoridis, allata esse: ut obiter Pliniomastigas refellam, ad Dioscoridis trutinam Pliniana omnia reuocantes. Hoc uero certius ac exploratius patebit, siquis caput hoc ipsum de elaterio excusserit. Scribit Dioscorides optimi elaterij, seu mauis agitatorij, experimentũ esse, quòd προσαχθὲν λύχνῳ εὐκαὲς. id est, quòd lucernis admotũ facile accendatur. Cõtrà Plinius ueri experimentũ, si admotum priusquã extinguat scintillare sursum ac deorsum cogat. Dioscorides à bimatu ad decenniũ usq; perdurare scribit, id est εἰς μέν τοι τὰ καθαρτικὰ ὁ διετὴς ἁρμόζει ἀχρὶ δέκα ἐτῶν. At Plinius ducẽtis etiã annis seruatũ asserit, autore Theophrasto, et ad quinquagesimũ usq; lucernarum lumina extinguere, utpote quo nullũ ex medicamẽtis longiori æuo duret, eoq; melius sit quo uetustius. Dioscorides etiã abortum grauidis elaterio fieri scribit. ait enim: καὶ ἔμβρυα κτείνει ἐν προσθέτῳ. Plinius uero putari scribit conceptus ab alligato semine adiuuari, si terram non attigerit: partus uero, si in arietis lana alligatũ inscienti lumbis fuerit, ita ut protinus ab eo eximatur & rapiatur extra domũ. Quæ omnia utrinq; collata quàm dissideant inter se, facile intelligit qui ab omni intellectu nõ abest. Quare non admodum sibi placere oportet eum, qui mutuo Pliniũ ad Dioscoridis, & Dioscoridẽ ad Plinij calculum ciet: & si ab inde Dioscorides sententiã illam Plinianã prosilientium seminum ex cucumere inquat, quom super craterẽ præcipit exponi cribrum non adeo densum, & cultrum obuersum ita statui ut aciẽ suprà obuertat. Tum utraq; manu enixe comprimi cucumeres, atq; ita in craterem per cribrũ succũ exprimi. quod, ut opinor, duplici ratione faciũdum est: tum ne semina cũ oculorum periculo emicent, si gladius superne adigatur, tum ut cõmodius humor excipi possit. Nam quod ad legendum ipsum cucumerẽ pertinet, quàm foret peruersum atq; alienũ ab opinione autoris, si illud tempus expectandum moneret, quo simulac tangerentur cucumeris semina statim prosilirent: quod ne accidat, Plinius maturius celeriusúe decerpendos edocuit. Atqui si diligẽter inspicias, nõ de seminibus, sed de ipsis planè cucumeribus, Dioscoridẽ loquutũ agnosces. ait enim, οὐ σικύους ἀκρηδιῶντας, non autem τῶν σικύων σπέρματα ἀκρηδιῶντα: ut multo uerius & compertius existimare debeamus Hermolaum quàm eius aduersariũ introspexisse, cum addidit amplioris expressionis causa recedere à pediculo. Meminerat enim, in cucumere & pepone, qui et ipse cucumeris species est, id esse maturitatis indiciũ: quod & Plinius in XIX. testatur, tradens eos maturitatẽ adeptos, quanquã nec pendentes, statim à pediculo recedere. quare desinat hac in re quisquã Hermolao negotium facere, in qua ei iure gratiã debet: qui cõsulto & planè gratis Dioscoridis sententiam alioqui ancipitẽ suo lumine illustrauit, conscius parum cautis lapsum imminere. & profecto stultum est existimari à Dioscoride illud tempus excerpendi cucumerem proponi, quod maxime uitari oportet. M. D. XVIII. Agria.

Cælius

CÆLIVS CAL. CAMILLO VISTARINO.

IX possem eloqui Camille uir doctíssime, quantũ me allíciat ac teneat tua ísthæc felícitas ingenij, ad omnes præclaras díscíplínas nati. Mítto V studia forensia, in quibus longe præcellis. mítto legũ arcana, in quíbus níhil est tíbi inexcussum, níhil imperuiũ, níhil obscurum. Sed quom ín has etiã nostrates studiorum amœnítates descendis, quanto id facis iudício? quanto hęc scrutaris acumine? ut si hoc unum agas, uix tibi ad ea exploranda otium, aut ad recolenda suppetere posse uideatur memoria. Iure itaq; quom te præsente insignis Plinij locus in quæstionẽ uocatus sit, te unũ imprímis doctíssimũ iuxtà & æquíssimũ dísceptatorem adímus, cuius iudício sine prouocatione acquiesca mus. Plinius lib. XIII. cap. III. (liceat enim mihi per te peruulgata, tametsi Plinio ignota capitũ diuisione uti) in M. Ciceronis, inquit, monumẽtis inuenítur, unguenta gratíora esse, quæ terrã quàm quæ crocum sapiant: quando etiã corruptíssimo in genere, magis tamen iuuat ipsius uitij seueritas. Fuit qui locũ castigandum putaret, & pro terra cærã substituendum: quando apud Cic. lib. III. de Oratore ita scríptum inueníatur: unguentis minus diu nos delectari summa & acerríma suauitate condítis quàm his moderatis: & magis laudari quod cæram quàm quod crocum olere uídeatur. Addebat ille nullum esse odorẽ terræ: seq; id Plinij authoritate probaturum confidebat. Quorũ utrunq; an ego iure pernegauerim, tua sit æquíssime uir æstimatío. Ego sanè nullam esse in Pliniano codice noxã, uel sacramento cõtenderim: quin & Ciceronis locũ ad Plinianæ potius sincerítatis exemplum reuocandum iudicaue rim. Nam quomodo moderatius olet unguentũ, quod cærã quàm quod crocum redolet? Certe natiua ipsa cæra acerrimi grauíssimiq; odoris est. Et licet pro locorum conditione odor ille intendatur remittaturúe, ubiq; tamen olfactum urgere experímento cõpertum est: utpote quom cæra gummi arborum & florũ lentore glutinata sit, & propoli plerunq; ut propínqua, ita etiã admixta: ut iam níhil sit, quo magis cæ ræ quàm croci odorem in unguẽtis expetamus, aut croci magis quàm cæræ reformi demus. Terrę uero odorẽ abesse nusquam, puto, Plinius dixit. Certe libro XV. cap. XXVII. mirũ esse scripsit, tria naturę pręcipua elemẽta sine sapore esse, sine odore, sine succo, aquã, ignem, aerem. quo in censu nullã uideo terræ habitã mentionẽ. Sed quid ad hãc rem cõprobandam uel rationibus uel externís authoritatibus depugna mus? quom ipse Plinius sibi sit locupletíssimus testis, terrã non cærã legendũ esse. Eius testimoniũ laudamus lib. XVII. cap. V. ubi terræ genera enumerat. Certe Cícero lux doctrinarum altera, Meliora, inquit, unguenta sunt quæ terrã, quàm quæ crocum sapiunt. Hoc enim maluit dixísse, quàm redolent. ita est profecto: illa enim erit optima, quæ unguenta sapiet. Quòd si admonendi sumus, qualis sit terræ odor qui quæritur, contingit sæpe etiã quiescẽte ea sub occasu solis, in quo loco arcus cæléstis deiecerit capita sua, & quom à siccitate continua immaduerit imbre. Tunc emittit illum suum halitũ diuinum ex sole cõceptum, cui cõparari suauitas nulla possit. Is esse odor in cõmota debebit, repertusq; neminẽ fallet, ac de terra odor optime iudicabit. talis ferè est in noualibus, cæsa uetere sylua, quæ consensu laudantur. Quæ propè omnia ex VI. Theophrasti li. De plantis uidentur excerpta. Siccitas est, inquit Theophrastus, quæ odores uel omniũ uel certe aliquorũ facere potest: quod obiter in terra quoq; perspicuum est, ubi tempore æstiuo solo adusto imbres accesserint. Humor enim admissus, feruentiq; puluere admixtus odorẽ generat: quod idem in cæteris etiam facit. Nam & quod de arcu cæléstí referunt, arbores & loca reddere odorata ubicunq; constiterit, tale est. Reddit nõ in omnibus modis odorata, sed siqua materia cõbusta proxima sit. Nec id forsitan per se agit, sed quodammodo per euentum. Impluit enim locis ubi constiterit: quippe materię combustę admístus humor uaporem quendam odoremq; excitat. Neq; enim aquæ multũ descendit, sed magna parte guttæ irrorant, ita ut calidítatis siccitatisq; modus nõ desit. hæc ille. Illud nõ prætermittam, Plinium quidem à Cicerone mutuatũ quod ad terrã & unguenta pertinet, non tamẽ ex libro III. De oratore uideri mutuatũ, quando eo loco Cicero cõmendauit unguenta nõ quæ saperent terrã, sed quæ olerent. Sapere autẽ à Cicerone scríptum

Plinius nũcupatim obſeruauit. Niſi forte quis authoritate Pliniana uictus, apud Ciceronem ſapere, non olere legendum contenderit. Vale, & tu quid ſentias perſcribe.
M. D. XVIII. Buda.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

A eſt bonitas tua, ís candor animi, ea de me æſtimatio, ut perſuaſiſſimũ habeam te omnia alia cogitaſſe: quàm aut tui míhi memoriã excidiſſe,
E aut ín rebus tuis obeundis negligentiã ſubíſſe. Hoc ſi tecum cogitaſti uirorum optime, tua te miníme fefellit opinio. Neq; ego mearum literarum tarditatẽ aut ualetudinis excuſatiõe, aut ſummis occupationibus, & ſi uerè utrunq; poſſem obíjcere, redímã. Neq; enim ulla tam grauis eſſe poteſt corporis ínfirmitas, quæ míhi Zieglerum, id eſt nõ exíguam animæ meę portionẽ adímat: neq; ullæ ſunt tam magnæ occupatiões, quæ rebus tuis præponderent. Sed deos ímmortales teſtor, unam míhi maxímã huius moleſtiæ cauſam fuiſſe tabellariorũ raritatẽ, quorum præſertim fidei tutò líteras poſſem cõmíttere: qui uel iſthuc nõ aduenere, uel certe me ínſcio atq; ínſalutato hínc abiere. Quomodo enim poſſe fieri putas, ut tam non dícã ingratus, ſed ínclemẽs atq; adeo mei oblítus ſim: ut pro pulcherrimo munere nunquã tíbi gratías díxíſſem, quo neq; optatius, neq; honeſtius ad me aliud mítti potuit. Oblectauit uero me & ín admiratiõnẽ rapuit Meteoroſcopium, & Meteoroſcopíj luculenta illa διήγησις, ſeu enarratio, quam míhi ſuperpondíj uice nuncupaſti: ut prorſus muneri tuo uetus illud dictum belle cõueníat, plus eſt mãtiſſa quàm obſoniũ. At tu mi Zieglere ſuauiſſime, unus es omnium qui ingeniũ ſub manu & manum habeas ſub ingenio. Ita enim cõmode utrunq; uterutri obſequitur, ut natus effictusq; à natura uídeare ad utranq; facultatem, agendi ſcilicet & ſpectandi. Quare quom magna de te animo antea concepíſſem, nunc me planè quædam ἔκστασις tenet, uel artificium exactiſſimi organi, uel ſubtilitatẽ & elegantiam doctiſſimæ traditionis, uel tuam ín amando promerendoq; curã ac díligentiam cogitantẽ. Nihil eſt itaq; in me quod non omne addictum obęratumq; ſit tíbi: quod parcius polliceri lubet, ut me aliquãdo ſentias rebus quàm uerbis paratiorẽ fuiſſe. Quod uero ad poſtremas líteras attínet, quibus de lucubrationibus tuis mentionẽ habes, íta me Dia ment, ut míhi uídentur ínſtructiſſimæ, quę iam ín manus hominum prodeãt & publícum capeſſant. quod ſi alícuius eſt apud te ponderis iudiciũ meum, quod profecto ab amantiſſimo tui animo proficiſcitur, nulla mora eſt quin album calculum addã, & ſoluentibus bene precer. Cæterum nõ mediocríter me pupugit pars tuarum literarũ, qua ſubuereri uideris, ne à me atq; Vrſino ingratitudinis arguare. Et nũc quidem de Vrſino taceo: ípſe enim uiderit, quid cogitet: certe ſi Publianum illud memínerit, agnoſcet ſe nõ dediſſe, ſed accepíſſe beneficiũ, quom digno dederit. Quod uero ad me attínet, míror unde tibi ín mentẽ uenerit, ut ad Cælium iſthæc ſcríberes, hominem primo ingenuum, & qui ſi nõ magnitudine fortunæ, magnitudine profecto animi, neq; beneficia, neq; operã in amícitia fœneretur. Sed heus tu amabo, uter noſtrum ab altero plura maioraq; accepit. Planè ſi res ad calculum uocetur, eo tu maiora ampliora q; ín me officia cõtuliſſe deprehẽderis: quo rarioribus ſtudíjs & amplíore líteratura polles. Vt forte poſſit aliquis paulo argutior exiſtímare, te quaſi alterum Socratem εἰρωνεύεσθαι, id eſt ironia uti: & dum tuã, à qua longiſſime abes, ingratitudínem excuſas, ſuã alíjs obíjcere: quo dícendi genere ſi te oblectari intelligerẽ, nõ poſſem non erubeſcere, quom ſim míhi (ut ille ait) conſcius Philemon. quod ſi quando facílem tempeſtiuãq; fortuna ſe míhi obtulerit, dabo operã, intendamq; omnes neruos, ut hanc labẽ míhi ſanè permoleſtam extergã. Cætera quæ ad me ſcripſiſti & annotaui díligenter, & ín memoriæ theſauro condídi: nec poſſum mirari, cur præſenti præſens totã ſcenam nõ aperueris, ut ex mutua capitum collatione certius conſiliũ capi potuiſſet. Neſcio enim quomodo hæc nõ ſine ſuſpicione ab abſentibus tractantur. Nam (ut Cicero inquit) Corycæi ſubauſcultare omnia míhi uídentur. Atqui líteras tuas príncipi meo reddídi, & cõmodiſſimo quídem loco, id eſt quom daret ílle operam ſtudíjs ſecretioribus, abdícatis omnibus arbitris, eſſetq; ſumma loquendi ímpunitas

punitas. Ibi ex animo ea dixi de uirtutibus, de ingenio, de literatura, de secretioribus disciplinis, quæ de te, id est de eruditissimo, ab amicissimo uerè prædicari debuerũt. quòd si quid citra tuarũ laudum fastigiũ dictum est, nõ uoluntate sed facundia peccatum est. At ille tum literis tuis, tum mea cõmemoratione mirifice uisus est amore ac desiderio tui accẽdi. & actutum Meteoroscopium de quo mentionẽ feceram accersi iussit: quod sæpe manu tractans miris laudibus cõmendauit, cui quæq; portio speculationi inseruiret perquirens. Libellum etiã enarrationis suggessi: quẽ euoluit sæpius, seq; ad ea studia (si quãdo ocium suppetet) anhelare significauit. mandauit etiam mihi ut ad te scriberẽ, ut isthic Budæ hoc ipsum organũ, id est Meteoroscopium æreum sibi procurares apud quempiã industrium artificẽ, in quo symmetria ad amussim respondeat: & de precio ante omnia conuenias, de quo quom nos admoneueris statim ad te dabit. Quod uero ad negocium tuum attinet, summa totius oratiõis hæc fuit: ut scisciterer abs te, quæ tua mens foret. Nam ei qui aliunde penderet, manum porrigere, in tanto præsertim suorum numero, nõ modo nouum, sed planè superuacuum. Esset enim hoc prorsus rem alienã agere. Quòd si te ac tuas spes huic naui credere statuisses, id quod salua cõmuni existimatione abs te procurandum esset, tum esse quod de te cogitet, uotisq; respondeat. Quare quicquid constitueris, uel ad ipsum principem, uel ad me, fidenter perscribe. Nusquã enim deero, quin tibi ac rebus tuis studeam: &, quantum erit in me, accuratissime consulam. Illud tibi certe affirmauerim, te à principe meo iam plurimũ amari, tibiq; bene omnia optari. Tu qui prudentia, ac multarũ rerum experientia præstas, reliqua consultissime prospicies. Ego quocũq; inclamaueris, præsto adero. Tu quidem literas principis cum meis accipies, sed succincte ac Laconice perscriptas, cætera ex his quas scribo ad te locupletius cognituras. Mox quom de te ac studijs mathematicis rursus uerba facerem, idem princeps doctissimi uiri atq; in illis grauioribus studijs exercitati literas ostendit: quibus ille sibi gratulatur rationẽ probationẽq; nuperrime inuenisse, qua sine fuco & reiecta omni sophistica cõtentione demõstrare possit: datis duobus lineis in plano, quæ in infinitum portendantur, quarum altera recta sit, altera nõ longo interuallo à priore dissita recta itidem, sed quæ tamẽ uergat inclinetq; ad alterã: eam temperiẽ ac moderationem seruari posse, quamuis utraq; sine termino prouehatur, ut nunquã inuicem colliment, nec posterior priorem secet. Quod sanè mihi admirabile uideri in re Geometrica affirmaui. Tum princeps iussit, ut quid tu de ea re arbitrareris, per literas exquirerẽ. Quã ut facilius intelligas, binas lineas in calce huius paginæ subijciã, quales ille sibi effingit. Tu rem diligẽter pensa, et rescribe. Videor profecto apud Euclidem nescio quid hac de re legisse: qui mihi uidetur negare id fieri posse, quod doctus ille uir pollicetur. Sed tu aliquid certius cõpertiusq; significa. Opto mihi præterea significari, quo loco sit ministri tui ualetudo, quẽ meo nomine salutabis. Siquid est amplius, quod tua aut tuorum sit, abdicatis suspicionibus istis omnibus, me cõmonefacito. Nec gratius nec iucũdius quicquã mihi euenire potest, quàm omnibus in rebus tibi beneuolentiam meam testari. Bene uale mi frater suauissime, & me ama mutuo. Quartodecimo Calendas Nouemb. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. IABOCO ZIEGLERO S.

NEC libet, nec si liberet, satis licet per angustiam temporis respondere ad partes omnes tuarũ literarũ, quas & gratissimas & plenas summi amoris accepi. Illud uere affirmarim, te ac summa ista humanitate tua nihil mihi esse iucundius. quom humanitatẽ dico, non minus eam intelligo, quæ ad cultum animæ quàm animi pertinet. Tu uero persuasum habe, me tũc rebus tuis defuturum, quantũ opera & facultas mea suppeditauit, quom mei

mihi memoria intermorietur. Ad ingratitudinẽ, à qua nõ fortunæ ratio, sed studium meum omnibus in rebus tibi placendi & gratificãdi me abunde redimit, nihil rescribo, conscientia mea contentus: cui tunc certo aliquo testimonio satisfaciã, quom potero, uel quom tu me posse existimabis. nam cætera quæ in te ipso accusans me damnas, tã inuitus memini, ut uel scripta nolim, uel certe è memoria statim aboleri. Quæ uero ad ministri tui curationẽ pertinent, tantum abest ut imputem tibi, ut lubẽs profitear hinc magnum mihi abs te nomen creuisse: quòd uoluntati tuæ aliqua parte, in tanta præsertim tuorũ erga me meritorum area, sum obsecutus, & feci quod tibi nõ omnino ingratum existimaui. Illud me male habet, Vrsinum plenã operam non potuisse tibi nauare, & nunc quasi reflante morbi inclementia eum grauius uexari. Reliqua quę adscripturus sum, boni consulas uelim, quando ex animo tibi addictissimo proficiscunt. Postridie eius diei quo princeps meus à cõuentu rediit, de Belgrado et finitimis locis, quę nuperrime perlustrauit, loquens obiter mecum multa uerba fecit de rebus Ptolemaicis: atq; interim de te luculenta mentio incidit, quom rogaret an literis responsum dedisses. Professus sum me tuas literas accepisse, sed quibus tãtum cõmonefaciebas, nostras tibi redditas fuisse, & mox te ad ipsum principem uberius & certius omnia perscripturum. Id à me factum. De Meteoroscopio ligneo & creta superlito, non placet quod scribis. Nam & si ars in ijs multum pollere potest, multo tamen magis pollebit ars coniuncta materiæ: demum nolim te in suspitionẽ uenire, quasi ad tuum quæstũ trahas, quæ aureis XIIII. indicas, quom pleraq; tua sint manu atq; industria tractanda. Quod de sacerdotio etiam scribis, non satis probo. Non enim adeo felices sumus, ut maxima pars quod optimum est uelit. Quare alia nobis ratio ineunda, ut uoti cõpotes efficiamur. Veritus sum (fateor) ne si ingenue, ut ad me scripsisti, rẽ aperuissem, omnes cogitatus nostros interrupissem. Quare malui rẽ proferre ad secunda cõsilia, quàm nos actutum prodere. Ego quicquid hoc est, ad te mi Zieglere rursus prouoco: quod ipse statueris, summa cura perfecturus. Nihil autem existimarim cõmodius ad hoc uotum nostrum feliciter obeũdum, quàm ut tute ipse ad nos animi saltẽ gratia, diebus proximis natalicijs recipias, quod & principi puto fore gratissimũ: tũ spero coràm nos cõstituturos, quod in rem potissimũ & salu berrimũ fore uideat. Nec te moueat uiarũ dispendiũ. Bidui enim est iter, homini etiã impedito. Erimus autẽ unà quotquot dies ipse uolueris. Interim specimẽ & gustũ dabis ingenij coràm, de quo quom multa prędicauerim, non dubito quin me in ea prædicatione parcum fuisse princeps sit arbitraturus. Cuius etiã itineris occasionẽ uel hinc potes arripere, quòd nuperrime princeps mihi iniunxit: ut ad te scribam, des ei operã in emendis quibusdam uoluminibus, Ptolemæo scilicet nouissimæ impressionis Romanæ, quem etiã curabis eleganter cõpaginari. Est quidẽ alius apud nos, sed fœdissimæ omnino impressionis. Itẽ sphæra, tam materiali q; conscripta, eius notæ quam tu ipse optimã iudicabis: Platone & Ludouico quodam Cælio Rodigino, qui superiore anno edidit librum Antiquarum lectionũ. Pecunias autẽ erogabit principis nomine Franciscus Castilio aurifex Italus, ad quẽ perscribit princeps, ut eas enumeret ex tuo iudicio. Hæc igitur tecum ipse cõuehere poteris, si ueniendum putaueris. Erit enim aduentus tuus, tum sua indicatura, tum conuecta merce optatissimus. quòd si ueneris, nihil est quod pręter te quicquã requiram. sin forte uenire omiseris, tum rogo te amabo, ut seorsum in pagina nõ pigeat annotare, quę pars cuiq; partium accõmodetur, id est quomodo picturationes illę orbis discuneatæ ac distinctę in artus redire, ac suprà infrà prorsum & retrorsum inter se coagmẽtari, & in ordinem redigi possint: certas notas & symbola, uerba etiã adscribens id indicantia. ut puta, tabulam Italiæ illa præcedit, illa subsequitur: ea suprà affigenda est, illa infrà subijciẽda, atq; illa deinceps. Vel, quo tu es ingenij acumine & dexteritate, eum morem & ordinẽ sequeris, qui rem planam & perspicuã maximè faxit: ut tu ipse coràm aliquando præmonstrabas. In pagella autem, non in Ptolemæo eam rationem exarari cupio: ut sit priuatim principi & mihi tua opera rudimentum, nõ autem omnibus promiscuum, qui nullam tibi essent gratiã habituri. Illud etiã abs te uir omnium humanissime expeto, ut de gradibus ad Ptolemaica pertinẽtibus non nihil ad me perscribas

ſcribas, quot ſcilicet paſſuũ milia complectãtur, tam per cardinẽ quàm per limitem, id eſt tam per latitudinẽ quàm per longitudinem, & qua ratione excreſcant aut minuantur. Vide itaq; mi frater ſuauiſſime, quãto cõmodius & facilius res tibi ceſſura ſit, ſi ad nos ueneris. Excuſſeris enim tibi propè omnẽ hãc moleſtiã, qua nũc tam impudẽter te uexare nõ deſino. Ad qđ ſcilicet tua me ſingularis bonitas & mea ſumma fiducia, quã in te poſui, inuitat, ut agnoſcas me animo eſſe ingenuo, & quom multum tibi debeam, plurimũ etiam uelle debere. Significare etiã ne pigeat obſecro, quę ſit lineæ Diagoniæ ad ambeuntes lineas proportio. De lineis autẽ de quibus ſuperioribus literis ad te ſcripſi, memineris rogo utrãq; rectã eſſe, neutram curuam, ſed ea ratione, ut altera in alterã earum uergat, & utraq; in infinitũ portendatur, nec tamẽ unquã colliment. Quòd uero te ad nos tot uerbis inuitem, facit meus ſummus erga te amor, & ut ad rem tuã peragendam cõſilij ſumma aliquando colligi poſſit. Velim tamen abs te, ſi non ueneris, cõmodo: ſi ueneris, ſecuritati tuæ imprimis conſuli. Bene uale, ac te tibi ac nobis incolumem ſerua, & me mutuo ama. octauo calend. Decembres M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

T ſi quantũ tu per te ingenio polleas, & quantã habeas in lectione ueterum autorum & exercitationẽ & memoriam non ignorem: magis tamẽ ut tibi obſequar, cui negare quicquã nec poſſum nec debeo, quàm ut operæprecium faciã, apud Plinium & Vitruuiũ, duos ſcilicet in Romanis literis conditores optimates, & in quibus multis locis nõ plus diſciplinæ, quàm caliginis deprehendas, annotaui, & quaſi prætento digito indicaui, quæ uel ad cõmentarios tuos pertinere, uel legenti moram facere poſſe exiſtimaui. Tu mihi & ſtudioſis, hanc quoq; obiter (quę tua humanitas eſt) operam dabis. Non enim dubito quin ea futura ſint illuſtria, ad quæ tu lucernã inuexeris. Ea ſunt:

E

Apud Plinium in re Aſtronomica ex antiqua ratione libro 2. cap. 15. 16. 17

De ratione umbrarum cap. 74. 75. 76. 77
De dioptris & uaſis horoſcopis, &
De terræ dimenſione. cap. 3
De harmonica mundi ratione cap. 112.
De terrarum parallelis lib. 6. cap. 34
Ratio aſtronomica de uita hominis lib. 7. cap. 49
De mutatione umbrarum cap. 60
Aſtronomica quædam lib. 18. cap. 25. 26. 27.
De limitatione agrorum cap. 34
De obeliſco pro gnomone in campo Martio lib. 36. cap. 10
De epiſtilijs Dianæ Epheſiæ cap. 14

Apud Vitruuium de gnomone qui dicitur σκιαθήρας lib. 1. cap. 6
De columnarum & capitulorum ſymmetria lib. 3. cap. 3
Partes capituli Corinthij eiuſq; ſymmetria lib. 4. cap. 1. 2
De ratione Dorica cap. 3
De hoſtijs & antipagmentis cap. 6
De ratione theatrorum lib. 5. cap. 2. 3. 4. 5. 6. 8
De quibuſdam aſpectibus cæli lib. 6. cap. 1
De librationibus aquarum lib. 8. cap. 6. 7
De cubi duplicatione, cylindris, meſolabis. lib. 9. cap. 3
De gnomonicis rationibus cap. 4
De horologiorum umbris cap. 8. 9

Decimus ferè omnis foret excutiendus propter machinas tractorias, catapultas, baliſtas, quorũ deſcriptio oppido quàm difficilis eſt. Apud Macrobium multa quidem ſunt digna annotatu, ſed ea tu per te iam ſatis executus es. Apud Ariſtotelem in fine tertij & in quarto Meteororũ multa ſunt explicanda de ratione optica, id eſt perſpectiua. In quibus operam iudiciumq; tuum expetũt ſtudioſi, ſed unus omnium maximè Cælius. Bene uale. ſeptimo Calendas Nouemb. M. D. XVIII. Agria.

Cælius

CÆLIVS CAL. NICOLAO LEONICENO S.

RAM Budę quom flos è campo ad me allatus eſt, à rei herbariæ ſtudio ſo. erubui uetus nomẽ ignorare, quare abs te id petendũ duxi. eius ſpe
E cies hæc eſt: longus fermè ſemipedẽ fuſtis, ramis etiã productis diſtinctus, folio triplici geniculatus oblongo: ex his medium procerius. Flos ipſe hyacinthinus planè, niſi pallor quidam uim coloris extenuaret: ſo liȷs quinq; & per uices caliculis totidẽ abſolutus. Hæc ita diſtincta ſunt ut folia à pede promineant, & aſcendentia recedant, & ſummo in faſtigio leniter uireant. at caliculi ab ore interiori ſuſpenſi ſunt, exterius paulo eminentiores, non tamen æquant folia. Eorum formã cõmode cornucopiæ poteris cõparare. Nam à ſummo hiant, & paulatim deſcendunt in turbinẽ, qui etiam extremo in calce interius recuruatur. At flore in medio ſubuiridis aliàs quaſi truncus granis obſitus, ſeu mauis ſemina appellare, exurgit. cuius uertex in tenues admodum lacinias ſectus agnoſcitur. hęc forma. Vulgi ſimplicitas archangelicã nuncupat, & inter lilia cenſet. Tu nomen ſcrutare, ego præter oculos quem conſulerem non habui. Bene uale.

CÆLIVS CAL. REVERENDO AGAPITO Generali Canonicorum regularium. S.

I quis probauerit mihi ſe accepiſſe iniuriam à procuratoribus meis, da
S bo operam, ut per eos geſta reſcindantur, & meritas pœnas luant. Sin ius eccleſiæ meæ tutati fuerint, neq; præiudiciũ afferri permiſerint, per eos geſta approbabo. Quòd ſi quis eos iniuſte fuerit perſecutus, iuſte defendam. Vale pater optime, & me ama tui amantiſſimum.

CÆLIVS CAL. AD QVENDAM

ACERDOS multæ exiſtimationis, & in ſacris literis modo bene eruditus, cũ præclaro uiro amico meo uerba faciebat. Quomq; forte amicus
S meus literas Græcas Latino homini commodiſſimas diceret ad omnia ſtudia excolẽda, alter ille ſibi aliter longe uideri reſpõdit. Et quidẽ illas putare ſe dixit ad fabularum notionẽ atq; id genus nugamẽta plurimũ prodeſſe: ſed quid in ſacris literis emolumenti afferre poſſent ſe non uidere. Myſteria enim illa religionis noſtræ cum Græcorũ diſciplina nihil habere cõmune. Tum ille paulo iritatior, Sí nobis, inquit, optime uir, deorum largitate datum eſſet animi ſenſa abſq; officio uocis aperire, poſſetq; ſeſe diuinus ille animi captus alterius ingenio repræſentare, plus fidei tua haberet oratio. Sed quando neq; nos αὐτοδίδακτοι, miniſterioq; linguæ ad hauriendas diſciplinas utimur, crede Hieronymo, ſi mihi parum lubet credere: qui totiens Græcorum teſtimonio utitur. Crede ipſis ſacris literis, in quibus totiens inexplicabiles ſenſus inuenias, quos ſine Græcis literis non facile explices, tot ignorata uerba, quæ forte melius perciperetis, ſi quando Græcorum ſtudia attigiſſetis. Nam ut de multis pauca eligam, quid myſticum τὸ χριστὸ nomen? quo unctum regia conſuetudine intellígimus: quod ignari quidam ſacerdotes his literis notant, XPS, neſcientes χ. & ρ. literas eſſe Græcorũ: ſicut IHS, quoniam à Græcis ἰησοῦς, id eſt Ieſus dicitur. Quo uero alio nomine ſpiritũ ſanctũ quàm Græco παράκλητον nuncupant? quaſi aduocatũ dixeris. & quia penultima apud Græcos η eſt, proinde producta latinis proferri debet. Sic χάρισμα gratiã. Sic εὐχαριστίαν bonam gratiam. Sic ἐπιφάνειαν apparitionem. Sic εὐαγγέλιον bonum nuntium. Sic ψαλμὸς, id eſt cantiones. Sic ἀνυφώνας, id eſt recinẽtias. Sic πρεσβυτέρους ſeniores. Sic ἐπισκόπους, id eſt ſpeculatores. Sic ἀκολούθους adſeclas miniſtros. Sic διακόνους, miniſtros. Sic Ioannis reuelationem ἀποκάλυψιν. Sic Hieremiæ lamentationes θρήνους. Sic libri Regum ſupplementũ παραλειπόμενον. Sic Hebræorũ umbracula σκηνοπηγία. Sic ex Aegypto deceſſum ἔξοδον. Sic librum quo uolumina quinq; continentur, πεντάτευχον. Sic ſextum diẽ ἑβδομάδα παρασκευὴν, præparationẽ, qua in diem ſabbatũ, quo religioſiſſime ab omni opere Iudæi abſtinebant, neceſſaria omnia apparabant. Sic

λιτανείας

λιτανέας ſupplicationes. Sic tetragrammaton, id eſt quadriliterum inter dei cognomenta adnumerauere, quòd eius nomen apud omnes gentes quatuor literis ſignetur. Sic ſancti ſpiritus celebritatẽ πεντηκοστὴν, id eſt quinquageſimã, quod à paſchate ad illam dies quinquaginta interſint. Haud ſanè aliter dei filiũ patri conſubſtantia lem ὁμοούσιον, quo nomine Ariani ignaros & parum cautos illudebãt, quom percunctarentur, ὁμοούσιον ne an Chriſtũ adorandũ putarẽt: quaſi uero Chriſtus ὁμοούσιος non eſſet. Sic lauacrum regenerationis βαπτισμόν. quaſi quom quiſpiã deuouetur ἀνάθημα dicitur, quòd ab eo ita ſit abſtinendum, ſicut ab his quæ Dis ſunt dicata, quæ ἀνάθηματα dicuntur. Sic adiurationes ὁρκισμούς. &c.

DIALOGVS. CÆLIVS CALCAGNInus, Bonauentura Piſtophilus.

I TA eſt Piſtophile mi, nullum tam magnum malum eſt, cui aliquid boni adiunctum nõ ſit, quod ego ſanè experior. Depulſus enim patria timore peſtilentiæ, & in hos ruſticos receſſus adductus, uitã mihi acerbam exiſtimarẽ, niſi meum hoc quaſi exiliũ paucis libellis & uberiore ocio ſolarer. Nec enim non intelligo, quàm dulci amicorũ conſuetudine careram: quãtas mihi gymnaſij & bibliothecæ quã nuper accuratiſſime inſtruxi, amœnitates ſubtraxerit importuna hæc tẽporum inclementia. Sentio quanto laborẽ deſiderio collegij noſtri, quom ſolitas cõmentationes intermiſſas requiram, quibus non minus deorũ ſanctitas quàm hominum pietas aſſerebatur. Sed hæc omnia incõmoda ſtudiorum fructu & libertate ſolitudinis cõpenſamus. Quantum enim urbanis & forenſibus actionibus detractũ eſt, tantundem lectiõis aſſiduitati & Muſarum commercio adiecimus. PISTOPH. Hoc eſt mi Cæli quod modo tibi ex animo gratulabar. Nam quom tibi carendũ ſit patria, quom neceſſitas quædã, quam tibi ſalutis tuendæ gratia & ſponte & prudenter induxiſti, multa cõmoda, multaſq; dignitatis tuę perfunctiões ademerit: nihil eſt tamẽ quod doleas, quom eas tibi uoluptates nõ modo relictas intelligã, ſed auctas etiã, ad quas te natura formauit, ad quas memini tãto te aliquando animi impetu impelli cõſueuiſſe, ut cæteras omnes uitę actiones auocãmẽta ſoleres appellare: atq; illud cõſtanter aſſereres, aut nuſquã in humana uita felicitatẽ, aut in ſola ſtudiorũ meditatiõe eſſe poſitã. Ob id tãtũ abeſt ut incõmodi q̃q̃ te adiiſſe putẽ in hac ſolitudine, ut te nunc multo feliciorẽ putẽ q̃ putarẽ antea. Quo exẽplo admonitus facile poſſum iudicare q̃ procul ego à felicitate abſim, cui nulla temporũ uiciſſitudo manumiſſionẽ pollicet. Nã & ſi ſumma ſeculi felicitas arriſerit, nulli minus q̃ mihi ea perfruendũ eſt. Ludant alij, iocentẽ, delicias agãt, mihi tamẽ in eadẽ ſpecula permanendũ eſt. Obrutus planè mole negotiorũ, uinctuſq; ad eandẽ cathenam, quę aurea æreaue ſit nihil moror: certe cathenã iure dixerim. Ad hanc itaq; alligatus, totos dies, addo etiã noctes perſæpe peruigil lego aut ſcribo literas, ſed laboriоſas & illiteratiſſimas. quid quom alijs præſcribo, quid ſcribant: quid quom expungo, interlino, immuto quę alij ſcripſerunt: quę plerunq; maiore mihi labore conſtant, quàm ſi meo mihi chirographo forent perſcripta. Quid quom uno quaſi agmine tabellarij toto propè orbe cõuolãt, faſceſq; ſolidos literarũ notis inſcriptos, quas ab Aegyptiorũ cõſuetudine hieroglyphica nuncupari arbitror, cõuehunt. Iis enim, ut noſti, principes arcana inter ſe tegũt & produnt. Eas itaq; notas quàm operoſum ſit enarrare, quanta ingenij & oculorũ attentione explicandæ ſint: tu qui olim inter hoſce cancellos uerſabare tam cõpertum habes, ut non multũ mihi laborandum ſit, quo meos labores intelligas. Qui quom magni ea parte ſint, exiles tamen cenſeri poterunt, ſi cæteris conferantur. aures puta ciuibus præbere. aliorum uota, aliorũ inaniſſimas nugas incredibili patientia tolerare. Poſtulationes, defenſiones, inclamatiõnes adeuntiũ deuorare. De publicis priuatiſq; rebus ad principem referre. multa in diſquiſitionẽ uocare. Triumuiralia reſponſa expectare. Supplicibus libellis ſubſcribere: Amicos demereri: modo liceat. quod ſi non liceat, illis perſuadere, non mihi uoluntatem, ſed aut fortunã ipſis, aut facultatẽ mihi defuiſſe. omnibus deniq; omnino ſatisfacere multo profecto difficilius eſt, quàm ut putẽ à me præſtari poſſe. Nõ negauerim

uerim tamen id mihi esse in uoto præcipuũ. Et hęc quidem lætis rebus suo quasi gradu procedunt. At si quando reflauerit fortuna, si ratio tẽporum obstiterit, ceu nunc plus experimur quàm uelimus, hæc omnia obeunda sunt munia, sed maiore opera. quo enim publicæ res arctiores sunt, eo ciuitas frequentius principis optat prędidia. Nam qui animã reipublicę principem dixere, prudenter uidẽtur animaduertisse, ab eo in omnia ciuitatis membra uigorem spiritumq; uitalem perfundi. Accrescit igitur labor, intenduntur erumnę. Primo enim nihil sine periculo cõficí potest: ingenuaq; illa frons qua solemus accipere accedentes, uix potest exporrigi. Tum ego quasi cochlea nunquã à testa, id est à latere principis, auelli possum. Et collegæ mei uiri clarissimi, qui mihi suppartiario interdum labore adesse solent, tum prorsus abducti ac distracti temporũ cõditione, nihil opis afferunt. Eorum itaq; auxilio destitutus nõnunquã mecum ipse subdubitare soleo, quomodo tanto oneri par esse possim: alioqui quàm sim imbecilli corpore, quàm incerta ualetudine, meo persæpe periculo dídici. Adde quòd omnes ij qui sunt nobis à cõmentarijs, quales Græci ὑπομνηματογράφους uocitãt: nos scribas, aut librarios, aut nouo uerbo amanuẽses dicere possumus. Nam peruulgatã illam Cancellariorum uocem nõ libenter adeo usurpare soleo: uel quòd à latinitate abhorreat, uel quòd nõ omnes eodem ritu interpretantur. Nam & in urbe & aliquot in prouincijs Cancellarius summi magistratus nomenclatura est. Nos nostros subsidiarios & quasi optiones hoc nomine honestamus. Hos omnes inquam princeps quòd parũ turbæ confidit, hac tempestate ablegatos uoluit, prẽter hunc adolescentẽ, cuius ita ingenio operaq; oblector, ut quom hac in ætate magnos profectus agnoscã, maiores tamẽ ampliores q; sperẽ in posterũ. CÆLIVS. Et quis est tã absurdo iudicio, qui Iacobi Azaioli amœnitates nõ amet? cui omnia feliciter Musę indulserũt: seu uorsam seu prorsam orationẽ tentet: seu in Etruscis se numeris exerceat, seu transmarinas ueneres accersat in Latium. Quare nihil mirum est te magnum ingeniorũ spectatorem, hunc tibi ex omnibus delegisse, in cuius diligentia ac fide calamus tuus longa opera delassatus cõquiescat. Sed huius uirtutem puto olim tam illustrem fore, ut suo splendore contentus alienis laudibus non egeat. Quòd uerò ad fortunas tuas attinet, ego te uir optime in summis licet laboribus constitutum fortunatissimũ esse arbitror. Et si ex benefactis cuiusquã genium metiri oportet, ego te Dis immortalibus gratissimum puto.

CÆLIVS CAL. VINCENTIO CAPRILI S.

NESCIO utrum mihi magis dolendũ an gratulandum censeã, quòd pestilente patria & propè in hoc exilium coniectus in aduersam ualetudinem inciderim: quæ ita uim naturæ consternauit, ut iam multos dies liberatus à febre, nondum planè uires colligam, nec me ad pristinas functiones satis confirmatũ intelligam: potior tamen gratulandi ratio est. Nam ea ipsa adeo infensa ualetudo tamẽ summæ uoluptatis mihi occasionẽ attulit, qua nulla aut gratior aut optatior afferri potuisset, quom te uirũ tantæ lectionis, tantæ literaturæ, ueterem etiã amicum nõ solum agnouerim, sed suauissimo etiã tuo affatu perfrui potuerim, quom de simplicibus medicamentis plerisq; recentiorum ignotis disseruerímus. A quorũ hæresi te alienum ad bonarũ literarum professores defecisse, summa cum iucunditate cognoui. Sed illud priuatim ad me attinet, quòd quom de morosa aluo uerba faceremus, qui cũ mihi perpetua lucta est: tu, quæ tua humanitas est, uolens propria animi inductione prouinciã susceptisti condendi cõmentariolum: quo mihi proponeres, quæ ad eam leniẽdam emolliendamq; omni ui abdicata, tibi uiderentur. Quæ omnia à me licet properè ac tumultuario perlecta, tantum tamen ponderis ac grauitatis uidentur retinere, ut nullam inueniã orationem, qua tibi pro tanto beneficio gratias pares agam. Nam si omnibus in rebus nos gratos esse consentaneum est, quanto ei magis qui tuendæ conseruandęq; salutis certã rationẽ proposuerit? Legam exactius ac maturius aliàs quę ad me scripsisti, tibiq; cõmodius nitar gratias agere. nunc id fuit propositum, me tibi significare, breuẽ sed perquàm locupletem cõmentariũ istum accepisse. Qui profecto fuit mihi periucundus, & incredibili

oblectatio

oblectatione affecit. Bene uale uir doctiſſime, & Cælium tibi addictiſſimum ama.

CÆLIVS CAL. HERCVLI BENTIVOLO S.

SVB nomine Aſtartes Sidonij Venerem colũt, magno errore illorũ qui Aſtartem in Areten, id eſt Venerẽ in Virtutẽ, cõmutarunt. Huius uim atq; poteſtatẽ ſecum admiratur Plautina Periſtrata, utpote cui omniũ bonorum & malorũ diſpenſatio debeatur. In eo uero eius numen eſſe admirabile proclamat, quòd quos enecat, id eſt quibus amoris incentiuum adimit: hi uiuunt & ſapiunt. quos autẽ properat alere & erigere, id eſt quos ad amandum prouocat, quibuſq; amoris faces injicit, hi confeſtim pereunt, atq; male ſapiunt miſeri: amore ſcilicet ijs uitæ tranquillitatem iudiciumq; ſubducente. atq; ad hunc modulum cætera quæ eo loco afferuntur, mea quidem ſententia, ſunt enarranda. Bene uale.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLARVM LIBER V.

CÆLIVS CAL. ALPHONSO TROTTO S.

LECTISSIMVM aſparagorũ munus, quod nuper ad me dediſti Alphonſe uir magnifice, occaſionẽ obtulit uiris bene doctis, qui mecum fortè erant in menſa: nonnulla commentandi ſuper aſparagis: quæ tuis auribus non omnino indigna iudicaui. Erãt eorum plericq; in ea ſententia, non fuiſſe altiles aſparagos antiquitati. Id quod Hermolaus cõſtanter affirmat. Nã & Plinius inquit, aſparagus totus in ſpina eſt. Et hũc quidẽ corrudæ nomine appellatũ. Quin & orminon & myacanthon nomẽ habuiſſe à ſpina ſcilicet appellatione indita, ſicut etiã aſparagum nõ aliunde quàm ab aſperitate uocabulum accepiſſe. At ego qui naturã conſtantem & æternam neq; unquam effœtam in ſuis operibus ſum arbitratus, eiusq; perfunctiões immutabiles fuiſſe cenſeo, mites ſeu tu altiles ſeu mauis ſatiuos appellare, antiquitati fuiſſe aſparagos iudico. Huius meæ ſententiæ prompta eſt ratio, quòd locis incultis atq; agreſtibus uideam cultiſſimos & planè urbanos prouenire. quorum miram frequentiam annotaui, quom Pannoniam & extremũ Germaniæ tractum, partemq; illam omnẽ quam alluit Viſtula peruagaretur: ita ut mihi facilè perſuadeatur, naturã magis quàm artem manſueſcere aſparagos uitã docuiſſe. Sed & oculis, qui præſentiſſimus eſt ſenſus, alia accedunt argumenta. Siquidem Plinij uerba ſunt, tritam aſparagi radicem in uino albo potam calculos pellere. Sed ſylueſtrem, id eſt corrudam, ad omnia eſſe efficaciorẽ. Quid quòd idem nominatim aſparagũ in ſatiuum & ſylueſtrem ſecernit? Et quidem ſatiuo proprie aſparagi nomen conuenire autumat. Vnde factũ puto, ut hæc ipſa appellatio in uniuerſitatẽ abierit herbarum tum primũ germinantium: quarũ primos & tenellos adhuc fœtus aſparagos promiſcue dixerũt. Agreſti autẽ & incõdito, nunc corrudæ, nunc myacanthi, nunc ormini, ut dictum eſt, nomen dedit: & ſi pro ormino falſo Plinianí codices horminion, quæ frumenti ſpecies eſt, ſcriptũ habeant. Qua in uoce uideo Iulium Pollucẽ à Plinio in diuerſum abire. Is enim ſylueſtrem ἀσπαραγίδα, ſatiuum autẽ ὄρμινον appellari teſtatus eſt. ſed & corrudæ nomine animaduerto nõ modo ab antiquis agreſtem aſparagũ dignatum eſſe: uerũ & ipſum ſeminarium hoc nomen habuiſſe, ſicut cepinam & bulbinã & id genus alia. In hoc autẽ altero genere ſolia capillamẽti modo gracilia fuiſſe conſtat. quod eorũ errorem manifeſto deprehendit, qui lupulum cũ aſparago confuderunt. quom lupulum cui reptitij cognomen fecerunt: bryoniæ foljs, ſed paulo aſperiuſculis à natura præditũ agnoſcamus. Omnino rem ſeram apud Romanos aſparagũ fuiſſe, & tarde in mẽſam ueniſſe, ſcriptores

prodiderunt:eo argumento persuasi, quòd postremo uolumine Cato de hoc præceptum reliquerit:apud quem tamen nõ aliter quàm semine seritur, ad lineã granis binis ternisúe paxillo demissis, quom postea seri inuentum sit spongijs (sic crassiores coalitasq; inter se appellant radices) singulorũ pedum interuallo distinctis. In harundinetis felicissime nasci idem Cato tradidit. Est enim harundini & asparago naturæ magna cognatio, quam συμπαθείαν Græci dixere. ad hoc etiã ouillo fimo multa gratia est. Hic enim ex omnibus non sinit eum herbascere. Ego certos habeo autores, qui cornibus arietũ tusis atq; defossis prouenire contendant. quod & si prodigiosum putem, ne dum supra fidẽ: ut tamẽ proditum est, ita prodendũ putaui. Plutarchus in libello De præceptis nuptialibus hanc asparagoniã uidetur Bœotũ uocabulo appellasse: quam nouis nuptis præferri solitã memorauit, puero hanc præcinente cantilenam: Malum perdidi, bonum inueni. Solum Rauennatũ huic imprimis accõmodatum legimus, ex quo & spinã Rauennatem ad famã peruenisse constat. In Germania superiore præstantes adeo & torosi celebrãtur, tertij cuiusdã generis incultioris asparago, corruda mitioris, ut Tiberij imperatoris ioco occasionẽ attulerint: In Germania nobilem herbã nasci, similem magis asparago quàm asparagum. Hinc & Augusto dictũ illud arrisit ad ostendendam rei gestæ celeritatẽ, Citius quàm coquantur asparagi. quod utiq; de satiuo intelligendum iudicamus. Videtur aũt Augustus Græcos imitatus, qui peculiariter quod ille asparagis dedit, apuæ pisciculo tribuunt. Sed & medicis asparagi in magno fuerunt ambitu. Vrinã enim cient & renes expurgãt, sed ui sua uesicã exulcerant. Adde quod asparago trito cũ oleo perfusos negant pungi ab apibus. Eius decoctũ adeo canibus infensum putant, ut depereant angina. Sed & decoctum idem ad heminã haustum mirum est quàm nauiter uenerẽ concitet. Illud postremo non prætermittã, asparagum à pronepotibus Thesei qui Ioxides uocati sunt, non minus in honore habitũ quàm Zenoni capparin. Apud quos etiã spinã asparagi & stœbes cremare cõstans religio fuit: quòd scilicet Sinis Pityocamptę filia tuto post patris obitũ in ijs delituisset, quom eam forte Theseus persequeretur. Hæc eorũ fermè summa est, quæ super mensa uiri eruditi attulerunt: quorũ te participem esse uolui, ut tuum magis munus nobis usui palato iuxtà & ingenio fuisse intelligeres, quàm ut liberalitati tuæ hostimentum reponerem. Qui enim hoc fieri potest? quom ego tantũ calamo & quidem sterili in papyro serã asparagũ: tu uero fistuca & subacto quidẽ in solo ac restibili, nec uni tibi, sed amicis tam luculentos alas & propages asparagos. Vale. IIII. Calendas quintiles M. D. XXV. Ferraria.

CÆLIVS CAL. IOANI MANARDO S.

NON tu quidem ouum in urceo, uir optime & rerũ naturæ cõsultissime, ut scribis, subtexisti & aggesto cinere confirmasti, uerũ sepiæ atramentum (quod aiunt) offudisti & tenebris obscuritatẽ iniecisti. Nunc enim demum quid lonchitis non sit, intelligo. Nam quæ tu de gariophyllo ariolaris, penè mihi orationis suauitate & argumentorũ præstigijs persuaseras: sed ea mox ad Lydium lapidem, id est ueritatis coticulam, ueterunq; enarrationem admouendo nulla esse inuenio. Nec enim quæ de lonchitide tradit Dioscorides, gariophyllo conueniunt, si quis diligenter arbitret. Et primũ tantũ abest ut gariophylli folia similia sint, uel certe latiora folijs porri, quod ipse platycarpon, id est lati seminis appellat, ut multo minora angustioraq; deprehẽdãtur. Adde quòd neq; rubentia sunt, sed planè uiridia. In caule autem pingit ἄνθη ὅμοια πιλίσκοις, τῷ τύπῳ δὲ κωμικοῖς προσωπείοις κεχλωσί, μέλανα μὲν, λευκὸν δὲ τί ἀπ' αὐτῶν ἐξέχει ἀπὸ τοῦ χάσματος πρὸς τὸ κάτω χεῖλος, ὥσπερ γλωσσάριον. id est, flores pileolis similes, forma uero comicis personis hiantibus, nigros quidem, sed album quiddã ex se proferentes ab hiatu secundum inferius labrum, ceu ligulam. quod omne specimen gariophyllo deesse oculorum testimonio cõpertum habemus. Nam ut pileola habere contendas, & nigro colore purpureum ferrugineumq; indicari concedã: quis tamẽ comicarum personarum hiatus, quis ad labrum inferius ligulam in eo annotauit? Quis præterea in procarpijs, seu tu magis pericarpijs tuearis, τρίγωνον σπέρμα ὅμοιον λόγχῃ esse dixerit.

Nam

Nam quod tu in gariophyllo ſemẽ appellas, hoc ego nõ trigonũ neq; triquetrũ, ſed planè ad imaginẽ pyramidis in mucronẽ aſſurgens dixerim. Sed neq; dauci (ſic paſtinacã ſylueſtrẽ uocãt) radicẽ quæ craſſa & oblonga eſt, habet gariophyllõ: neq; ſi habeat, ad ciendam urinã in uino miſtam ui pollere, uel fando traditum uel uſu compertũ memini. quod ſi tu tamen medicorũ doctiſſime aſſerueris, tibi facile ceſſerim. Quod ad cætera pertinet quæ oculos autores habent, patere obſecro, qua es animi æquitate, me plus oculis meis, quàm tuæ orationi fidem habere. Vale.

CÆLIVS CAL. ANDREÆ MINOTTO S.

E T ſi nihil mihi tua poſſet eſſe conſuetudine iucundius propter ſummã ingenij tui amœnitatẽ: tamen quoniã hanc mihi uoluntatẽ adimũt frequẽtes tuæ occupatiões, hãc moleſtiã æquiore animo poſthac perferã, quom intelligã ex tuis literis tui apud te Cęlij memoriã eſſe ſuperſtitẽ: tantumq; abeſſe, ut ulla obliuionis iniuria labefactetur: ut ipſa dies, quę alioqui ex amicorũ animis ſemper aliquid atterit, te tamen excitet ad me uehementius amandum: ſentiendumq; de me, quantũ neq; ipſe ſi fuerim impenſe ambitioſus, optare auſim. Quæres non minus mihi moroſa eſt: qui ſciã me tuæ iſti opinioni non eſſe parem: quàm grata, quom te ſentiam hac in re amorẽ non iudicium habere in conſilio. Di faxint ut hæc falſa licet & conficta de me æſtimatio apud te ſit diuturna. Nam quo tu honeſtiore calculo me duxeris exornandum uel immerentem, hoc ego inſigniorẽ auctioremq; tuam erga me beneuolentiã iudicabo. Quod petis à me ex nono epiſtolarum ad Atticum, dicã breui quod ſentio: Lanuuinũ prætoriũ quod Fameæ fuerat, ſub difficultate pecuniæ ſibi Cicero optabat: eam rem, quom nõ eſſet ipſe idoneus, per amicos & neceſſarios procurabat. Non ei uenerat in mentẽ, ut ſcribit Atticus, niſi obiter & inter ſcribendum. Quare aliàs ſe ſcripturũ pollicetur, quotum annũ ageret ea ſtructura: quam ego cementitiã fuiſſe opinor: quam ultra centeſimũ annũ perdurare non poſſe, & ex eius æſtimatione pro annorũ ſupputatione portionẽ detrahi ſolere prodidit Vitruuius. Quin & ſe in ſolo quæſiturũ amplitudinem: quod non modo Romæ propter arearum anguſtias, ſed & in prædio urbano ſolere obſeruare teſtatur. Solum autẽ appellat, in quo more architectonico ædificij ichnographia deſcripta fuit. Illud quoq; addit, ſe uidiſſe deliciatum digamma. Quam ego dictã fuiſſe aliquando ſuſpicatus ſum, ad gamma geminati ſpeciẽ: ſicut & ſigma & zeta accepimus mẽbris quibuſdam ædificiorum & effigiẽ & nomẽ dediſſe. quod deliciatũ uocat, à delicia trabe, quam ita dictã obſeruauimus, quòd per eam imbres deliquentur, ex quo etiã deliciares tegulas antiquitas appellauit. Nunc puto non digamma ſed δαιγράμμα legendum eſſe. ſic Græci formulam uocant ex triquetris & quadratis cõſtantẽ. Poteſt & Deliacũ pro deliciato defendi, quòd Aeginetę & Corinthij & Deliaci in ſtructuris eſſent plus nimio ambitioſi. Malui aũt hæc ad te raptim & illaborata ſcribere, quàm in diẽ diffindere: ne quod in numero Platonis contigit, dum multa meditor, & unum in corpus congero, annus abeat: & quod primo propter immodicã diligentiam extractum eſt, id mox per ſummã negligẽtiam elabatur. Vale. XIIII. Calend. decemb. M. D. XXV. Ferraria.

CÆLIVS CAL. ALEXANDRO PANINO S.

A MO te mi Panine, tum alijs multis de cauſis, tum ea imprimis quòd te uideo ita in ſtudijs diligentẽ, ita aſſiduum, ut omne tempus putes deperire, quod literis non impendatur. aſſecutus es hac aſſiduitate, ut nõ minus proſa quàm uorſa oratiõe inter ſodales ac tui ordinis homines longe præcellas. nihil itaq; poteſt mihi optatius euenire, quàm tuos profectus quacunq; poſſum ratione adiuuare. Tenes autẽ optimè, me non eum eſſe, qui tantum mihi tribuam, ut alios docere poſſe confidã: meq; perſæpe Pythagoricum illud uſurpare ſolere: ὁ διδάσκων, ἀμνὰ κοινωνεῖ. Quoniã itaq; me eum eſſe putaſti, qui poſſem quædam enarrare, quę tibi paulo obſcuriora uidebantur: experiar an poſſim tuo iſti deſiderio ſatisfacere. Spero autem te etiã ſi cætera forte minus probaueris, meam certe

uoluntatem probaturum. In Ouidiano illo ex Heroidibus,

Spes quoq; lenta fuit: tarde quæ credita lædunt
Credimus, inuita nunc & amante nocent.

Putamus spem καταχρηστικῶς pro timore accipiendam. Amorẽ enim diu Phyllidi fucum fecisse, dum morã Demophoontis uario causarũ prætextu defendit. Id fecit ut iam sero credat, quæ citra offensam credi nõ possunt, & quibus etiamnũ animus repugnat. ut intelligamus eam hoc quoq; tẽpore libẽter iniuriam dissimulaturã fuisse, nisi res multo sit exploratior, quàm quæ in amoris latebra delitescat. Iacit eẽ amor ob oculos puluerẽ amantibus, ut nõ facile uideant quæ amori reluctantur. τυφλὸς γὰρ τὸ φιλοῦν πρὸς τὸ φιλούμενον, ut inquit Plato. Sed & quæ Ouidianum illud carmen subsequuntur, liberaliter admodum sententiæ nostræ succinunt. De toga autẽ præxta Appij, audisti puto ex me persæpe quid sentirẽ, quibusq; rationibus opinionẽ quorundam eleuarẽ, qui συμβολικῶς dictum uolũt: destitutã deploratamq; esse rempublicam: & apium herbam quæ mortuis inijciebatur, illi apparari. Ea enim omnia, pace clarissimorum uirorum dixerim, conficta esse ostendit Cicero in quadã ad Q. Fratrem epistola: cuius uerba in tui gratiã nõ pigebit adscribere. De Appio enim loquens ait: Præterea togam sum eius prætextã, quam erat adeptus Cæsare consule, magno hominum risu cauillatus: quod nolit unquã renouare honores eosdẽ, quo minus togam prætextam quotannis interpolet, decernendum nihil censeo. In epistola autẽ ad Gallum ex IIII. Familiarium: Vereor ne in Catoniũ Cato nos: cui lectioni duo eruditissimi applaudunt, ex ueteri codice legendum uidetur, ne in Catonem Catones: inciderint scilicet aut impegerint. ea figura qua dicimus, ne Bithus in Bacchium, malus in malum, Cercops in Cercopa: quom astu astus eluditur, & (ut aiunt) clauus clauo truditur. Non desunt codices in quibus ita scriptum offendas: ne in catonium Catonianos uel Catones. Vt ad Cæsarem dictatorẽ, quem & magistrum populi dixerũt, alludat: moneatq; ut manum de tabula: desinat scilicet in eum scribere qui potest proscribere, ne Catones, id est professores sapiẽtiæ & immodicos defensores libertatis præcipitet in catonium. quod genus dicendi Græci παρονομασίαν, latini adnominationẽ dixere. Manu autẽ de tabula, imitatio est Apellis pictoris: qui se hoc alijs potiorẽ prædicabat, quòd illi nescirẽt tollere manum de tabula. Vale. XII. Calend. decemb. M. D. XXV. Ferraria.

CÆLIVS CAL. LODOVICO BALNEO S.

VMMAM mihi uoluptatem attulerunt filij fratris tui literæ: sunt enim nõ modo generosæ indolis, sed iam propè maturę frugis indices. Nam si maiores nostri eum abunde profecisse arbitrati sunt, cui Cicero placuit: quanto ego hoc iustius & cumulatius existimauerim de eo adolescente, qui iam in ista ætatula eam cum Cicerone consuetudinem inijt, ut eum familiariter euoluat, omnesq; eius aditus prouectioribus etiam uiris ignotos atq; inexcussos exploret: quare ego tibi uir clarissime plurimum gratulor. Siquidem uideo in familia uestra quasi iure hereditario & per manus splendorẽ istum ingeniorum tradi, & claritatẽ literarum reuiuiscere. Quòd si opes ac dignitates à nobis tantopere expetũtur, ut uiuentes bene ac fortunate agamus, nomenq; nostrũ apud plurimos mortales inclarescat: quãto enixius eas animi diuitias amplectamur, quę sunt extra omnẽ fortunæ aleam, & nobis quidem uiuentibus omnia uitæ præsidia, morientibus autẽ immortalitatẽ parant: cætera itaq; ornamẽta, quę uel præclare agẽdo, uel sapienter consulendo cõparamus, possunt fortasse familiam illustriorẽ facere: at studiorũ prærogatiua illam etiã ad æternitatẽ prouehit. Quicquid enim hactenus ab iniuria obliuionis uendicatum est, aut posthac in perennẽ posteritatis ibit memoriã, illud omne sine cõtrouersia literarum beneficio acceptum referri oportet. Nusquam ergo felicius exudare possunt præclare nata ingenia, quàm in hoc disciplinarum stadio, in quo quom Hercules magna cum gloria decurrisset, suum deniq; nomen cælo cõsecrauit. Illa uero mihi propria peculiarisq; est gratulatio, quòd quom nobilissimo adolescenti doctissimi in utraq; lingua adsint præceptores, & ipse per se multa commenta

mẽtari possit, de me tamẽ ita liberaliter ac magnifice sentit, ut quom insignis aliqua difficultas lectionem remoratur, me consulendum existimet. Et licet ego nihil habeã quod de me iure possim in studijs prædicare, præter egregios conatus & eximium quoddam proficiendi desiderium, non est tamen quod eius iudicium improbem: ne fortè quantum de iudicio, tantum de eius in me beneuolentia detraxisse uidear. Quin ego potius experiar, an ad ea quæ erudite percunctatur, possim nõ inerudite fortasse respondere, ne scilicet diutius optimi adolescentis uota suspendã. Sunt qui bus apud Ciceronẽ κωμικὸς μάρτυς uideatur festiuus ac facetus testis appellari: malunt alij ut ὁ πιὸς μάρτυς legatur, ceu tu oculatum & perspicacẽ dixeris. Ego uulgatam lectionẽ tueor, quòd is comicus testis dicatur, qui non accersitus neq; uoluntarius se obtulerit, sed fortuito potius atq; ex insperato, ad summouẽdam scilicet omnẽ dubiæ rei difficultatẽ. Qui mos est comicis, quom comœdia tũ uergit ad castrophen, pacatumq; rerũ exitum postulat. Sic Crito apud Terentiũ, sic apud Plautum Iuppiter & Lar familiaris rem gestam attestantur, ut facile agnoscas Græcũ illud: ὁ θεὸς ἐκ μηχανῆς. Qui apud Ciceronẽ uolũt togã prætextã texi Appio, συμβολικῶς ad remp

deterruerint? quæ omnia quàm uera sint, etiã me tacente & tua reclamante cõscientia, tu ipse per te facile potes cognoscere. Neq; ea in re multus ero: quæ tam male fulta est, ut uel nullo oppugnante per se corruat. Sanè ita obscure abs te de cochleari, de acetabulo, mentio habita est super mensa, ut neq; Pierius Valerianus, neq; Iacobus Zieglerus, duo doctissimi bonorum studiorum proceres, & tibi in conuiuio proximi, ullam omnino mentionẽ habitam meminerint. Ego profecto quom abs te eodem pondere cochlear et acetabulum censeri obiter accepissem, conuersus in Manardum, ceu in honorarium rei latinæ ac medicæ arbitrũ, dixi mihi aliter uideri. cui sententiæ ille nutu magis quàm uerbo subscripsit. Neq; tu eo tempore admodum uisus es reluctari. quid deinde tibi, obsecro, in mẽtem uenit, ut sine cõtrouersia nobis tantam litem intendas? & quom à ueritate nõ possis, à calumnia præsidium implores? & planè non, ut prouerbio dicitur, in sympulo sed in cochleari fluctus moueas. Tum uero te illud miror præpostere fecisse, ut consilia secunda, quæ Græci meliora nuncupatim uocant, tu deteriora cogitando feceris. Ain' tu cochlear & acetabulum eadem fuisse mensura? quî uero hoc probas? ego istius tuę probationis, neq; proram neq; puppim inuenio. moues quidem, ut aiunt, sed nihil promoues. Ego ut me ac sensus meos tibi indicẽ, & te ut par est familiariter adloquar, illud imprimis abs te dissentio: acetabulum nostris dici, quod Græci cotyledona uocitant. Quin & cotyledona pro uase aut mensura inueniri nego. Siquidem nostri acetabulum oxibaphũ non cotyledona sunt interpretati. Nam cotyledona acetabulum dici maluere. Quæ uero ex Plinio, Hieronymo & alijs affers, nihil ad Dionysum, multo minus quod de cotyla: nisi & hoc forte uelis asseuerare, cotylam eandem esse cum acetabulo. Quod si dixeris, uel sexcẽti testes te facile refellẽt. Quin & illud, & si nihil ad cochleare pertineat, negabo tamen cotyledona herbam esse, quæ cymbalaris à uulgo olitorũ appellari solet. Quod sanè miror abs te dictũ, aduersante præsertim Hermolao. Cuius sententiã ita tota epistola habes pro autoritate, ut inde belle corniculam tuã adornaueris. Reliqua tua argumentatio nihil habet ὠθιδεικτικόν. Tota pendet ex coniectura, quam uideor mihi cõmode retorquere in te posse. Nam si thymeleę folia data acetabuli mensura uidentur tibi nimiũ posse aluum deijcere, mihi contrà uidentur cochlearis mensura data parce nimis ac maligne aluum prouocatura. Vtrunq; planè Dioscoride indignum, sed nostrã sententiam iudicio niti, nõ coniectura, ipse ostendit Dioscorides addens: Si cui uero mitior placeat purgatio, & quæ sequuntur. Illud non omittã, thymeleę folia, quam tu fortasse honestius à semine coccum gnidiũ appellatam putasses, non per se sed in pastillos subacta & in diluta potione dari acetabuli mensura: ut ita de eius pondere ac ui multũ detractum intelligas. Quod idem de thlaspi & tithymalo multo iustius dictũ putes uelim. Nam quæ super epithymo in Dioscoridem cõmentaris: ut ab acetabulo ad drachmas quatuor pondus adsurgat: tantum abest ut adsentiam, ut multo magis in diuersum abeam, & non adsurgere, sed decedere atq; imminui pondus existimẽ: utpote quod ab acetabulo ad quatuor drachmas descendat, si modo locus ille satis fideliter in latinitatem migrauit. Facit enim græca lectio, ut sententia illa in disquisitionem uocanda uideatur. ὀξυβάφου πλῆθος πρὸς ὁλκήν. ∠ δ. esse autẽ acetabulũ quatuor drachmis maius Plinius in calce XXI. libri testatur, quindecim ei drachmas tribuẽs. quo testimonio tu prope tua manu causam tuã iugulasti. Sed & Plinio carmina illa Prisciani consentiunt, qui de cyatho loquens inquit:

Bis quoq; hunc faciunt drachmæ, si appendere tentes:
Oxybaphus fiet, si quinq; addantur ad istas.

Et sanè ratio hoc postulat. Nam si confessum est oxybaphum esse quartã cotylæ partem, cotyla autem drachmas sexaginta contineri: nulli profecto dubium esse potest quin drachmæ quindecim oxybapho includantur. Nobis adstipulatur autor Græcus, qui ἐκ τῶν κλεοπάτρας κοσμητικῶν De mẽsuris & ponderibus scripsit: siue is Galenus, ut titulus præfert: siue alius, ut alij sentiunt: & si quisquis ille fuerit, nemo hominem probe doctum fuisse inficiatur. Is inquam hæc de oxybapho: τὸ ὀξύβαφον ἔχει κοτύλης δ', κύαθον α.ς. σταθμῷ δὲ ∠ ιε. oxybaphũ habet cotylæ quartam partẽ, cyathum unũ semis: pondere uero drachmas quindecim. Qui locus corruptissime legitur in

codicibus

codicibus impressis. Et ne quis dubitet cotyla drachmas capi L X, idē author inquit ἡ κοτύλη μέτρῳ μὲν ἔχει κύαθους ς. σταθμῷ δὲ Ζ ξ. cotyla habet mēsura quidem cyathos sex, pondere autem drachmas L X. Ex quibus facile intelligis, quæ sit proportio inter acetabulum & cotylam: quam te apud quosdam religiosos cum ansis obseruasse scribis. Nos cum ansa potius exprimendam putamus. Scribit enim Athenæus, κοτύλης ἐστὶν μόνωτα ποτήρια. Cochlear uero inter mensuras extremo censeri loco uel ex uulgato illo uersiculo notum est: Cochlear extremū est: scrupulicq; imitabitur instar. quod de minori cochleari intelligi oportet. Sunt enim duæ cochlearium species, maior ac minor: minor uero ter maiori capitur. siquidē cochlear maius habet scrupulos tris, id est solidā drachmā unā. De quo idem author Græcus his uerbis meminit. κοχλιάριον ἔχει Ζ ά. Sed tu coniecturali statu non cōtentus, nequid intactū prætermitteres, locum insuper ab authoritate attigisti, quē rhetores ἄτεχνον uocant. Aduersus enim nos Hermolai sententiam, quasi trabalem arietem, protulisti. Et sanè quom multæ semper apud me fuerit existimationis Hermolai authoritas, alterū à me fieri necesse est: uel dare manus falsa asserēti, atq; ita bonā causam prodere: uel, quod Aristoteles cēsuit, nullius authoritate deterreri, quin ueritas fortiter adseratur, præsertim quom aduersus unius testis & eius quidem recentis authoritatē multæ ueterum authoritates præponderent. Sequar tamen illud temperamentum, ut absoluto Hermolao in scriptorē culpam reiiciā, qui pro concha falsō cochlear substituerit. quod non absurdum adeo uideri potest, si quæ scripta sunt in Cleopatræ pigmētariis, annotemus: cuius testimonio usum aliquando Hermolaum animaduerto. Ea sunt. ἡ κόγχη ἡ μεγάλη τὸ αὐτὸ μέτρον σώζει τοῦ ὀξυβάφου. ἔχει γὰρ μέτρῳ μὲν κύαθον ἕνα. σταθμῷ δὲ Ζ. ιε. ἡ δὲ ἐλάττων κόγχη ἔχει μέτρῳ μὲν ἡμικύαθον, σταθμῷ δὲ Ζ. ε. hoc est, Magna concha eandē oxybapho mensuram seruat. Eius enim mensura capit cyathum unum semis, pondere uero drachmas quindecim. Minor uero cōcha mēsura semicyathū, pōdere drachmas quinq; exæquat. Quod omne in Hermolai gratiā dictū uelim putes. Hæc nos uno impetu super cochleari & acetabulo hausimus, plura additurī, si plures authores libuisset excutere: sed hæc quoq; nimis multa fortasse existimabit, qui ex aduerso instructas copias obseruarit. Vale. Ferraria.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

QVOM uenerabilis pater Seuerinus se ad reditum cōpararet, non existi mauī mihi cessandum, quin te meis literis salutarem: quom præsertim tam certi nunciī arrisisset occasio. Illud aūt primum tibi significatū uelim, quod opto tibi felix fortunatumq; sit, certe lætum ac periucundum fore auguror, me febre deo opt. max. liberatū, ut herī acta sit nona periodus, qua febris ad condictū non rediit: quod non antea scripsi ad te, ueritus ne te inani lætitia perfunderē. In multis enim perspectū est febrē dies plusculos latitasse, demū maiore impetu quasi collectis recenter uiribus cœpisse grassari. Quod tamen exemplum abominor, deumq; immortalem obtestor, ut hoc quicquid est lætitiæ certum esse nobis sinat atq; diuturnum. Quòd ad tuas literas pertinet, quę ad me cumulate ac magna rerum sylua congestæ fideliter peruenerunt: illud imprimis ex sententia obtigit, quòd nihil mihi non lætum atq; optatum nuntiarunt. Quàm enim ex animo suspicaris me absentē absenti tibi gratulatum, quom legi patrē illum familiâs peregre aduenientē te ac Martinum nostrum exporrecta ac liberali adeo fronte excepisse: quom tibi honestam Patauino in gymnasio condicionē obiicī: quam tu tamē acerrimus quæstus contēptor pro animi tui magnitudine potius quàm fortunæ angustia respuendam ducis: quom te audio uniuersæ propè isti Venetæ nobilitati esse in delicijs, quom Lazarū, Egnatium, Hispanū hominem ut audio experientissimū, ipsum denicq; Nauagerū familiari tibi cōsuetudine cōiunctos intelligo. gestio propè atq; exulto, neq; me ipsum capio, tanta gaudij uis animū incessit: putoq; ac spero omnia tibi indies fore auctiora, quo tua uirtus pluriū doctissimorum q; testimonio comprobabitur. Illud unum me pupugit, quòd subdubitaui ne tot amicorū frequentia, tāta negotiorum mole, tam instāti patronorū tuorum quotidianum propè pensum

exigẽtium assiduitate obruaris, cogarisq́ bonam eorum studiorum partem, quę iam erant tibi instructa & adornata quom hic ageres, uel prætermittere, uel in aliud tempus extrahere. Quorũ utrunq́ mihi foret permolestum: qui & tuis lucubrationibus perfrui, & te tuam posteritatẽ aliquando uidere, uehemẽter cupio. Quare te hortor ac rogo, nequid tanti putes, quod ocio & studiorũ tuorum cõmodis putes præferendum. Alphonsus Trottus miro desiderio tenetur tuarũ cõmentationum: ex quibus sibi, quod aliàs ad te scripsi, certã æternitatẽ pollicetur. quàm diu eius uotum suspenderis, persuasum habeto, te tam diu de pacta sponsione ac de cõmodis tuis detracturum. Doctissimi Eugubini nostri castigationes uidere tantũ licuit, legere ad hanc diem non licuit: eas Seuerinus noster Bononiã perferebat, obiterq́ mihi uidendi copiam fecit. Ob id iusta propè inuectione sum Eugubinũ persecutus, qui tam indigne illiberaliterq́ nostram amicitiã acceperit, quom de me alioqui præclaram & honorificam mentionẽ in ijs fecerit: quod amicitiæ datum, nõ iudicio, habeo persuasissimũ. De Clemente tibi multã gratiã habeo, & si ego Clementis Stromata expectarẽ, non has toties repetitas recantatiões. Massarij nostri, cuius ego ingeniũ ac literaturã semper plurimi feci, commentarios cupidissime expecto, ut in publicum aliquando prodeant: tum ne eius labores dispereant, tum ut ipse, qui ad hanc diẽ inter paucos delitescit, celebrẽ sibi nominis gloriam inueniat. Quod à me percunctaris, an attilus, quem ladanum uulgaris nomenclatura solet appellare, is sit quem Italia moronem, usonem Pannonia uocitat: paucis respondeo, me eundem non existimare uel ex Plinij testimonio, qui eum Pado uult esse peculiarẽ, quo loco de proprijs quorundam amnium piscibus agit. Sed ego, ut tecum agam liberalius, non modo te ad Plinij, sed ad oculorum etiã tuorum testimonium prouoco. Totam itaq́ attili effigiẽ ac membraturam, quanta potui breuitate perstrinxi: & quom uix satis perspicuè id fieri posset, nisi noti alicuius piscis exemplo uteremur, hyscam seu sturionem, qui nullo fermè loco nõ nascitur, mihi proposui. Qui licet in mari natales habeat, solet tamẽ aduersos amnes mira subire uoluptate, donec iam præpinguis redeat, unde diuertit. Moronis siue usonis exemplo utendum non duxi, quòd neq́ ij pisces promiscuè cognoscantur, neq́ mihi eorum imago satis memoriæ inhęreat. Sic ergo accipe. Attilus hoc differt ab hysca seu sturiõe, quòd sturio pelagius est, attilus amnicus & Pado peculiaris. Sturio nõ temere uisus est æquare pondere quatuor talenta Attica, id est libras trecentas. Plinius scribit attilum ad mille libras, id est supra XIII. talenta excreuisse. Quę magnitudo sanè insignis & raro perspecta. Attilus quom ad certam magnitudinẽ excreuit, squammas hispidas abijcit, quas per quinq́ uersus dispositas gerit: in summa scilicet dorsi spina, ex utroq́ latere geminatas & sibi quasi parallelas: extremus uersus pinnas attingit. His abiectis tactu leuis euadit, nec habet quod unguem offendat. Contrà sturio semper hispidas squammas suas tota ætate retinet. Caro sturionis callum habet, & mirifice palatũ oblectat: attili cõtrà fluxa est ac mollis & palato parũ iucũda. Existimãt piscatores πρότομην, id est partem priorẽ, attili ad posteriorem uix eam habere proportionẽ, quam habent quatuor ad unum. Tota enim uis huius piscis sita est in capite & parte capiti attigua. quę obseruatio & si ad sturionem etiam aliosq́ pisces pertineat authore Aristotele ac Plinio, cuius uerba sunt uidelicet: Capita piscibus portione corporum maxima, fortassis ut mergãtur: tamen in attilo nescio quomodo præter cæteros luculenta est atq́ admirabilis. Parui oculi sunt attilo in tanta mole capitis. Sturio & attilus habent os in parte prona, eo propè loco cui in cæteris perfectioribus animantibus respondent homoplatæ. Os utriq́ sine dentibus, sed sturioni fermè orbiculatũ: attilo multo maius, & ad obliquam lineam incisum: quo aperto uasto illo hiatu pisces deuorat, quos respirando κατὰ διαστολὴν (ita piscatores putant) contraxit. Loca pisculenta maximè frequentat, hiberno præcipue tẽpore, uorticosas uoragines: ad quas pisces frigoris impatientes, teporis gratia se recipiunt. Rostrum sturioni resimum ac latiusculum, ad imaginẽ ferè delphini & oxyrrhinchi: attilo planum est & paulo minus quàm in mucronem desinens. Attilo tergi color albicans & lanosus, sturioni uergit in glaucũ. Quod Plinius tradit de clupea minimo piscium, si attilo cõparetur: quæ uenam quandam eius faucibus mira

cupidine

cupidine appetit, eumq; ita exanimat: hoc sibi ingenue incompertũ nostra ætate piscatores testantur. Cæterũ quòd inertia pingueſcat: quòd cathenato capiatur hamo: quòd non nisi iugis boum extrahatur: hæc & certa sunt, & Padi accolis dant quotidiana spectacula. Et hæc quidẽ de attilo hactenus. Tu bene uale, & me, quod facis, ama. Amicos ac bene literatos, unum imprimis Egnatium meo nomine saluta: & si quid rerum nouarum ad nos è Germania cõmigrauerit, mihi significato. Martinum ex animo saluere iubeo.

CÆLIVS CAL. ANDREÆ MINOTTO S.

NON est uir ornatissime quòd te suppudeat raro ad me literas dare. Nec enim ego in eo censu hominum me adscribi uelim, qui magis desiderio suo quàm amicorum cõmodo amicitias metiuntur. mihi certe nihil esse incõmodum potest, quod tibi ex re tua esse intelligã. Quare posthac officium scribendi nõ iam ex uoto meo (nam sanè ego literas tuas qua sunt elegãtia quotidie optauerim) sed ex rerum tuarũ opportunitate iudicabis. Quod ad cætera pertinet, quæ tu tibi de me polliceris, dabo operam ut nusquam amorem & diligentiã meam desideres: præterea tibi promittere nihil ausim, ne fortè opinio quam de me concepisti ea expectet, quę uires & captum longe superẽt. Scio enim te, quoties de me sententiam pronuntias, amorẽ magis quàm iudicium in consilio habere. Petijsti uero à me nuper qui nam sit Platonis numerus, quo Cicero testatur Oppiorũ ænigma multo esse difficilius & obscurius. Poterã ego tibi facile respondere, me non esse tanti, ut putem mihi quicquã esse perspicuum quod Cicero sibi obscurũ putauerit. Sed quom intelligam te nõ hoc à me expetere, ut Platonis numeros enarrẽ tibi, rem scilicet à ueteri academia sæpe in disquisitionẽ uocatam, nec dum tamen à quoquã satis explicatam: si Platonis rationem in numerorum cõmentatione ascripsero, abunde uoluntati ac desiderio tuo satisfactũ putabo. Plato existimauit aliquid esse quod semper sit, neq; ullum habeat ortum. Rursus aliquid quod gignatur, neq; unquam sit. Illud scilicet diuinitati, hoc mortalitati tribuens. τὸ μὲν ὂν ἀεί, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον. καὶ τὸ γιγνόμενον, οὐκ δὲ ὄν ποτε. Philosophi inter hęc media quędam statuerunt, quæ simplicia quidem sint, & seorsum à materia cognoscantur: materiæ tamen ita adiuncta, ut animo fortasse, re autẽ neutiquam, possint à materia seiungi. Hęc mathematica appellauerunt. In ijs numeri figuraq; & cõcentus censentẽ, sed numeri qua sunt simplicitate longe præstant, ac ad res diuinas propius accedũt. Concentus uero & figuræ quanto concretiores sunt, tanto à diuinitate longius abscedunt. Quare hic mos Platoni est, ut neq; melius neq; commodius speret se diuina posse enarrare, quàm si ea numeris expresserit: quando nihil est diuinitati propius, quod ab homine agnoscatur, quàm numerus. Proinde etiã in mente summi opificis numeros fuisse dixit, quom ad hanc rerum molem perficiẽdam se accingeret. Quin & mundi animã, quasi diuinitatis & mortalitatis scilicet utriusq; naturę participem, tum numeris tum figuris & concentibus constitutam affirmat. Cuius constitutionis enarrationẽ non alia de causa adscribam, nisi ut certũ habeas sub manu exemplum: quo agnoscere possis, cur potissimũ Cicero uim obscuritatis à Platonis numero significauerit. Faciamq; id aptissime Cicerone ipso interprete. Verba Platonis sunt ex Timæo. Animũ autẽ, ut in eius medio collocauit, ita per totum tetendit: deinde eum circumdedit corpore, & uestiuit extrinsecus, cęloq; soliuago & uolubili, & in orbem incitato cõplexus est, quòd secũ ipse propter uirtutẽ facile esse posset, nec desideraret alterũ, satis sibi ipse notus, & familiaris. Sic deus ille æternus hunc perfecte beatũ deum procreauit, sed animũ haud ita, ut modo locuti sumus, tum deniq; quum corpus ei effecisset, inchoauit. Neq; enim esset rectum minori parere maiorem. Sed nos multa inconsiderate, ac temere dicimus. Deus autẽ, & ortu uirtute antiquiorem genuit animũ, eumq; ut dominum, atq; imperantem obedienti prefecit corpori, idq; molitus tali quodam est modo: ex materia quæ indiuidua est, & quæ semper unius modi suiq; similis, & ex ea quæ corporibus diuidua gignitur, tertium materię genus admiscuit ex duobus in medium, quod esset eiusdem naturæ, & quod alterius, idq;

interiecit

interiecit inter indiuiduum, atq; id quod diuiduũ esset in corpore. Ea quũ tria sumpsisset, unam in speciem tẽperauit, naturamq; illam quam alterius diximus, uel quũ eandem coniunxit fugientẽ, & eius copulationis alienam permiscens cum materia, quum ex tribus effecisset unum, id ipsum in ea quæ decuit membra partitus est. Iam partes singulas ex eodem, & ex altero, & ex materia temperauit. Fuit autẽ talis illa partitio. Vnam principio partem detraxit ex toto: secundam autẽ primæ partis duplam: deinde tertiã quæ esset secũdæ sesquialtera, primæ tripla: deinde quartam quæ secundæ dupla esset: quintam inde quæ tertiæ tripla: tum sextã octuplam primæ: postremo septimã, quæ septem & uiginti partibus antecederet primæ. Deinde instituit dupla & tripla interualla explere, partes rursus ex toto desecans: quas interuallis ita locabat, ut in singulis essent bina media. Vix enim audeo dicere medietates, quas Græci μεσότητας appellant: sed quasi ita dixerim ita intelligatur, erit enim planius. earum alterã eadem parte præstantẽ extremis, eademq; superatam: alteram pari numero prestantem extremis, pariq; numero superatam. Sesquialteris autẽ interuallis, & sesquitertijs, & sesquioctauis, sumptis ex his colligationibus, in primis interuallis sesquioctauo interuallo sesquitertia omnia explebat: quum particulam singulorum relinqueret. Eius autẽ particulæ interuallo relicto habebat numerus ad numerũ eandem proportionẽ, comparationemq; in extremis, quam habẽt CC.LVI. cum CC. XLIII. atq; ita permixtum illud ex quo hæc secuit, iam omne consumpserat. Hinc facile colligere potes Platonici numeri difficultatem atq; obscuritatẽ. Est enim necesse qui hæc cõtemplatur se uniuersum à sensibus auocet, atq; in animũ abeat. Sensus enim, & uis animi quę à sensibus simulacra mutuatur, in nos tyrãnidem exercet, ut egregiè Plato testatus est. Hic uero numerorũ usus Pythagoricis peculiaris fuit, & ab ijs in academiã profectus est. Certe Pythagoras ita numeros diuinitate consecrauit, Deisq; numerorum nomina imposuit, ut etiam inter deorum indigitamenta numeros adscripserit, unitatem Apollinẽ, binarium Dianam, septenariũ Palladem, primũ cubum, id est octonariũ, Neptunũ appellãs. Idem monada prudentiæ, diada fortitudini, triada tẽperantię, tetractyn iustitię tribuit: per quam etiã solẽne iusiurandũ concipere cõsueuerat. Et hæc quoq; ut facilius animo cõcipiamus, ea certa forma effingere & oculis obijcere nõ existimamus inutile. Primus duplorũ limes ad sinistrã positus, sex & duodecim finitur. Senarius enim bis repetitus duodenarium promit.

LIMITES CVM SVIS MEDIIS.

DVPLI VI. TRIPLI



Inter utrunq; octonarius & nouenarius proportiones certas habentes inter se. Nam octo senario epitritus est. Tertia enim parte VIII. eum superat, id est binario. nam ter duo sex. at ipse VIII superatur à duodenario media parte, quæ tertia est XII. quatuor scilicet. Nam bis quatuor VIII. ter quatuor XII. Sic nouenarius senario est sesqualter. Totum enim capit & eius dimidiam, id est tria. ad hunc XII. epitritus est. Eum enim includit, & eius tertiam. At duæ ipsę medietates octonarius scilicet &

cet & nouenarius rationē habēt epogdoā, quam Cicero ſeſquioctauā nuncupauit. Nouē enim octo cōtinent & unū præterea, & ſanè ita fieri opus uideť. Obſeruarunt eм Arithmetici quoties duo numeri cōiungūť, quorū alter ſeſquitertius, alter eſt ſeſqualter fermè ſemper epogdoū eſſe oportere. exēpli gratia XL. ad XXX. epitritus eſt, XLV. ad XXX. ſeſqualter, ergo XLV. ad XL. epogdous eſt, id eſt ſeſquioctauus. Nam octies quinq; reddunt XL. Quod autem diximus de primo limite, id eſt ſex & XII. idem puta de ſecūdo limite dictum, XII. ſcilicet & XXIIII. duabusq; inter eos medietatibus, XXXII. ſcilicet & ſex & XXX. duplorū limites, qui tres ſi niūt. idē quoq; de tertio, XXIIII. ſcilicet & XLVIII. & duobus mediſ XXXII. & XXXVI. At XLI. ad dextrum latus traiiciamus, quo loco tripli numeri conſtituti ſunt: eandem rationē ſed nō eodem modo inueniemus. Sicut enim ſex ad XII. duplicauimus in primo limite duplorū: ita hoc loco ſex triplicemus ut fiant XVIII. & primus triplorum limes abſoluatur. Medietates duæ IX. & XII. qui numeri multam habent inter ſe proportionē. Nam IX. ad VI. ſeſquipla proportio eſt. ad XII. dupla. Sex ad XVIII. ſeſqualtera. IX. ad XII. ſeſquitertia, ad XVIII. dupla: XII. ad XVIII ſeſqualtera. Et ne longiores ſimus, eadem uariſ modis & rationibus inuertentes & complicantes: in ſecundo limite triplorū qui eſt à XVIII ter repetito ad LIIII. inter quos medietates ſunt XXVII. & XXXVI. item à tertio triplorū limite qui orſus à LIIII. portēditur ad CLXII. quorū medietates LXXXI. & CVIII. ſunt: eaſdem rationes epitritorum & hemioliorum obſeruabis. Has uero numerorum proportiones malunt Platonis ſectatores ad rationem harmonicam referre quàm ad arithmeticam aut geometricam. Arithmetica enim non ubiq; quadrat, & multis locis à iuſto aberrat, ut etiam Ariſtoteles oſtendit in Ethicis. Geometrica uero nimis iuſti tenax eſt, atq; animæ in corpus abeunti parum accommodata, quom extrema diuerſa per eius rationem nō poſſunt cohærere. Quom uero neutra conueniat, utraq; tamē graphice cōuenire poteſt. Cohærebunt enim inter ſe animæ partes exactiſſima ratione, quam Geometricā diximus. Cohærebit deinde ipſa corpori ratione arithmetica, quom à ſe degenerās & ab unitate declinās in binariū ſcinditur. Et quoniā harmonica ratio utriusq; rationis compos eſt ac particeps: inæqualem enim quādam habet æqualitatem, & diſſimilibus adæquat ſimilia, & concentus conſtat ex diſſonis: merito animæ rationē harmonicæ perſimilem putauere: præſertim quom ſicuti anima media eſt inter æterna & mortalia, & utraq; non ſolum conciliat, ſed etiam cōtinet. Quin & ipſa compoſita eſt, indiſſolubili quamuis cōpoſitione, ita ſcilicet ſummi opificis uoluntate præſcribente. Eodē modo harmonicus concentus ex medio fiat elemento, aere ſcilicet, & motu orbiculari ad aures feratur, & inter Mathematicas diſciplinas media ſit: utpote quæ neq; numeris careat neq; menſuris, & ſtellarum anfractus moderetur, & una omniū maximè in ſuos orſus ſuamq; diuinitatem primogeniam animos reuocet. Quare Platoni nihil ſe obtulit quo melius animæ ſtructuram effingeret, quàm hac ipſa harmonicæ rationis concordia: quæ planè diſſidentia, acuta ſcilicet & grauia, cōtemperat. Sonos uero, quos Græci φθόγγους uocāt, numeris cōuenire primus omniū proditur Pythagoras obſeruaſſe: quod & Chalcidius & Boetius apud noſtros, Ptolemęus & Plutarchus apud Gręcos, præter alios probauere. Quom enim ſymphonia conſtet ex uocibus acutis & grauibus, propter quod eam Martis & Veneris filiā ueteres prodidere: acutas uero uehementi ac citato pulſu, contrà graues leni & ſegniore prodire intellexerint, oualiq; forma ad aures ferri, cuius acumen uox teneat octaua: Pythagoras ex malleorum percuſſu harmonię rationē meditatus, fidibus pari craſſitudine ac proceritate nō paria appendit ponduſcula. Iis deinde percuſſis, prout plus minusue intendebāt aut remittebāt conſonantiarū differentias obſeruauit. Nam quibus exempli gratia pondus fuit unciarum trium, ad eas quæ unciarum quatuor pondera habuerunt, ita ut in iſs ratio epitrita agnoſceretur: annotauit harmoniam effici quam διαπασῶν appellauit. Rurſus in iſs quæ ſenas uncias pendebant, quom ad chordas unciarū quatuor conferebantur, ita ut inter ſe dimenſionē haberent ſeſquialterā: harmoniæ ſpeciem animaduertit, cui διαπέντε nomē impoſuit. At ſi octo ad quatuor referas, inter quę dupla eſt

propor-

proportio, διαπασῶν harmoniam euadere iudicauit: quæ ex διατεσσάρων & διαπέντε symphonijs coalescit. Diatessaron uero duobus tonis & hemitonio: diapente tribus & alio hemitonio dimensi sunt. quæ si ad primum diapason accedant, Dis diapason constituēt. Et sanè octo toni si quatuor conferantur, dupli sunt, & bis quatuor, id est bis epitritum includunt. Quatuor enim tribus collata rationē habere sesquitertiam, nemo non nouit: sicut tribus ad duo rationē inhærere sesquialterā. Alioqui uocum differentias septem esse constat, sed repetitionē multiplicari. Hinc Musici octauam primæ eandem esse, atq; ideo consonā consimilemq; dixere. Tonū uero, id est plenū & suos numeros habentē sonum, cum nouenario habere proportionē putauere: quē ideo Græci ἐπόγδοον dicunt: Cicero sesquioctauum interpretatur. Sicut autē nouenarius in duas æquas medietates diuidi nō potest, ita nemo tonum in duo possit æqua hemitonia partiri. Ex ijs ergo alterum maius à nostris, à Græcis ἀπρώμη: alterum minus, à Græcis λεῖμμα, à Platone peculiari nuncupatione λεῶμα uocitatur, nos hemitonium minus uocamus. inter hæc duo Plato ostendit eam esse differentiam, quę inter CCLVI. & CCXLIII. cognoscitur.

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ ANGIARIO S.

ROGAS me literis, ut ad te perscribam, quem nam ego piscium hac ætate putem eum quem lupum ueteres uocabant: atq; imprimis eo me inuitamento allicis, quo potuisti maximè deterrere. Scripsisti enim me, si id fecero, rem gratā facturū clarissimo huius ætatis iurecōsulto Hippolyto Quintio. Quid ais tu? an quod ego ad te familiariter scripsero, hoc est Hippolyti Quintij uiri summa eruditiōe summaq; authoritate præditi iudicium subiturū? Parcius oportuerat te tanti uiri laudes prædicare, quom apud nos ageres, si me audacem in scribendo esse uolebas. Nunc cunctatius agam oportet, in re præsertim controuersa, de qua non idem omnes sentiūt. Nam alij lupum sturionem, alij lucium, alij troctam, alij, quibus ego assentior, spicolam esse uoluerunt. Nostri uariolū dicūt. & sanè Columella duas luporū species cōmemorauit, quippe alios lanatos, alios uarios appellans. Lanatos Plinius à candore & mollicia dictos esse uoluit: uarij dicti sunt, quòd uarijs sint distincti maculis, quas & nos in uariolis nostris spectamus. ijdem pelagij, ijdem amnici sunt. Nā & mari & fluminibus iuxta capiūtur. Bis anno pariunt, deprehensi infra rete fodiunt harenā, & quasi per cuniculum elabuntur. Quòd si rete se implicitos senserint, quāto possunt impetu in rete grassantur ut discerpant, & sibi exitum parent. uiolentum enim omnino animal, & quod à suis uiribus præsidium petat: ex quo nostri lupum, Græci λάβρακα dixere. Hæc omnia in uariolo se animaduertisse nostri piscatores magno consensu testantur. Laudatissimi existimati sunt apud ueteres qui Tyberim subibāt, atq; inter duos pontes pascebantur, soliti (ut ille inquit) mediæ cryptas intrare suburræ: ob id interpontani nūcupati. de quibus Horatius:

Vnde datum sentis, lupus hic Tyberinus, an alto
Captus hiet: pontes ne inter iactatus, an amnis

Hostia sub Tusci? quib. quom L. Philippus homo argutissimi palati esset adsuetus, atq; ita contigisset, ut apud hospitē Cassinensem lupū gustasset ex proximo lacu captum, expuit & probroso dicto persecutus est. peream, inquit, nisi piscē putaram. Illud mirari subit, cur Plinius lanatū à candore & mollicie dictum putarit: quom lupus nulla magis dote censeatur quàm quòd callum habeat: quē frequenti natatu & assidua agitatione sibi conquirit. Vetus enim dictum est, eos esse optimos pisces, qui carni sunt simillimi: optimas uero carnes, quæ piscibus proximæ sint. Ad quod alludit Philoxenus illo carmine: τῶν κρεῶν τὰ μὴ κρέα ἥδιστά ἐστι, καὶ τῶν ἰχθύων οἱ μὴ ἰχθύες. ceu ex duobus illis contrarijs, duricia carnis scilicet & mollicia pisciū, cinnus quidā fiat palato gratissimus. Et sanè nostri nullos habent pisces laudatiores. Nam & duriores qualis est salpa, & molliores qualis est apua, æquè aspernātur. Sentētiæ uero eorum qui diuersa senserunt, propè ad unam omnes explosæ sunt. Nam sturionem nō esse lupum satis illud declarat, quòd lupus dentibus sæuit: quibus prorsus caret stu-

rio, qui

rio, qui ſuctu propemodum & paruis piſciculis ſibi uictum uenatur. Quo argumento obiter etiã agnoſcitur ſilurum nõ eſſe ſturionẽ. Lycium autẽ hoc ipſo nomine appellat Auſonius, eumq; inter ignobiles ob ingratũ odorẽ adnumerat. Certe lucius noſtri tẽporis inter amnicos tantũ cenſetur, ſicut & trocta: quom lupus in mari frequens capiatur. Qui à ſententia noſtra diſſident, hoc argumento utuntur, quòd Ariſtoteles lib. octauo De animalibus, & Plinius libro nono Naturalis hiſtoriæ, lupos inter eos piſces recenſeant qui lapidem habeãt in capite, & algore infeſtentur. quis uero ſit lupus hac ætate, ingenuè ſe neſcire fatentur. At ego authores habeo piſcatores primi nominis, & ipſe comminus annotaui, in uariolorum capite officulum eſſe, dum primæ adhuc ſunt ætatis, quod deinde ætate ingraueſcente obdureſcat in lapidem. quæ ratio cæteris argumentis propemodum colophonẽ addidit, ac planè mihi perſuaſit, lupum non temere à noſtratibus uariolum exiſtimatũ. Habes Ioannes Baptiſta ſuauiſſime meam ſuper lupo ſententiam amice quàm ambitioſe ad te perſcriptã. quod ſi uidebitur tibi, nam tibi huius rei liberũ iudicium relinquo, doctiſſimo Quintio cõmunicabis: tecũq; ita colliges, tuas poſtulationes, uiriq; de literis optime meriti nomen, tantũ apud me pondus habuiſſe, ut meæ exiſtimationi quàm ueſtræ uoluntati deeſſe maluerim. Vale. Ferraria.

CÆLIVS CAL. BAPTISTÆ FIDELI S.

EPISTOLAS dicã an uniones quos ad me dederis neſcio: ſanè ſi tãtas ingenij opes in exilem orbem circumactas ſpectes, uniones multo præſtat dixiſſe, ſed literarios uniones, ſed Muſarũ & Gratiarũ manu expolitos. Nec de Petro Bembo profecto mirũ aut parum perſpectum quicquam obtigit mihi: cuius antè ingenium, elegantiã, in dicendo felicitatem planè nouerã. At tu omnino mihi admirabilis occurriſti: cui tanta in ſcribendo ſuauitas, tanta uis, ut quaſi philtro quodam poſſis animos in quancunq; ſpeciem rapere, atq; in tui amorem, tuo arbitrio cõcitare: ut nõ iniuria poſſim florentiſſimæ ac fortunatiſſimæ urbi Venetę gratulari, ex qua magni & celeberrimi heroes, tanq; ex Argo naui, ſingulo propè die prodeãt. Quantum ergo putas me tibi hoc nomine debere, quòd tuas haſce ſuauitates ac delicias tecũ mihi cõmunes eſſe uolueris, in quibus uideo te ac Bembũ diuerſa propè ratione, parẽ tamẽ laudem eſſe adſecutos. Tu graui & ſolida oratione fidei magis famã quàm eloquentiæ emereris. Ille uiuo quodã & actuoſo dicẽdi genere omnes oratorias ueneres exprimit. Tu priſcorũ artificum more, qui quatuor contenti coloribus opera illa nunquam ſatis laudata perfecerũt, ſumma ſimplicitate diuinum illud omne artificiũ abſoluis. At noſter Bembus quàm cõmode nunc aſſurgit, nũc arridet, iocatur, blanditur, ubiq; nouis affectibus lectorem allicit, deuincit, nullo non loco noua emblemata affingens, ubiq; quaſi purpuræ aureolum clauum interſerens: nunquam idem in tanta uarietate, nunquam non ſuauis, non amœnus, non ſe ipſo maior. Tota enim textura quaſi pratum uernis coloribus picturatum natiuis ſubinde gemmis & recentibus floſculis germinat: ut qui legit habeat ſemper quod admiretur: ubi interſpiret, aut cõquieſcat, habeat nunquã. Sed quid ego nũc molior, qui more Phidiæ duos tam eximios leones ab ungue metiar? Nam ſi rei breuitatem animaduertas, uix ex teſtimonio Ariſtotelis pulchritudinis nomen capiat: apta tantum & uenuſta & excellentis ingenij opus appellari poſſit. Ex quo non me pœnitet tam bellis epiſtolis unionũ potiuſquã epiſtolarũ nomen tribuiſſe, utpote quibus non amplitudo, ſed candor & eximia quædam formæ præſtantia æſtimationẽ fecerit. Cur uero ſuburbanis & Hadriaticis oſtreis Bembus noſter palmã dederit, non ſat uideo: quom externa Mutianus Cyzicena omnibus facile prætulerit: aliq; Britannica, & quæ uel à magnitudine tridacna appellauerint, quòd uix terno morſu confici poſſent: uel ab elegantia calliblephara dixerint. Ex noſtratibus Brunduſina & Circeienſia nepotum omnium conſenſus cõmendauit, uel noto illo Horatij teſtimonio,

Oſtrea Circeis, Miſeno mittuntur echini.

Quòd ſi coniecturę locus detur, puto Bembum uirum ea doctrina & authoritate, ut

nihil ab eo temere aut parũ cõsulto proditũ suspicari liceat, de ostreis idem putasse, quod de lupis inter duos pontes captis Romani existimauerũt: quos ea ratiõe melio res palatoq; aptiores pronũtiarũt, quòd propinqua illuuie, quæ ex cloacis & foricis defluit, saginentur. Etsi non me fallat Pliniũ ita prodidisse: ostrea spissa potius crassi tudine spectãda quàm latitudine, neq; in luto capta neq; in arenosis. Tametsi ego in Bembi gratiã longe diuersum putem, an in luto, an in pingui pabulo quis capta dixe rit. Illic spurca & immunda, hic pleniora habitioraq; efficiuntur. Adde quòd in ma ri nata, aquis uero dulcibus educata, primo censu habentur. Ex quo fit ut optima iu dicentur, quę ijs aluntur locis quò flumina inuehũtur, qualia suburbana Venetæ ur bis uidemus, quę multis fluminibus alluunt: quę res potest ostrea multo reddere cõ mendatiora. Hæc illa sunt scilicet quæ gloriã mensis pepererunt, quorũ spondylus (ita carnem interiorẽ uocamus) plus habet calli. Hæc sunt deniq; quæ uulgato pro uerbio, uiduarum cupedias appellauit antiquitas. Sed hactenus liceat ab unionibus ad ostrea, à præstantissimo aurium ad uilissimũ palati sensum orationẽ deflexisse. Tu uale, & me ama tui studiosissimum.

CÆLIVS CAL. IOANNI BENEDICTO S.

NON multum tibi laborandum est uir optime, ut tuam exacta excusatio ne negligentiam uel in scribendo, uel in me inuisendo redimas. Nam si mutuas operas das in amore, abunde mihi satisfactũ puto. Quę apud Ciceronem lectionẽ tuam morãtur, in uitium potius codicis quàm tui tarditatẽ ingenij reijcienda sunt. quippe si in epistola Seruij Sulpitij su pra Maleã legeris, omnem protinus difficultatẽ ademeris. Veteres certe codices ma leas, id est uestigium legitimæ lectionis adhuc retinent. Maleam autẽ esse promonto riũ, unde inchoat Peloponnesus Corinthiaca, neq; tu neq; doctus quisquã ignorat. Quòd uero euntibus ex Italia Athenas aut Athenis in Italiã Corinthiaca Pelopõne sus occurrat, satis cõstat uel ex altera Seruij Sulpitij epistola, qua Piræum à dextra, Corinthum describit à sinistra. In epistola uero ad P. Sextium procõsulem: sic enim malo quàm ad Lentulum. Veteres codices in diuersum abeunt, sed ego illam ueram ac legitimã lectionem puto. Omnino semissiũ magna copia est, ut ad usuras semisses referas. Eo enim loco de fœneratoribus agit Cicero. Quæ uero sint usuræ semisses, & quòd annuũ centesimæ semissem reddant, unde etiã nomẽ acceperunt, ex tuis lu reconsultis puto te optime nosse. Vtitur & Cicero frequenter hac uoce, ut in oratio ne pro Sestio: Remissis semissibus & triẽtibus quinta propè uectigalium tolleretur. Et in Rhetoricis ad Herennium, lex frumẽtaria de semissibus & trientibus. Nec me fugit, eodẽ Epistolarũ libro in epistola quadã Vatinij, semissem hominẽ pusillum & propè semihominẽ uocari: sed ad hunc Ciceronis locũ nihil pertinet ea significatio. Cæterũ eas animorũ cõmutationes quæ inter me nepotemq; meũ nuperrime inter cessere, persuasum habeo, tibi utpote uiro bono & nobis multa beneuolentia cõiun cto, ingratissimas extitisse: sed ita expedit ut aliquando cõtingat in rebus humanis, ut discamus neq; nobis neq; nostris multũ confidere. Quòd uero in aulam, uel ut re ctius dicam in ædes paulo frequentiores te fortuna adegerit, non est quod multum queraris. Nam qui cũ ingenijs conflictantur huiusmodi, & constantiã præstãt, scias hos iam suæ uitæ habere modum: & in Sirenum quidẽ scopulos impingi posse, alli di autem non posse. Vale. Ferraria.

CÆLIVS CAL. ANDREÆ MINOTTO S.

PROBO admodum ingeniũ tuum mi Andrea. uideo enim te neq; oscitanter neq; negligenter optimorũ auctorum lectionẽ adire, sed exacte & accurate singula quasi in trutina pendere. Quare necesse est, ut mul ta annotatione digna occurrant, multa etiã ambigua & ancipitia, quod hoc per incuriam agentibus non accidit. neq; enim aut illustria seligunt sibi ceu in promptuario, depromenda quom se obtulerit occasio: neq; obscurioribus inhærent, ut lucem afferant: sed æque illis omnia præterfluunt. Est autem uerbum

Aristote

Aristotelis, τὸ μὴ πάνυ διηπορηκέναι περὶ ἑκάστου τῶν ἀρχαίων, id est, de singulis non inuti le esse dubitare. Illud uero plenũ humanitatis, quòd tu singularis doctrinæ ac excellentis ingenij uir illa quę dubitationẽ ingerunt, ad me referas: quasi nõ tu ipse tibi in maxima quaq; difficultate nõ adesse modo, uerum & superesse possis. Morem tamẽ geram tibi, non opem equidem ingenio tuo, quo minime opus, afferens, sed uoluntati potius tuæ obsequẽs. Quare sic habeto quod petis. Versurã facere nil esse quàm creditorem cõmutare, ut quom uni desinas debere, alteri obligeris, quod in magna difficultate pecuniæ fieri solet. Hinc illud in XVI. ad Atticum, Iniquissimo fœnore uersurã facere Aurelius coactus est. Atq; ita illud in Vita Attici intelligẽdum, quòd quom Fuluia uxor M. Antonij secunda fortuna & tẽpore felicíore fundum emisset in diem, id est cuius precium certo & præscripto die repræsentaret: neq; post calamitatem, id est post uictum Antoniũ uersuram facere potuisset, id est mutuari aliunde pecunias ut priori creditori satisfaceret & alteri debere inciperet: ipse Atticus se interposuit, & pecunias sine fœnore, sine stipulatione credidit. Quod autem scribit, in familia Pomponij fuisse pueros literatissimos & optimos Anagnostas: tu lectores intellige, qui uel cœnante uel aliud agente domino lectioni operam darẽt. Quare & paulo post inquit. Nemo in conuiuio eius aliud acroma audiuit quàm Anagnostem, id est, non aliam accepit auditionẽ quàm lectoris, ut facile putare possis & moriones & pantomimos ab eius mensa relegatos. Quod uero in didascalica ad Q. fratrem epistola scribitur, accensum in eo numero esse debere, quem maiores uoluerunt: qui nõ in beneficij loco, sed in laboris ac muneris, non temere, nisi libertis suis deferebant: accensi nomine ministrũ & apparitorem proconsulis accipe, sic dictum ab acciẽdo, id est aduocando. Præconis enim more & quirites & prouintiales ad magistratũ ac ciebant. Sic Liuius singulis nouem ex decemuiris scribit accensos apparuisse. Et Plinius in VII. diei partibus pòst adiectũ meridiẽ, aliquot annos accenso consulum id pronuntiante, annotauit. Vale.

CÆLIVS CAL. GIRARDO GYRALDO S.

VERVNT mihi pergratæ tuæ literæ uir optime atq; doctissime, tum propter summam elegantiam qua polles, tum quòd uiuere apud te tui
F Cælij memoriam abunde testantur: ut neque temporum neq; locorum interualla quicquam ex ea detriuisse uideantur. Quòd uero tantum mihi tribuas, quantũ uel si omnium ambitiosissimus sim, non agnoscam: intelligo quantum humanitati tuę debeam. Ego uero uolens tibi omnibus subsellijs cedo. Ea una in re operam dabo, ne in hoc amoris & beneuolentiæ stadio herbam porrigam. Cæterum luculentã orationem tuam quàm sub censurã meam misisti, ita omnibus numeris expolitã inueni: ut suo splendore contenta parum alienis opibus indigeat. Eam profecto cupidissime legi: illudq; admiratus sum uehementer, quòd tam breui ambitu, tam exacte colores omnes oratorios collegeris, singulisq; atq; uniuersis collegis tuis ita gratias agas, ut priuatim & publice omnibus cumulate satisfeceris. Quòd autem expetis cõsilium meum in permutandis sacerdotijs, ingenue tibi sententiã meam aperiam, nihil est quod aut à principe aut ab amplissimo antistite ueniam petas. Eorum enim uterq; iustissimus est, neq; homines liberos in mãcipium trahunt. Quare tibi rem omnem integram scito, utpote quę ex uoluntate tua omnis pendeat. Cui si Apostolicæ sedis calculus accesserit, nõ est quod alterius cuiusquam arbitrium expetas. Siquid est præterea quod opera mea tibi possit accommodare, me uotis tuis perpetuò expositũ fore tibi persuadeas. Vale & me ama tui amantissimum. Ferraria nono Calend. septemb.

M. D. XXIII.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLARVM LIBER VI.

CÆLIVS CAL. FRANCISCO PERENNI Episcopo Vuaradinensi.

DIFACERENT præsul amplissime, ut ego is forem, quem amici plus amori scilicet quàm iudicio indulgentes, uel optant, uel effingunt. Longe enim meliore loco sita foret spes mea: & quom nunc planè animũ desponderim posse unquam tantæ tuæ in me humanitati, non dicam respondere, sed aliquod saltẽ grati animi testimoniũ præbere: futurum aliquando arbitrarer, ut si aliter nõ liceret, scribendo ac bene sentiendo testatam omnibus relinquerem, tam excellentẽ & incomparabilem Pannonij antistitis bonitatem. Qui ortus clarissimis natalibus, magna fortuna, summa uirtute ac dignitate prędítus, ad me hominẽ peregrinum & multo citra mediocritatẽ studiorũ cõstitutum, nullo præsertim prouocatus officio, tam dulces ac familiares, tam eruditas, & Hyblęa quadam suauitate perlitas literas dederit: quarum absolutam elegantiam si cumulatim uelim perstringere, rem sanè ridiculam faciam, qui totidem uerbis tuas ad te literas rescribam: & laudes quas in me indulgẽter nimis cõgessisti, ex merito in te rergeram. Quem enim possum te uno instructiorem laudandi magistrum inuenire? qui tam graphice ac luculenter doctissimi hominis simulachrum expressisti literario penicillo, ut non modo summã mihi inieceris admirationem, sed tuis literis perlectis, quasi hausto quodã magico philtro ita mihi placerem, ut me iam nonnihil putarem: & uix nunc demũ collecto animo intelligam tantum me ab ijs laudibus abesse, quantum tu es illis undiq; ornatissimus. Vt de te id facile possimus suspicari, quod de Q. Ennio traditum fertur: qui sub Gemini Seruilij persona picturam morũ & ingenij sui aliquando fecisse existimatur. Ego uero posthac non inter amicos tantũ, sed patronos meos te adscribam: tuęq; istius erga me benignitatis memoriã nulla unquam dies abolebit: daboq; operam, ut hæc inter nos teneris adhuc incunabulis nata beneuolentia, indies magis ac magis adolescat. Et ne perpetuò mihi sit frons perfricanda, enitar, ut qui in amore conciliando postremas tuli, in conseruando primas feram. Omnibus bonis in rebus uinci turpe est, sed in amore turpissimũ. Bene uale, & diu feliciter perenna, Perennis mi obseruande. Maro ille meus planè natus & educatus in Musarum sinu, iam te amat ac obseruat, & de literis quas ostendi, multum admiratur: rogauit etiam ut suo nomine multam tibi salutem reponam. Pridie idus Ianuarij. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. BELTRANDO CONSTABILI Episcopo Hadriensi.

INGENVE mihi facere uideor, qui quom omnia pridem tibi debeam, non recuso quin ad hoc nomen maximus quotidie cumulus fiat. Quare quom causa mea Fauẽtina, licet iuribus suis abũde subnixa, magnis tamen præsidijs egeat, ut par sit aduersus summos Caponũ fratrum conatus: qui nõ legibus nec rationibus, sed ambitu & studijs, quibus nũc plurimum ob factionẽ Etruscam pollent, me uehementer oppugnãt: opus est ut magnorum antistitũ ac patronorum meorum fidem implorẽ: inter quos tu amplissime antistes uel auctoritate uel humanitate facile principẽ locũ tenes. Quare ego te unũ ex omnibus religiose inuoco, qui Cælij tui iura apud optimũ & maximum Leonem Pont. aliosq; summos patres & iudices tuearis: qui per factionem & impotentiã bonam causam labefactari nõ sinas. Hoc tu quidem aliàs uel non uocatus fecisti, tuãq; mihi autoritatem spõte accõmodasti, ut idem rursus precibus meis des, enixius obtestor. Quãdoquidem par est, ut ei non desinas fauere, qui non desinit abs te summa

omnia

omnia expectare, & tibi spes suas omnes iustas præsertim cõmendare. Illud etiã amplitudini tuæ notũ esse uelim: familiæ Calcagninæ gentilitiũ esse sacerdotium, quod nũc ius patronatus uocãt, in uillula Ruperdecreti, quæ in dioceſi tua Hadriatica posita eſt. In id ego ſuperiore anno Hieronymi patrui mei ac totius familiæ conſenſu cooptatus, à Leone Pont. confirmationẽ & ſubinde prouiſionem impetraui: quæ omnia publicis tabulis & Pont. decreto ſancita ſunt, ut ex præſtãti uiro Iuliano Naſello cauſarum mearum patrono cõmodius & locupletius intelligere potes. At nuper quom is qui id ſacerdotiũ adminiſtrabat, quicq; eius prouentibus iure fiduciario fruebatur, homo eſſe deſierit: me in hanc penitiſſimã barbariem relegato, neſcio quis (ut mihi literis ſignificatũ eſt) ui atq; armis illud inuaſit. quod ſanè permoleſte tuli: quom & familiæ meæ exiſtimationẽ & iura mea, non dicam occupari, nam deus hoc minime ſinat, ſed uexari certe ac perturbari uideã. Quæ quom res tanti negotij ſit, quantam tu Antiſtes ſapiẽtiſſimus prudentia tua magis quàm oratione mea colligere potes, obſecro, obteſtor, cõtendo etiã, fretus mea ſumma in te obſeruantia, ut propenſo ac expoſito animo ſuffragiũ omne tuũ ordinaria & legitima poteſtate fultũ mihi impartiri uelis: ut quom quiſquis ille ſit occupator, nõ ſolum iuſtitiã ſed iuſtiſſimũ etiã antiſtitẽ fauere nobis intellexerit, uolens nolẽs ab iniuria abſtineat. Hoc neq; cõiunctiſſimę tibi familię, neq; addictiſſimo cliẽti tuo gratius aut expectatius facere potes quicq;. Vale mi pater obſeruãdiſſime, tui Cęlij memor. Prid. idus Ian. M. D. XVIII.

CÆLIVS CAL. ILLVSTRISSIMO HERCVLI Eſtenſi Alphonſi ducis filio. S.

OSTENDIT mihi lætus admodũ literas excellentiæ tuæ illuſtriſſimus patruus tuus princeps meus, ex quibus ſummi ingenij & excellentis animi non modo indolem, ſed maturam propè frugem perſpexi. Quam non poſſum non ſummopere tibi parentibuſq; tuis ac ciuibus meis gratulari, quom iam in iſta ætatula ſumma etiã naturæ ornamenta affulſiſſe, parentibus præſtantiſſimũ filium datum, ciuibus optimũ principem in optimi imperij ſpem ali intelligam. nec enim quicquã tibi maius à Dis immortalibus dari poteſt, quàm ut populos tuos quàm feliciſſimos facere poſſis: nec illis quàm ut data felicitate perfruantur. Quorũ neutrum ſine uirtute cuiquam contingere poteſt. Quare age mi princeps clariſſime, & ad hanc unã grandi paſſu (ut facis) enitere: & quom abũde ſint tibi domi maiorũ exempla quę ſequaris, quom ſint doctiſſimi præceptores qui præclara inſtituant, & multa præterea fortunæ ac naturæ præſidia, effice obſecro ne tu ipſe tibi defuiſſe uideare. Neq; ulla ſit adeo inſtans & importuna auocatio, quę tam generoſos conatus tuos interpellet. Vale, & tuę magnitudini addictum tuæq; ſummæ uirtutis admiratorẽ tua gratia dignum exiſtima. Pridie idus Ianuarias M. D. XXV. Agria.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

VLTA inciderunt uir doctiſſime atq; optime, quæ hactenus reſponſum meũ morata ſunt. Neq; enim uelim putes me uel obliuione uel negligẽtia ceſſaſſe. Nunc etiam quod ſcribo, ſcito me ab occupationibus & negotijs id extorquere, quod impetrare non poteram. Literas tuas ad Pont. & legi diligenter, & probaui: bis etiam ad illuſtriſſimi Antiſtitis mei incerniculum excuſſi: quibus ita candidum ſuffragium adiecit, ut iam neminis cenſurã reformidare poſſint, neq; adeo Romani Iouis ſupercilium. Quare mactę ſunto fortuna, illaſq; ſua Iuppiter auctet ope. De Plinio noſtro, cuius modo tanta expectatio fuerat cõcitata, rem probe perſpexi abs te pictam. Coruos ſcilicet deluſit hiantes. quare aliud nobis cogitandum. Quòd eum ad me dare ſuperſederis, gratiam habeo. Cur enim actũ agas? nam ego annotatiũculas illas Barbari, ſed nequaquam barbaras, iam reuolui tortoris ad faſtidium. Audiui te modo cũ præſtantiſſimo Balbo in hoc ipſo ſtudio uerſatum eſſe. quod ſanè non inuidi tibi, ſed fortunã meam doLui, quæ me tam egregio cõmercio defraudauit. Quare amabo te mi Zieglere, oro,

obteſtorq́, ut ſiquid cõmenti eſtis, ſiquid inueniſtis dignum ingenio, dignum erudi/tiõe ueſtra, ne me indignũ habeas, cui ceu ſymmyſtæ myſteria iſthęc inſuſurres. Omnino lucubrationes tuas in tria capita ex ſecũdo libro expecto incredibili deſiderio. Mirum eſt quantũ de literatura tua animo cõceperim uir undecũq; doctiſſime, quic quid dixeris, quicquid cogitaueris, id omne ab oraculo profectum putabo. In excri/ptione Ptolemæi deferbuit planè recens ille impetus, uel ſapientiſſima admonitio/ne tua ſuffrenatus, uel deſtitutus ingenti illa ſpe, quam maiorem abſens conceperat, quàm præſens offenderit. Puto tibi ſatis cõpertum eſſe, cuſtodiam à Balbo guberna tori Agrienſi reſignatã eſſe. Dignus digno dedit. Illa itaq; ſpes effluxit, de qua præ-ſens locutus fueras, & ad dominũ Vatiẽſem ſcripſeras. At ſi quid præterea affulſerit, quod tibi cõmodo eſſe poſſit, nunquã deſinam operam, amorẽ, & diligentiam quam tibi pridem oppigneraui, amicè & accuratè reluere. Illud abſte imprimis procuran/dum diligẽtiſſime, ut in nobilitatẽ huius regni quàm primũ aſciſcaris, & in eam rem prærogatiuã ampliſſimam aſſequaris: quando externos homines optimates iſti fa-ſtidiunt, eosq́ ſine exceptione reijcere contendunt à ſacerdotijs: id quod & mihi in omnem euentũ rerum impetratũ uelim. qua in re autoritatem domini Vatienſis im/ploraſſem, ſi eius mihi aures faciles futuras exiſtimaſſem. Sed uereor ne magnitudo negotiorum ita eas obſtruat, ut clamẽ in portu Toronẽo. Tu ſi quid uideris abs te in rem tuam confici poſſe, ne pigeat & mihi hanc operã nauare, & quid facturum ſpe/res ſtatim perſcribere. Ego te propediem uidebo: nam omnis animus iam in Italiam atq; adeo Romam anhelat. Vale, & me ama.

CÆLIVS CAL. LADISLAO EPISCOPO VATIENSI S.

A CCIPIO quotidie eminẽtiſſime Antiſtes ſingulare aliquod bonitatis & abſolutiſſimæ humanitatis tuæ teſtimoniũ: cui quom nullũ à me par uel obſeruantiæ uel gratitudinis hoſtimentũ reddi poſſe uideam, ægro animo ſum, & nunquam mente conquieſco. Hoc ſcilicet deerat cumu/lo tuorum in me officiorũ, ut ſchedica etiam carmina, & quaſi abortus meos approbares, atq; ita probares, ut nobiliſſimo regi & maximę indolis princípi tuo iudicio cõciliares. Hæc eſt, uideo, ſummi amoris uis: quæ uerrucas & neuos etiã in ijs quos amamus, cõmendat. Debeo itaq; tibi hoc nomine: & eo quidẽ magis de/beo, quo me minus tam excellens ſuffragium meruiſſe agnoſco. Tua uero illa plena grauitate & amœniſſima quadam ſuauitate condita epiſtola mirifice me oblectauit & tenuit. At carmina in tantum admirationis rapuerũt, ut nondum planè ad me ip/ſum rediuerim. Quom enim mecum cogito, quantę ſint occupationes atq; auocatio nes tuę, uix mihi ipſi perſuadeo te uel ſucciſiuam aliquã diei partem poſſe ſtudijs im partiri. At quom incredibilem illam ingenij tui ad omnes res magnas nati felicitatẽ cogito, nihil eſt tam arduum, tam operoſum, quod de ipſa mihi nõ facile ſpondeam. Sanè quom illuſtriſſimus princeps meus, cui epiſtolæ & carminũ tuorum eleganti/am quaſi emblemata & delicias quaſdam obtuli, ea legiſſet, gratulatus eſt Pannoniæ quæ tantum uirum nõ modo genuerit, ſed educauerit, & ad ſummã uſq; auctoritatẽ prouexerit: ut ab eo, cui natales dedit, ipſa ſplendorẽ & lumen aliquando mutuetur. Quòd uero pro aprugna uenatione inclytus rex arcus & pharetram hoſtiles exuui/as repoſuit, magno gaudio perfuſus eſt, & optimi omínis loco accepit. atq; ita futu/rum ſperat aliquando, ut ſicuti Petrus piſces olim expiſcari deſijt, & ad expiſcatio/nem hominum animũ appulit: ita deſita ferarũ indagine ad ferorum hominũ uena/tionem deſcendatur: quos depiles apros uos appellatis. Et in me obuerſus, Di face/rent, inquit, ut hæc dies uenationi initiũ daret: & cæteri Chriſtiani nominis optima tes ac principes mecũ ex æquo animati forent. Daremus enim operã ut non minus in uera ac ſeria q̃; uoluptaria & ludicra arena uenabula noſtra deterſa & bene ferro inſpicata agnoſcerentur. Sed dum non ſine maximo meo dolore ceſſant illi, quoni/am inquies animus deſidiam pati non poteſt, nos Xenophontẽ ſequuti, huic ſaltem futuri certaminis ſimulachro præludamus: quo futuri ſimus paratiores & minus im belles, quom primum optata occaſio affulſerit. atq; utinã clariſſime Antiſtes ita eue-

niat, ut

niat, ut huic sacramẽto principes Christiani tam libenter nomina dent, quàm prom ptè ille nomen & manum accõmodabit. Cæterum quom admiratio inuehat silenti/um, aliquandiu mecum ipse dubitaui, an omnino nihil tuis literis respondere: ne ue/tus illa & uulgata Glauci et Diomedis cõmutatio ad me pertinere putaret, qui pro aurẽis ærea signarem. Verum me abduxit ab hoc cõsilio celebratũ illud Græcorum uerbum, πολλὰς φιλίας ἀπροσηγορίᾳ διέλυσε. multas amicitias intẽpestiuo silentio di/remptas esse. Quare ita mecum rationẽ subduxi: quom neq; tacendum existimarem, neq; par pari referre posse confiderem, à me procurandum, ut quod ponderi & æsti mationi literarũ defuturum intelligebam, id numero saltem compensarem. Proinde quom tu uir amplissime breues & Laconicas, sed Di boni q̃ graues ad me literas dederis: ego longiores, sed multo incultiores reddo. Tu Octostichon regio nomine scripsisti: ego profusius in regij muneris cõmendationem lusi. Et iam nunc trino epi grammate ad fastidium prolixo, aures tuas fatigabo. quare si publicas istas occupa/tiones tuas licentius fortasse quàm par sit, interpello, te unum accusa, qui humani/tate & comitate tua incomparabili me propemodum ad hoc licentiæ inuitaris. Et ut nihil huic desit impudentiæ, non desinã abs te rogare ac liberius efflagitare, ut me ac fidem meam, pro auctoritate qua polles, digneris summo regi cõmendare. Bene uale. Idibus Ian. M. D. XXVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. CAMILLO VISTARINO S.

LVS ne uoluptatis an molestiæ, tuæ mihi literæ attulerint, non habeo satis perspectum, quibus tam docte, tãtoq; affectu calamitates tuas ex/
P pressisti, ut me maximè permouerint, & non exiguã mœroris tui par/tem in me coniecerint. Quomq; ego non mediocriter consolatione ege rem, utpote qui offundar tot miseriarum fluctibus, ut malorũ magnitu/dine uix mihi ipsi constem, ut paulo minus μετέωρος factus sim: nuperq; quom tuas literas accepissem, ex quibus nonnihil mihi lenimenti pollicebar: illæ tamen præ/ter expectationẽ solamen à me expetebant, & manum ac pharmacũ ab homine æ/gerrimo sibi adhiberi postulabant. τοῦτ' ἐστιν ἀνωποτμεῖν, ut Græci dicunt. Tantum est tamen tibi obsequendi desiderium, ut excitato & quasi noui doloris accessu per/fricato animo à me id extorserim, quod nullo modo extorqueri posse cogitassem, & nescio quod insperatum solatij genus tuorũ meorum malorum cõparatione excogi tarim. Tu enim hominẽ amicissimũ & curarum participẽ, qui cum seria & ioca com/municare solebas, amisisti: & optatissimi sodalis fructu paucos menses carebis. At e/go coniunctissimos mihi necessarios, dulcissimos amicos, optatissimos contuberna/les, quin & cohortẽ illam summorum & doctissimorũ hominum in qua tu facile prin cipem locum habes, iam tot menses desidero, & quis sit futurus desiderij finis nõ ui deo. Tu quidem me amantissimo & studiosissimo tui cares, at ego te literatorum con sultissimo & consultorũ literatissimo: sed eo mea grauior iactura, quo amissæ rei ma/ior est indicatura. Tu cum nouerca cõflictaris, ego cum publica rerum humanarum nouerca, id est fortuna, quæ in me omnibus machinis, omnibusq; incõmodis uelita/tur, colluctor. Tu pro uno sodale auecto innumeros habes tum familiares tum clien tes, qui à molestijs mentem auocent & curas animi detergant: ego procul à patria, procul à studijs meis, hoc est à propríjs oculis, in mediã quasi Scythiam relegatus, & paucorum commercia agnosco, & quod atrocius putabis, pauci illi longe à mori bus meis dissidentes, faciunt ut huiusce magis naufragij uim & uulneris acerbita/tem intelligam. Tu uero mihi principis præsentiã & gratiam, id est maximę seruitu tis auctoramentum obijcis. At hoc est planè exornare meas calamitates, & post cæ/tera infortunia libertatem etiam adimere. Vide quo loco sim, & quàm capite dimi/nutus. Tu itaq; hæc nostratia ad tuorum malorum exemplum uoca, & rem æquili/brio metire. Nõ enim dubito quin si hoc feceris, te facile soleris: & collatus nobis te felicem putes. Bene uale. XI. Calendas Februarias.

M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. LILIO GREGORIO GYRALDO S.

ITA fit mi Lili doctissime, tũ maximè amicos & sodales desideramus, quom eos fortuna maximè nobis subduxit. uel ut uerius dicam & fortasse pro re loquar, tum plurimũ nostros optamus, quom eorum fructu & cõsuetudine ita caremus, ut ipsi nos magis desiderare possint, quàm frui. mihi sanè ita euenit: qui quom essem in Italia, negligentius & rarius fortasse quàm oportebat amicos salutabam: nũc trans Istrũ & ad limites usq; Scythię depulsus & paulo minus quàm relegatus non desino delitias & suauitates amicorum animo repetere: ut planè agnoscam Epicurum à uero multum aberrasse, qui memoria præteritarũ uoluptatum felicitatẽ contineri posse affirmabat. Hęc enim ipsa memoria, quam nõ frustra inutilem mortalibus Plato existimauit, magis cruciat, & quasi uulneri unguem inijcit. Tu uero qui in isthac rerum specula & luce humani generis uiuis mi Lili, tecum cogita, amabo, quomodo mihi in hanc rerum obscuritatem detruso lumen afferas: & si quod pharmacum inuenire potes, unde ebibam νήπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων. Et quom tu pridẽ pars sis uel maxima huius animæ, enitere obsecro, ut hoc quicquid superest, tua opera cõseruetur. quod uero ad te scribam, ne putes me aut iocari, aut parum seria loqui. Excitauit enim me aliàs torpentẽ, optatissimus nuntius, quem de inita sancitaq; à nostris cum clarissimis Rangonibus affinitate accepi. Quæ ita me totũ lætitia perfudit, quom me diuturni uoti cõpotem factum uiderem, ut nõ modo curas omnes, omnesq; solicitudines excusserim, sed me penè felicem putarim. At quom ex aduerso animũ subijt mihi tantarũ uoluptatũ cumulum hac absentia adimi, quasi solstitialis herba paulisper fui, repentinò occidi. Vtcunq; tamen licuit, per literas conceptam lætitiã amplissimo antistiti tuo testari uolui: quam quoniã nec animus capit, nec ipsa epistola satis animum exprimit, rogo te mi frater optatissime ut partes suscipias. Sic enim quod ego satis unus implere non possum, te saltem adiutore perficiã. Nosti enim illud Homericum μᾶλλον θαλπωρὴ καὶ θαρσαλεώτερον ἔσται σύν τε δὺ ἐρχομένω. Paucis diebus Budæ fui, ibiq; Manardo nostro perfrui licuit: quom primũ ab homine amœnissimo discessi, esse desij. Ille ut te salutarẽ suo nomine, si forte isthuc literas dedissem, rogauit. quod ego lubẽs facio, tum ut tu uirum clarissimũ tui memorẽ scias, tum ille me sibi obsecutum intelligat. Bene uale mi frater, & optimũ Collenutium œconomum uestrũ meo nomine saluta. XI. Calend. Feb. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. SEBASTIANO MAGIO S.

SALVE mi frater præstantissime. ego ille Cælius, cuius tu olim nugas putabas esse aliquid, & qui te æquè atq; oculos suos amabat, & cui præter Italicũ cęlum quondam nihil arriserat, nunc inter prouinciales tuos uersatur: & homo alioqui frugi, iam philotesijs & συμπεριφοραῖς prouocat, nec rursus eludit prouocantes. quòd si te unũ ex omnibus propiorem haberet, multo amœnius sæuientẽ hyemem & brumalem inclementiam traduceret. quod cum locorũ interuallo utriq; interdictum sit, fac amabo mi Sebastiane ut tam molestam absentiã creberrimis saltem literis sarcias. Eoq; amantiorẽ tui & ad tua cõmoda propensiorem Cælium puta, quo propinquiorem intelligis. Bene uale. XI. Calend. febr. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. EPISCOPO VATIENSI S.

ACCEPI epistolam & cum epistola carmina nomine regio scripta. quorum utrunq; ita me grauitate & mellita quadam suauitate tenet, ut uix adhuc mentem colligam. Hoc ergo quicquid est, quod tumultuariũ rescribo, dominatio tua ne responsum putet sed responsi auspicium. Ita enim ueteres quom salutem à Dis expetere non auderent, augurium salutis instituere, ut nihil temere cum Dis egisse uiderentur. quom primũ ita animum collegero, ut concepta admiratio fuerit remissa, dabo operam, ut facundiores nugas

R.D.T.

R. D. T. accipiat. Cui me interim multum cõmendo, & ut religiose meam seruitutem regiæ Maiestati insinuet, plurimum rogo. Et bene ualeat. Agria.

CÆLIVS CAL. REVERENDISS. EPISCOPO Vuaradinensi. S.

B Is accepi literas abs te, uir multo mihi literatura, quàm Antistitij dignitate obseruande: nec ex ijs ullas aquis uexatas animaduerti. qui enim fieri potest, ut tam bellas literas, tam elegãtes Musarũ delicias, impij imbres conspurcent? quare nihil est quod hac parte expostules. Illud animo mihi planè reformidãdum, ne literæ meę quas proximis diebus ad te dedi, deperierint, quom de ijs nihil mihi tua epistola significaueris. Quę sanè iactura non multum me mouerent: nisi subuererer futurum, ut tantę tuæ in me humanitati ingratum uocares, qui me doctissimis literis ad amicitiã inuitaris: ego uerò quasi oscitator non intelligerẽ tibi quantum deberẽ, atq; adhuc insinuatis manibus tacerẽ. Nosti autẽ Græcum illud, πολλὰς φιλίας ἀποσυρεῖα δίλυσε. Nec minus latinum illud celebre, Amyclas tacendo perijsse. quod uitium tantum abest à me, ut illud potius extimescam, ne aliquando amicis importunus occurrã: qui persæpe uel occupatis uel aliud agentibus obstrepam. Illud reliquũ est ut me totum tui æris agnoscas: nec maius quicquam habere in uoto, quàm ut omnibus in rebus tibi placeã. Carmina quæ postulasti ad te mitto, qualiacunq; sint. Malui enim auctoritatis periculum adire, quàm tibi nõ obsequi. Habebis posthac Maronem uirum clarissimũ, & planè ad poeticam natum apud te. Eo iam ex animo, & (ut Syracusanorũ uerbo utar) Gnathonis Eryxidis more ad saturitatẽ usq; perfruare: meq; tibi auctoratũ perpetuo sacramẽto memineris. Bene uale. Octauo idus Febr. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. SEBASTIANO MAGIO S.

A Gnovi, agnoui planè ex literis quas nuper accepi dulcissimi Magij mei imaginẽ, id est summam literaturã cum summa humanitate cõiunctam: quare mihi iure gratulatus sum, apud tam doctũ & præstantẽ uirum nostræ amicitiæ memoriã adhuc esse superstitem. quę uero tu mea in te merita cõmemoras, ea minime agnosco, tuæq; incomparabili bonitati accepta refero. quin & me libẽter tibi uicissim plurimum debere profiteor, qui mihi Thaletis precium reponas, quom ego sim minime Thaletis officio perfunctus. Sed ita est, quom quis semel bonitatis benignitatisq; fines transierit, eũ nauiter bonũ esse oportebit. Ego certe operam dabo, ut si cæteris in rebus excellenti ingenij tui liberalitati manus dedero, amando ac bene sentiẽdo nunquã herbã porrigam. Vale, & clarissimũ uirum Maronem toto animo amplectare: qui quoniã abitionẽ festinat, me Laconismo uti oportet. Reuerẽdis. antistiti Vuaradinẽsi, & clarissimo Philippo nostro me cõmendatissimum facito. Octauo idus Febr. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. PHILIPPO ALBAREGALIO

S Alvemi Philippe suauissime. Laudes quas in me parũ merentẽ literis tuis cõgessisti, fuerũt mihi omnino gratissimę, ea imprimis causa quòd uim tui erga me amoris intelligebam, qui ea in me effingeret, à quibus longissime, & (ut Græci dicunt) ἀλὶς ἀλλὰ πασῶν abessem. & quom propriis ac natiuis ornamentis parum cõmẽdari posse agnoscam, speraui ita facunda ac mellea tuarũ literarum elegantia cæterorum iudicium posse perstringi, ut nõ nihil fortasse posthac me sint æstimaturi: & res fiat planè ridicula, ut qui mea nõ placeo, tua saltẽ incipiã placere indicatura. Hoc itaq; nomine tibi debeo: atq; eo magis debeo, quo minus isti tuæ in me bonitati satisfacere posse cognosco. Ea enim demum summa est liberalitas, ei credere, quem noris non esse soluẽdo. Di faxint ut diu hoc de me iudiciũ foueas: quo unà & amor, qui à iudicio proficiscitur coalescat. Ego certe mihi nusquã deero: adnitarq; summa ope, ut si alijs in rebus minor quàm prædicaueris fuero deprehensus, amori tamen mutuæq; inter nos amicitiæ respondeam

deam. Breuiores autẽ literas ſcribo, quòd doctiſſimus uir Maro, qui ad uos proficiſci tur, iam petaſatus interpellat. Bene uale uir clariſſime, & Cæliũ tui amantiſſimum redama. Octauo idus Feb. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. TIMOTHEO MANARDO S.

διπτυχὸν tuum Germanicum & Pannonicũ multum mihi uoluptatis attulit Timothee mi ſuauiſſime, quom id perlegẽs & exhauſti laboris
O meminiſſem, & loca quæ raptim percurrimus in tuis literis multo commodius uiderer remetiri. Sunt præterea egreſſiones ac ioca quæ me mirifice tenuerunt. Quare quicquid eſt hoc oblectatiõis, id omne tibi acceptũ fero. Ex clariſſimo parente tuo literas accepi, quibus de ſtomacho agit doctiſſime, ſunt tamen nonnulla, quæ adhuc mihi ſcrupum faciunt: quæ dabo ad uos quom primum mihi præde ac prædijs caueris, illum prout eſt mortaliũ candidiſſimus, iſta boni conſulturũ: nec me tã temerariũ exiſtimaturũ, ut ab eius ſentẽtia auſim diſſidere, quod ego nõ modo piaculum, ſed & planè ſacri cõmiſſum putarẽ. Hodœporicon remitto. Literæ de quibus Nicolaũ Montiũ mecum uerba facturũ ſcripſiſti, uel poſt longam indaginẽ nuſquam compertæ ſunt. Siqua in patriam ſcribenda ſunt tibi, para. Nam poſt paucíſſimos dies nuntius iter capeſſet. Qui quoniam Budam adibit ut R. D. Iſtrigonenſis literas accipiat, dabo operam ut obiter & uos adeat. Bene uale mi frater, & parenti me plurimum cõmenda. Idib. Febr. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. NICOLAO BACCHIO REgio ſecretario. S.

CCEPI literas tuas mihi longe gratiſſimas, quom apud te mei memoriam uiuere teſtarentur. Quæ autẽ officia à me profecta cõmemoras, ea
A humanitati tuæ tribuo. Animus certe non defuit promerendi, modo uires & occaſio affuiſſet. quòd ſi quando opportunitas affulſerit, nunquã meam operã, meumq; ſeruitium deſiderabis: multoq; me promptiorem rebus quàm uerbis & pollicitationibus inuenies. Cæterũ tuum nuntium lætiſſimo uultu & officioſiſſimo animo accepi, meaq; omnia in gratiam & cõmodum tuum recepi facturum: modo ille me admoneret, quid opus eſſet facto. De cathedratico cum R. D. meo uerba feci. Res oppugnatur per eoſdem per quos oppugnabatur quom tu aderas. Me tamen adnitente dominus cõſtituit, ut non diſcedatur à pactione, quę diebus ſuperioribus inita eſt, quom de tota re diſceptatum eſt. An uero cathedraticũ ab ea exemptum ſit, an ad alios ſpectet, tu optime meminiſſe potes. Nec enim ſuper ea pactiõe poſſum uerba facere, cui minime interfui. Super literis regijs ad iuſpatronatus pertinentibus, hortor te enixiſſime operam facere uelis, ut uoto R. D. mei ſatisfiat, & amplis promiſſionibus reſpõdeatur, qbus eius animus acquieuit. Nã ſi hoc feceris, quotidie reddetur promptior propenſiorq; ad gratificandum tibi: calumniatoresq; minus paratã materiam habebunt ad obtrectandum. De me uero licet ut tu tibi effuſiſſime omnia pollicearis: cui ſi qua in re pro tenui fortuna mea accõmodauero, me ſummũ ac ſingulare beneficium accepiſſe teſtabor. Tibi me plurimũ commendo. Vale. Idib. Febr. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. TIMOTHEO MANARDO S.

ON ſum adeo κακοσόμαχος, ut ſtomachus ille parentis tui mihi nauſeam fecerit. Nam quis tanta laborat intemperie? aut tam deplorato eſt
N palato? Certe illi alabaſtrus (ut eſt in prouerbio) plena unguento pretioſo putere uideatur: ut in eum merito illud iaci poſſit, Quid cum amaracino ſuis? quare hoc deſine ſuſpicari de me. ſunt certe nonnulla, quæ intentionẽ meam morentur, quæ literis mãdaui. Nec tamen mitto ad te quom multis horis indigeant ut exſcribantur. Quare ſatius puto in aduentũ meum proferre. Vna enim illa uox optimi parentis plus mouebit, & omnẽ ſcrupum leuigabit. Vale, & in amore mutuas operas dato. Prídie idus Febr. M. D. XVIII. Agria.

Cælius

CÆLIVS CAL. LVDOVICO BAGNO S.

MIRIFICE arriserunt mihi literę tuæ Ludouice mi præstantissime, quibus nõ modo eruditionem & elegantiã ingenij tui, uerum etiam constantiã in præclaro genere uiuendi agnoui. Neq; sanè decet uirum prudentem, quũ semel pręstantissimæ instituta uitę elegerit, ab ijs desciscere, & huc uel illuc prout ignaui gubernatores solent minimo quoq; flatu rapi. quare facis tu quidem id quod maximè par est, reijcisq; abs te luxũ hunc barbaricum, quo apud ueteres nil detestatius: & uitam illam degis, quam eleganter Ennius uitalem appellat. Atq; ut in hac sententia persistas, hortor & rogo. Tunc enim planè te uirum dicã, dignumq; ea nobilitate qua polles, dignũ qui magni principis nostri alumnus uoceris, si per medios Lęstrigonas, ut de Vlysse ait Homerus, illęsus enataueris. Vale. VI. Idus Martij. M. D. XXVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. LVDOVICO BAGNO S.

QVAM fortunate agis in Pannonia mi Lodouice, quàm tibi bene conuenit cum barbaris? an elegantiam tuam illam pristinam? an illas delicias quibus in Italia commode perfruebare, ad hoc didicisti, ut huic uiuendi generi tam fœdo, tam sordido, tam inhumano assuescas? at tibi Di meliorem mentem. nam tũc apud me fides erit te hanc barbariem induere posse, quom uirtutes moresq; tuos, id est te ipsum, exuere poteris. Bene uale. Idus Martij. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. DOMINICO GAZÆ S.

O ME felicem mi Gaza, si laudes quas in me cumulatissime cõgeris, intelligerem mihi conuenire. quanto ego magis mihi placerẽ? quanto altius caput exererẽ? quid si literæ istæ tuæ in quibus præter eloquentiã & amorem in me tuum nihil agnosco, hac ui & quasi philtro pollent: ut me mihi, conscio licet angustæ supellectilis meæ, ceu imaginario in speculo maiorem multo ostendant quàm sim. Et sicut lumina certo loco posita uel breuissimos pumiliones in umbratiles colossos extendunt: sic tu literis tuis nescio quo modo me altiorẽ eminentioremq; statuisti quàm quò possim attingere, ut intelligã Græcum illud in te posse torqueri, ἀκροθίνια τῶν κολοσσῶν τοῦ πυγμαίου ἐφαρμόζει. Quos uero tunc plausus excitarẽ? quos fluctus nõ ut ille ait in sympulo, sed in Aegeo planè cõmouerem, si ea uera & ex re abs te dicta cognoscerẽ? sed rursus ó me infelicẽ, si quæ doctissimus Gaza gratis amori & amicitiæ tribuit, ego tãq; debita exigerẽ, & me fuco alieno expolirẽ. Di uero mentẽ mihi meliorẽ dedere. Quotiens enim decempedã illam τῆς ἀληθείας manu arripui, uideo me τὴν σκίαν μετρεῖν: & quom posticã illã manticã excutio, nihil in me inuenio dignũ tuis laudibus, præter illud unũ fortasse, quod uideor meo iure mihi posse uendicare: singulare scilicet quoddam studiũ & incõparabile desideriũ uirtutum & disciplinarum, quas ingenuas appellamus, amoremq; in eos, qui earum facibus effulgent, & quorũ imitatio animum accendit. Nam si C. Plinius contra sententiã Messalæ honestũ putat clarorũ uirorũ imagines mentiri: quanto honestius putemus eas æmulari? Quòd uero me dignitatemq; meã aduersus maleuolos tueris Gaza optime, facis tu quidem ex ingenio & bonitate tua, multãq; tibi eo nomine gratiam habeo. sed uide obsecro, ne tu maiorem operam sumas, maiusq; bellum ineas, quàm quod sustinere possis. Scis enim quàm periculosum sit malã causam defendere, & ueritati obluctari. multa sunt in me Gaza reprehendẽda, etiã me iudice: quæ si illi ceu muscæ sectantes ulcera attigerint, & tu contrà uel mutire audeas, caue ne quod dicitur, In reatiariũ ferula. Sed aduerte amabo, ne ij quos stomacho potius quàm rationi seruientes æmulos & maleuolos appellamus, iustius fortasse ueritatis uel professores uel assertores nuncupentur: digni sanè hac nuncupatione, si modo id imprimis procurarint, ne quid sit in ipsis reprehensione dignũ. De illo uero, quisquis ille sit, à quo scribis me pætũ appellatũ, quem tu quasi reum iniuriarum ad recuperatores uocas in iudicium, tantum abest ut doleam, ut spõte etiam gratias agam

agam, quòd me alioqui maioribus obrutum maculis, tam clementi nomine appellarit, quo patres dissimulantes conniuentesq; in filiorum dehonestamentis uti solent. Nosti enim Horatianum illud:

At pater ut gnati, sic nos debemus amici,
Si quod sit uitium, non fastidire. strabonem

Appellat pætũ pater. Et profecto ut minus nos huius appellatiõis tedeat, Venerem uel decoris uel lasciuiæ causa pæto lumine exornãt poetæ. Sed ego mi Gaza uel nihil intelligo, uel hoc loco bonitatẽ tuã maximè deprehendo, qui uerbi uim leniueris, & quasi uiperam exarmaueris. non ille, non ille pætum dixit, sed uel luscum uel strabonem, uel fortè etiã cæcum dixit. quæ licet nemo, etiã si in se senserit, probri loco accipere debeat, quòd id omne naturę sit non conscientiæ dispendium. Naturam uero nemo in arbitrio habet, ut talis nascatur, qualem se nasci uoluit: ut non immerito credatur Cicero in calumniantes Cęlium falsẽ protulisse, id nunquã tam acerbe laturum M. Cæliũ, ut eum pœniteat non deformẽ esse natum. Quæ uitia, uel si mauis naturæ offensas, & si ego cõpertum habeam à me lõge abesse, utpote qui nunquam ad matulã pro poculo, neq; ad sarculum pro gladio manum iniecerim, neq; profecto limo aspiciã, neq; me ita aspici uelim: sentio tamẽ planè quid in me bonus ille obiurgator arguat. arguit autẽ ille breuem obtutum, nec productũ adeò oculorum curriculum. Quod crimen, si modo crimen est, fateor. Quid enim libeat negare aut uera, aut manifesta? Non sum ego, nõ sum profecto aut aquila aut serpens Epidaurius. Atqui si tenuia capillamenta non uideo, non est quod doleam. Neq; enim Myrmecidis artem profiteor. A Lilybæo classem exeuntem Carthagine nõ prospicio: sed neq; speculatoriã facio, neq; inter chalazophylacas illos Cleonis stipendia mereo. Nemo ergo imperator mea causa naues allisérit, nemo colonus mea fraude calamitatem fecerit. Artem illam exerceo, quam propè oculis, procul animo, exerceri oportet. nisi in hac una halluciner, cætera nihil moror. Quid uero? ut mihi ultro etiã blãdiar, nónne hebetiores oculis philosophi promptiores putant ingenio? quod si in me experiar, tum uero uolens lubensq; ijs sensibus, qui plerunq; animo bene agenti obstrepunt, ut ait Plato, & quibus se Democritus spõte exuit, nuntiũ misérim. Demum quæ iniuria est, id imputari mihi, quod Mineruę illi Tritogeniæ imputauerunt ueteres eius cultores, quam tu nosti sine galea recusasse in iudiciũ prodire? ut non sine causa dictum intelligamus, quod Massurius Sabinus scriptum reliquit: eum qui non longe uidet tam sanum esse, quàm qui tardius currit. Bene uale mi Gaza doctissime, & siquid cupis mihi abs te gratum proficisci, crebro & copiosè ad me scribe. Nonis Sextilibus. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

H OC habet innatum uera humanitas, ut nusquam se apertius ostendat, quàm ubi se dissimulat. Tu mihi te profiteris multũ debere, ego tibi omnia debeo, ego tua causa omnia sum facturus. Di præbeant, ut uoto fortuna respondeat. Nec enim tuis meritis aut meo desiderio deero. nunc (quod in me est) puluerẽ illum septicũ, seu eum mauis erosiuũ appellare, ad te mitto, quo tempestiuè uti poteris. De meteoroscopio omnia integra iudicio tuo relinquo, ut mittas uel teneas apud te ut lubebit, dum incolume mittatur. Nuntius instat ut eũ dimittã, quare me Laconismo uti oportet. Bene uale, & me ama. Nonis Sextilibus. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

C VPIDVS ad te proficiscendi iam me ad iter accinxeram, sed neq; medico neq; principi uisum est, ex cõmodo meæ adhuc imbecillis, necdum satis bene confirmatæ ualetudinis laborem hunc uiaticum subire. quare penè reluctanti hanc operam alioqui gratissimã, non dicam remittere, sed planè extorquere. Nihil enim magis optabam quàm te dies plusculos perfrui, & suauissimũ tuæ cõsuetudinis fructum excipere: quando mihi constitutum

tutum erat omne id tẽporis in Ptolemaicis, Vitruuianis, Plinianisq; ſpectationibus abſumere, id quod collecta fortius ſalute faciam. Quàm uero me auide putas utrũq; Meteoroſcopium fuiſſe animo oculiſq; ſpectaturũ? quod uel cõfectum uel affectum iam puto. Illud etiã non mediocriter animũ perſtrinxit, quòd quom Vrſinum accerſi iuſſiſſem, ut tuũ ei miniſtrũ ſummopere & ex officio mutui inter nos amoris cõmendarem: reſpondit ſe in colliquationibus aquarũ & odoribus quibuſdam condiendis in gratiã principis occupatum non potuiſſe cõmeatum impetrare. quam rem, ut par eſt ægerrime tuli, cõſcius quantum tibi moleſtiæ ſit allatura. & quoniã conſilio mederi oportet iſs plagis, quas præter expectationem à fortuna accipimus: te hortor ut quantum proficiant unguenta & medicamina quæ proximòmiſi, ſignifices. Dabo enim operam ut uel abſens Vrſinus, quid ſubinde opus ſit facto, conſulat: neq; ulla parte deero, qua ſperẽ tibi aliquo modo meum erga te animũ incomparabilemq; beneuolentiã poſſe declarari. Quòd ſi cõmode fieri poſſet, uti cũ miniſtro tuo huc uel paucos dies migrares, futurũ ſpero ut eius ſaluti & meo uoto quàm maximè conſultum intelligeres. De tota tamẽ re tuum ſit iudiciũ: mihi profecto nil eueniret optatius. Bene uale. Agria.

CÆLIVS CAL. REVERENDISSIMO EPISCOpo Vuaradinenſi S.

EGo mi ampliſſime Antiſtes ita multitudine literarũ tuarum, ita magnitudine humanitatis tuæ me urgeri ſentio, ut qui alios ſcribendo uincere ſoleã, ſimq; omniũ impigerrimus ad literas, iam mihi aliquot optem amanuenſes, qui mihi in hoc ſcribendi ſtudio operam cõmodent: quando tu tam frequenter, tam facilè, tam doctè literas ſcribis, ut multi inuidere poſſint, imitari poſſit nemo. Sed quid ego literas eas appello? quę meræ delicię ſunt, in quibus omnia emblemata Muſarum, omnia Gratiarum narthecia relinis. Nec tamen tu me huius diligentiæ cauſa deterreri putes, qui eo ſtudioſius hanc operam colo, quo mihi maiorẽ fructum, maioremq; indicaturã propoſitam uideo: ut (ſi uerum fateri oportet) iam frontẽ perfricuerim, ſcripturusq; ſim ad te non ſolũ quicquid in animũ uenerit, ſed quicquid etiã in buccam irrepſerit. Nec tecum quaſi cum deſignato antiſtite, nec cũ optimate iſtius regni, ſed quaſi cũ populare & gentili meo tecum agã. Ita enim me cogis: tibi uero parendum eſt, cui negare quicquã piaculum puto. Quę ad me de Balbo ſcripſiſti, anno taui omnia & penitiſſimo animo condidi. ego ſanè multũ homini tribuo, utpote qui me ingenij ſui facibus iam propè faſcinarit. Sed quoniã mihi ſemel decretum eſt te colere, te unum obſeruare, tecũ amicitiam initam perpetuo tueri, quæ in eo maximè cõſtet, ut idem uelimus nolimusq; utrinq;: idcirco eum mihi amandum & odio habendum propoſui, quem tu uel amaueris uel oderis. Valeant ergo omnium hominũ illecebrę. Nam ego me ita tibi addixi, ac ſi libra & ære me comparaſſes. Legit literas tuas illuſtriſſimus princeps meus, & quidẽ quom inter ſecretiora ſtudia uerſaremur: quarum geniũ mirifice cõmendauit: præſtulitq; in te ſingularẽ quandam beneuolentiã & incredibilem animi inductionem. Optaret, ſi quo modo id fieri poſſet ſalua autoritate tua & parẽtis gratia, eximere ex ipſis cãcellis, in quibus indigne admodum tam excellens ingenium includitur. Sed ſpero deos aliquando noſtris uotis affuturos. Quod ad libros attinet, ſcito omnẽ hãc bibliothecã, quantulacunq; ſit, nam ſanè perexigua eſt, totam eſſe tui mancipij. Sed unus omnium Maro, Maro inquã ille optimus & doctiſſimus, florem librorũ habet. Nam quo eſt iudicio, præſtantiſſimos quoſq; auctorum ſecum aduexit. Liuius prope diem ad te ibit. Qui apud nos eſt, nihil habet neq; in interiore pagina, neq; in umbilicis, quod ad ampliſſimũ patronum mitti deceat. Cęterum animi mei erga te obſeruantiſſimi teſtes mitto ad te Diodorum Siculum de geſtis Philippi regis: Senecę opuſculum, ſi modo Senecæ eſt, de morte Claudij: Syneſij, De laude caluicij: & Eraſmi Moriam cum cõmentariolis non omnino aſpernandis: quæ quom in hoc primo itinere ſeſe mihi obtulerint, putaui ſaltẽ propter nouitatẽ tibi nõ diſplicitura. Quòd ſiquid erit præterea quod tibi gratum fore intelligam, minimè id deſiderabis, quom

præsertim Cælius sua omnia tibi perpetuò nũcupauerit. Quæ de uersiculis meis scribis plus nimio amãter, laudes illas omnes bonitati tuæ acceptas fero. Verum nescio an dolendũ gratulãdumúe mihi putem, quom clarissimorũ uirorum cẽsuræ ea subieceris, qui omnes (mihi crede) non sunt Perennes, id est cãdidissimo ac synceríssimo animo prẽditi: præsertim quo tempore præstantissimo Maroni mellitissima carmina Musæ dictabunt, quorum suauitatẽ uideor mihi uel absens delibasse: quibus si mea conferantur, uideo quàm inertia & quàm explodenda censeantur. Quom hæc hactenus scripsissem, expectarẽq; certum tabellarium, cui has perferendas darem: superuenit illustrissimus parens tuus, quẽ obseruantissime salutaui, & multis de te percũcta tus sum. Sed quom tuæ literæ mihi offerrentur, ipse omnium primus in eas manum iniecit perlegitq; omnia: me quidem egerrime id ferente, quom nondum haberem compertum quid in his scriberetur. Sed tunc id mihi minus displicuit, quom nihil significari intellexi, quod eius animũ posset aut exulcerare aut perstringere. Quã rem tibi cõmonefaciendam duxi, ut rei euentum intelligens cautior esse possis. Quòd uero omnibus literis tuũ uotũ mihi familiarissime aperis, quasi nihil tibi iucundius esse possit, quàm ut simul alioquin uiuere possimus: illud sic habeto, mirifice hoc idẽ desiderium mihi esse insitum, tum ut tanto uiro perfruar, tum ut isto desiderio tuo fiat satis. Vellẽ tibi posse plura pollicerí, sed quicquid in me est, omne id pleníssimè in tuo censu adscribe. Sunt mihi in Italia tria mediocria sacerdotia, quæ tibi promptissime in omnẽ euentum offero. Sed præter mea, sunt mihi fratres patrueles, sunt gentiles & opulenti & multis castris & pagis ornatissimi: quæ omnia tibi nõ secus ac mea recipio. Nam ijs omnibus (ut Catullus ait) utor tam bene, quàm si ea mihi certe cõparassem. Sed de his satis: potes enim animum meum abũde perspectum habere: unũ reliquum est, ne me Græcissantem, non ad ostentationẽ quidem sed per consuetudinem, interim excusatum habeas. Nescio enim quomodo fiat ut transmarina illa Venus quædam blandius exprimat, in quæ lingua sua sponte, non etiam accersita solet excurrere. Vale. Agria.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

P

VTO te ad hanc diem puluerẽ illum septicum, quẽ optabas, accepisse: tecum cogita siqua præterea in re tibi Cælius potest accõmodare: nusquam illum segnẽ deprehendes. Vrsinus accitus à principe curriculo isthuc se recepit. Hominem ante recessum alloquí nõ potui: spero tamẽ quæ illius est humanitas, si eum appellaueris, operã omnem tibi atq; ægro ministro tuo nauaturũ: præsertim quom me hoc nomine maximè posse obstringi intelligat. Ad amplissimũ Antistitem Vatiẽsem scribo, ut tu & prudenter & amice mones: hospitijq; cõditionẽ accipio quoties me istuc cõtulero, cuius causa ipsi multã gratiam habeo. Ridiculum quoddam opusculum nõ multæ rei nuper condidi: cogito ad illum mittere in obseruantiæ & amoris mei testimoniũ, si tu hoc iudiciũ meum probaueris. rescribe igitur actutum. nõ puto homini ingratum fore si nõ alia causa, hoc uno saltem patrocinio, quòd eius grauissimas occupationes, si non exterget: qui enim hoc fieri potest: leuabit saltem aut remorabitur. Vale, & me ama. Agria.

CÆLIVS CAL. REVERENDISSIMO EPIscopo Vatiensi S.

Q

VOM animaduerterem grauioribus te indies negotijs urgeri, & maiores curas undiq; circunstrepere, nihil minus putabã curari abs te quàm studia hæc nostratia, omnemq; tibi prorsus Cælij tui memoriã excidisse arbitrabar. Quæ mea opinio effecerat, ut iã dies plusculos in te colendo ac salutãdo fuerim multo negligẽtior, quàm uel institutũ uel meam summã obseruantiam deceret. Improbum enim putabam seria agentem, & tanti regni in tanto periculo constituti salutẽ procurantem auocare: eramq; futurus in proposito diutius, nisi superueníssent mihi nuperrime optatissimæ literæ Iacobi Zieglerí familiaris tui. In quo uno quid prius mirer nõ habeo: literaturã an probitatẽ, facũdiam

diam an recondítarum artium perítiam: profecto ut eo facíle Platonís íllud agnoſci poſſit, quales ſint domíní tales catellos eſſe cõſueuiſſe. Ille uero me tuo nomine tam comíter ac benígne in hoſpitium tuum ínuitauit, ut facile íntelligã, te lícet mole rerum obrutum à príſtína tamẽ humanítate ac bonítate nõ deſciuiſſe, & clientũ tuorũ nõ omnem tibí prorſus memoriã deperíſſe: íd quod nõ mediocríter tibí gratulandũ duco. Poſtquã enim ín hanc prouínciam peruení, nulla ín re maíore ambítione labo raui, quàm ut ego te tantę auctorítatis uírum, & tam ín omní genere uírtutum excellentem plurímum colerẽ, tu me uicíſſím tibí deditíſſimũ plurímum amares. Quæ res quoníam mínus mihí ob occupatíones tuas ex uoto procedebat, hanc peregrínatíonem ínfeſtam ínſenſamq; mihí exíſtímabam. Nunc uero poſtquã nonnihil ſpei affulſiſſe ſentío, & lętor, & lubens hoſpitij condítionẽ accípio. Et quotíens íſtuc uenero, quantum mihí per príncípem meum licebit operã dabo, ut ſcías te non minus à me abſente quàm præſente familiáríter obſeruarí. Vale. Agría.

P

CÆLIVS CAL. REVERENDISSIMO ET ILLVſtríſſimo Cardínalí Eſtenſí S.

OST diſceſſum tuæ R. D. grauís admodum ſtomachí íntemperíes ac uexatío me male habuít, quæ nunc dei benígnítate ac Vrſíní díligentía ferè omnis diſcuſſa eſt. Cœpí itaq; & uires reparare & ín ſtudíorũ, quæ alíquot díes íntermíſſa, gratiã redíre. quod ſígnificãdum T. D. R. duxí, ut íntelligat quãtum mihí tẽporís ad uítam additũ eſt, tantundem meæ erga ſe perpetuæ ſeruítutí acceſſiſſe. Vale. Agría

A

CÆLIVS CAL. HIERONYMO BALBO S.

D optímates Pannoníos diſſídentes ínter ſe, De cõcordía neſcío quíd cõmentaríj conſcrípſí, quod Reuerẽdíſs. Quínqueeccleſíenſí príncípí dícandũ putauí, ſí tu uír doctíſſíme álbum calculum adíeceris huíc ſententiæ. Eum cõmentarium prímogenium & tumultuarium adhuc ad te mítto, ut expungas, ínterlínas, aboleas: quod abs te factũ erít, factum approbabo. Bene uale uír clariſſíme, & me ama. Agría.

Q

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ BONZAGNO S.

VOM ſuperíorí díe mecũ uerba feceris de nepote R. D. Cardínalís Iſtrígonienſis, quem ille ín Italíam ad capeſſendum cultum ingenij mittere deſtínauerat: ínter alíquot pręclaros pręceptores, quí ad íd munus ſubeundum accõmodatí uídebantur, Baptiſtã Píſonem hominẽ bene líteratum, quí Ferrarię ſtudioſę iuuentutí ludũ aperuít, nuncupatím appellauímus. Quí quom nuperrimè ad me líteras dederít, & ſí fortuítas, utpote quí nihil mínus quàm hoc negocíũ cogítat, eruditas tamẽ, eas ad te mittẽdas duxí: ut ſí opportunum uídeatur, poſſís eas cõmuní nomíne eidẽ R. D. oſtendere: ex quíbus quaſí guſtum & ſpecímen quoddam ingenij & eruditionís Píſonianæ capere poſſít. Opto enim mírifice, ut ex eadem fidelía (ut eſt ín prouerbío) duos parietes dealbemus, íd eſt eadem opera duos promereamur, R. D. Iſtrígonienſí optímum præceptorẽ, & Píſoní maxímũ antiſtítem cõcíliantes. De qua re poterít R. D. etiã cum illuſtríſſímo patrono noſtro ſermonẽ habere. Nam & ípſe mecum de hoc negocío locutus eſt: quorum utríq; cupío dílígentiã meam probatam írí. Bene uale. Agría.

N

CÆLIVS CAL. REVERENDISSIMO EPIſcopo Vatienſí. S.

ON eſt quòd me adeo huíus argumentí pœníteat, tot ac tantos duces ſequentem. Habuerunt enim ſerij ac magní ſcríptores ferè omnes poſt graúíora ſtudía, ubí laſcíuírent. Id egit Cícero ín Senectute. Phauorínus in Therſíte & Quartana. Lucíanus in Muſca: ídem in Paraſítica. In Capillício Apuleius: uterq; in Aſino. In Caluitio Syneſius. Seneca

in obitu Claudij. Plato in furore & gymnastica. Polycrates in Busiride. In Helena Stesichorus: in utroq; Isocrates. Democritus in chamæleonte & talpa. Varro in Sesculysse. Plinius in exercitatione equestri. Xenophon in Cyro. Plutarchus in Gryllo. Vergilius in culice, Homerus in Ranis, Homerus alter in Margite, Aristophanes in Auibus, in nuce Ouidius. In iniustitia Polemo: in amore Phædrus: in Brassica & amurca Cato, in aniso Pythagoras. M. Antonius in ebrietate, Claudius in simulatione insanię. Catullus in passere, Stella in columba, Statius in psittaco. Quintilianus in cæcitate. Baptista Guarinus in cane. Leo Baptista in cloaca & Momo, Erasmus in Stultitia, Pandulphus Collenutius in Bombarda & Misopono, Iacobus Sadoletus meus in Laocoonte: quidam in ostreis, tuberibus & ficedula & sexcentis id genus, si numerare libeat, ex quibus ἀδόξους καὶ ἀτόπους ὑποθέσεις traxere. Et me non pigeat post tot præclara nomina pulicem in argumentũ arripuisse: qui tanto religiosius præclaris illis scriptoribus assurgo, quanto ijs quæ ab illis laudata sunt, minor pulex agnoscitur. In quo genere exercitationis illud ferè experimur, quod emeritus pancratiastes solebat: qui uires consenescentes tueri cupiens, tenui neruia summis digitis arrepta puteales urnas magno quidem labore, sed minima proposita laude hauriebat. In tenui enim re non tenuis labor. Et profecto nemo negauerit plenum summæ difficultatis, ut ille ait, nouis auctoritatẽ, obsoletis nitorem, obscuris lucẽ, fastiditis gratiã cõciliare. Alioqui ego minime is sum qui in pulice honoris ambitu laborẽ, aut in sympulo fluctus moueã. Satis enim mihi meũ studium placebit, si meum amorẽ, meamq́; obseruantiam Antistes eminentissime probari tibi intellexero. Bene uale tui Cælij memor. Agria.

CÆLIVS CAL. M. ANT. MAGNO S.

QVANTVM amem te, & quàm alte radices egerit mutua illa pridem internos coalita beneuolentia, hinc facile potes Magne mi doctissime intelligere: quom neq; tẽporis diuturnitas, quo non modo optata olim cõsuetudine, sed nec literarũ cõmercio usi sumus, (nihil enim abs te literarum ex eo tẽpore accepi, quo funebrem orationem conditam in obitu inuictissimi regis Hispaniarũ Di boni quàm elegãter ad me dedisti) neq; quom tot montiũ, tot fluminum, tot terrarum quibus secludimur, interualla non dicã quic quam adimere, sed ne tantillum quidem perstringere potuerint. Recentior enim ac robustior indies uiuit uigetq́; apud me amoris & necessitudinis nostrę memoria. Cuius testimonium facile dabunt tibi hæ literę ab extrema usq; Germania conscriptæ: quom Sarmatici regis nuptias in comitatu amplissimi principis mei celebrarẽ. Quòd si mihi abs te in hoc stadio mutuas operas rependi intellexero, in cælo planè me putabo. In quo tibi profecto uehementer adnitendum esse censeo: uel quòd grauem in amore aduersariũ nactus es, cui non facile hostimentum reponas: uel quòd quom omnibus in rebus uinci & manus dare turpe sit, in amore certe id sit turpissimũ. Bene uale uir clarissime. Cal. Aprilis. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. VALERIO PELLECANO S.

QVANTVM putas me lætitiæ concepisse, quom ex literis tuis agnouerim minimè memoriam tui Cælij tibi excidisse? profecto nihil ad me iucundius scribi potuit, quàm mihi à Valerio par hostimentum reponi in amore. Quare mihi illa animi ęgritudo, quam ex hac extrema barbarie in qua relegatus sum, contraxerã, nõnihil emollita est. quòd si posthac crebrius scripseris, spero fore, ut uel prorsus uel magna ex parte adimatur. Fac itaq; amabo uir clarissime, ut de isto tam propenso erga me animo tuo quàm sæpissime significes: ego id abs te maximi loco muneris accipiã. Bene uale, & filium saluta, atq; hortare ad præclara studia meo nomine, & me ama. Agria.

CÆLIVS CAL. CAMILLO VISTARINO S.

MAGNIFICVS Hector Sacratus iam aliquot annos mihi pecuniã debet. Debitionis causa est, quòd prædij cuiusdã in Gurzono positi non tenuem

tenuem partem possedit, pro qua censum annuum ecclesiæ meæ sanctę Mariæ Blancæ soluere tenetur: nec soluit nisi certa ex parte. At mihi persæpe coràm ipse & subinde per procuratores suos recepit. Dum me uerbis moratur, quadriennium actum est. Iniquo animo ferens diutius illudi, rogaui principem nostrũ, tibi utpote uiro doctissimo & magno iustitię fautori causæ cognitionem cõmitteret. Id per literas facit. Non rogabo ut causam meã foueas Camille uir eminentissime. Nec enim hoc à iudice petendum. Illud abs te contendam, ut quod amicitiæ salua iustitia tribui potest, id amicitiæ nostræ tribuas. Certe ueteres ab æquis iudicibus hoc petebant, & impetrabant. Bene uale, & me ama tui obseruantissimum Agria.

CÆLIVS CAL. MARIO EQVICOLO S.

VEL sim hominum impudentissimus oportet, qui laudes quas in me immerentem cõgeris, agnoscam: uel ambitiosissimus, qui me ijs dignum honestamentis, quæ uni tibi maximè conueniunt, putem. Nec tamen iudicium tuum, quod propter prudentiam decipi, propter candorẽ nescit decipere: aut certe amorẽ, qui tibi nimium oculos præstringat, damnaui. Nõ fuit tibi satis Mari uir eminentissime ea de me sentire, quæ uires excedũt, & captum ingenij: ultro etiã prædicas, uel cũ existimationis tuæ periculo: multosq; in me aduersarios, id est multorũ expectationẽ concitas. Obsecro te amabo, ne me, id est tui obseruantissimũ, in discrimen uoces: ne me suspectum reddas, si quãdo laudes tuas (quod mihi frequẽs est) prædicauero, quasi mutuã operã dem, & hostimentum porrigam: uel ingratum probes, qui ingenij culpa tua ornamẽta quæ uera sunt, non æquem, quũ mea quæ ficta & planè imaginaria sunt, tu lõge felicitate orationis tuæ supra ueritatem extollas. Bene uale. Agria.

CÆLIVS CAL. IOANNI MANARDO S.

EX literis quas nuper abs te accepi, satis cognoui te intellígere, quãtum possis tibi de Cælio polliceri, quantumq; ille tibi debeat: cui satis existimasti potius innuere quàm significare: alioqui ab amicitia uerbũ rogo omnino submouẽdum est. Tuas itaq; literas actutum principi reddidi, & accuratissime cũ eo de tuo negotio sum locutus. Ille uero se tua causa omnia facturũ recepit: nec modo perdiligenter ad R. D. Istrigonienſem daturum esse literas, uerũ & coràm uerba facturum in proximis comitijs, affirmauit. Eius consilium est, quod ut tibi communicarem mandauit: ut istam tuæ abitionis sententiam in eius aduentũ integrã sinas. Quom enim semel D. Istrigonienſem & procuratores regios de tua re fuerit allocutus, hinc cõmodius atq; maturius consulere poteris, & quicquid agundum constituere. Nullo modo probat, ut de recuperanda pecunia animum despondeas, neq; ut re infecta aut saltẽ non apparata decedas: quando id tibi uni & malo & dispendio, debitoribus autẽ tuis & uoluptati & lucro futurum putat: sed omnia pertentanda & omnẽ lapidem mouendum suadet. Aut enim exorabitur Istrigonienſis, ut præsentẽ pecuniã det, ipse se regium creditorẽ statuat: uel si omnis ratio nos destituerit, ipse princeps meus numeratæ tibi pecuniæ prætextu utetur, ut subinde sibi certi reditus ex ærario præscribãtur, ex quibus pecunia exprimatur, tibi postmodum resoluenda. Illud etiã addit nullo modo placere, ut quasi re desperata isthinc abeas non rediturus. Nam & aliam causam discessus obijci uult, & hunc semper in eorum animis aculeum relinquendum censet, quasi mox ad rem tuam repetendam exigendamq; sis affuturus. Ipse uero se tibi nullo loco nullaq; ratione uel auctoritate uel opera uel studio defuturum promittit: & ut hęc ad te profusissimè ac certissimè scriberem, iniunxit. Ego uero licet ipsum abũde existimẽ promissa spõte impleturum, tamen nusq; deero, quin Manardi, id est patris ac susceptoris mei, tum rogando tum flagitando & urgendo rem quanta potero diligentia procurẽ: qua de re breui pluribus agemus coràm. Interim bene uale, & me ama. Agria.

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ PISONI S.

QVOD sero ad te meæ literæ proficiscantur mi Piso, in causa fuit ægritudo, quæ me dies plusculos male habuit: in qua tuæ literæ, tandem post diuturnam expectationē redditæ, me deprehēderunt. quibus acceptis & de uoluntate tua cōmonefactus, quom ego ipse coràm non possem rem cōficere apud R. D. Istrigoniēsem, dedi literas ad præsidē Agriensem, qui cū de te ac uirtutibus tuis sæpius uerba fecerā: ut quoniā mihi per ualetudinem Budæ esse non licebat, ipse apud eundē Istrigoniēsem negotiū hoc accuratissime procuraret. Misi etiam priorū literarū tuarū exemplum, quibus tarditatē meam accusas in scribēdo: ut ex ijs ingenij tui non antea nisi meo testimonio perspecti, elegantiam colligerent, ne me plus amori quàm iudicio tribuisse existimarent. Is se diligenter officio perfunctum significauit: sed biduo antequam meæ literæ allatæ forēt, puerum tibi cōtubernalem designatū cum nescio quo Ragione Bontempo Etrusco summi Antistitis familiari in Italiā discessisse: uerum non ante reditū meum futurum in cuiusquā cōtubernio Ferrariæ, & rem totam integrā seruādam esse in meum aduentum, ut ex consilio deinde meo geratur. At nunc ideo festinasse, tum quòd certi comitis affulsisset occasio, tum ne diutius tardantes in hibernas tempestates incideremt. Quæ res profecto præter expectationē & cum summa animi mei molestia contigit: qui tibi omnia bene cupio, & summopere optabam quamprimū tibi hunc quęstum & tam excellentē amicitiam conciliare. Non deero tamē huic negocio uel absens, quom primū fuerit mihi copia alloquendi dominū Istrigonienſem: enitarq́ pro uirili, ut statim puer ad te mittatur. Quòd si spes absentē fefellerit: certe nisi me omni no fides barbara frustretur, operam dabo ne redeuntē fallat. Quòd uero uxorē duxeris mi frater, si id tibi ex uoto processit, gratulor. Vxor enim si proba est, satis dotata est, ut ille ait. Cæterū quom pręteriti errores reprehēdi magis q̄ corrigi possint, neq́ locus nouis cōsilijs supersit, superos precabor ut id tibi felix & salutare sit, & ad propagationē posteritatis fortunatū. Bene uale, meq́ ut soles ama, & quàm sæpissime scribe. Idibus Sextilibus. M. D. XVIII. Agria.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLARVM LIBER VII.

CÆLIVS CAL. HIPPOLYTO ESTENSI Cardinali S.

CVRAS hominum, ó quantum est in rebus inane. Hęc ego mecum illustrissime princeps sæpius inclamauí, postquā de morte Ioannis Franciſci Calcanei renuntiatū est. Cuius causa nō potuí non uehemēter cōsternari, mecum cogitās quantum ille sibi spei & opinionis induisset, ut non modo homines, uerū etiam humanā conditionem aspernaretur. Proposuerat enim animo certam quandam æternitatē, de qua omnia sibi pollicebatur: qua æstimatione imbutus insanas illas ædiū substructiōes inchoauerat, omnesq́ patritios & maiorū gentium homines promiscue contēnebat. Illud unum me mirifice angit ac propè exanimat, quòd patriam uideo tam præclaro animi acumine, tam perspicaci ingenio defraudatam, cui nescio an aliud facilè conferri posset. Quare exemplis monito, quę quotidie nobis in hac mortalitate offeruntur, execrari humanū genus propè libet: in quo alij honores ac magistratus & summa sacerdotia ita ambeūt, quasi in his posita sit uera & germana felicitas. alij opes & fortunas congerunt, quasi semper uicturi. alij dum regna & maiora quæsitis aucupantur, digladianturq́ pro infinita cupiditate, neq́ his interea quæ habent perfruunt. Quare mi princeps amplissime ablegatis curis, reiecta ambitiōe, sedatis cupiditatibus, quę nus-

quam

quam finem inueniunt, partis iam rebus incumbamus & præsenti conditione potia mur. Tu uero imprimis, quæ tui animi magnitudo & sublimitas est, non solum adni taris ut felix sis, & summa animi bona, quibus te natura illustrauit, benignitate ac li beralitate exerceas: uerum etiã fac cæteros, si modo digni sunt, tuam istam tecũ for tunam amplexari. Certissimũ enim felicitatis testimonium est, felices alios posse fa cere. Bene uale princeps optime, & tuam salutẽ tuere, ut te incolumi diu perfrui possint, qui in te spes suas statuerunt. Tertio Idus Sep. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. CAMILLO VISTARINO S.

QVANTVM non modo amem te, uerum etiam obseruẽ Camille uir cla rissime, & tuæ summæ uirtutes & mea tibi cõsuetudo abunde testari po test. Quare quom ex urbe tum ex patria frequentes literæ ad illustrissi mum principem nostrũ afferantur: illinc quidem, quòd ea quæ ad eius procuratores causarumq; defensores perscribis, ita implicita & negli genter cõfirmata sunt, ut neq; pes neq; caput in ijs subsistat, neq; sensus ullus inde e rui possit: istinc uero quòd in iudicãdis excutiendisq; causis amicitiã magis quàm iu stitiã colis, & opes æquitati præpõderant: in quibus licet ego planè conscius ingenij tui nihil existimẽ esse abs te alienius quàm hæc crimina, quæ tibi à maleuolis & inui dis fortasse irrogantur, quom te semper & apertum in dicendo & exactũ in scriben do & æquissimũ in iudicando cognouerim: te tamen de ijs omnibus cõmonefacien dum duxi. Tum ut totius rei prudens te tueri, & accusationes si quando inciderit oc casio diluere possis, ne qua forte in mente principis nostri labecula aut liuoris asper siuncula uel subsidere possit uel delitescere: tũ ut mutuo amori & officio meo, qui tui studiosissimus sum, satisfaciã. Tu quicquid hoc est, & boni consule, & beneuolentiã meam agnosce. Vale. Agria.

CÆLIVS CAL. CAMILLO VISTARINO S.

I boni, quo pharmaco, quo philtro delibutæ sunt literę tuæ Camille mi uir omniũ eminentissime: ut eodem tẽpore me in admirationẽ trahant D summarũ uirtutũ quibus polles, & incõparabilis humanitatis qua me ita deuincis, ut me planè totum tui æris facias. Quid quòd ita curas, ita molestias & uexationes animi excutiunt, ut facilè intelligam Homeri cum illud nepenthe, quod Helena Telemacho propinauit, nil aliud fuisse, quàm elo quentissimi ac prudentissimi animi orationem. sanè ego dum tuas illas suauissimas literas legerẽ, non in Pannonia, non in Germania, non in Sarmatia, nõ in Scythia, quę loca plena barbarie nuper uel perlustrauimus uel attigimus, sed inter Musarum sacraria, inter Gratiarũ delicias mihi obuersari uidebar. quæ illectamenta ut diutius sentirẽ, & perfruerer quasi curarũ inducijs, ó quoties legi ac relegi literas illas tuas, desiderio quidẽ meo perbreues, sed me Hercle succi plenas & doctrina opulẽtas & facultate dicendi felices. Debes debes quidẽ tu plurimũ tibi, id est prudentię tuæ ac Dis immortalibus, quorum cõsilio factũ est ne hos Orci cãcellos, id est hanc profli gatissimam barbariẽ ingredereris. Et hoc nomine tibi plurimũ gratulor, nõ tua tan tum causa, uerũ & mea, ne mihi bis meam fortunã ingemiscere sit necesse: dũ te quẽ me alterum puto, eodem laqueo trahi, eadem carnificina laniari aspicerem. Quòd uero in me tantum laudum congeras, quantum neque si sim ambitiosissimus agno scam: neque admittam, si sim impudentissimus, multam habeo gratiam tibi: & hoc totum bonitati ac humanitati tuę acceptum fero. Di faxint ut diu in hac tam egregia officiosa de me opinione, imaginaria licet & conficta, persistas. Quanto enim de me præstantius cogitaueris, hoc etiam amabis uehementius. Bene uale. Agria.

CAELIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ PISONI S.

VLCISSIMAS imò uero mellitissimas literas tuas obuia manu & lę D titissimo occursu accepi: nec prius ab earum lectione destiti quàm in tui memoriam ijs multa oscula impressérim. quantum enim putas me ga

uisum amœnitates ingenij tui & delicias festiuissimæ orationis agnoscẽtem: quodq; tui Cælij tibi memoria, uel trabali clauo affixa inhæreat, & mutuas operas des in amore. Amo ego quidem te mi Piso, non uulgato & seminario illo amore, quem solet uulgus usurpare: sed genuino ac ueriſſimo, qui penitissima animi recognoscit, quiq; ἔτερον αὐτὸν ὀργάζεται. Cuius animi mei hinc testimonium habeto, quòd quom proxime de nepote amplissimi Cardinalis Istrigoniensis sermo haberetur, quem patruus ad capessendum animi cultum Ferrariã mittere decreuit, ego te unũ proposui huic prouinciæ accõmodatissimũ, tuasq; laudes largo pectore explicaui. quod si mihi significaueris tibi esse paratum diuersoriũ, quo puerum quatuordecim annorũ (ut audio) excipias: idq; tuo & pueri cõmodo fieri possit: dabo operam ut res cum summa utilitate tua conficiatur. Stati erunt & præscripti in annum nõ plures quinquaginta, nec pauciores quadraginta aureis: accedẽt munuscula, accedet inita tanti principis amicitia. Sed hęc in alieno arbitrio. Illi tibi erunt prompti & parati. Quare de uoluntate tua me fac statim certiorem, ut possim statim tibi prodesse. Vale. Agria.

CÆLIVS CAL. FRANCISCO EPISCOpo Cenadinensi S.

QVOM se mihi certi nuntij occasio obtulerit, nolui prætermittere, quin D. T. salutem dicerẽ: eiq; testarer memoriã adhuc eius obseruantiæ constare apud me, quam in Italia cũ ea contraxi. Ego enim ille Cælius Ferrariensis sum, qui eam sæpius ex oculis laborantẽ illustrissimi D. Cardinalis Agriensis nomine salutaui, quem illa tã comiter, tam benignè excipiebat: ut nunquã tam excellentis eius in me humanitatis recordatio sit intermoritura. Cogitet itaq; secum D. T. an ulla in re mea opera, meumq; studium illi usui esse possit. Quicquid enim est in me aut animi aut ingenij, id omne perpetuò sibi mancipio addictum putet: eoq; me ad obsequendum animo paratiorẽ agnoscet, quo loco propiorem intelligit. Bene ualeat amplissima D. T. cui me plurimũ cõmẽdo. Rogo etiam ut Nicolaum præsentiũ tabellariũ mea causa cõmendatum habere uelit. Calendis Octobris. M. D. XXVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. IACOBO STACHOSKY Secretario Poloniæ S.

VT obliuione aut ingratitudine omnes mortales exuperẽ necesse est, nisi te non solum animo, sed oculis etiã perpetuò habeam. Tanta enim est humanitas tua, tanta comitas, tantus lepor, tanta suauitas, ut existimem Charitas ipsas delicias omnes suas, atq; adeo ipsam Venerem cestum suum tibi accõmodasse. Tu profecto ita me hominẽ peregrinũ & nullo tibi antea uel consuetudinis uel amoris uinculo cõiunctum superioribus mensibus allexisti, ac innumeris officijs deuinxisti, ut ex eo tempore singularis illa urbanitas tua, summa uirtute, admirabili grauitate & prudentia condita, oculis mihi semper obuersetur. quàm tu mihi familiariter homo tantæ dignitatis ac existimationis, quasi autoritatis tuæ oblitus, urbis præclarissimæ, neq; unquam à me satis laudatæ, loca publica, priuata, templa, arcem, castella, aquæductus, piscinas admirabilis artificij, bibliothecas instructissimas, instrumentũ aureum, argenteum, Attalicũ, bellua-tum supellectilis regiæ iubebas aperiri: ut mihi omnia penitus uisenda, tractanda etiam exponerentur. Tu etiam equestres decursiones in ripis Vistulę, tu cõflictus cataphractorum & uera propè Martis simulachra ostendebas: & quasi οὖν ἀχυρὸς ἀπὸ τοῦ πύργου ἐκείνου. Captata deinde occasione, quos tu homines, Di boni, mihi conciliabas? Amplissimũ & meo præconio longe maiorẽ Petrum Thomiciũ Antistitẽ Præmisliẽsem, magnum illum animo & rebus gestis Christophorũ Palatinum Graccho uiẽsem, clarissimũ præterea fortunis & honoribus Andream Critium, sed sapiẽtia & literatura multo clariorẽ, poetam planè absolutum: cuius doctissimũ & lepidissimum epithalamiũ legi non sine admiratione. Italia certe atq; ipsa Roma ad quam illud dedi, tam gratanter accepit, tam ex animo laudauit, ut non quasi Germanicũ aut Sarmaticum

maticum fœtum, ſed tanquam natiuas & genuinas delicias agnouerit: ut multos ingenue ſuppuduerit Muſas Romanas multo apud uos magis quàm in Latio latine loqui. Non poſſem enarrare quàm mihi moleſte acciderit, quòd eum hominẽ tot ingenij & literarum facibus ſplendidum more canis Aegyptij, in ipſo ſcilicet articulo diſceſſus mei, iã petaſato & ſuccincto ſalutare atq; amplexari contigit. Acceſſit ad tam ingentẽ beneficiorum ſummã hic etiam cumulus, quòd apud inuictiſſimũ regem & præpotẽtes regni optimates operam aſſiduã ne dicam anxiam dediſti, ut ciuitate donarer, & in nobilitatis ueſtræ immo uero in regiæ cohortis comitatũ cum omni familia aſciſcerer. Magni ſunt (fateor) familiæ meæ tituli, illuſtres prærogatiuę Pontificũ Maximorum & Cęſarum beneficio collatæ: non opes, non caſtra & oppida, non aui atauiq; bello & toga clariſſimi deſunt, (liceat enim mihi apud ignotos homines gloriam ſed ex uero prædicare, præſertim ne ſe apud degeneres aut indignos putent tantum ſuũ decus collocaſſe:) inter hæc tamen aliaq; innumera ornamenta, nihil maius, nihil honorificentius ueſtro beneficio hac tẽpeſtate mihi obtigiſſe arbitror: quod omne non fortunæ non ambitioni datum, ſed uirtutis uel teſtimonio uel certe opinioni redditũ arbitror: atq; eo maius multoq; excellentius mihi uidetur. Sed tua illa ſedulitas, qua me abeuntem proſecutus es, quom diplomata ipſa nota regia exornata & principali ſymbolo inſtructa, quæ uix ſemeſtri ſpatio expediri ſolent, ſeſquihora abſoluta, non auctoramẽti expectatione, ſed mei demerendi ſtudio attuliſti: quantum acceſſionis & ponderis clariſſimo muneri addidit: ut propè cælitus & deorum uoluntate factum uideatur, ut familia orta quidem in Italia, ſed à Germanis antiquitus oriunda, & Germanis adhuc inſignibus conſpicua, à magno Germaniæ & Sarmatiæ rege illuſtretur. Hæc ſunt ſcilicet quæ mihi memoriæ ac pœnitiſſimo animo inſederunt: quæ neq; locorum interuallo, neq; temporum ſpatio unquam conuelli poterunt. quibus quom me nulla gratitudine ſatisfacere poſſe intelligã, operam dabo ut aſſidua prædicatione, ingenua tanti nominis profeſſione, memoriæ perpetuitate me ab ingratitudinis ſuſpitione redimã. Certe fide ac ſeruitute ſereniſſimo regi, ſtudio, opera, & obſeruãtia uobis optimates & proceres clariſſimi, quantũ fortuna & occaſio ſuggeſſerit, nuſquã deero. Tibi uero uir officioſiſſime hunc animũ meum priuatim & perpetuò nuncupo. Bene uale, & tuum Cæliũ mutuo ama, eiuſq; memoriam ſempiternam habe. Pridie Calend. Decemb. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

S I animũ induxeris ut ad nos uenias, rogaui Pythagorã uirum optimũ & mihi ſummo amore coniunctũ, cui ad te nuperrime literas dedi, meo nomine operã faxit ut te ſecũ adducat. Sic enim & ſecuritati tuæ & deſiderio meo conſultum putabo. Vale, & ut te quamprimũ perfrui poſſim enitere. Calend. Decemb. M D. XXVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. FRANCISCO CALORO S.

E T Philoſophi uera afferunt, & tu uera putas præceptor clariſſime, nam locorũ diſtantia nihil animis, nihil amori obeſt. Immo una maxime cauſa Plato amorẽ neceſſitati pręfert, quòd illa propinqua tantum, amor etiam longe diſſita, poteſt cõiungere. Tu itaq; ſub hoc ſequeſtro dum in Italia, dum in Muſæo, dum in ſacris delicijs agis, mecũ es. Ego uiciſſim dum Germaniã, Pannoniam, Sarmatiam, Scythiã denicq; inuitus & magnis cum incommodis peruagor, tecũ ſum. Sed hac una conditione tu potior: quòd optimo hoſpitio, id eſt apud optimũ hominem me excipis. Ego quaſſo & araneoſo hoſpitio, amico tamen te excipio. Bene uale, & deum propitium habe ac mihi precare. nam ſi hoſtium facile inuenio, cardinem nihil moror. Buda.

CÆLIVS CAL. CAMILLO VISTARINO S.

F ACIS tu quidem ex ingenio & bonitate tua uir conſultiſſime, qui amantiſſimi ac ſtudioſiſſimi tui orationem boni cõſulas, & ad eum modulum

dulũ metiaris, quo fuit à nobis cõformata. Atqui de te princeps (ut par est) semper optime sentire ac loqui uisus est: nuper tamen accesserunt quidam tuorũ obtrectatorum adiutores: qui quasi succenturiati tela suggerunt: & quom aliud agere uideantur, hoc tamẽ agunt: ut te non minus dissimulanter, quàm indigne oppugnent. ij tua dicta, tuos nutus ac renutus, peruerse interpretãtur. Quare te cautiorẽ quàm meliorem esse oportet. tu qui optime sapis, qui intelligis quibus cũ de rebus principis uerba facias. cætera per te potes ariolari. Nam me tenebras loqui opus est. Sunt enim undiq; Corycæi, qui omnia propemodum subauscultare uideantur, & ego forte nimis etiã progressus: sed ita me summus erga te amor cogit. Et quum plenum facinoris sit, te immerentẽ, ab ijs quos minime uereris, oppugnari: non abfert à summa impietate, te ab amicissimo etiã non admoneri. Bene uale uir doctissime, & quod facis da mihi mutuã in amore operam. X. Calend. Ian. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

EODEM momẽto binas tuas literas accepi, Di boni quàm doctas, quàm scitè Mathesin illam linearẽ exprimentes. Eas actutũ amplissimo principi obtuli. Qui licet eo tẽpore occupatissimus, delectatus tamen est mirificè ingenij tui acumine: & illud non mediocri admiratione dignũ affirmauit: quod homo in reconditis & grauioribus istis studijs exercitatus, tantum in eloquentia promouerit: ut tantum ex ijs alterũ seorsum arripuisse uideatur. Magna profecto fœcunditas ingenij tui: quæ mihi maiores in dies amoris erga te mei faces accẽdit: facitq; ut te optẽ magis ac magis (si modo detur occasio) promereri. Sed de his coràm pluribus: nã te iam cupidissimè ac propè anxiè expecto: ut te ac tot amœnitatibus ingenij tui dieculas saltẽ aliquot perfruar. Bene uale. IIII. Idus Decemb. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. TIMOTHEO MANARDO S.

QVOD tu cum optimo parente incolumis Ferrariã perueneris, gaudeo & gratulor. Di faxint, ut prope diem (quod futurum spero) uobis istic perfruar, ut Budæ olim suauissimè perfruebar. Nam quòd nõnulli me proxime rediturum augurantur, & uotum meum testantur, & læti ominis loco esse uelim. De noua nupta optimi parentis mei, quàm magnificè in uiri manum conuenerit, lætor, & tibi gratias habeo, qui rem tam gratam tamq; optatam significaueris, & ut hoc persæpe facias summopere obtestor. Notam acceptæ pecuniæ non dedi ad te, quòd Thomas nondum eam summam persoluerit, quam se daturũ recepit: alioqui quom multa prius recepisset, postquam uos hinc abijstis, cõmutata sententia se ad XVII. tantum aureolos persoluturũ affirmat: exceptis ijs quos antea erogauerat: nec enim se plures reuerendo Michaeli Vitesio debere testatur. quotquot ille dederit accipiam: totidemq; ad plenum uobis istic repræsentabo in reditu meo. qui si in longam diem diffindetur (quod non puto) accepti syngraphã mittam. Vale. Agria.

CÆLIVS CAL. MARIO EQVICOLO S.

ACCEPI literas tuas, quibus tantum mihi tribuis, quantũ neq; si sim ambitiosissimus agnoscã. Accepi munus, planè dignũ Mario, utrunq; gratuitum, utrunq; gratissimũ. In hoc enim tua planè liberalitas arridet: in illo summũ acroama à uiro laudatissimo profectũ summopere oblectat. Sed tu age uir cõstantissime, & quẽ ex professo expingere cœpisti, ne desinas tuis coloribus circumlinere: quando amoris fuit cœpisse, constantiæ est nõ desinere. Bene uale, & illustrissimæ principi fœminæ tuæ ac meæ persuade, hunc animulum meum ei perpetuò dicatũ eius gratia dignum esse. Nam ego parẽ tibi operam do apud Reuerẽdiss. principẽ meum, cui pridẽ adeò places, ut iam per te illi iure uidear cõmendandus. Agria.

Cælius

CÆLIVS CAL. EPISCOPO VATIENSI S.

LITERATVRA & eruditio clarissimi Iacobi Ziegleri familiaris tui satis erat mihi antea perspecta: nondum comitas, nondum ingenua quædam in homine probitas & modestia erat explorata: quam paucis his diebus, quibus liberalitate & indulgentia tua apud nos fuit, cõminus expertus sum. Nihil illo doctius, nihil acutius, nihil humanius aut candidius: ut facile intelligere possim, illum tibi planè alumnũ & familiarem, tuisq; coloribus (ut aiunt) depictum. Quare quom tibi omnia prius deberẽ, nunc demum is accessit cumulus, ut iam neq; fortunæ omnes meæ teruntio addici possint, si magnitudini æris contracti uelim respondere. Quare uel decoquendũ est, uel faciẽda uersura. Sed me planè insipientẽ, qui quom antea apud te multarum literarum creditorẽ exrationario me putarẽ, nunc demũ unis his literis, sed uiuis, sed spirãtibus, additis intelligam me ita ære obrutũ, ut obtorto collo necti possim. Quare uel trãstyberina illa distinctio ex XII. tabulis, uel creditoris clementia expectanda est. Alterutrũ malis tuæ optionis est, ego quom digitũ sustuleris parebo. Agria.

CÆLIVS CAL. LILIO GREGORIO GYRALDO S.

QVOD nihil ad literas meas rescribas, alij obliuionem, alij fortunæ magnitudinẽ ad quam prouectus sis, causantur: utrũ malim nõ habeo exploratũ. Nam mei obliuisci, durũ: tui etiam, impium. si tamen detur optio, illud optauerim, ut meo magis quàm tuo periculo, Liliũ exuas. Vale, & me semper in utraq; fortuna eundem fore tibi persuadeas, id est tibi addictissimũ. VI. Calend. Ian. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. BARTHOLOMEO CROTTO S.

I nihil ad me scripsisti mei oblitus Crotte mi suauissime, doleo quidem uicem meam, sed ignoscã tamen tibi. Quis enim obliuioni, quæ in nos uel inuitos tyrannidẽ exercet, obluctari possit? quòd si memor nõ scripsisti, tantum abest, ut tecum expostulem, ut etiam ultro gratuler mihi: quòd hoc scilicet quicquid est fiduciæ tibi amor obtulerit; quando non aliunde proficisci uelim existimare. Quare me iudice, uel sine certatione absolutus esto: ea tamen adscripta conditione, ut qui scribere desinis, amare non desinas. Vale. VI. Calend. Ian. M. D. XVIII. Agria.

CÆLIVS CAL. DOMINICO GAZÆ S.

NEQVE te ita ambitiosum esse uelim, ut fortunas tuas iactes: neq; ita segnem, ut dissimules. Alterũ enim infruniti, alterũ timidi, esse putat Seneca. Auaris hæc consuetudo est, ut suas opes cælent: sed illi fortè iustius, quibus aliorum auaritia extimescenda est. At tu ea bona abscondis, immo uero abiuras, quæ neq; auaritiã cuiusquam, neq; ipsius fortunæ tyrannidem reformidant. Quare ego te hortor, ne amico census tuos amice quidem, nec enim hoc negarim, sed & uere profitẽti, tam dure, tamq; immaniter obluctẽris: ne illi suspitionẽ assentationis impingas, & tu manifesta adeo pernegans, pertinaciæ notam cõtrahas. Nam quod ad me attinet minimè certe falli possum in tua supellectile, utpote cuius amor à iudicio, iudicium neutiquã ab amore proficiscatur. Quòd obierit Frãciscus Calorus uir de studijs egregie meritus doleo: quòd tu eius stationẽ susceperis, magis alijs, id est discipulis tuis, gratulor q; tibi. Quòd tu prælatus multis cõpetitoribus, laudo iudiciũ meorum patrum & collegarũ. Reliquũ est ut te horter ad nauiter ac diligenter suscepto munere perfungendũ: quod te pulchre & cõmode facturum spero, si humanitatẽ seueritate condiueris: ut ex utraq; elegans quidam cinnus misceatur, & illa bonorum studia alliciantur, hac malorum immanitas deterreatur. Vale, & me ama, tuarumq; literarum suauissimos fructus mihi persæpe accommoda. Agria.

Cælius

CÆLIVS CAL. REVERENDISSIMO EPI/
scopo Vuaradinensi S.

QVI scribere iam tot menses desino, amare atq; obseruare nunquã desino: quin indies magis ac magis refricatur optimi ac doctissimi Antisti/tis mihi recordatio: cuius excellens humanitas, cuius illustris literatura ita mihi potest excidere, ut potest ille unquam bona studia & præclaras artes intermittere. Quòd si mihi in tam honesto amoris stadio respondere, atq; adeò obseruantiæ meæ memoriã in eius animo uiuere intellexero, nõ iam me Cælium, sed planè cælitem putabo. Bene uale. Agria.

CÆLIVS CAL. SEBASTIANO MAGIO S.

HVI post annum uersiculum ad me unũ, neq; eum quidem integrum: & de me quereris quòd nihil ad te scribã Sebastiane omniũ olim officiosissime, nunc uero plus nimio de amicitia secure, nec enim lubet negligentem appellare. Tu uero mecum expostulas, quòd nihil ad te literarum dem. Age si lubet, ad calculum rem uocemus: profitere nomen amabo, uter nostrum prior scripsit, uter posterior. An uero mihi se unquam nuntius obtulit, quem ad te profecturũ existimarẽ, cui literas nõ crediderim? sed ut de literis ignoscam, an uero cæteris in stipulationibus cõuenta seruasti? Num tu ille es qui superiore hyeme sanctissimè recepisti te ad me uenturũ, quom ego iam uenire ad te statuissem. Quæ inanis expectatio fecit, ut quom munuscula quædam parassem, quibus amoris summi erga te mei memoriã immortalem testarer: & tum in tam lõgam diem distulerim, & nunc misera exchartabula cum puluere & blattis luctentur: quæ si ueneris, id est si promisso steteris, situm protinus excutient ac iuuenescent. Vide quantum discupiã te uidere, te amplecti, te perfrui, mi suauissime Sebastiane, ut quom te uideam paulo tardiorem quàm uelim ad promissa obeunda, studeam proposita mercedula allicere: quam si aspernatus non fueris, te de me quàm optime meritum putabo. Vale. Agria.

CÆLIVS CAL. PHILIPPO ALBAREGALIO S.

ET si rariora sint inter nos literarum cõmercia, quàm mutuus amor exigere uideatur: nunquã tamen desino amoris officio defungi, id est te amare, tui meminisse, te non solum animo, sed oculis etiã ferre. ut mutuas mihi in hoc stadio operas reponas & peto, & obtestor Philippe omniũ humanissime. Accepi te optare uenaticũ catulum ex seminio summi & amplissimi principis mei: dabo operã ut electissimũ habeas. Quòd si quid est præterea in quo tibi possim accõmodare, me tui semper cupidissimũ ac studiosimum experiere. Bene uale. Agria.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

ATTVLIT mihi plurimũ lætitiæ tua epistola, qua significasti te saluum Budam peruenisse, & res domesticas ac ministrum tuum multo meliori conditione offendisse, quàm abiens reliquisses. Quæ omnia tibi gratulor, optoq; in posterũ dei benignitate fieri auctiora. Lucianũ & Vernerum obuius accepi, accepi & codicem Græcum Ptolemæi mihi longe gratissimum, cuius nomine gubernatori omnia debeo. Domino Vatiensi nihil deheo, qui quasi sceptícus negabat. & quom ego uidissẽ, legissem tractassemq; eum codicem in regia bibliotheca, ipse tamen putabat minimè in ea reperiri. Excuso tamen summi Antistitis ingentes occupationes, qui nobis extremæ classis homuntionibus operam & studium præstare non potest. Gaudeo Castilionẽ suscepisse conditionem & curam organorum in matheſi fabricandorũ. Tuum est urgere hominem dum res calet. Vrsinus, Cælius, ministro tuo cumulatas reddunt, quas acceperũt salutes, & se ad eius cõmoda propensos offerunt. Illustrissimũ dominum meũ tui amantissimum reue/

reuerenter salutaui tuo nomine. Ptolemęus hic recens contubernalis meus omnino posset esse leuigatior & emũctior, mangonissatior tamẽ est in pallio hoc transmarino, quàm sit in toga. Opera omnino grauior est quàm animo cõcepissem: uerũ nullus labor me deterrebit. Sed heus tu Zieglere hominum optime ac doctissime, quid tibi uenit in mentẽ quom glossema illud secũdo capiti adscriptũ de sciothere nõ modo damnaueris, sed omnino exploseris? Atqui Gręca auctoritas illud tuetur in hæc uerba: σκιοθήρας ἔστι σχῆμα πυραμίδος, ἐκ τεσσάρων τριγώνων περιεχόμενον, περιϊστόντων ὀρθογωνίαν τῶν τριγώνων, διὸ ἣν λαμβάνομεν τὴν μεσημβρίαν. Sciother habet formã Pyramidis. ea quatuor triangulis constat, qui rectum angulum triangulorum ambeunt, ex quo meridianũ captamus. Quare in iudicio tuo amplius dico, tãtisper dum rursus tecum litem certauerim. Nam prouerbium uetus est, δεύτερα ἀμείνω. id est, secunda meliora. Bene uale. VI. Calendas Martij. M. D. XIX.

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ PISONI S.

QVAE ad me scripsisti de adolescente illo quem tibi optabam contubernalẽ fieri, fuerunt pergrata. Quando si istic est, neq; lõge euectus, ut uerebar: iam spes affulget nos facilius omnia ex sententia confecturos esse. Quom enim quidã mihi renũtiasset, ab Etrusco illo de quo antea scripserã longe abductum, penè animum desponderam: sed tuæ literæ mihi difficultatis suspitionẽ magna parte exterserunt: quare hoc agemus. Decreuerã quidem ad Federicum, mei (ut ego puto & tu scribis) amantissimum, super ea re literas dare: quando tu hoc non planè petis, sed furtim innuere uidebare. Atqui uideo rem per literas, ut tu prudẽter ariolaris, difficulter explicari posse, tu si qua spes quęstus arrisit, reliquum cogita. Proinde mihi à capite, id est, à pueri patruo res uidetur excutienda & retexenda. Tu interea quid agatur, à quo instituatur, ubi educetur, locupletius admonebis. Ego ex re & ex tempore consilium petam: neq; quicquam prætermittam quod ad uotum aut commodum tuum pertinere cõfidam. De aduentu meo in Italiam nihil habeo præscriptum quod tibi significem. Nam licet ego maximè festinem, tamen princeps hic meus nunc in literis propè nimius, me diutius remoratur quàm uelim: spero tamen Dis fauẽtibus ante idus Apriles te ac tua dulcissima consuetudine posse perfrui. Cætera quæ mihi nuntiasti fuerunt pergrata. Quare mihi istam operã da creberrimè mi Piso: & de omnibus rebus iuxtà publicis & priuatis, cumulatim certiorem redde. Hoc neq; iucundius neq; optatius mihi facere potes quicquam. Vale. Agria.

CÆLIVS CAL. R. EPISCOPO VVARADINEN. S.

POST QVAM ad nos allatus est nũtius de illust. parẽtis tui obitu, dolui quantũ par fuit hominẽ tibi addictissimum dolere: & mecum ipse excogitabã quomodo in tã insperatũ inopinatũq; casum consolationẽ afferrẽ. Sed quom tuam pręcocẽ sapientiã agnoscam, ueritus sum ne in me uetus illud iaciat, sus Mineruã. Quare me cõtinui à tã præcipiti cõsilio. Atqui nõ desinã in memoriã tibi reuocare, nũc illud maximè tempus affulsisse, quo summã illam animi tui prudentiã, uimq; ingenij incomparabilẽ excites, quę reflante tẽporum cõditione hactenus fuit obturbata: imprimisq; operam des & adnitaris ut omnes intelligãt consilia tua generosi magnanimiq; Antistitis semper fuisse, sed nũc tandem discussis nubibus illucescere. Scio tibi ob magnitudinẽ fortunarum & existimationis non defore inuidos captatores: assentatores etiã, quod genus hominũ ceu muscæ in culinã, ita ad aures diuitum solent aduolare: ut eos omnes prudenter eludas hortor & rogo. Di faxint ut te, id est optimũ ac doctissimum Antistitẽ, antequã in Italiã reuertar, amplexari & coràm uenerari possim. Facit enim magnitudo mei erga te amoris ac pietatis, ut non desinã te iam ad obeundos præclaros illos cogitatus incitare, atq; adeo urgere. Quom primũ autem res luxatas ex paterno obitu composueris, & molestas occupationes excusseris, exerta uoce illud inclamabo,

Heus iuuenis, iam sola animos mentemq; perurat

Gloria, & hanc unam uiridem immunemq; senectæ
Tybridis in ripa stantem, & tua fata uocantem
Aspicias: hæc una animos & pectora tangat.

Sed quantum ego desipio? qui & currenti subdam calcaria, & actum agam. Nihil ergo maius habeo quod dicã, nisi ut tu te ipsum consulas, te audias, tua consilia sequare. Hoc si feceris, quod te facturum confido, tibi ac illustri familiæ tuæ perpetuũ decus: tui uero studiosis, inter quos ego uel primas profiteor, immortale gaudium inuexeris. Bene uale. Feb. M. D. XIX. Agria.

CÆLIVS CAL. R. LAVRENTIO PVCCIO CARD. Sanctorum IIII. coronatorum S.

OPTABAM mihi aliunde occasionẽ præberi, qua D. T. R. & fidem & seruitutẽ meã testarer: ut aliquãdo intelligeret, multa ac magna beneficia, quibus me hominẽ ignotum & mediocris fortunæ persæpe promerita est, nõ apud ingratissimũ collocasse: uerum hoc desideriũ & institutum meum nescio quo fato præuentũ est. Nam quom nuperrimè præstans uir Iulianus Nasellus, causarum mearũ in Vrbe defensor, mihi significauerit, amplissimã D. T. dignatam esse de causa mea Fauentina uerba facere, & S. D. T. uoluntatem aperire: utpote cui placeat, sacerdotium meũ Fusignanẽse diuidi, & (ut est in prouerbio) ex una fidelia duos parietes inalbari: cœpi mecum ipse dubitare, an ad ea quę nuntiabantur quicquã responderem, an tacitus sinerẽ bonam causam perire. Quando utrinq; summa occurrebat difficultas & oraculum planè arietinũ, peribo si non faxo, si faxo uapulabo. Nam si tacerẽ, dubitabã nequis me non auctoritate præcipientis moueri, sed conscientia rem meam prodere existimaret: sin responderẽ, uerebar ne me plus nimio audacẽ diceret quàm oporteret: & me nõ meam quidẽ causam dicere, sed S. terrarum principis imperio reluctari, & D. T. iussa in ordinẽ redigere interpretaretur. Quorum utrunq; tantũ abest à me, ut imprimis hoc testatũ uelim his literis, me nihil omnino aut uelle aut optare, quod S. D. N. aut D. T. uoluntati displiceat: meq; paratum esse meos sensus exuere, ut uestros protinus induam, uobisq; (ut par est) certissimũ meę seruitutis & obseruantię testimoniũ præbeam. Atqui plane timidi atq; ignaui ne dicã improbi hominis fuerat, opt. max. Põtificis & amplissimi Antistitis uel iustitiã uel clemẽtiam desperare: & eorũ à quibus Christiani orbis pendet arbitriũ, aures supplicis & eorum fidem implorantis seruuli precibus obstructas existimare. Quare quæcunq; fortuna mihi futura est, nunquã me pœnitebit fiduciam & spes meas in uestra bonitate statuisse. Hac fretus rogo & supplex obtestor R. D. T. dignetur apud S. D. N. auctoritatẽ & intercessionem mihi suam accõmodare. Nam quom ego ab ipso usq; principio in causa mea bonũ ius tuerer, & rite à summo Pontifice sacerdotij mei literas impetrassem, multisq; ac magnis præsidijs iura mea cõfirmassem: quadriẽnio tamẽ ab aduersarijs oppugnatus, ut omnia mihi fierẽt pacatiora, & cõtrouersijs extrema aliquando manus imponeretur, dedi operã quantum in me fuit, ut ad ea omnia quasi fastigiũ gratia & liberalitas summi Pont. accederet: qui minime spes meas frustratus ex cõsueta benignitate indulsit, ut si neutri iura cõpeterent, mihi cõpeterent. Qua Pontificis munificentia impetrata futurũ sperabã, ut aduersarius qui iustitiã & iura mea antea contempserat, tanti demũ Pontificis largitatem reueritus conquiescceret: æquiorq; mihi & trãquillior fieret, & tandem ab iniuria desineret. At ille, ut uideo, neq; deum neq; dei uicarium ueritus, postquã iam nihil cõtrouersum est, postquã omnis scrupus expunctus est, postquã ius meum perspicuũ redditũ est, alijs me adoritur cuniculis, & penè quotidianis uexationibus attritum adhuc persequitur. Doleo itaq; uehementer mi domine amplissime, nec tam illud doleo, quod is à pristinis moribus non desciscat (potuit enim id fortasse eius naturę dari & cõsuetudini) sed hoc minimè ferendum, quòd liberalitatẽ, gratiam ac beneficium uestrum mihi tanto nixu studeat adimere: & quod nõ minus mirum quàm intolerabile est, per uos ipsos tantum audeat flagitium. Quare si quod habent iustæ preces pondus apud æquas aures, uos rogo, obsecroq; per literarum cõmercia, per

iustitiæ

iustitiæ numen, per uestram magnitudinẽ, ne sinatis præter morẽ & instituta maiorum, opem, patrociniũ, beneficiumq́ uestrum cuiusquã impotentia uiolari. Prætertermitto cætera quæ in hanc rem afferri potuissent, & quòd sacerdotij angustia diuisionem non capit, utpote quod centũ aureos, & eos quidem ægre attingat. Qua in re apud amplissimã D. T. sanctissimo iureiurando me ac fidem meã obstringo. Tum uero quòd duæ licet Ecclesiæ sint: una tamen prouentibus & auctoritate tantũ pollet. Et ij quidem prouentus nullo certo solo constant, sed discerpti distractiq́ uix integro anno colligi possunt. Parochiã uero unius corporis diuelli quàm arduũ & periculosum aptumq́ ad seditiones, in Flaminia pręsertim, potest D. T. R. facilius cogitare quàm ego perscribere. Sũt & aliæ honestę rationes, quę animũ cuiusq́ modo non planè stupidi permouere possint, quas commodius D. T. coràm idem Iulianus ennarrabit. Ego uero in fidem T. D. me totum do, dedo, addico, quæ si mihi dignabitur in hac tẽpestate se facilem propitiamq́ præbere, & iustitię subsidium attulerit, & incomparabili ac sempiterno beneficio me deuinxerit. Vale. Buda.

CÆLIVS CAL. FRAN. COGNOMENTO EPISCOPO S.

FVERVNT mihi pergrata Francisce optime ac doctissime, quæ nuper in epistola tua de ueteri inter nos amicitia perscripsisti: quę subinde studiorum cõmercio ita coaluit, ut eam immortalem futuram iuxtà optem & augurer. quòd uero tam insigni contumelia lepidissimas literas tuas tã immerẽter affeceris, ut eas quasi inopes ac exuccas, & si Dis placet, etiã ex hara productas damnaueris (uerũ fateor) non ęquis auribus tuli. Nihil enim ijs copiosius, nihil emunctius, nihil amœnius: ut uidear iure tecum posse expostulare, qui mihi hactenus nimis improbe istas delicias inuideris: quam iacturã tum mirifice persensi, quom ea legerẽ quæ ad Hieronymũ Brunum uirum ad omnẽ probitatem, elegantiã uirtutemq́ natum pertinebant. Nam tu eam scenã omnino graphice expressisti. Videbã enim absens illum tibi blande condicentẽ: te, ut occupatissimi solent, conditionẽ detrectantẽ: illum acrius instantẽ, scitamentis etiã quibusdam, non palati solum, sed ingenij te allicientẽ, tum manus laciniæ clementer inijcientẽ. Te uictum deniq́ ac precibus expugnatũ manus dantem, & cessim subsequentẽ ἑκόντα ἀεκόντιγε θυμῷ, ut inquit Poeta. Mox utrunq́ mensę accumbentẽ, epulas etiam, non illas quidem ad luxũ, sed ad elegantiã comparatas inferri, uina electa propinari. Iam conuiuium hilarescere, iam sermones illos quos belle Græci βιωφελεῖς dicunt, ultrò seri ac reddi, donec inuecta secunda mensa, ac deductis mantilibus, nescio quid exchartabuli offertur: Di boni quàm importune, si auctorẽ, si dicendi genus, si materiam deniq́ inspicias: at rursus quàm opportune, si legentiũ indulgentiam, sanctitatem facilitatẽq́ animaduertas: si tempus deniq́ inspectes, quo nemo planè uel Catonem ipsum arbitrũ reformidarit: ut profecto liceat Bruni mei acumẽ & prudentiam admirari, qui amantissimi hominis existimationi fauens: id imprimis tempus elegerit, quo nemo exacte aut certe anxie iudicat: quin idem omnia scilicet ad exitum fabulæ instruens (nisi mea me fallit coniectura) te aliquãto largius quàm uestra ferret consuetudo, poculis inuitarat, hoc ipsum consulto agens, ut quasi nubecula iudiciũ hebetaret. Quare quom primo nõ sine molestia accepissem, ineptias meas & quidẽ abortiuas, in tuas manus incidisse, exhorrui nonnihil. Nam quom eas scriberẽ, aut ad Brunum, id est indulgentissimũ parentem mitterem, tu non eras (ut ille inquit) in hoc albo. Sed postquã te auctore, totam rei seriẽ perspexi, multo mecũ felicius quàm sapiẽtius, quom de sapiẽtia diuina scripserim, actũ existimaui, de quo iudex, neq́ inimicus, neq́ omnino sobrius iudicauit. Proinde quom hactenus mihi res bene cesserit, id unũ reliquum abs te impetratũ uelim, ne ad eandẽ lectionẽ matutinus ac ieiunus accedas: & tu ipse iudiciũ tuum, quod tuis literis testatũ habeo, tuearis: meminerisq́ ex legitima iuris formula, te functũ officio, & iniquũ esse bis eandẽ causam ad tabellã reuocari. Bene uale, & me, ut soles, ama. R. D. Pręposito, ac dominis meis capitularibus & cęteris fratribus in Ecclesia nostra me plurimum cõmendato. Vale. IIII. Idus Apriles M. D. XIX. Agria.

CÆLIVS CAL. R. LADISLAO EPISCOPO Vratislauiensi. S.

L

ICVIT tibi quidem Antistes eminentissime præuertere officium meum, non dicam incomparabili ista bonitate ac benignitate, quæ te pridem apud omneis celebrẽ reddidit: sed bonitatis ac benignitatis potius felicitate. nã dũ ego summas occupationes tuas uereor, dũ recuso obstrepere magna & ardua molienti: atq; interea libros quosdam cũ tineis & blattis rixantes in Bibliotheca regia excutio: ecce tu minimè expectatus puto dũ alia obis negocia, ut uel negligẽtia uel rusticitas mea acrius plecteretur, superuenis: hæsitantiq; imò pudore undecunq; suffuso manum iniicis. Ea res quàm mihi grauis & dura fuerit, nõ aliunde facilius declarare ausim, quàm quòd nullis officijs, nulla diligentia sperẽ me tantũ desidię sarcire, aut tantum piaculi expiare unquã posse. Nec tamen ob id animũ ita despondi, aut certe consternaui, ut in posterũ cessaturus sim, quin animi & obseruantiæ meæ erga tuã magnitudinem testimonia perpetuò quacunq; ratione daturus sim, ut qui in te appellando ac salutando postremas tuli, in te colẽdo ac uenerãdo, prędicandoq; innumeras illas Gratiarũ amœnitates, ex quibus te cõpactum cognoscimus, primas ferã. Bene uale, & primũ hunc Selectorũ meorum libellum, quasi tenuẽ gustum quendã tibi nominatim dicatũ, (Nec enim tumultuariò plures exscribi potuere) in cæterorũ qui mox ad te ibunt pignus & ueluti arrabonem lætus ac fœlix accipias, & Cælium ex asse tuum semper fore memineris. M. D. XIX. Buda.

CÆLIVS CAL. MATTHIAE SQVAQVARAE S.

P

ERGRATÆ mihi fuerunt literæ tuæ, in quibus ingenium & eruditionem singularẽ iuxtà perspexi. Illud uerùm me mirifice oblectauit, quòd amicos tãti facias, ut eorũ causa nullum laborẽ reformides: quin ultro etiã deposcas, & propẽsam operã polliceare. Id quod in re Azaioli nostri tam prompte facis, ut iure tibi summa gratia debeatur. Ostendit mihi Thomas pigmentarius syngraphã, de qua mentionẽ habes in literis: quom primũ accepero te Budæ esse, ut ad te incolumis perferatur curabo, quo diligentiã quam recipis cõmode prẽstare possis. Te uero ad totã rem cõficiendam, siquidẽ ex omnibus detur optio, accuratiorẽ, addo etiã prudentiorẽ, inuenire posse minẽ. Quare in te unũ hoc omne onus inclinabit. Amabo te Matthia mi suauissime, rem ita susципe, ita amplectere, ut spẽ quam de te in amici negocio cõcepi nõ frustreris. Da operã ut scias quamprimũ, & me cõmonefacias. R. D. Istrigoniẽsi me ac seruitutẽ meam reuerẽter cõmẽdato. Nec minus præstantẽ Ioannem M. Physicũ meo nomine plurimũ salutato. Bene uale. VI. Calẽd. Maias. M. D. XIX. Agriæ.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

Q

VOD nihil ad te literarum dederim, postquam in Italiam redij, nolim obliuione aut negligentia factum putes. Qui enim fieri potest, ut doctissimi atq; optimi Ziegleri mei, quo neq; ego ipse mihi sum charior, memoria unquam possit excidere: uel quæ tanta animum segnities occupare, ut negligentia ad res tuas præsertim obeundas, animo irrepe-
ret? At ego te unum ex omnibus maximè præ oculis semper habeo: & peculiari illi uoto tui familiariter perfruẽdi, tantum abest ut quicquam adimat tempus, ut multò magis indies augeatur. Neq; dies neq; locus usquam occurrit, quo ego Zieglerum meum optatissimum atq; amœnissimum non perquiram. Aduenientem uerò me in Italiam patria protinus & familiares occupationes exceperũt. Mirũ est enim quàm me absente omnia in transuersum abierint, & tricis inuoluta sint, ut non facilè, neq; leui opera extricari posse uideantur. In ea uero re pertẽtanda plus minus sesquimensem absumpsi. Sed quom res difficilior se offerret, quàm ut paucis diebus expediri posset: & iam me negocia Romana non uocarent solum, sed etiam urgerent: ci-
citer

citer calend. Octob. Romam perueni. Quo loco multorum amicorũ & prẽstantium uirorum fauore exceptus putaui me facile litibus & controuersijs forensibus, quæ me huc impulerũt, modum posse imponere. Sed res aliter cecidit. Nam qui me absentem oppugnabant, ut primũ me prẽsentem intellexerunt, ab oppugnatione quidem destiterunt, sed se quasi feræ parũ uiribus fidentes in syluas abdiderunt. Nunc itaq; neq; oppugnãt neq; fœdus ineũt: ut res prorsus incredibilis accidat, ut qui bellum non habeã, non tamen pace fruar: & uel cessare, uel rogare aduersariũ tergiuersantẽ, & iniquas utpote prece impetratas conditiones accipere oporteat: uel rursus expectãda sit oppugnatio, quom primum de uigilia, id est præsentia, remisero. Vide amicorum optime, quo loco sit fortuna mea, cui neq; certare neq; licet quiescere. Illud tamen omnium est laborum operæprecium, quòd in hac luce hominum, in hac mundi specula uiuo, & clarissimorum hominum consuetudine uti licet. Caue enim usquã putes tam uberẽ ingeniorum prouentum, tantã studiorum frugem esse quàm Romæ. Multi uero sunt quorum familiaritate ita oblector, ut nihil mihi tota uita fortunatius, aut sperem, aut optem. Inter omnes charissimus est Hieronymus Aleander, uir græce, latine ac hebraice doctus: quẽ sponte paulo ante aduentũ meum summus Pont. bibliothecarium fecit post obitum Zenobij Azaioli, uiri religiosi sed & docti. Is mihi quotidie ingentes thesauros ex bibliotheca palatina eruit. Accedit Aegidius Cardinalis uir singulari integritate ac nominis celebritate, qui Porphyrij mysteria & Procli theologiam latinã fecit. Is uero, di boni, quãtum habet literarum, quãtũ ingenij ad eruẽda totius uetustatis arcana. Est Fabius Rhauẽnas senex stoicę probitatis, quẽ uirum nõ facile dixeris humanior ne sit an doctior. Per hunc Hippocrates integer planè latine loquitur, & iam ueteres illos solœcismos exuit. Id habet homo sanctissimus rarũ apud omnes gentes, sed sibi peculiare, quòd pecuniã ita cõtemnit ut oblatã recuset, nisi summa necessitas adigat. Alioqui à Leone Pont. menstruã habet stipem, quam amicis aut affinibus solet erogare. Ipse holusculis & lactucis Pythagoręorũ uitam traducit, in gurgustiolo quod tu iure dolium Diogenis appellaueris, studijs non immorans sed immoriens: & planè immoriẽs, quom grauem admodum & periculosam ægritudinẽ homo alioqui octogenarius cõtraxerit. Hunc alit & quasi educat uir prædiues & Pontifici gratissimus Raphael Vrbinas, iuuenis summæ bonitatis sed admirabilis ingenij. Hic magnis excellit uirtutibus, facile pictorum omniũ princeps, seu in theoricen seu praxin inspicias. Architectus uero tantæ industriæ, ut ea inueniat ac perficiat, quæ solertissima ingenia fieri posse desperarunt. Prætermitto Vitruuium, quẽ ille non enarrat solum, sed certissimis rationibus aut defendit aut accusat: tam lepide, ut omnis liuor absit ab accusatione. Nunc uero opus admirabile ac posteritati incredibile exequitur (nec mihi nũc de Basilica uaticana, cuius architecturæ prefectus est, uerba facienda puto) sed ipsam planè urbẽ in antiquam faciẽ & amplitudinem ac symmetriã instauratam magna parte ostendit. Nam & montibus altissimis & fundamẽtis profundissimis excauatis, req; ad scripturam ueterũ descriptionẽ ac rationẽ reuocata, ita Leonẽ Pont. ita omneis Quirites in admirationẽ erexit, ut quasi cęlitus demissum numen ad æternã urbem in pristinam maiestatẽ reparandam omnes homines suspiciant. Quare tantũ abest ut cristas erigat, ut multo magis se omnibus obuium & familiarẽ ultro reddat, nullius admonitionem aut colloquium refugiens: utpote quo nullus libentius sua cõmenta in dubium ac disceptationẽ uocari gaudeat, docericq; ac docere uitæ præmium putet. Hic Fabium quasi præceptorẽ & patrem colit ac fouet: ad hunc omnia refert, huius consilio acquiescit. Sed ne historia etiã nostrorum temporum desideraretur, Paulus Iouius, ut magis mireris, primi nominis medicus, tam luculenter, tã docte, tam elegan ter scribit nostri temporis historiam, cuius decem libros iam edidit, ut pudeat me de homine tam diserto tam indiserte scribere. &c.

CÆLIVS CAL. IVLIANO NASELLO S.

EGo uero mi Iuliane optauerim te natura tua uti, & beneficentiã tuam in quàm plurimos homines exercere: modo id fieri possit citra fortunarum & salutis periculum, quàm enim improbũ sit eam liberalitatem,

ex qua ego multa cõmoda & summa ornamenta acceperim, cæteris mortalibus inuidere? Sed quom ex te præsente præsens sępe acceperim, & ab ijs qui isthinc proficiscuntur frequenter audiam, te ita promiscue omnium, qui tuam fidem implorant patrocinia suscipere, ut non contentus tuam illis operam præstare, ex qua sine legis Titiæ præiudicio tibi multa merces deberetur, ultro etiam in tuorum clientum gratiam simultates exerceas, & eorũ multis præsidia tractandæ litis accõmodes: adeò uero studiose omneis defendas, qui innumeri (ut par est) ad te cõfluunt, ut nullum tibi penè ad respirandum tempus relinquas, idq́ non sine ualetudinis noxa. Quare quom te iure ab hac multitudine causarum deterrerẽ, rogaremq́ ne te inclementer exerceres, sed modum laboribus cõstitueres: tu mihi multis rationibus occurrebas, hanc imprimis quasi palmarẽ obijciens: quòd uirum ingenuo ac liberali animo natum nullis laboribus deterreri oportebat, quin large in omnes atq́ adeo in ipsum genus humanũ, si modo ea detur facultas, liberalitate uti uelit, suiq́ beneficij quàm plurimos facere, eosq́ perpetua amicitia obstringere. quippe in hominũ uita nihil esse quod amicitiæ & societati humanæ sit præferendum. Quom uero ego iustis de causis in hanc sententiã reclamarẽ, rarasq́ amicitias, easq́ cum delectu ineundas esse. Nam amicorũ turbam plerunq́ inutilem esse ac pœnitendã: tu contrà huic sententię minime assentiebaris, exemplisq́ mecum agebas: Hieronymi scilicet Aleandri ac Hieronymi Massaini, hominũ, Di boni, uita, moribus, literatura, ac sapiẽtia clarissimorũ. His addebas Bonauenturę Pistophili eximiã quandam suauitatẽ, & incredibilem ingenij amœnitatẽ, cuius etiam beneficia tam libẽter cõmemorabas, ut nusq́ dulcius tua immorari uideretur oratio. Horum uero amicitiã & consuetudinẽ te tanti facere significabas, ut cũ ea neq́ ipsam (si ab aliquo deorũ ea cõditio offerretur) esses immortalitatẽ cõmutaturus. At ego ita sententiam meam tuebar, ut nõ solum rationibus sed totius penè uetustatis testimonio depugnarẽ: asserebamq́ Aristotelẽ in libro De moribus ad Nicomachum id pridem dijudicasse quom dixit, πολλοῖς δ' εἶναι φίλον κατὰ τὴν τελείαν φιλίαν οὐκ ἐνδέχεται. Sed & Plutarchum priuatim super ea re cõmentarium fecisse: quorum auctoritate tu paulisper motus respõdisti, te illud quoq́ optime meminisse dictum ab Aristotele, ἥτε πολυφιλία δοκεῖ τῶν καλῶν ἔντι εἶναι. Sed te tantisper tuum posthac iudicium uelle defendere, dum & commentarius ille proferretur, & tibi daretur ocium expendendi rationes quibus ille suam sententiã approbaret. id me primo quoq́ tẽpore facturum recepi. Quare nunc demum oppignoratam fidem libero. Atq́ ut sit tibi minus laborandũ, quod Plutarchus græce scripsit, ego id tibi uerti barbare. Liceat enim nobis quibus cũ dignitate imperij etiã latinæ orationis maiestas pridem deperijt, id dixisse, quod Plauto licuit in summis reipublicæ incrementis: quom ipse præsertim in tanta foret apud maiores nostros existimatione, ut si Musę latinè loqui uoluissent, nõ alia quàm Plauti lingua loquuturas fuisse iudicarent. hoc ergo leges tuo arbitratu exiguum maximi inter nos amoris monumentum, neq́ amori quidem sed amicitijs modum statues: id quod optime feceris, si te ac prudentiam tuam in consilio habebis. Neq́ enim te magis spero ex commentario, quàm ex rerum usu tuoq́ ingenio profecturum. Bene uale, & te nobis diu incolumem serua.

CÆLIVS CAL. IOANNI CARD. SALVIATO S.

DVO sunt tẽpla diœcesis Ecclesiæ tuæ Ferrariensis, utrumq́ sub diui Iacobi nũcupatione consecratũ: alterum in suburbio transpadano, alterũ in Padorupto. Ita enim pagum uocãt ad tertium ab urbe lapidẽ. In hęc ius est mihi uetus ex eo usq́ tempore, quo felicis memoriæ Cardinalis Estensis agebat in humanis. Masinus uir Gallus, arte Musicus, & inter Liberi patris artifices præcipuus, his incubauit: nullo sanè iure, sed principũ gratia, quorum plerisq́ animus in auribus habitat. Nunquã desij & ius meum tueri, & iure repetere quod per iniuriã occupabatur. Res acta per uiros clarissimos, ex quibus unus omniũ Petrus Antonius Azaiolus, uir ingenio ac literatura elegantissimus, maxime adnixus est. Is perfecerat ut Masinus rationibus conuictus manus daret, & se

cessu

ceſſurum polliceretur, modo ego prouentus ante perceptos condonarem & gratis remitterem. quod ego tum amicorum precibus coactus, tum ne locus litibus relinqueretur, me facturum recepi. Dum hęc agũtur, & res foret ad hunc articulum prouecta, abit Maſinus, ſimulat ſe ad balneas proficiſci. Nam morbo grauiter laborabat, quem Gallicum uocãt: ſe ad paucos dies rediturũ, atq; omnia confecturũ ex pacto ſanctiſſime adiurat. ego qui hominis fidem perſpectã haberem, licet nihil boni aut æqui ſperarem, maluí tamen alieno ſcelere quàm mea diffidentia deceptus uideri. Interim ad me literę perferuntur ex urbe, quibus ſignificatur, Maſinus cum anteambulone quodam pontificio tranſegiſſe, & in Galliã Narbonenſem protinus conuaſiſſe. Mox eum anteambulonẽ obiiſſe. rurſus in eius iura alterum neſcio quẽ ſuffectum, qui & ipſe uti prior ille, ante aditã poſſeſſionem occubuerit, ceu Maſinii ius aurum Toloſſanum uideri poſſet, exitiale ſcilicet habentibus. Non tamen eſſe deterritum Thomã quendam Lazarettum inter cantores Pontificis decanum, quin & ipſe ita hæc iura dicam an iniuriã inuaſerit. Tum ego gnarus nullam iacturã plus habere infamiæ, quàm quæ fiat per negligentiã, fretus mea ſumma obſeruantia & ſeruitute qua dominationẽ tuam reuerendiſsimam ſemper coluí: quom res morã ſcribẽdi non pateretur, ne inter ſcribendũ reſcribendumq; ſcilicet iura iterum noſtra occuparentur: maximè itaq; opportunum iudicaui rem totam ad illuſtriſſimũ Laurentium fratrem tuum, hominẽ Dí boni, omnibus naturæ & ingenij opibus præcellentẽ: & ad Mariottum & Vbertinum clariſſimos procuratores rerum tuarũ referre, atq; ab ijs opem ferre. Qui quom iura mea ampliſſima accepiſſent, quom uacuã ſacerdotij poſſeſſionem cognoſcerent, ut nemo ſe deturbatum poſſit expoſtulare, quom D. T. iura ac prærogatiuam confirmari intelligerent, libentes ac ſumma animi inductione effecerunt, ut qui uices habet D. T. ampliſſimæ, mihi ſacerdotium quocunq; modo uacans conferret, & in uacuã eius poſſeſſionẽ me induceret. Ego uero qui amplitudini tuæ multum debeo, & in poſterum plurimum tuis in me meritis acceſſurũ confido, tum nobiliſſimo fratri tuo, tum uiris clariſſimis procuratoribus tuis recepi, id quod & ijs literis teſtatũ uolo, me in hoc ſacerdotio & omnibus in rebus quæ meæ facultatis fuerint, in tua ſemper poteſtate fore, ac pro tuo nutu me eſſe omnia ſemper effecturũ. Quod eo prõptius ac libentius facio, ut me planè tuũ tibiq; addictiſſimum agnoſcas. quod ſi perſuaſum habueris, non dubito quin me ac res meas in fidem accipias, & acceptum tua auctoritate ac magnitudine tuearis: quod ut facias te per meam ſeruitutẽ & tuam eximiam bonitatem uehementer obteſtor. Vale.

CÆLIVS CAL. LVDOVICO CATO S.

VIX poſſem explicare quantum lætitiæ conceperim, quom te reuocatum in patriam, tibiq; ſucceſſorem datum cognoui. Nam poſt tot honorarias perfunctiões quas & ſingulari prudẽtia & ſumma felicitate pro principe & pro republica obiiſti: iam tẽpus ſanè poſtulat, ut te patria, te amici ac neceſſarij tui perfruãtur. Ii te abſentẽ amant, admirãtur, te oculis gerũt. quid futurũ putas quom aduenerís? profecto nemo erit qui aſpectu & dulciſſimę conſuetudinis tuę ſuauitate expleri poſſit. Tu eris ille ſcilicet cuius ob os Graij ora obuertebant ſua. Ego uero qui tuas præclaras uirtutes ab ipſa ineunte ætate incredibili ſtudio ſum proſecutus, quom data fuerit occaſio, ut uel tecum pauca faciam ſpatia: uel de rebus abs te tum apud ſummum ſacerdotem Romanum, purpuratos patres, tum apud Cęſarẽ ac prępotẽtes reges magna cum celebritate tui nominis geſtis, ſermonem iniuero: tunc ego me planè felicem putabo, eumq; diem auſpicatiſſimum putabo. Bene uale.

CÆLIVS CAL. IOANNI CALVO S.

EX literis quas dedí ad ampliſſimum Antiſtitem & patronum noſtrum intelliges, quo laborẽ deſiderio, quid ab eius bonitate impetratum uelim. Amabo, mi Calue, huic meo uoto faue: & omnem gratiã, qua pro tuarum uirtutum captu polles, lubenter impende. Tum de uoluntate principis fac me protinus certiorem: Iuliano autem Naſello meo tutò literas crede. Vale.

CÆLIVS CAL. HIERONYMO VIDÆ S.

MAGNA commendatio Azaioli noſtri, qui amicorum uota præueniat, neq; precibus neq; cõmendationibus locũ relinquat. Is enim demum quom diploma & liberũ cõmeatũ tibi impetraſſet, tuas mihi literas reddi iuſſit. Ego aũt ille præcipuus amicitiæ cultor, & tuę uirtutis maximus admirator, ut tibi rẽ protinus curarẽ ex uoto nihil prętermittẽs, omnia ut poſtea cõperi actũ agebam, & (ut aiunt) μετὰ τὸν πόλεμον ἡ συμμαχία. Quare nihil eſt, quod ea in re nobis debeas, niſi rectam uoluntatẽ. Reliquũ hoc quicquid eſt officij Azaiolo acceptum feres. Qui qua eſt in re omni animi atq; ingenij præſtantia ac felicitate, ſolus uult & poteſt curã cuiuſquam, operam, amicos & præclara ingenia promereri. Bene uale, & quom ad nos peruenerís tantiſper amabo, curſum remorare, dum te dies aliquot perfruamur. Bene uale.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

GRATVLOR tibi Morate quòd in eum locum peruenerís, ubi te ac familiã cum dignitate tueri poſſis. Nã apud me Ceſena ſolet multis laudibus cõmendari, uel quòd ad ſoli fœcunditatẽ, uel quòd ad hominum pertinet mores & comitatem. Spero etiam te eo omnibus chariorẽ fore, quo propius ingenij tui amœnitates perſpexerint. Illud quoq; mihi propè exploratum eſt, te eam diligentiã in formandis ac inſtituendis tuis auditoribus adhibiturum, ut abs te ſemper & meliores & cultiores abſcedant. Vnũ eſt quod ego priuatim abs te expeto, ut filium Guidi Alberti Lugenſis, qui ſumma mihi amicitia coniunctus eſt: adoleſcentẽ præclara indole & erecto ingenio, cura quadã maiore expolías, & domeſticis quibuſdam ſcitamẽtis enutrias. Eſt enim tibi egregiam & minime illiberalem operã nauaturus: & profecto niſi pater ſibi plus nimio eblanditur, res optime comparata eſt. Nam tu te præceptore dignum diſcipulum, ille ſe diſcipulo dignum præceptorem inuenit. Bene uale, & me ut ſoles & debes ama.

CÆLIVS CAL. CAMILLO CITTADINO S.

TE incolumem ac reducem aduenìſſe plurimum lætatur & gratulatur tibi Cælius tuus, hortatur præterea ac rogat, ut præſentia tua cõmunes lares & hilariores & honeſtiores reddas. Non eſt quod ei iucundius facere poſſis, non eſt quo magis tuam in eum beneuolentiã teſtere. Cætera quę petís, & commodius & facilius curabimus, ſi huic feſtinationi tuæ aliquid moræ iniecerís, aut ſaltem dieculam addideris. Nec eſt quòd de peſtilentia quicquam timeas. Omnia apud nos ſalubria ſunt: & quicquid ſuſpicionis proximis diebus animos peruaſerat, dei benignitate omne abijt, & nunc per ſummã ſecuritatem agimus. Quare nihil eſt quod aut moretur aut interpellet tuũ ad nos aduentum. Ego ſanè te cupidiſſime expecto. Interim bene uale, & me mutuo ama.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLARVM LIBER VIII.

CÆLIVS CAL. IOANNI FRANCISCO PICO, principi Mirandulano S.

APETRO Alcyonio uiro eloquentię ueteris obſeruantiſſimo, quom modo Florẽtiã raptiſſime feſtinaret, impetraui ut apud me tantiſper curſum ſiſteret, dum iucundiſſima eius conſuetudine horas aliquot perfruerer. Hinc abiens rogauit à me ſibi hanc operã dari, ut duo eius libelli ſuper exilio conditi, qui nuper publicum accepere, certo nuntio crederentur, qui eos bona fide ad te perferret. Id libenter curandũ ſuſcepi, tum ut uiri doctiſſimi

doctissimi uoluntati satisfacerẽ, tum quòd tibi principi celeberrimo speraui rẽ non ingratam facturum, si hominis adeo tui nominis studiosi commentarij in manus tuas peruenirent, quom in ijs præsertim honorifica de te mentio habeatur. Nam tu sanè unus omniũ es, cui ex calamitatibus auctoritas & dignitas accreuerit: si modo eas calamitates appellari par est, quas fortuna obiecit, non magis ut te exerceret, quàm ut tuam uirtutem constantiamq́ & animi magnitudinem testatiorẽ illustrioremq́ omnibus faceret. Vt tibi iure optimo boni omnes gratulari possint, qui & scribendo immortalitatem tibi pepereris, & fortia faciendo ac ferẽdo, non modo fortitudinis exemplũ cæteris, sed argumentũ etiam præbueris ea scribẽdi, quæ sint apud posteritatem uictura. Et planè (si uera fateri oportet) ætas nostra utroq́ nomine tibi plurimum debet, quam & rebus actis & tuis monimentis illustraueris. Ego certe ita eximia animi tui bona, ita opes ingenij tui admiror, ut ea quę olim scripsisti, & quæ modo aduersus philosophos ueteres edidisti, cum omni antiquitate cõferenda & in ipso æternitatis sacrario statuẽda censeam. Intulit hęc de te iampridem concepta opinio, incredibile desiderium probandi tibi certo aliquo testimonio, me uniuersum esse in ære tuo ac tui planè mãcipij, neq́ quicquam esse tam arduũ ac difficile, quod summa animi inductione nõ sim emerendæ gratiæ tuæ studio subiturus. Bene uale princeps eminentissime, & de mea erga te obseruantia cumulate omnia tibi polliceare. Nonis Ian. M. D. XXII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PETRO ALCYONIO S.

A D IIII. Nonas Ianuarias redditæ sunt mihi literæ clarissimi principis Mirãdulani ad te. eas ignoto nũtio, & nescio cui terrę filio minime credendas existimaui: sustinui itaq́ apud me tãtisper dum certus nuntius offerretur, malui enim diligentiã meam requiri abs te & tuum uotũ morari, quàm periculum adire, ne fortè literæ in trãsuersum raperentur & deperirent. Demum quom in alterutro peccandum foret, malui negligentiæ, quàm imprudentiæ nomen subire. Sed res feliciter planè cecidit, & hæc ipsa mora in lucro fuit. Nã se interim quasi diuina uirgula demissus obtulit Iulianus Nasellus, uir ut nosti fraterna mihi beneuolentia coniunctus, tuæq́ eloquentiæ præcipuus admirator. Is Florentiã petens me cõmodum utroq́ metu liberauit. Nam & bona fide & quàm primum se literas redditurum recepit. Quare tu hominem non minus de præclaris studijs quàm de amicitia benemeritũ solita humanitate amplexaberis, operamq́ tuam nõ solùm offeres, sed cumulate etiã præstabis si quæ modo occasio affulserit qua possis uirum optimum demereri. Hoc si feceris, duos homines te uno beneficio obstrinxisse puta. Bene uale, & da mihi obsecro mutuas operas in amore. Iusseram exscribi pręlectionem de uirtute morali ad amplissimũ Antistitem nostrũ Campanum: sed librarius ita scripturã confudit, ita apographum corrupit, ut nouum opus institui, & mãcipem inueniri oporteat, qui sartam operam redimat. Tu interim dum hoc agitur, summo Antistiti & patrono nostro fac me esse quàm cõmẽdatissimum. Rursus uale. Idibus Ian. M. D. XXII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. ANTONIO BERNIO S.

T V uero unus es Berni optime, in quo utraq́ humanitas ita ex ęquo decertat, ut nõ sit mihi facile statuere utra uincat, utra uincatur. Nam & te literatura excellentẽ pridem hominum rumor prædicat: eximia uero bonitate etiã insignem tua recens epistola testatur. Accessit ad hæc uiuum generosi huiusce adolescentis auditoris tui testimonium, quo mihi nullus poterat certius animi atq́ ingenij tui ornamenta exprimere: ut non difficile fuerit agnoscere quẽ præceptorem effinxerit, ad quod exemplar se conformauerit. In quo laudando consulto, ut mihi uidere uideor, parcior fuisti: uel ne quas in eũ laudes congessisses, in te utpote tanti auctorẽ operis facile regeri ac resilire uiderẽtur: uel quòd eos colores seruabas, quos ad me excolẽdũ mox ex narthecio depromeres: & si ego eos minime agnoscã, omnesq́ liberalitati tuę ingenuè acceptos ferã,

ὁ γὰρ

ὁ γὰρ ἐγὼ εἰμὶ θεός. τὶ μὲ ἀθανάτοισιν ἐοίσκεις; Quòd si laudum, quas amor non iudicium tibi uiro laudatissimo suggessit, hostimentum uelim reponere: planè rem dignam risu faciam, qui tibi scilicet eas nullo melius quàm tuo modio remetiar. Id quod tamen non sum facturus: tum ne qui de meis laudibus placere non possum, totusq; de tuis pendeo, si has confictas licet & imaginarias effudero, illaudatus prorsus destitutuel quòd piaculum fuerit nostra nũc primum ineunte amicitia, tua munera à tam benigno animo profecta, quamuis nobis fortè parum idonea, aspernari. Nec enim omnes probant Telemachũ apud Homerũ remittentẽ sua Menelao munera, quorum usus nõ esset in Ithaca: quando id fuit hospiti intempestiuã liberalitatem exprobrare, & se morosum testari. Quod uero ad ornatissimũ adolescẽtem tuum attinet, & si tãtum cõmendationum secum ipse conuehat, ut uel ijs qui à Musis & Gratijs longe absunt, possit esse cõmendatissimus: dabo tamen operam quoties occasio arriserit, ut meæ huic animi inductioni de tuis cõmendationibus multũ accessisse intelligat. Illudq; imprimis non desinã hortari & rogare ac libere monere, ut caueat ne ad hos aulicarum sirenum scopulos allidat: quos si incolumis præteruectus fuerit, tum uero spectatum satis putabo & magnum exemplum cõtinentiæ. Nam (ut senex Terentianus ait) qui cum ingenijs conflictatur huiusmodi, neq; cõmouetur animus in ea re, eum scias posse habere iam ipsum suæ uitæ modum. Bene uale uir eruditissime, & tibi de me large omnia polliceare.

CÆLIVS CAL. ALBERTO CISTARELLO S.

ITA mihi Di bene faciant, ut nihil aut fingo aut cõminiscor ingenio, sola q; ueritas est in consilio, quom multus mihi cum amicis & sodalibus, ita ut fieri solet, fuisset sermo post Hadriani Pontificis excessum, quis nam ex purpuratis patribus foret ad summũ fastigium prouehendus, & multi multis pro suo quisq; aut captu aut uoto augurarẽtur: ego noctu proxima per quietem uisus sum mihi uidere amplissimum Antistitem & patronum nostrũ in solio pontificio assidentẽ. Huic tu aquã manibus affundebas: ego eius genibus aduolutus maluuium argenteum sustinebam aquam excipiẽs. Tum uero quom ille exurgeret, ego protinus arreptũ proximo ex loco rete summa in pertica in morem uexilli præferebam. Hæc agenti uis gaudij somnum excussit. Tu uero caue mi Alberte ne me iccirco minus sanum aut nimis ociosum putes, quòd ad te uirum grauissimum scribam somnia, hoc præsertim tempore, quo te puto meæ literæ sacris comitijs operantẽ deprehendent. quando non somnij, sed ominis uice haberi uelim: cui si fortuna addixerit, tum me nõ coniectorẽ, sed planè uatẽ putabo. Atq; utinã quod ego per somnium faciendum uaticinior, id tu mihi per uigiliã quamprimum factum significes. Quanuis quid tua opus significatione? quom id non modo perniciissimus hominum rumor, sed populi Romani atq; adeo omniũ gentium reclamatio sit mihi nuntiatura. Nos ut id fiat deos orare atq; obtundere non desinemus. Bene uale, & ama Cælium tuæ uirtutis studiosissimũ. Ferraria.

CAELIVS CAL. IOANNI FRANCISCO PICO principi Mirandulano S.

TANTVM abest princeps celeberrime, ut dissimulẽ quid aut quantum tibi debeam, ut nihil soleam libentius profiteri, quàm me inter ærarios tuos nomen dedisse. Quòd uero æs contractum ad hanc diem nõ dissoluerim, quom præsertim neq; facultas, neq; uoluntas dissoluendi abfuerit: nihil est quod deprecer aut quod possim causari, nisi occasionẽ defuisse. Nescio enim quo fato factũ sit, ut in limine præstandi promissa, & ipso præsentem pecuniam (ut aiunt) reluendi articulo se fortuna semper obiecerit, & paratã satisfactionem excusserit. Nunc enim pestilentiæ uis, nunc bellorum tẽpestas, nunc hostium excursiones bonos conatus interpellarũt. Et sanè sic uideor mihi me commode uẽdicare à calumnia, & nostrã tibi fidem approbare, quòd primus ego atq; ultro creditorem prouoco, alioqui conniuentẽ & meam minime negligentiam agnoscentem:

scentem: quod quispiam posset fortasse admirari, in hac præsertim temporũ iniquitate, qua fides magna parte interijt, & uix tandẽ confessum æs, & tertiò decreto adiudicatũ, ab assiduo etiã debitore expresseris. Sed rursus mirari desinet, quom id intellexerit quod maiore dignum admiratione uideri potest: ad creditorẽ scilicet nihil pertinere, pertinere ad debitorem uel maximè, ut quicquid hoc est æris alieni dissoluat, & debere aliquando desinat, utpote qui auctior & locupletior sit futurus quom soluerit. Neq; enim ipsi quicquã deperibit, ut fermè cæteris debitoribus usui uenire solet, quorum fortunæ exhauriuntur soluendo. Ego quæstum facturus sum tum maximè quom maximè satisfecero: ut si quid noxę mihi possit irrogari, illud iure possit imprimis, quòd sim malus paterfamiliâs, & ad rem faciẽdã parũ accuratus, qui cessem tanta lucri occasione proposita. Nõ est ergo mi princeps optime, quòd me malum nomẽ fieri posse suspiceris, etiam si nunquã appelles, ut existimauit Alphenus fœnerator: quom debitoris magis quàm creditoris interesit promissis stare: & obstricta fidem quàm ocyssime liberare. Bene uale, & illud à me serio dictum puta, me incredibili desiderio teneri te adeundi: tum ut ego nobilissimõ ætatis nostræ principe perfruar: tum ut tu me tuæ uirtutis studiosissimũ, & proinde tuo amore dignum agnoscas. Interim opto (quod tuorum studiorum commodo fieri possit) Græcam Eusebij præparationem mihi tantisper accommodari, dum male uersam in latinitatem possim recognoscere, & ad ueritatis trutinam coæquare: dabo operam ut mox ad te bona fide incolumis reuertatur, & eo nomine tuæ liberalitati plurimum debebo. Iterum bene uale. Ferraria.

CÆLIVS CAL. GASPARI SEREDIO PANNONIO S.

R EDDITÆ sunt mihi Gaspar ornatissime tuæ literæ, quæ me mirificè oblectarunt: tum quòd elegantiã & humanitatẽ tuam præ se ferebant, tum quòd apud te nostri memoriam adhuc uiuere, nec dum absentiam ei quicquam detriuisse testabantur. Quòd uero tertium ad me scripseris, id fuit permolestum, quando literæ in manus meas minime peruenerunt. Nam postquam à nobis abscessisti, planè abs te nihil literarum accepi: mirabarq; quomodo tam impiger in scribendo, tam officiosus in salutando, protinus factus esses cessator. Sed ut uideo nihil est quod tecum expostulem, aut de tua cõque rar diligentia, quom tu accurate officio perfunctus sis: sed in nuntios ac tabellarios omne obuertendũ est iudicium, qui te in suspicionẽ negligentiæ adduxerunt, & mihi tam optatas delicias inuiderunt: homines ut eorum mores ostendunt, neq; urbani, neq; culto ut scribis ingenio. Quod itaq; nihil tibi rescripserim, non est quòd aut occupationes meas causeris aut studia, sed in hos ipsos auersores interceptoresq; literarum omnẽ stomachum effundas licet, qui utriq; nostrum tam insignẽ iniuriam fecere. Carmina quę petis emitti, opus est ut seligantur, rescribanturq;, ut minus ingrata & incompta ad te proficiscãtur. tu enim ipse scis quàm religiosus exactor sim meorũ operũ: quæ alioqui tam parũ mihi satis faciunt, ut nisi amicorum indulgentia sustinerentur, sim ea quasi abortus eiecturus: expugnabo tamen aliquãdo hoc meũ, me iudice, peruicax cõsilium, ac mihi ipsi displicere non recusabo, ut placeam tibi, & tuæ obsequar uoluntati. Cæterum quòd te ingens nostræ consuetudinis incessat desiderium, agnosco bonitatem tuam, & mihi gratulor quom pares operas des in amore. Ego enim te semper tanti feci, ut unam tecum deambulatiunculã aut familiarem inter nos cõmentatiunculam omnibus longe uoluptatibus prætulerim. Accedit illud molestię, quòd in tam cruenta urbe uerseris, in qua passim & impune cędes cõmittantur: quas tu mihi adeo graphice descripsisti, ut dum modo tuas literas lege rem, rei indignitate permotus exhorrescerẽ: nunc uero nihil prius habeam quàm ut te horter ac rogem uehemẽter, ut omni studio caput & tuam salutem tuearis. Vale.

CÆLIVS CAL. NICOLAO TEPOLO VENETO S.

I NTELLIGEBAM sanè uir eminẽtissime quantum tibi deberẽ, quòd tu homo tãtæ existimationis atq; autoritatis, in isthac tua celebri præfectura

fectura tam familiariter ac tanta comitate me bis te adeuntem excepisses: existimabamq; ad hanc animi mei erga te propensionẽ nihil planè addi posse. Sed quom modo illustris tuæ liberalitatis testimoniũ addideris, mittens ad me eam Polybij Megalopolitani sectionẽ, quæ ad rem castrensem & Romanam militiã pertinet: ab ijs qui historiam P. R. latine mandarũt literis, ieiunè ac parum ingenuè posteritati prodítam: sentio tantũ cumuli accessisse, ut nullo mihi uidear gratitudinis hostimento tuam exæquare posse munificentiam: tantumq; tibi gratiæ habeo, quantum neq; dícendo assequi possim, neq; scribendo. Nihil enim abs te opportunius hoc tempore proficisci potuit, Gallicis armis & intestinis simultatibus flagrante Italia: nihil ad hominem totius antiquitatis studiosum aut optatius aut accommodatius mitti: cui præsertim multo præstantius uideri solet ingenij cultum quàm fortunæ opes auxisse. Bene uale uir clarissime, & persuasum habeto te hominem tibi prídem addictissimũ, immortali beneficio obstrinxisse, de quo perpetuò potes largè tibi omnia polliceri. Ferraria.

CÆLIVS CAL. CAMILLO CITTADINO S.

PRIDIE eius diei quo Antonium familiarem meum constitueram uini conuehendi gratia Fauentiã mittere, ecce nuntius & tabellarius tuus Franciscus mihi optatissimas ac iucundissimas literas tuas attulit: quibus significabas quid à me fieri uelles in librorum uenditione optimi parentis tui: utrunq; fuit gratissimum, & quòd tam excellentis Philosophi lucubratio aliquãdo publicũ caperet, & quòd mihi potissimũ hanc prouinciam demandaueris, qui adhuc sacros summi uiri manes & memoriã colo sanè dignã immortalitate. Dabo itaq; operã accuratissimè, ut res uoto tuo respõdeat, atq; omnia ex animi tui sententia conficiantur: sed una se nobis obijcit temporum difficultas, quæ nostra consilia aut interpellet aut moretur. Siquidem hac in urbe frigent studia, & librorum mancipes incredibili inopia damnati sunt, ut uix sperem quenquã uel mediocrem eorum summã præsenti ære coempturã: in certam diem fortè nonnulli pecuniam constituent. Hactenus quom aliquot accersi iusserim, nemo se operã sartam redempturũ recepit, id est suo periculo suoq; impendio totius summæ uenditionem facturum promilit. Illud tantum sub cautione præstituros pollicentur, ut singulos distrahant, & bona fide coactam pecuniam repræsentent: ea cõditione, ut ipsis quoq; certum lucellum accrescat. quam pactionem & tu literis tuis attigisti, & ego admittam, quando alia melior nõ offeratur. Cæterũ quoniam libri improfessi inducí in urbem non poterãt, fuit opus portitoribus & publicanis offerri, qui certam pecuniam omnino grauiorẽ quàm aut tu aut ego uoluissem, sibi enumerari imperarũt. Ea enumerata est protinus: & quom Francisco tantum æris non foret, quantum improbissimi homines imperabant, nequid moræ adderet tuo desiderio ea importunitas, reliquum pecuniæ statim iussi enumerari. Id quod tu cõmodius ex pagella intra literas obsignata intelliges, in qua ratio impensæ ad teruntium perscripta est. Siquid præterea à me faciundũ putabis, literis significato: tibiq; illud certò persuadeto, nihil mihi posse optatius euenire, quàm occasionem aliquã præberi, qua tibi summi amoris & studij erga te mei testimonium aliquod proferã. Quare tu mihi omni abdicata cunctatione, confidenter maxima quæq; ex æquo & minima cõmittas uelim. Erit enim id mihi mutui amoris certissimum argumentũ. Lectissimã fœminam uxorem tuã & filiolos meo nomine saluta. Gratulor uero quòd is qui abscesserat, domum & ad meliorem frugem rediuerit. Illud uehementer doleo, quòd me, id est quod sui amantissimum reformidauerit, qui eum paterno animo excepissem. De uini conuectione & Antonio, non puto à me multis scribendũ: quando tu quæ tua est bonitas, tua sponte utiliter & ex re mea, omnia faciũda procurabis. Bene uale. VI. Calẽd. Octob. M. D. XXIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. R. IOANNI SALVIATO CARD. S.

ETSI, postquã salutatus est Pontifex Max. illustris. Card. Medices, recentis letitiæ magnitudo ita me impotem mei reddiderit, ut neq; ad dícendum

cendum neq; ad scribendum presto sit animus, & penè, ut scribit Cicero, factus sim μετέωρος: scribendum tamen mihi existimaui ad te præsertim Antistitum maxime & doctissime, ad quem unũ præcipue tam eximij gaudij, tam magnæ accessionis ratio pertinet: uel quòd fasces humani generis & rerum fastigium in eius manũ uenerit, qui iure cognationis tibi sit cõiunctissimus: uel quòd ille unus omnium maximè uirtutibus tuis fauerit, teq; omnibus fortunæ ornamentis nõ modo parem, sed multo etiam maiorẽ semper iudicauerit. Cuius iudicium hac fortunę magnitudine nulla parte immutatũ puto, nisi ut tanto sit ad prouehendã tuam dignitatẽ propensior, quanto nunc plus pollet potestq;, quãtoq; uirtus tua indies fit auctior atq; illustrior. Nec enim ille de pristina sententia quicquã potest immutare, non sanè magis quàm à se & ab excelso ingenio suo degenerare, aut tu à uirtute & moribus tuis descíscere. Hæc me priuatim ratio mouet, ut tam cumulatã lætitiæ molem non capiam. Nullum enim certius seruitutis ac fidei meæ argumentũ possum amplissimæ D. T. afferre, quàm omnis fortunæ tuæ calculos in censu meo, id est hominis tibi obsequentissimi annumerare. Ad hanc principem causam accedũt aliæ publicæ, quæ facile possunt cuiq; quantumuis stipiti gaudium excitare. Nemo enim ex ijs qui prioribus seculis ad hunc apicẽ peruenerunt, aut plura aut maiora secum animi & fortunæ præsidia attulit. Nullius maioribus argumẽtis animi magnitudo, cõstantia, liberalitas, sapientia perspecta est atq; explorata. Nam quantum hic polleat in conciliandis regibus, in debellandis hostibus, in prouehẽdis bonis, in retinẽda Ecclesiæ dignitate, iam pridem perspeximus: quàm natus sit atq; institutus ad omne laudum genus, ad omnẽ splendorẽ uirtutis, ad ipsam deniq; nominis æternitatẽ iam nũc tertio Põtificatu experimur. Cæterũ quom posset dubitari an à tãtæ fortunæ magnitudine abesset animi æquitas & clementia, en hanc quoq; ita exprimit, ita præsefert, ut non aliunde sibi libentius nomen coaptauerit, nequis eum scilicet possit absq; tam amabili prefatione nuncupare. Id unum reliquum est, ut deus auctor atq; opifex tanti muneris, optimum principẽ, maximũ Pontificẽ, clementissimum parentẽ ab omni fortunæ inuidia subducat: faxitq; ut sub eius tutela humanum genus quàm diutissime acquiescat. Bene uale Antistes amplissime, & Cęlium toto pectore tibi deuotum tua gratia dignum puta. VI. Calend. Decemb. M. D. XXIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. R. FRATRI NICOLAO ARCHIEPIscopo Campano S.

POSTQVAM ad nos perlatus est nuntius, non literis neq; tabellarijs, sed perpetua populorum ac gentium acclamatione, illustrissimũ ac reuerẽdissimũ dominũ nostrum salutatũ esse Pontificẽ max. ita mihi uis gaudij & lætitię magnitudo animũ excussit, ita uehemẽter cõmouit: ut ingenue fatear me huic moli imparem, neq; tantum hilaritatis uoluptatisq; animo capere. Sentio itaq; neq; dicẽdo neq; scribendo posse tibi aut mihi satis pro rei amplitudine gratulari. Gratulor tamẽ quantũ neq; uires ingenij, neq; facultas dicendi, neq; ipse cogitationis captus attingit. O mihi diem felicẽ, ò beatũ nuntiũ: quo nomini Christiano securitas, sacrosanctę Ecclesię dignitas, bonis omnibus felicitas promittitur. Faxit tantum deus ille tanti auctor muneris, ut ea quam dedit felicitas certa sit nobis atq; diuturna. Quãtum uero & quàm diu numini tanti principis me dicauerim, nosti tu pater amplissime. non enim aliunde accersito utar testimonio, sed tuo solius: ut id uoti nunc demum assequar, in tanta fortunæ magnitudine, gratia, auctoritate, presidio tuę bonitatis mihi opus est. Omnes enim spes meas in te uno constitui: & quicquid mihi accesserit, id omne acceptum referam tibi. Dabo etiam operam quantũ erit in me, ne apud indignum aut immemorẽ tantum beneficij collocasse uideare. Ego præterea nihil de me pollicebor, nisi me summam fidem & propensam uoluntatẽ allaturum. Bene uale, & parta lætitia diu perfruare. VI. Calend. Decemb. M. D. XXIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PAVLO IOVIO MEDICO S.

SCIEBAM tibi ueritatem esse in delicijs, utpote qui tam eleganter historiam scriberes: sed historię ueritatem rebus tantum actis circunscri-

bebam. At tu quæ tui est ingenij fœcunditas, huius fines etiam in futura protulisti, iam non historicum modo sed & uatem agnoscam. Etsi antè non ignorabam ut uati & historico quædam esse cõmunia, quę scilicet ad φράσιν ὀχ εὕρεσιν pertinerẽt. tu uero quasi modo ex deorum cõcilio descẽdisses, ita mihi quom hic esses certò asserebas amplissimũ atq; illustrissimum D. nostrũ renuntiandũ esse Pontificẽ max. In quam sententiam nosti me non quidem pedibus, sed uoto & animo cõcessisse. Res bene habet. Nos pie ac prudenter cogitauimus, cogitationibus fortuna subscripsit. Pontificẽ habemus quem optauimus, immo qui nobis erat max. Põtifex antequam publice salutaretur Põtifex. Tãtum igit̃ gaudij uel priuato uel publico nomine concepi, quantum animus non capit. opto ac propemodum gestio sanctissimis illis pedibus aduolui: ut quam absens lętitiæ magnitudinẽ hausi, præsens perfruar. Tu uero mi Iouí amabo, eundem mihi animum, eosdemq; oculos serua, neue sinas tantæ istius felicitatis splendore illos perstringi. Audio enim Plutum non alia causa captum oculis effingi: quod tamen de te minus extimesco, quom in re medica tantum polleas, ut facile possis ab omni glaucomate & hypospagmate oculos prẽmunire. Age qui hactenus tam luculentam historiã scripsisti, iam nunc cogita aliquid te dignum, ut iuxtà quæ scripseris & quæ feceris, aliquando à posteritate celebrentur. Vale.

CÆLIVS CAL. FRATRI NIC. ARCHIEpiscopo Campano. S.

A

MO Nicolaum Lazarinum, uirum literatura & moribus præstantissimum, quem unum illustrissimus dux Estẽsis dignum iudicauit, ex quo liberi animi cultũ acciperent. Et sanè is ad hanc diem egregiã principi operã nauauit, generososq; animos optimorum adolescentũ ita formauit, ut ciues mei illius diligentiæ se plurimũ debere fateantur. Tam excellẽti uiro quom multis de causis faueã, & propria animi inductiõe optime omnia cupiam, rogauit me tamen summis precibus: habens scilicet perspectum me tibi omnẽ esse addictissimũ: ut Cæsaris Lazarini eius fratris & Mauritij nepotis causam agerem apud te, eosq; tibi enixissime cõmendarem. Illi enim paucis antè mensibus quom Romam uenissent, ut quendam necessariũ suum cędis reum defenderent, indigne in carcerẽ rapti sunt: uel quòd & ipsi in suspicionem perpetratæ cædis uenerint: uel quòd eorum fortunis eo prætextu tendebantur insidiæ. Datis tamen uadibus carcere exempti sunt. Nunc illud agunt & adnitũtur, ut se prorsus falsa suspicione liberent, & eorũ qui se uades statuerunt fidem absoluant, fortunisq; suis securitatem parent: neue ad cæterã indignitatẽ quam pertulerunt, summa etiã iactura accedat & infamia. Id sperant pater amplissime, tua auctoritate facile posse impetrare. Ad hoc tuã fidẽ implorat Lazarinus meus, hoc Cęlius tuus uehementer rogat. & sanè feceris rem dignam tua uirtute ac bonitate: si ueritatis atq; innocẽtiæ causam iam per iniuriam labefactatã in gradum restituas. Ad hoc ego tibi plurimum debebo, si me apud hos principes ea etiam opinione honestaueris, quasi meæ cõmendationes apud tuam amplitudinem multum ponderis habuisse uideantur. Bene uale pater optime, & Cælium seruum & clientem tuum ama. Quinto Calendas Martias M. D. XXIIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. MARIO EQVICOLO S.

M

IRVM est quantum negligentiæ meę debere cœperim, postquam literas tibi expressit, quibus iam puto exacto triennio inuersas Plutarchi cõmentationes à me repetis: quas literas scio uix inter tot tuas occupationes mea summa diligẽtia abs te impetrare potuisset. Sunt uero commẽtationes illæ apud me, atq; honeste adseruantur. Nec periculum est ut quæ à Mario, id est à uiro optimo & clarissimo proficiscuntur, ea apud Cæliũ desidiose habeantur, aut depereant. Quom primũ certum nũtium nactus fuero cui tutò credi possint, etiã si præscriptione fori & triennij uti possem: eas ad te remittã ex boni & æqui formula, quæ iubet inter bonos bene agier oportere. Quòd si ego interim

rim cessator fui: tu bonitatem & indulgentiã tuam accusa, unde mihi patrociniũ pol licebar: & (ut ille ait) in meo crimine tibi ignosce: memineris q; scitum illud Alpheni fœneratoris fuisse, Bona nomina mala fieri solere si nunquam appelles. Bene ua le, & me ama tui amantissimũ. IIII. Idus Ian. M. D. XXIIII. Ferraria.

CAELIVS CAL. IOANNI FRANCISCO PICO principi Mirandulano S.

I GNOSCES occupationibus meis princeps celeberrime, quæ me uel inuitum coegerunt plusculos dies desidiam habere in delitijs, alioqui infensam mihi ὁμῶς ἀϊδλαο πύλῃσιν, ut inquit poeta. Sed quom à me in altero peccandũ foret, uel ut tibi tumultuario & impudẽter responderem, uel ut tantisper differrem, dum auocamenta quæ me ne interspirare quidem sinebant, deferuerent: malui me inertis quàm inepti nomen interea subire. quanquam & hæc mea negligentia large sibi patrocinium de tua bonitate pollicebatur: qua freta licenter diem extrahi ac deperire non sentiebat. Ne putes tamen interim quicquã prætermissum à me ex ijs quæ per literas mandaueras. Nam hymnum nõ magis piè quàm elegãter scriptum abs te in diuum Paulum, legi accuratè, & ad Lilium trãsmisi. admonui etiam cõmuni nomine, ut mores pestilẽtissimę urbis caueret, & cæli insalubritatẽ declinaret, unde iam podagram & nephritin contraxit. quòd nisi eum deus aliquis benignius respiciat, periculum esse ne multo grauius atteratur. Atq; id feci libentius, quòd Lilium ab ineunte ætate semper impense amauerim, & in eum omnia contulerim officia. Sed nescio quomodo, postquã atrium illud Circes adijt, alios induit mores, & à se prorsus desciuit. Quare periculum est ne clamemus in portu Toronæo: atq; ille obturatis auribus apud suas Sirenas potius quàm apud optimũ principem & cupidissimum amicum uelit acquiescere: ut minus Grillum illum Plutarchi mirari oporteat, qui se feram esse quàm hominẽ malebat. Quòd uero tu causam contracti à me nominis diffidendã in id tẽpus putas, quo possit coràm agi, facile sententiæ tuæ accedo. Nam cõmodius in re præsente me manu consertum uocabis, & ego non inuitus sequar. Hoc unum opto abs te, me illa suspicione liberari, ne tu quicquã mihi unquam ex eo remittas ære, dum tibi ad teruntium omne reluatur. Nec enim sine periculo seditiõis potes nouas tabulas inducere: & mirũ est, quàm ego soleã insolescere, siquid mihi amplius licere cœperit quàm liceat. De Eusebio & tibi multã gratiam habeo & tua utar liberalitate, quom primum id tuo cõmodo fieri poterit: alioqui tua studia interpellare, & tam bono proposito obstrepere, hominis foret intemperantis & plus nimio sibi fauentis. Nam ego parcissimus æstimator meorũ studiorũ nihil ausim de me polliceri, dum rem ipsam cominus excutiã, σείων πηλίκα μέλιλω. cui si me parẽ inuenero, nullus est locus tam arduus, tam abruptus, quò me tuæ adhortationes non possint impellere, præsertim quod in publicã studiosorum gratiã cedat. Sed me hominẽ parum cautum, qui Hercule clauã offerente manum porrigã, quom nemo sit qui in hac arena fortius decertare possit quàm Hercules: sicuti nemo est qui ad hanc operã obeundã felicius principe Mirãdulano possit accedere, totq; illa mõstra à Trapezuntio inuecta expugnare. De quo minus miror: quoniã bonas literas infenso semper animo persecutus est, & philosophiã (ut aiũt) à Vesta uiolare occepit. Tantumq; abest ut eum excusatum habeam, quòd ob simultates quas cũ Platonicis habuit, maiestatẽ Platonis suggillare, & ueritati fucũ facere conatus sit: ut hoc grauius incessendũ & castigãdũ putem, quòd in priuatæ iniuriæ gratiã in animum induxerit publicũ bonum corrumpere. Cæterũ absit ut de homine Græco hoc existimemus nefas, quando ille minimè natalem habuit Græciã, sed fœdissimã barbariem. Est enim Trapezus, ut nosti optimè, ad Euxinũ sita Sinopensiũ colonia: in qua uel ipsum mel pretiosum alioqui naturæ munus detestabile est: utpote quod si quis delibauerit, ad insaniã rapiatur. Strigem quam ad me liberaliter dedisti, legeram antea à Manardo nostro cõmodatam. Deinde quom frustra apud librorũ mancipes qui hic sunt perquiri iussissem, ut unã haberem mei mancipij, Aemylianum rogaui ut eam mihi isthic procuraret. Is, qua

est diligentia, non erubuit tuã liberalitatẽ tantilla in re prouocare: quæ sanè non male cecidit. Nec enim me piget id tibi priuatim debere, quod publice omnes debent, qui nõ desinis quotidie recẽti aliqua cõmentatione seculũ illustrare. Nihil uero fuit in eo opere quod me nõ mirificè oblectarit: tũ rei argumẽtũ uaria conditũ eruditione, tũ dicendi elegantia dialogo planè consentanea, tum argumentorũ copia & per suadẽdi uis, quę me semper in alia omnia abeuntẽ penè in sentẽtiã traxit, & manus dare cõpulit. Nunquã enim ego existimaui rebelles genios, quos dæmonas appellamus, posse nobis has præstigias facere: aut ijs miraculis hominẽ illudere, postquam princeps & tyrannus mundi huius à magno salutis nostræ uindice exturbatus est. Nã & iã oracula cessant, & puræ lucis radij excussere tenebras: & qui olim leo fuerat, palamq; in gentẽ nostram grassabatur, factus est draco, & nunc dolis scenã perturbat. quòd si illi uis foret ea adstruẽdi ludibria, quę tu doctissimè in strigibus prosecutus es, nihil est, puto, tã arduũ quod ille humani generis carnifex nõ audeat comminisci, nihil tam absurdum & incredibile quod de ipso nõ possimus suspicari: ut illum olim ad tẽpus exturbatũ ex hoc regno, non perpetuò eiectum credi oporteat. Tu tamen, quæ tuæ uis est eloquentiæ, efficis ut decedam è sententia, quoties tuam in manum sumpsi cõmentationẽ: quam simulac posui, in sententiã redire, & abs te desciscere nesse est. Difficile enim est dictu, quàm ego omnibus ijs magorũ uanitatibus repugnẽ: putẽq; ab ijs non modo ueri nihil, sed nihil etiã uero simile agi posse. Quòd si quid cuiq;, immo & ipsi mihi aliquando per umbrã & imaginẽ fieri uideat: protinus ad Aristotelẽ appello, & nigrã bilem offundi, atq; animo obstrepere certũ habeo. Quare mihi posthac ingẽs scrupus obiectus est, quom diuersæ sententiæ auctorẽ te tantæ existimationis philosophũ habeam, cui nõ credere suppudeat: rursus reluctantẽ animum cohibere, & acutis nescio an & ueris probationibus inuitũ obstringere, summæ difficultatis plenum iudico. Bene uale.

CÆLIVS CAL. IOANNI STEPHANO EREMITÆ S.

QVOM multa sint à natura cõparata in mortalium utilitatẽ, tum maximè illud quod ab amicitia proficiscitur præsidiũ, in magno ambitu magnaq; existimatione esse solet, uel quòd amicitia naturę hominis ualde consentanea sit. Est enim homo ciuile animal, nec aliud in cõmune agit, suaq; uicissim dat & reddit officia præter hominẽ. tum quòd nõ aliunde q; ab amicitia plura in genus nostrũ cõmoda, aut maiora defluunt emolumenta: ex quo nonnulli amicitiam aqua & igni non minus necessariã in uita putauere. Quom enim homo is sit qui minime sibi degẽdæ uitæ necessaria suppeditare possit, alienoq; semper egeat adiumento: unus omniũ maximè intelligit ad beneficentiã natus esse, & ex eo sibi utilitates omnes pollicetur. Quæ causa imprimis natura ita suadente amicitiã in genus hominum inuexit. adde quòd quom cætera amoris testimonia hominẽ homini concilient, amicitia una est quæ ita animos mutuo nexu coniungit, ut ex pluribus unus homo coalescat: alio scilicet alieno in pectore spirante. Res enim mira cõtingit, ut homo se ipsum exuat, ut in amici pectus immigret. Quæ ratio effecit, ut ueteres amicũ alterũ ipsum definiuerint: cupidinesq; mutuis colludẽtes inter se malis effinxerint: & ut in fabulis proditũ est, nõ prius Eroti, id est amori adolescere datũ est, q; Venus altero partu Anterota, id est mutui amoris pręsidẽ effudisset: ut facile intelligamus, eã demũ amicitiã augescere & florere, cui pari amoris cumulo respondeatur, & quasi beneuolentię hostimentũ reponatur. Quo in amoris censu perpaucos sanè numero, sed mactos uirtute ac felicitate annumerauit antiquitas. an uero posteriora secula ullo eius generis exemplo illustrata sint, nõ habeo exploratum. Nostra certe ætate unus mihi Ioãnes Stephane occurris, in quo mira huius boni uis emineat. Nescio enim quo philtro hominũ mentes cogat tua isthæc ingenij dexteritas ad uinciendos planè hominum animos nata, ut non frustra Plato amorẽ tyrannum uocitarit, quòd suam in generosos animos tyrannidem suumq; regnum exerceat. Sed enim hæc tui ingenij uis, hæc tuæ uirtutis facultas est, hæc tibi id uinculum exornat, quo in ditionem ac potestatem redigas, quicũq; tecum paulo familia-

familiarius uixerint: ea conditione, ut quasi apud Lotophagos, ita in tuo amore acquiescãt, & tuo se dent mãcipio spõte libertatis spei renuntiantes. Hæc ea est inquã, quę tot arma, tot tela, tot machinas tibi suppeditat ad hanc expeditionẽ amoris tam feliciter transigendam. Hæc tibi reginã rerum & flexanimam orationẽ accommodauit: qua tanquã Hercules Celticus homines auribus rapias. Sed & hoc tibi amplius indulsit. Nam ille præsentes trahit, at tu absentes etiã rapis & tenes, literis scilicet Di boni, quàm eleganter, quàm facundè, quàm picturatè expolitis: ut planè ferreus sit qui tam dulci lectione non alliciatur. Accedunt ijs raræ illæ & reconditæ disciplinæ, quæ ad numeros & dimensiones rerũ, & ad ipsum cæli ambitum colluſtrãdum pertinent: quæ quantũ habent in se admirationis, tantum ad excitandos in tui amorem animos pollent. Mitto cætera naturæ tuæ scitamenta: oris scilicet ac uultus dignitatem. Mitto facilitatẽ ad omnia præstanda officia, ut nemo tam peregrinus sit, quẽ tu aliquo domestico beneficio non promerearis. Nihil enim prætermittis quod ad colligendam gratiã, aut extorquendam beneuolentiã sit opportunum. Remq; penè incredibilem hac tua assiduitate assecutus es, ut quantũ amor ad colligendos retinendosq; animos ualet, tantum ipse ad amorẽ euocandũ eliciendumq; iam excellas. Accessitq; & hoc ad tuas laudes, ut quom Polyphilia, id est amicorũ multitudo, prope foret antea infamis, solenni penè declamatiõe à Plutarcho proscissa, iã tuis auspicijs suam gratiã receperit: quomq; plurimos amicos habeas ex omni ordine, abest tamen ab omnibus fucus, & uera atq; antiqua inter uos colitur amicitia. Nam se ita omnes effinxerunt, ut non multos sed unum ex multis cõpactum amicum habere uidearis: quando & tu te ita omnibus exhibes, ut non unus plurimis, sed unus uni multas operas dare in amore iudicẽris. Mitto innumera istius tuæ operæ artificia, quæ iuxtà ego omnia possum explicare, ac tu ijs finem inuenire. Hæc ea sunt ueneficia, quibus amicorũ animis manum injicis, & uolentes cogis: inter quos quom multi se adscribi gaudeant, tum ego imprimis nomẽ profiteor, meq; ita huic deuinctũ & adiuratum testor sacramento, ut nullo tempore missionẽ petere aut uacationem libeat impetrare. Bene uale.

CÆLIVS CAL. CAMILLO CITTADINO S.

ETSI mihi multo foret optatius, tinnientes q; garrulas & æratas quàm exæratas literas ad te dare: tamen quoniã cõditio temporum nos agitat, & necesse est ut feramus nostri seculi inclementiã, contenti simus hoc Catonis: Et quom fieri non possit quod uolumus, id uelimus quod possumus. Libri apud duos bibliopolas expositi sunt, nec admodũ multi, ut raritas pretiũ & æstimationẽ adderet. iussiq; in propyleis seu pergulis officinarum adseruari, ut obuij esse possint empturientibus, si modo inueniatur qui empturi at. Nuper etiã indices tabulas, quas ad me dedisti, in fronte apponi imperaui, ut quasi appensa hedera uendibiliores redderentur. Hæc à me acta sunt summa diligentia & cura: cętera uix adscribi possunt strategemata, quę ego cõmentus sum, tum ut existimatio parentis tui & nunquã satis laudati præceptoris mei suo loco staret: tum ut tibi accõmodarem, & impẽdia quæ fecisti qua possem ratione sarcirẽ. Nam & summisi qui se emptores simularẽt, ut fidem bibliopolarum experirer: & prędicando ac celebrando clarissimi uiri memoriã, testatũ apud omnes reliqui, quanti hominis momenta putem facienda. Leonicenus ad se unum ex ijs cõmentarijs afferri iussit, quẽ mox ad bibliopolam remisit: credo scisciandi gratia an de se mẽtio haberetur. Audio Bonazolum & alios quosdã eos attrectasse atq; misisse, quòd in ijs quæstiones tantum non etiã Galeni interpretationem contineri asseuerarẽt. Illud abs te mi frater impetratũ uelim, ut tibi persuadeas, nullum à me hac in re officij genus fuisse prętermissum, nullũ in posterũ prętermittẽdum: quod aut ego putẽ, aut tu mihi significes ad hanc rem cõficiendam tibi opportunũ uideri. Bene uale, & me ama. VII. Calend. Martias M. D. XXIIII.

Ferraria.

CÆLIVS CAL. GASPARI SEREDIO S.

QVOD tam diu nihil ad te literarum dederim, & tecũ mi generose Seredi tot dies Arpocratẽ egerim, nolim id mihi uitio uertas: neq; putes instituti atq; officij mei me parũ meminisse. Nullus est enim me in scribẽdo accuratior, si modo eum nactus sim, qui pares operas reponat in scribẽdo: quo sanè in censu non habeo quẽ Seredio meo præferam, cuius ea est diligẽtia, ut non modo lacessitus respõdeat, sed ultro prouocet taciturientem. Ratio autem tam diuturni silentij mei inde profecta est, quòd prouinciales tui qui hic sunt mihi fidem fecerant, te iam menses aliquot in Vrbem abscesisse. Ob id non prius ad te scribendum putaueram quàm tu de profectione tua significasses: & quò literæ perferendæ essent, siquid tua aut nostra interesset, quod scribi oporteret cõmonefaceres. Quom in hac igitur forem expectatione, ijdem illi qui discessum tuum nuntiauerãt, me adeuntes accepisse abs te literas testati sunt: quibus & te adhuc Bononiæ agere, & ex patria non satis felices nuntios accepisse profitebaris. Atq; ideirco tibi protinus esse ad cõponendas res tuas in patriã properandum, teq; paucissimos post dies ad nos adfuturũ. Quorum hominum cõmemoratio, & si mihi animũ grauiter perculisset: ea tamen spes me sustinebat, quòd te uisurũ breui sperabam. Interim tuę ad me literæ perferuntur, in quibus de aduentu tuo ne uerbum quidem, nullam de rerum tuarũ perturbatione mentionẽ faciebas, quod sanè mihi iucundissimum contigit: & Di immortales faxint, ut illorum hominũ obnuntiationes in auras dissipentur, & nihil planè ad te pertineant. Tu uero tam modeste silentium meum perstringis, ut nisi mihi essem conscius meæ innocentiæ, non potuerim non suppudescere. Alioqui hæc ipsa cessatio non omnino male cecidit: quæ tam acre tui erga me amoris testimonium expresserit, & te literas meas tãtopere optare declarauerit. sed & ea quę de rebus publicis seorsum in pagella adscripsisti, tam grata mihi fuerũt officium tuum spectãti: quàm dura & permolesta magnitudinẽ periculi, & pulcherrimi regni calamitatẽ reformidanti. Cęterum quòd me ad lucubrationũ mearum editionẽ hortaris, agnosco bonitatẽ tuam, & quam de me opinionẽ cõcepisti intelligo. q; si aut uni tibi satisfaciendũ foret, aut cæteri eodẽ essent candore prædíti, quo Seredius meus præstignis est: nulla esset in me mora quin tibi primo quoq; tẽpore obsecũdarer, & male conformatos fœtus ederẽ aut præcipitarẽ. In hoc tamẽ discrimine seruabo illud temperamentũ, quod in legendis pomis coloni sibi præscribunt: ut alijs parcant eaq; in maturitatẽ proferant: alia quæ iam satis maturuerunt decerpant. Id quod faciã libentius, tum ut obstrictam fidem aliquando reluam: tum ut non me adeo propositi mei tenacem perspicias, quin sæpius amicorum hortationibus quàm meæ uoluntati acquiescam. Bene uale.

CÆLIVS CAL. BONAVENTVRÆ PISTOPHILO S.

MVLTO mihi facilius est Pistophile omnium laudum cumulo ornatissime, epistolã tuam quam modo ad me misisti admirari quàm laudare. Si enim in ea, una aut altera uirtus emineret, facilis esse posset laudatio: sed quom se undiq; depromat suauitatum omnium & Gratiarũ agmẽ, quom elegãtia cũ humanitate decertet, quom cãdor ille animi tui ingenuus cũ comitate cõtẽdat: quom deniq; omnes eloquẽtiæ numeri in ea suffloresc ãt: nemo putet me aut animi sensum dissimulare, aut tibi palpũ obijcere, qui me tot laudibus imparẽ fatear. Nam quod ad cõmendationẽ super libero animi motu attinet, sentio eam non mediocriter tua cõmendatione illustratam: & quæ uix prius in suis tenebris conniuebat, nunc tua ope uel solem posse perferre. Sanè tibi uideo usui uenisse, quod ijs mercatoribus qui multum piperis conuexerunt, Nullam enim iacturam putant, id etiam oleribus aspergere. Nihil uero est quòd meam liberalitatẽ tuæ præferẽdam putes: quòd tu aliena, sed opima, sed optimæ frugis referta: ego ex mea supellectile inanissimas nugas ad te dederim: quas tantum abest ut magnifaciam, ut neq; breuitati tuæ epistolę posse cõparari censeam. Quando in hoc genere scribendi non

di non paginarũ numerus sed pondus expenditur. Alioqui notũ est, L. Plancum uirum experientissimũ, unum Cleopatræ unionẽ congestis & conquisitis undecunq; Antonij dapibus longe prętulisse. Bene uale, & Cælium maximũ tuarum uirtutũ admiratorem ama. VI. Idus Ian. M. D. XXV. Ferraria.

CÆLIVS CAL. BONAVENTVRÆ PISTOPHILO S.

I

INSOLENS planè & παράδοξον ut Græci dicunt, inter nos pugnæ genus contigisse uideo, in quo illud mirabile accidit, ut is maximè uictor euadat, qui se maximè uictum profiteatur. Contendit ergo utercq; nostrum uinci, sic uictoriã paratam existimans: & si in hoc utriusq; humanitatis stadio non multum mihi elaborãdum censeo. Nam tu sine controuersia iudicio omnium primas obtines: quod si negas, ad populũ prouoco: certe hoc iudice uictor euaseris, uel si τὸ ἀντίστροφον placet, ego hoc iudice uictor euasero. Facit enim rei nouitas & incredibile concertationis genus, ut promiscue illud uel illud possim asserere. Vteris tu quidem hoc artificio (quod est tui acumen ingenij) ut ascendens descendas, & descendens ascẽdas: tibiq; rem factam putas, quòd cesseris mihi, quòd lampada tradideris. Ita enim arbitraris, nihil iam uictoriam morari. Sed esto, habe quod expetis: & quidem, quod est potissimũ uincendi genus, aduersarij confessione expressum. Victus es, succubuisti. At ego, ut tuas in te machinas obuertam, me uicissim uictorem pronuntiabo: canamq; mihi (ut prouerbio dicitur) τὸ ὠδὴν νίκιον: neq; ad hoc alium præconem excitabo, id quod in Olympijs erat lege sancitũ. Non est igitur, ut intelligo, quòd posthac querare: non est quod elabores. Victum te uoluisti, uictus es: uictorẽ me uoluisti, en lauream accepi, & ultro gratiã habeo. Fecit hæc sanè amor miracula, immutet rerũ cõditionẽ: ille celebris apud Græcos πάνδημάτωρ, ille hominum ac deorũ tyrannus: tu tamẽ cum hostem, id est amicũ (quem tantisper hostem uocabo, dum cum eo colluctaberis) uel persuadendo in sententiam traxeris, uel amoris catapulta dicto audiẽtẽ feceris. Nõ est quòd tergiuersere mi optime Pistophile, uicisti. quòd si tibi fortè posthac lubeat strophã circumagere, & me modo uictum modo uictorẽ appellare, nulla mora est: omnẽ conditionem accipio, omnem colorẽ admitto, omnem legẽ approbo: dum me eũ esse apud te patiare, quẽ semper esse uolui, hominẽ scilicet tui beneficij, & quocũq; impegeris obsequentem.

Bene uale, & sine amabo ut in accepti & expensi rationario meam paginã defendam. XVII. Calend. Feb. M. D. XXV. Ferraria.

CÆLIVS CAL. CAMILLO CITTADINO S.

I

AM menses aliquot cesso à scribendo, non cesso ab amando te mi Camille uir clarissime, neq; tantisper cessabo dum uiuam. Habeo & hoc persuasissimũ, te mihi parem operam dare in amore. Qua enim es animi magnitudine & cõstantia, nõ sineres te ea parte uinci, qua uinci turpissimũ est, animi scilicet inductione è uolũtate propensa ad amãdum. De libris tuis qui penes me sunt, pridem nihil noui significaui tibi, quòd nihil noui contigerit: neq; fortuna ullam occasionem obtulerit, quæ uoto utriusq; nostrum respondeat. apud aliquot librorum mancipes, qui hanc peregrè multis locis mercaturam exercent, rem tuam egi accurate. Nam nostrates summa difficultate rerum omnium tenentur, & hic magna desidia est studiorũ. Vnus fuit Caluus, eius Calui frater qui rem impressoriã curat Romæ, qui nõ pecuniã sed librorum permutationem obtulit. Non existimaui mihi quicquã agundum te inconsulto. Ille autem abijt priusquam de te scire possim, quę tua foret sententia. Cæterũ ne hoc aliàs forte eueniat mihi, quid faciũdum censeas, semel indicabis. Ego uero nihil quod ad declarandum meum erga te animum pertineat, prætermittã: & ut quàm fieri potuerit utiliter negotium tuum geratur curabo. Vale.

XVII. Calend. Feb. M. D. XXV.
Ferraria.

CÆLIVS CAL. FR. AVGVSTINO EVGVBINO S.

NOLIM existimes uir ter doctissime, mihi uel per negligentiam uel per obliuionem rem tuam quam mihi tantopere cõmendaras, turpiter excidisse. Neq; enim ego is sum qui non animo magis quàm oculis amicos gerã. Quòd si ad alia omnia animus caligaret, tantus est tamẽ tuæ uirtutis splendor, ut uel cõniuentem possit excitare: amorq; inter nos magnis auspicijs, opinione scilicet mutua studiorum & bonarũ artium natus, totq; tuis erga me beneficijs cõfirmatus, potest uel ignauissimũ quenq; officij admonere. Quare hoc abs te imprimis peto, ut si qua fortè animo tibi obuersata est indigna benenolentia nostra suspicio, eã prorsus exuas, habeasq; persuasissimũ amicitiã nostrã mihi toto animo inhærere: adeoq; altas radices egisse, ut neq; locorũ interualla eam possint abiũgere, neq; temporũ curricula immutare. Quòd si ego cessator fuisse uideor, non id sanè mea culpa euenit, sed ita sors & rerum conditio tulit, quando reditus meus sub ipsum principis nostri recessum incidit. Postridie enim eius diei, quo ego domum reuerti, suscepit ille iter in Hispaniam ad Cęsarem: ut mihi omnis adempta sit occasio agendi de literis, quas tu pro fratre, ego pro te, nescio uter maiore uoto, certe uterq; cupidissimè optabamus. Quom ergo ab ea spe excidissem, essetq; mihi alia ratio officij ineũda: uel ex Vrbe, ut coràm erat à nobis cõstitutum: uel ab hoc filio principis summæ indolis adolescente: qui quoniam in spem principatus genitus est, atq; ita usu & natura comparatum est, ut plures orientẽ solem quàm occidentem admirentur: sperabam eius literis non minus ponderis atq; existimationis futurum quàm parẽtis. Sed nescio quomodo minister ille meus, cui tu negotij memoriam cõmendaueras, & memoriã & μνημόσυνον abs te creditũ amiserat: quem ego licet pro rei dignitate bene multauerim, ea tamen res ita me molestè accepit, ita animum obturbauit, ut nihil mihi omnino potuerit molestius euenire. Sed licet primũ hoc auspiciũ minus addixerit, non tamẽ ob id animus despõdendus est, quin auspicia Dis fauentibus repetamus, & sacra (ut aiunt) instauremus. Scimus enim plerũq; succidaneam uictimam exorasse quod priori fuerat negatum: & in prouerbio est, πὰ δὶς τρὶς ἀμείρω. Quare te obsecro atq; obtestor, si modo hoc in rem tuam existimas, ut fratris tui nomen, eiusq; qui cũ habet rem controuersam, rursus des ad me: dabo & ego operã enixissimè ut factã iacturã tum diligentia tũ celeritate sarciamus. Familiaria Erasmi colloquia mitto serius aliquanto quàm receperam me facturum, quòd satis idoneus nuntius hactenus nemo occurrerit, cui tutò crederẽ. Nunc te pater optime appello, naua mihi amabo, naua Erasmo nostro de literis optime merito hanc operã, ut ocyssime iuxtà & castigatissime typis exprimantur. Quando & nos priuatim, & publice studiosam iuuentutẽ uno hoc beneficio tibi plurimũ obstrinxeris. Scribo eadem de re ad typographum literas, cõmendoq; illi hoc negotium accuratissime. Quod & si ipse sua sponte facere debeat, honoris & cõmodi sui gratia: ex tua tamẽ prudentia atq; humanitate tota res pendet. Apud illum enim lucri, apud te publici profectus rationem potiorem fore confido. Bene uale. Idibus Octobris. M. D. XXV. Ferraria.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

TVÆ literæ mi Zieglere optime ac suauissime, opportunè adeo mihi superuenerũt, quom luctarer cum desidia ac torpore, quem mihi diutur na à scribendo cessatio iniecerat. Is uero iam tam alte succreuerat, ut non alia machina excuti potuerit, quàm optatissimarũ literarum tuarũ aduentu, & quasi ariete tuæ facundiæ depulsus. Fuerunt quidem mihi pridem honestæ admodum silentij rationes, si modo iustus rerum æstimator offeratur. Nam & cæli Romani inclementia fecit, ut multos menses non inuenerim, qui se literas redditurum polliceretur: & si quas fortunę credidi, omnes quãtum uideo male perierunt. Cuius rei argumentum mihi certissimum est, quòd abs te uiro impigerrimo, & ad scribendũ accuratissimo nullum unquã responsum acceperim. Adde

quod

quòd iam uertens annus agitur postquã è cruris ulcere indignissimè laboraui: quæ res quom mihi multo plus molestiæ quàm periculi attulerit, uix tamen mihi interim per interualla curarũ studia & rem literariã attingere permisit. Ad hæc accessit multa rerum & occupationũ moles, quæ animum persæpe à melioribus cogitationibus in transuersum raperet. Sed tantum abest, ut me ijs rationibus excusatum uelim, ut ego ipse ultro culpã profitear. Nihil enim tam magnum aut arduum puto, quod pulcherrimo huic inter nos literas cõmutandi studio præuerti oporteat: & quo tu acrius & inclementius hoc à me officium quasi debitũ requisiueris, hoc ego certius tui in me amoris testimoniũ te mihi dedisse existimabo. Quod nisi quicquid hoc est uitij, gratissimo animo & iugi memoria & continua cõmemoratione tuarum laudum redemissem: non est profecto quin me uita indignum putarẽ. Sed ita mihi deus propitius sit, ut qua parte peccare piaculum est, ea constantissimè Zigleri mei memoriam atq; beneuolentiã colui. quod abs te mutuo factum ut nihil dubitẽ, tum bonitas tua & animus iste semper liberaliter educatus persuadet: tum literæ quas nuperrime abs te accepi planè fidem faciũt: quibus quom negligentiã atq; inertiam meam accusare tuo iure potueris, tam religiose tamẽ silentium tuum deprecaris, ut me absoluere, te unum defendere ab ea criminis suspicione uelle uidearis: ceu uerò non uterq; nostrum, aut certe neuter, aut quod magis puto, ego unus maximè ad hunc negligentiæ lapidẽ impegerim. Tuorũ deinde mihi studiorum rationẽ tam bellè, tam cumulatè enarras, ut nihil optatius mihi significare potueris. Nam dum tuas literas legerem: legi autem sæpius, ut uoluptatẽ, quam mihi intercipiebat earum breuitas, repetita lectio resarciret: tè coràm perfrui, tuoq; ab ore pẽdere mihi uidebar. Quàm uero hoc gratũ, quàm iucundum, quàm beatũ mihi fuisse putas: quòd dulcia illa studia, quæ olim tã feliciter inter nos exercebamus, ea neq; aresce re, neq; deperire permiseris, sed ad luculentũ finem perduxeris: & cælum ipsum propè permensus, prisca astrorum rationẽ in terras reuocaueris, ut nobilissimi conditoris caliginẽ multis inuolutã tenebris aliquando illustrares. Quod factum abs te feliciter, tum priuato tum publico nomine gratulor. Illud me habet ægrè, quòd tam honestos, tam elaboratos fœtus non habes apud quem honestè & auspicato cõstituas: quodq; tempora intantum bonis infensa studijs sint, ut neq; de ijs quos deorũ indulgentia in summum humani generis fastigium subuexit, quicquam boni aut æqui possimus nobis polliceri: quos imprimis bonas artes prouehere, & ad immortalitatem aspirare par fuit. quorum nomẽ quom ex æternitate tui operis expungendum tibi proposueris, pulchrè mihi profecto uideris rationẽ inisse, quòd episcopo Gurcẽsi, Laurẽtio Aurio, & Cęlio Calcagnino, id inscribẽdũ cogitaueris: quorũ ille te fortunis & liberalitate adiuuare, alter, qua pollet doctrina & eloquẽtia, te iudicio illustrare, tertius obseruantia & officijs ita poterit demereri, ut neq; lusisse operam, neq; bonos labores male collocasse iudiceris. Nam quod ad res meas attinet, nõ est quòd aliud dicam, nisi me eas omnes quales quales sint iam tamẽ tibi ex asse addixisse, quom cœpi tuas summas uirtutes admirari: neq; me unquã ex eo tempore consilium mutasse: tantumq; abesse ut quicquã tempus in posterum sit detracturũ, ut eo auctiorem cumulum ei accessurũ arbitrer, quo tua uirtus illustrior & conspectior apud omnes gentes euaserit: quom scilicet in publicam materiã abiuerit, neq; solum tibi, sed & tuis quasi specula signũ ad immortalitatẽ extulerit. Sed uel in cõlilio maneas, uel pro rerum euentu aliter animũ inducas: nihil enim non arbitror te sapienter constituturũ: illud te obsecro atq; obtestor, ut quàm maturrimè faxis, ut amœnitate ingenij tui, & literatis istis delicijs, quarũ me penè immodicũ desiderium incessit, perfrui possim. Bene uale, & Cælium tui cupidissimũ ama. Martino nostro salutẽ totidem uerbis repono, & me utriq; plurimum cõmendo. IIII. Idus Aprilis M. D. XXV. Ferraria.

CÆLIVS CAL. FR. AVGVSTINO EVGVBINO S.

NON est quòd me ita morosum atq; intractabilem putes in amicitia, ut protinus in iudicium uocẽ, ac diem dicam, si quis amicorũ paulò diutius cessator fuerit: per me licet, ut non modo seriis amici negotijs perfungantur,

fungantur, sed uoluptatibus etiã atq; adeo animo indulgeãt. Indignus enim sim amicitia, me iudice, si tam inclemens tamq; acerbus sim officiorũ exactor, præsertim si nihil acciderit de quo aut salus aut dignitas nostra periclitetur. Quare nihil est uir optime ac doctissime quòd causam apud eum dicas, qui te omnino indignum accusatione iudicat. Quin & insignem sibi iniuriã factum iri putat, quòd tam diligenter in re superuacua, excusatione aut deprecatione utare. Nã si in hac disquisitione me iudicem statuis, tantum abest ut delationem accipiã, ut te ultro etiam exornandum, tibiq; ob rem bene & accurate gestam multã gratiam habendam censeam. Librum enim quẽ misisti ad me, obuijs manibus accepi: sed quom eũ recognoscerẽ, deprehẽdi extremũ folium desiderari, quod reponi plurimũ opto. Impensam in eum pecuniã bona fide nuntio tuo actutum restitui mãdaui. Cæterum tibi gratulor, cui Di tam feliciter aspirauerint, ut nobilem modo ac prędiuitẽ bibliothecam, id est incomparabilem thesaurum nactus sis. Inuitabãt me antea aliquot negotia non leuis operę, ut propediẽ Venetias me recipere: nũc urgebo hoc desiderium meũ istius imprimis bibliothecæ uisendæ gratia. Quòd si intellexero hospitium mihi esse apud uos posse uestro cõmodo, non aliò euagabor: sed uestro diuersorio, meo autẽ sumptu, cupidissime perfruar. Bene uale. XV. Calend. Septemb. M. D. XXV. Ferraria.

CÆLIVS CAL. FR. AVGVSTINO EVGVBINO S.

NOSTI Augustine uir doctissime, quum apud uos agerẽ quanto ambitu Familiaria Erasmi colloquia, quæ tum primũ acceperã, ex me flagitarẽtur ab ijs qui Venetijs typos exercẽt. Quorum uoto ego facile obsequẽdum putaui: quòd eo uno beneficio intelligebã, & illis quæstum accedere, & Erasmi nostri gloriam propagari, & bonorum studia locupletari, & me quasi de una fidelia multos parietes inalbare. Siquidẽ ex his libellis largam frugẽ paratam uidebã studiosis, uel ad augendam copiã dicendi, uel ad mores instituendos, uel ad pietatẽ excolendam, ni modo quis eos ociose & oscitanter legerit. Nec enim malim Erasmi mei linguam quàm pectus illud optimarum artium fœcundissimum spectari: quãdo turpe est apud probum seplasiarium unguenta approbare, quæ naribus magis uoluptatẽ quàm salutẽ corpori eblandiãtur. His accedit mira illa uoluptatis conciliatrix uarietas, multis undiq; flosculis exculta: à qua tantum abest fastidij & satietatis periculum, ut unum hoc multo magis queri posse uidearis, quòd uoto celerius desinãt, teq; ad hoc properantẽ & lectiõis auidũ destituãt. Vale.

CÆLIVS CAL. SYLVESTRO FERRARIO Mirandulano S.

VIDEO nobis propè id euenisse quod de Glauco & Diomede Homerus scriptũ reliquit: qui quom publicum morẽ sequerentur, alterq; alterum ignoraret, parum abfuit quin in mutuũ certamen descenderint, & hospitij atq; amicitiæ tesseram confregerint. Sed bene res cessit, quòd postq; se agnouere, nõ modo impetus pugnæ resedit, nec modo in pristinã gratiam redíere, sed & arma inuicẽ cõmutauere: ut quoniã in perniciẽ utriusq; stricta fuerant, in utriusq; salutẽ & monimentũ reuocarẽtur. Quis uero argumentũ proximæ rei nostræ uentus negaret ad hanc imaginẽ expressum esse? Nam & tu iura in sacerdotio diui Iacobi præferebas, & ego rursus alijs iuribus causam meam instruxeram: tu, puto, de me nihil resciueras, ego eam rem nihil ad te pertinere suspicabar. Ita dum uterq; orci galea (ut dicunt) obtecti sumus, penè admisimus nefas: & qui solemus amore decertare, propè iusto prælio decertauimus. Sed dij felicius. quom primũ enim tu mihi, ego tibi agnitus, rediere in fœdera dextræ: atq; ita arma cõmutauimus, ut ego nihil prius habeam, quàm ut intelligas mea omnia tela, id est iura omnia mea, tibi excubare. Ego uicissim ex illustrissimo Laurentio Saluiato, Di boni quàm absolutæ uirtutis homine acceperim, te ita mihi fauere, ut non solum in mea cõmoda obuertere omnia tua præsidia decreueris, sed ijs etiam cõmunem hostem oppugnare. Quæ omnia perquam facilia factu, præsente Minerua præsertim, id est

id est, amplissimi Antistitis & patroni nostri sapientia. Ego sanè quod ad eximiam tuam in me uoluntatē attinet: me tibi plurimum debere sentio, optoq; aliquam occasionem præberi, qua uel hostimentum reponere, uel me tuarum uirtutū obseruatorem, tuæq; bonitatis imitatorem agnoscas. Bene uale.

CÆLIVS CAL. IOANNI MACIO S.

QVOM nuper acceperim uirum grauissimū Laurentium Veneriū præfectum peninsulæ Athesis magistratum inijsse, gauisus sum uehementer ut debui: & uobis ut par erat gratulatus sum, quòd tantū uirū nacti estis, in cuius prudentia ac uirtute res uestræ conquiescerent. Audiebam enim quom Venetijs agerem, eum ad splendorē familiæ & lumē literarum & rerū maximarū experientiā addidisse. Accedit ea mihi propria ac peculiaris gratulatio, quòd rebus familiæ meæ, quas proximè uel inscitia uel malitia quorundam paulominus afflixit, spero posthac propius tam eximij præsidis auspicio iustitiæ præsidium affuturum. Nec enim, puto, periculum est, ut uel astus uel improbitas aduersariorū, qui modo gratia, modo ficta misericordia, modo pecunia nos hactenus oppugnarunt, homini prudentissimo atq; in republica diu uersato fucum faciat, & atra pro candidis subijciat. Hæc scripsi ad te, tum quòd de re cōmuni cōmuniter agēdum putaui: tum quòd impense opto, hoc meum iudiciū meamq; lætitiam approbari & cōfirmari tuis literis: qui ut suspicor, quantum per hæc initia licuit, aliquē potes de ingenio hominis gustum hausisse. Hoc si feceris, persuasum habeto te huic nostræ lætitiæ magnū omnino cumulum esse additurū. Bene uale, & me ama. IX Ian. M. D. XXV. Ferrariæ.

CÆLIVS CAL. M. ANTONIO MAGNO S.

EX literis tuis accepi te postliminio patriæ restitutū. Quæ res planè mihi incredibilē lætitiā attulit: tum quòd te propè uotorum omniū summā assecutū uideo. Nihil aūt potest pro ea quę est inter nos beneuolētia & necessitudo, tibi lętum & ex animi sententia euenire, quod apud me uicissim nō omnes lætitię numeros impleat. Tum quòd uirtutibus tuis iam certū domicilium constitutum intelligo, in quo sese explicent, & late splendeant. Siquidē hactenus peregrinatæ non inuenerunt, quo loco fideliter & constanter coalescerent. Accessit lætitiæ ille cumulus, quòd hunc honorē tibi habitum signi ficasti patrū omnium suffragijs & consensu. Magnificum est enim & plenū ueræ gloriæ, amplissimi ordinis calculum promereri. Illud multo maius atq; illustrius, neminem inuentū esse, qui senatus consulto & honoribus tuis intercederet. Quæ res cumulatū mihi testimoniū affert, studiorum tuorū ac probitatis tuæ confessę ac testatæ apud omnes. Gratulor itaq; tibi uehemēter, & deos immortales obtestor, ut hæc tā auspicata initia tuæ existimationis tibi ac ciuibus tuis bene uertant: ut & illi suū de te iudiciū, suumq; beneficium tueātur: tu uero, quam de te opinionē concitasti, eam bonis artibus, quibus es instructissimus, nō modo sustineas, sed large approbes atq; augeas. Literas uero tuas quas ad clarissimos senatores & optimates dedisti, eas fateor legissem cupidissime: non quòd tua eloquentia uel opera uel iudicio meo indigeat, sed quòd tua legens plena & leporis & bonæ frugis, incredibilem suauitatē accepissem. Quid uero si te dicentem pro suggestu, si uerba illa accurate ac latine planè enuntiantem, si sententias lectissimas depromentē, si faces illas & fulgura uibrantē audissem? An non ego nostrates hosce oratores omnes præ te scopas & quidē dissolutas putarē: qui tantum de cōmentario ac scripta oratione polleas, in qua sanè magna pars tui desideratur: ut uel absens, & otiosa ex scheda, in omnē faciem omnesq; affectus legentium animos impellas. Carmina uero quæ Angiarius & Ioannes Hieronymus familiares mei dederunt ad te: me quidem non approbante, sed neq; multum reluctante: ea obsecro supprime, ac sine apud te deperire. Neq; enim tam libera liter nata sunt, ut cælum ferre possint, & ad solem non calígare. Cæterum quòd boni illi patroni tui, uiri (ut coniecturā facio) amœnissimi ingenij, in te carmē illud paulo licentius

licentius obtorquebant: facile eorum iocum & cauillum agnosco. Quippe ij tui sunt mores, is uitę candor, quantū ego profecto te inspexi, ut neq; Iuliam neq; Pappiam, ac multo minus legem Scatiniam reformides. Quòd uero te propediem isthinc solu turū scripsisti, Di tuos omnes cogitatus fortunēt. At tu mi Magne optime, de profectione tua, de reditu, de studijs, quid agere, quo loco uiuere constitueris, fac me amabo diligenter & cumulatissime certiorem. Bene uale, & ama tui amantissimum. IIII. Idus Aprilis. M. D. XXV. Ferraria.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLARVM LIBER IX.

CÆLIVS CAL. FR. AVGVSTINO EVGVBINO S.

E

TSI nihil mihi ocij sit ad scribendum, tamen nactus certum nuntium, non prætermittam quin obiter & more canis Aegyptij te salutem: ad hoc, commendem tibi ac per te reuerēdissimo patri priori S. Antonij, causam nostram quæ Venetijs agitur, & ut audio nunc uehementer urgetur. Quòd si procuratores nostri patrocinium ac præsidium uestrum implorauerint, oro atq; obtestor, ne quo loco deesse uelitis, quo ius nostrum apud optimates istos Venetos possimus obtinere, neq; immodico fauore aduersarij opprimamur. Accedet id cumulo uestrorū in nos meritorum. Expecto elenchum librorū bibliothecæ, cui præsides, mihi optatissimū. Opto etiam ad me mitti annotationes seu cōmentarios Ioannis Vernerij in Ptolemęi geographiā, in Germania impressos Norimbergæ, si modo Venetijs haberi possunt: quicquid in eos fuerit enumeratum, bona fide tibi ocyssime restituam. Iacobus Zieglerus & Abraham te salutant. Vale. Idibus Iunij. M. D. XXV. Ferraria.

CÆLIVS CAL. IVLIANO NASELLO S.

E

X literis tuis cumulate accepi quid in causa nostra actū hactenus, quæ difficultates quotidie emergant. Et quom existimarē rem iam ad umbilicum esse productam, uideo (id quod mihi permolestum est) nunc primum fabulam uenire in proscenium: & nos hydram alere, cui succiso uno capite plura succrescant. Et sanè non possum nō mirari quomodo S. D. N. & amplissimi auditores Rotæ tantum aduersario indulgeant, ut eius querelas uel confictas & cōmentitias audiendas putent: de nobis uerò tam peruerse sentiant, ut existimēt nostra auctoritate Succiū à iureiurando deterreri: quom mihi nihil posset esse iucundius aut optatius, quàm ut uno hominis iuramento ab hac diuturna molestia liberaremur. Nam pręter id, quod habeo persuasum, id iusiurandum in nostrum cōmodum cessurum: tamen si concidendum foret, ego satius putē semel cadere, quàm semper pēdere. Sed uiri aliàs prudentissimi, parum uidentur experti, quid sit colluctari cum ijs, qui certa in persuasione obduruerint, ut neq; precibus neq; rationibus inde auelli queant. Putat Succius, alioqui uir rectus & integer, totū honorem totamq; existimationē suam periclitari, si ad hoc iusiurandum descenderit: quòd apud nostrates tabellionū fides maior esse soleat, quàm quæ sacramēto obstringatur. Ego profecto nihil prætermisi, nullis machinis abstinui, ut hominem ab hac obstinatione demouerē. Nuper etiam adhibitis amicis, & ijs qui multum apud ipsum gratia & auctoritate pollere existimātur, faces subdidi, & terrores iniecī: eum inuitum & coactum deniq; facturū, quod sponte hactenus facere recusauit: meq; omnem operam daturum, etiam si aduersarius cesset, ut adigatur censuris ad iusiurandum, quòd aliter causa nostra expediri non potest. Quæ res non poterit sine honoris eius dispendio tractari, cuius ille imprimis rationē habendam arbitratur. Videor itaq; nonnihil hominem cōmouisse: quodq; ad hanc diē impetrare non potui, uictus

rationi

rationibus, expugnatus terroribus, se deniq; iuraturũ recepit: & omnia fideliter ex-scripturum editurumq;, quæ penes ipsum sint ad hanc causam pertinentia. Expressi etiam ab eo ad te literas mutatæ sententiæ uades, chirographo eius cõscriptas: quibus nõ modo se iuraturũ testatur, sed ut id etiã apud amplissimos auditores Rotę testeris eius nomine significat: addita illa conditione, quæ ipso etiam tacente mihi addita uidebatur, ut ei idonea laborum merces persoluatur. Habes mi Iuliane breui, quid actum sit non breui, cũ homine duro ac superstitioso. Rogo te atq; obtestor, ut postquam hic nodus iam nutat, huc omnem curam & diligentiam conferas, ut cętera ocyssime conficiantur: tum nequid forte dies occasioni adimat, tum ne in tã certo iure sit nobis diutius fluctuandũ. Bene uale, & de re omni fac me protinus certiorẽ. Hippoc. libros cupidissime expecto. IIII. Idus Decẽb. M. D. XXV. Ferraria.

CÆLIVS CAL. IOANNI MANARDO S.

LEGI portionem tuarum cõmentationum in Galenũ, quam ad me misisti, plenam bonæ frugis: quam non tam gratam fore iure iudico studiosis propter elegantiã, quàm charam & optatam propter doctrinam & adiumenta, quæ eorum studijs uidetur allatura. Opto reliquos tomos ad me mitti, non ea tantum gratia, ut tibi morẽ geram & iudicium meum tibi exponã, neq; enim βάτραχος οἰνοχοεῖ. alioqui de te stantes & ablegatis etiam iuris solennitatibus iudicare possumus. sed ut desiderium quod prior pars excitauit, posterior absoluat, atq; expleat. Opto & reliquam partem mulomedicinæ Vegetij ad me dari: quæ mihi futura est multo iucundior, si in ea chirographum tuum agnouero. Bene uale uir clarissime, nec sine, obsecro, à me tui amantissimo amorem tuum desiderari. III. Calend. Febr. M. D. XXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. FR. AVGVSTINO EVGVBINO S.

TREIS epistolas penè eodẽ argumẽto intra paucissimos dies abs te accepi uir doctissime, ex quibus prima tantũ mihi ruboris attulit, nec dũ habeo satis perspectum, an tu mihi, an amor tibi uerba dederit. quom enim tuas literas lego plenas leporis ac suauitatis, in quibus μεγάλη ἐκείνη πειθοῦς δημιουργὸς planè omnes effudit Suadæ Veneris alabastros, uideor mihi esse nonnihil, ut illud Aristophanis protinus in me iactitari posse uideretur: πόθεν ὁ τάως οὗτος; Quom uero in me descendo, & tenuem supellectilem meam excutio: tantũ abest ut mihi placeam, aut mihi tribuam quicquã, ut illud Callimachi pictoris potius cognomentũ, κακιζότεχνος scilicet, mihi pulchre cõuenire intelligã. Oneras tu me quidẽ immortalibus laudibus immerentẽ: quas tã male positas si uellem apte collocare, rem faciã omnino ridiculam, non tamẽ illiberalem neq; ineptam, ut eodem planè cumulo eas in te regerã. Ais tu deos illos δωτῆρας ἐάων large sua in me munera cõtulisse, meq; omni uirtute atq; disciplina cumulasse: teq; illis multam gratiã habere, quòd mei amandi tibi occasionem obtulerint. Quis hæc non rideat uir doctissime in eum dici, qui nulla magis quàm studiorum indicatura censeri potest? ab eo præsertim, qui omnem philosophiã profiteatur, qui Mathematica teneat, qui Theologica diuino quodam animi captu hauserit, qui tres optimates linguas calleat, qui nuper magno hominũ cõsensu opulẽtissimę ac instructissimę bibliothecæ digerẽdæ præfectus sit: qui honor à Cæsare Augusto in M. Varonẽ collatus, magnum & doctrinæ & existimationis testimoniũ homini de lingua latina optime merito existimatur. Hæc à me neq; ad fucũ neq; ad gratiam scribuntur. Sunt enim multo illustriora, quàm ut quisquam in his conniueat. Quòd si quis forte mihi palpum ideo exprobrarit, quòd de te hæc ad te scribam: idem mihi facile ignoscat oportebit, si intellexerit me non aliter suspicionẽ ambitionis potuisse deprecari. Alioqui quæ inuidia est, pro imaginarijs & cõmentitijs laudibus, ueras ac exploratas apud merẽtem præsertim collocasse? Tu multa in me, docte, eleganter, fateor: sed officiose & amanter congessisti. Illud enim scitũ est apud ueteres, ὁ ἔχων πολὺ πεπέρεος, καὶ ἐν λαχάνοις τίθησι. ego rursus indocta ac parum forte cõmoda oratione, sed uera tamen,

tuis te pigmentis ac natis apud te coloribus delinio: uel ut satius dicam, deliniare gestio. Non est, puto, quod quis iure mihi negotiũ facessat, nisi hoc facile mihi condonatum iri ab eo confido, qui apud Hesiodum legerit reponendam esse gratiã, αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴκε δύνηαι. Quare hoc certũ persuasumq; habeto: me non solum summas laudes, & egregia ornamenta animi tui admirari: sed uirtutibus tuis religiose assurgere, ac omnes studiorum fasces summittere. Cæterũ ne me omnino ingratitudinis reum peragas, non prætermittã tibi gratias agere ob ea quibus me exornasti, non iudicij quidem, sed certè amoris testimonia: quibus eo me impensius debere profiteor, quo minus me illa præstare posse cognosco. Deus faxit, ut cõcepta hęc de me opinio quamuis inanis, & ut Græci dicunt ὑπόνεμιος, diuturna apud te sit. Neq; enim periculum est, ut amor ille unquam exolescat, quem tam præclara persuasio confirmauit. Bene uale. Calend. Octob. M. D. XXV. Ferraria.

CÆLIVS CAL. FR. AVGVSTINO EVGVBINO S.

SALVE pater optime ac doctissime. Nunquam tuas literas accipio, plenas amoris, plenas grauitatis, ac planè indices amœnissimi istius ingenij, in quo excolendo Pallas & Charites decertarunt: quin ego uarios atq; adeo aduersos animi habitus concipiam. Orationis tuæ pigmenta & felicia illa in dicẽdo emblemata obseruãs, intelligo quàm ego exanguis sim & propè nullus in scribendo. rursus quom abs te uiro summæ fidei ac probitatis uideo me omnibus flosculis eloquentiæ exornari, pudet fateor tibi fidem non habere, tibi non credere, in tuam sententiã non ire. quare quod me hortaris, ut commentationes meas edam: dicerem ineptias & meros abortus ingenij, nisi putarẽ te hoc dicendi genere offensum iri: morẽ geram tibi, ac me lubens circumscribi patiar. Mittam ergo ad te quæ postulas quom primum librarius, cui dedi exscribenda, operam sartam tectam retulerit. Ea quom acceperis leges, pensitabis, consilio tuo uteris. nam quæ ego modeste & prudenter, ut puto, ad hanc diem suppressi, ea si publicam materiã feceris, id tuo fiet periculo. Sic enim intelligo bono loco res meas constitutas fore. Nam si ea feliciter prodierint, & cum plausu fuerint excepta, tum uero me beatũ: sin auspicia non addixerint, & fuerimus explosi, tua omnis fraus esto, utpote qui nõ probãda probaueris. Neq; enim turpe est inepta scribere, sed inepte scripta approbare. Hoc ergo quicquid est tecũ ipse cogita, nõ ad meam famã, sed ad tuam maximè existimationem pertinere. Bene uale. XIIII. Calend. Nouembris. M. D. XXV. Ferraria.

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ EGNATIO S.

EN tibi Aelianum Egnati uir doctissime. Si ex cõdicto mecũ agis, postliminio redeuntem: sin ex formula bonæ fidei, ab amico reuertentem. hui tam sero, inquis. Atqui no sero, si sat bene. sanè poterã ego tarditatem hanc meam publicis & consuetis excusationibus redimere: occupationes scilicet, studia, ualetudinem, & alia hoc genus auocamẽta causari. Nec profecto ea in re fides mea laborasset. Siquidẽ præter alia quæ diligentiam interpellarunt, & manceps qui operam mihi in scribendo locauerat, plusculos dies cessator fuit, febre ac sontico morbo impeditus. Tum uero quom liber summã iam manum accepisset, expectandus fuit certus nuntius cui tutò credi posset. Hoc planè serius cõtigit quàm ego uoluissem. Verũ hoc malui, quàm illum cõmittere cuipiam terræ filio, qui cũ omnia in transuersum abijssent. Sed quid ego populares hasce causas prosequar? quom tua mihi humanitas promptissimã ansam præbeat, qua fretus, nec tardum esse pudet, nec piget esse negligentem. Hanc præsens exercui, hanc absens, quom mihi usui uenerit tam confidenter exercebo, ut planè intelligas, me tibi esse uel immodice familiarẽ. Hoc si cœperit tibi aliquando displicere, non est quod quenquã præter te unum peragas reum, tu enim mihi omnia licere uoluisti. Verum si bene Egnatiũ meum cognosco, tãtum abest ut hoc ego unquam euenturum esse putẽ, ut multo magis uerear ne hanc meam religionẽ in scribendo accuset: qui tarditatem

ditatem & impudentiam uocem, quam solet ipse uel liberalitatem uel amoris testimoniũ appellare. Quod si ita est, tum uero me beatum, cui negligentia ita feliciter cessit, ut laudem etiã mereatur. Sed heus Egnati, meas hasce rationes probes improbesúe, age tu quoq; fac mecum paria: quando ita uel iniuriam ulciscere, uel beneuolentiam imitaberis, atq; ita suspicionem meam absolues. Bene uale. IIII. Calend. Martij. M. D. XXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. FR. AVGVST. EVGVBINO S.

EX literis pręstantis uiri Francisci Campagnellæ, qui isthic res nostras agit: accepi, quàm propenso animo & quàm accurate tu ac reuerendus pater Prior operam atq; auctoritatẽ uestram causę nostrę apud magistratus ac præpotẽtes istos senatores accõmodaueritis, quom res nostra immodica aduersarij potẽtia laboraret. Ea res tam grata mihi obtigit, tam me alioqui innumeris beneficijs deuinctũ nouo cumulo obstrinxit, ut non inueniam quomodo utriq; uestrum pares gratias agam: οὐδ' εἰ ἐμοὶ δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματα εἶεν, φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος. Certe habeo ac sentio lõge maiores quàm quæ aut perscribi possint, aut oratione cõprehendi. Quare age uir iuxtà doctissime ac disertissime, tu amabo partes meas suscipe: & narthecia illa quæ tibi in pectoris penu reposuit Pitho, ea obsecro deprome tantisper, dum uiro clarissimo Priori meo nomine satisfeceris. Ego sanè hoc officiũ reponam tibi, non dicã quom potero, sed quom tu me posse existimaueris: id est quom mihi indicaueris qua parte possem tibi operã & officia mea præstare: quæ sanè tibi perpetuò excubare, tibi pręsto esse semper, intelliges. Bene uale. XIII. Calend. Apriles. M. D. XXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. IOANNI VENGERO S.

VIX possem literis enarrare Vengere uir doctissime quãta nos molestia leuarint literæ, quas proxime ad Iacobum Zieglerum nostrum dedisti: quibus & tibi bene esse significasti, teq; in consuetis studijs minime esse cessatorẽ. Quorum alterũ eo nobis gratius accidit, quòd audito magno illo ac periculoso Germaniæ tumultu, nõ potuimus tibi non multum timere: præsertim in tanta hominũ licentia atq; animorũ dissensione, quæ plerunq; innocentes etiã atq; in re sua occupatos in cõmune fatum rapit. Quare nõ semel pro tua salute & uota nuncupauimus, & tibi summũ numen propitiatum optauimus: nunc itaq; liberati eo metu & uoti damnamur, & tibi nobisq; gratulandum existimamur. Alterum quod ad tua studia pertinet, lætamur uehementer, quòd religioni egregiã operã nauaris, tibiq; ac patriæ tuę labores feliciter cesserint. Faxit deus immortalis optimarũ cogitationum author, ut hæc quam de te concepimus lætitia, constans sit nobis ac diuturna. Cęterum illud mihi præcipue ac priuatim gratissimum obtigit, quòd uiuere apud te ac uigere memoriã iucundissimæ amicitiæ & consuetudinis nostræ testatus sis, breuis eius quidem, sed quæ tamẽ tam altas radices iecerit, ut magnitudine sua longæuę ac uetustæ cõparari possit. Quod enim tempori defuit, illud facile studiorum cõiunctione & tuarum uirtutũ admiratione compensari potest. Illud quoq; mirifice oblectauit, quòd me in participatum tuarum cõmẽtationum uoces. Quæ res mihi facile ostendit, nõ modo quàm præclare de me sentias, quantumq; mihi tribuas, sed quantum etiam tu tibi de me large polliceare. quorum illud non agnosco, ac totum bonitati tuæ irrogandum puto: hoc uero, recte abs te iudicatum fateor, neq; est quòd te unquã ea in re opinione falsum putes. Quicquid enim ego sum, aut in me est, id omne ita pridẽ tuo mancipio addixi, ut iam nullis possit à me uindicijs recuperari. Proinde tuum est cogitare, qua in re, aut opera aut conatus meus tibi usui esse possit. Senties profecto nihil esse tam arduum atq; operosum, in quo frustra studiũ ac uoluntatem meam requiras. Cõmentario nostro de antiquorum uestibus quem expetis, idem propè euenisse uelim scias, quod infantibus, qui nondum editi periclitantur, morientes scilicet antequam peruenerint ad uitam. Iacet ergo ille, & colluctatur cum blattis: uerum in tui gratiã resalutabitur, & an ad

uitam maturitatẽq; perduci possit experiemur. Certe qualis qualis ille euaserit, dabimus operã, ut uel abortiuus ad te aliquando perferatur. Tu uicissim, amabo te, cura ut luculenta illa in Musicæ ecclesiasticæ censurã lucubratio, quam propè ad calcẽ perduxeras, cuiusq; mihi præclarum aliquando specimen dedisti, in reliquũ pollicitus non diu te uota nostra suspensurum, quanto celerrime fieri potest prodeat, nobis quidem optatissimam frugem, tibi uero æternitatem nominis allatura. Bene uale. VI. Nonas Maij. M. D. XXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

QVOM imperarem uersiculis meis ut ad te irent, Peregrine suauissime, multum diuq; reluctati sunt, & uix eos sinu excutere aliquando potui: usq; adeo iudiciũ ac supercilium tuũ reformidabant. Cuius timoris causas quom accuratius explorarẽ, hæc fermè in medium afferebant. An nos inamœni & infaceti intrepide illum adeamus, qui tam doctos ac lepidos numeros suos non desinit contumelijs ac probris incessere: qui Musas sibi plus nimio blandiẽtes indignis sanè modis persequitur? Quod tu nuper ex eius epistola colligere potuisti, quę uniuersa planè prẽter meras exprobratiões attulit nihil. An itaq; illum nobis & peregrinis & incultis facilẽ aut indulgentẽ fore speras, qui in domesticos & uernaculos suos tã crudeliter sæuierit? Tum ego illos tametsi metus causam approbarẽ, neq; de nihilo trepidos agnoscerem, ne tamen carerem dulcissimo fructu tuarum literarũ, si minus habuissem eos dicto audiẽtes: hortatus sum, ut posita formidine propius accederent: esse istum morẽ tuum testatus, ut qui in cæteros æquus esse soleas, in te tuosq; duriusculus deprehẽdare: & qui cæteris parcas, parcere tamẽ nescias tibi. Ita enim te natum atq; institutũ, ut tua, ingenij tui magnitudine: aliena, humanitate, qua polles, metiare. Bene uale, & ama tui cupidissimũ. Idibus Maij. M. D. XXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. AVGVSTINO S.

PERCVNCTARIS à me Augustine clarissime quid de Hispania tua sentiã. Ego uero ut planè ac ingenue dicã, mirifice captus sum eius lectione, dũ quasi per ipsam Hispaniã animus peregrinatur: agnoscitq; non hanc modo regionũ, urbium, locorum ac fluminũ faciem, sed uetere rem illam & iam penè conclamatã & interlitã: addis deinde mores & gentis instituta, tum euenta rerum, & ea quidem nõ promiscua, sed (quod imprimis scribentẽ decet) electa, enarras. Sepositа etiã interdum seueritate ludis, & tẽpestiuis amœnitatibus legẽtis animũ excitas. Atq; hæc omnia adeo simplici & illaborata oratione, cui tamen nonnunquã uerba ex prisco seculo repetita, ceu uniones quosdã interseris, ut suauissimus profecto ex tam dispari scribẽdi ratione cinnus efficiatur. Quare nemo est, ut puto, tam alienus ab historiæ cognitione, qui Hispaniã tuam nõ libenter & legat & probet: nisi hoc unum fortasse quispiã tibi uicio uerterit, quod dum opus urges & ad calcem properas, allectum incitatumq; ad longiorẽ uoluptatem animum, cito nimis destituis. Bene uale uir doctissime.

CÆLIVS CAL. SCRIBONIO EPISCOPO Immolensi S.

OPTASSEM tibi pater amplissime aliunde profectam esse occasionem scribendi ad me, quàm ex iactura rei pecuniariæ, cuius sarciẽdæ studio nũc laboras: maluissemq; tuã tibi benignitatẽ liberalitatemq; feliciter cessisse, apud eos prẽsertim, qui tibi olim omnia debere profitebantur. Sed quoniã ita res cõtigit, ut facilius multo sit eorũ uel negligentiã uel ingratitudinem accusare quàm corrigere: dabo operam, ut nusquã studiũ diligentiamq; meam requiras: intelligasq; apud me uiuere ac uigere tuorũ in me officiorum memoriam. Certè acceptis tuis literis protinus cum Alphonso Paulutio uerba feci quàm potui accuratissime, tuamq; causam egi perdiligẽter. Rogaui etiã hominem,

ut uidere

ut uidere potui, tui amantissimum, ut procuraret, nequid tua tibi liberalitas ac bonitas obfuisset. Recepit ille se neq; precibus neq; cõmendationi meę defuturũ. Et quoniam rem alienã curabat, in cuius utilitatem etiã iuramento erat adactus: optare sibi imprimis nomen istud probatum iri, nequid temere aut cõniuenter fecisse, & tuam magis gratiam aucupatus, quàm legitimo officio perfunctus uideretur. Eam rem tibi perfacilem fore arbitror, neq; illum sanè à data fide desiturum puto. Quare hoc age, & si qua in re præterea opera ac obseruãtia mea tibi usui esse potest: eam tui prorsus esse mãcipij persuasum habeas uelim: meq; omnia eo studiosius & enixius factu rum, quo me impensius commodis & accessionibus tuis inseruire intellexero. Bene uale pater clarissime, & si quid aliquãdo ocij suppetit, de cõmunibus studijs, delucubrationibus tuis, si quid pręterea aut librorũ aut numismatum aut huiusmodi deliciarũ, quæ ad Musas pertinent, quod neq; protritum sit neq; proculcatum, in tuas manus peruenerit, quod scio frequenter accidere: obsecro te atq; obtestor, ut cõmonefacere digneris, & te Antistitẽ obliuiscaris, & de gradu tãtisper decedas, dũ amicitiæ & humanitatis tuæ memoriã colis. VI. Calen. Sept. M. D. XXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. MATTHÆO MACIGNO S.

E

TSI ego te nõ solum per ætatem sed per rectam quoq; institutionẽ bonarumq; disciplinarum studia cumulate sapere intelligam, cogit me tamen summus amor atq; idem mutuus, quo me nosti clarissimo parenti tuo esse coniunctissimũ, ut te horter ac moneã, ne uota optimi uiri frustra habeas: eiusq; admonitiones tanti facias, quanti ab optimo filio sapiẽtissimi parentis fieri debent. Optat ille ut ad reliqua ornamẽta quibus animũ hactenus feliciter excoluisti, Romani iuris aut naturæ certe cognitio accedat. Votum sanè & te filio & illo parente dignum. Quom enim homo corpore atq; animo iuxtà cõstet, non illæ solum disciplinæ amplectendæ sunt quæ sine fruge quasi horti Adonidis ad solam animi oblectationẽ pertinent, & in mera spectatione constitutę sunt: sed illæ quoq; attingendæ quæ in hac fori atq; hominum luce splendent, & fortunã alioqui parum æquã nobis conciliant. Neq; enim aliter philosophiã exercendam putauerũt clarissimi ueterum, nisi cõparatis quę ad uitam necessaria putabantur. Neq; alia profecto causa persuasit Aegyptijs, ut in sacris literis pollinario cribro eruditionem significarẽt. Siquidem hoc facit (ut scriptum est apud Aristophanẽ) πρὸς τὰ ἄλφιτα. Cum ergo tibi generose adolescens non inter blattas neq; ad lucernarũ fuligines uiuẽdum sit: tuamq; operã tuumq; ingenium & patria & amicitia, & quod alijs omnibus prępollet, tui amantissimus pater requirat: ne te amabo aut difficilẽ aut duriusculum prębeas, sed in cuius gratiã longe maiores labores suscepisti, huius quoq; hortationibus ac precibus obtestor ne locum relinquas. Erit ea res nobis, qui tibi omnia feliciter optamus, iucundissima: tibi autẽ quom paulum in ijs studijs quæ nũc propemodum exhorresci promoueris, admirabilem suauitatẽ allatura. Tantumq; abest ut lucubrationes in quibus ad hanc diẽ nauiter elaborasti, iacturã ullam patiantur, ut multo magis per hæc studia augeãtur illæ atq; illustriores reddãtur. Quòd si cętera te parum fortasse mouent, moueat saltẽ incredibilis parentis erga te pietas: cui nisi in re tam honesta satisfeceris, uide ne quam de te opinionem cõcitasti, eam parum fortiter tueri ac sustinere possis. Certe æquũ est non te solum qui multis præclaris actionibus ingeniũ nobis tuum approbasti, sed eos omnes qui hac luce digni uideri uolunt, in lingua atq; adeo in pectore sitos habere elegantissimos illos senarios, quos legimus apud Euripidem,

Τρεῖς εἰσὶν ἀρεταὶ σε χρὴ ἀσκεῖν, τέκνον.
Θεοὺς τε τιμᾶν τούς τε θρέψαντας γονεῖς,
Νόμους τε κοινοὺς ἑλλάδ' ὡς, καὶ τοῦτο δρᾶν
κάλλιστον ἕξεις στέφανον εὐκλείας ἀεί.

Bene uale, & persuasum habe, me tuarũ omnium accessionũ esse cupidissimũ. Parentẽ & fratrẽ saluta meo nomine. XV. Calend. Octob. M. D. XXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. IOANNI PETRO FERRETO S.

QVAM mihi fuit gratũ ac periucundũ tuas optatiſſimas literas accepiſſe, tam fuit illud graue ac permoleſtum audire, quòd meæ literæ tibi in lectulo iacẽti ſuperuenerint. Vereor enim ne ad reliquam ægritudinem etiã lectionis moleſtiam attulerint, & qua es humanitate etiam reſpondendi curam iniecerint. Quod ſi factũ eſt, ſanè iraſcor meis literis tam importunè indigenti quiete obſtrepentibus. Sin fortè memoriã illam ſuauiſſimę olim conſuetudinis noſtrę, illa dulciſſima ſtudiorum cõmercia, in mentẽ reuocarunt, non dicam interlita ſed certe utriuſq; noſtrum ceſſatione inumbrata: iam literas meas amo non interpellatrices, ſed planè officioſas atq; opportunas, utpote quæ recordatione amicitiæ noſtræ languentem animum nonnihil leuarint, & à morbi cogitatione imaginaria illa oblectatione auocarint. Et profecto ut in hanc partẽ magis inclinem, facit amœnitas tuarum literarũ, quæ priſtinam illam hilaritatẽ, priſtinos illos lepores & ipſam planè Ferreti mei mihi effigiẽ repræſentat. Ego ſanè (cur enim affectus meos diſſimulem?) quom tuas literas legerẽ, ita ſentiebam totum animũ incredibili quadam uoluptate perfundi, ut multum intellígerem ſeuerioribus curis decedere: & quom lepidiſſimas illas olim deambulationes, mutuas illas adloquutiones noſtras tũ Ferrariæ tum Venetijs habitas cogitatione remetirer, uidebar mihi propemodum repubeſcere, & meliores illos annos tuarũ literarum beneficio reparare. Ob id profiteor me tuis literis plurimũ debere: quas ſi ſæpius abs te per tuos honores, per tuas occupationes, impetraro: me mihi prorſus reſtitutum exiſtimabo. Id te tum ingenio tuo facturum ſpero, tum ne Gyraldum noſtrum in tantã adducas inuidiæ flammã quantã perferre nõ poſſit: quẽ ſcilicet tuis delicijs locupletes, quibus tã diu, tam inclementer ne dicã crudeliter tuum Cælium defraudaueris. Quicquid Armatis meis accõmodaſti, id uelim tibi perſuadeas tam mihi gratum obtigiſſe, ut me uel maximo beneficio deuinxeris. Oro te atq; obteſtor, ut eos habeas meo nomine cõmendatiſſimos, neq; ſinas per iniuriam & calumniã à quoquam oppugnari. Sunt enim mihi chariſſimi, & digni qui tua beneficẽtia ſecure perfruant. Si quid eſt quod aut ope aut opera poſſim tibi ac tuis eſſe uſui, fac me, amabo, certiorem: intelliges profecto te gratum hominem & bene memorẽ demeruiſſe. Bene uale. IIII. Idus Nouemb. M. D. XXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. DEGENARDO GERMANO S.

DELECTARVNT me literæ tuæ uehemẽter Degenarde ſuauiſſime: tum quòd ſummã humanitatem teſtãtur, qua polles: tum quòd indices ſunt, memoriã amicitiæ noſtræ apud te non ſolum uiuere, ſed etiam in delicijs haberi: quam ego ſanè uerebar ne tua auocamenta & crebræ peregrinationes, præſertim nunc primũ coaleſcentem, nec dum planè diuturnitate tẽporis confirmatã conuellerent, aut certe cõminuerent. Sed res ex uoto prorſus obtigit, Nam quod maturitati deerat, id uideo tua humanitate pariter & uirtute penſari. Quare te per ſumma ingenij tui ornamenta rogo atq; obteſtor, ut in hanc curã nauiter incumbas, ut nec locorum nec temporũ diſpendia huic tam probato inſtituto noſtro quicquã incõmodent: & quia mutuis alloquijs & familiari cõiunctione contineri non poteſt beneuolentia, frequenti ſaltem literarum cõmercio contineatur. Ego profecto enitar ne quis me ad hoc ſegnem aut parum diligentẽ ſuſpicetur. Tu uero quæ tua eſt bonitas, non dolebis me primas appetere in tam honeſto certamine, contentus in prouocatione primas tuliſſe. Quod profecto non accurate minuſq; libenter faciam, ſi quem in locum diuerteris, per quos nuntios tutò perferri poſſint ad te literæ meę ſignificaueris. Cæterum in Germania nihil eſt præterea quod optẽ magis hoc tẽpore, quàm ut ſi quando magnum illum Eraſmũ meum cõueneris, aut per literas ſalutaueris, ei me facias quàm cõmendatiſſimũ, utpote qui me pridẽ eminentiſſimi hominis uirtutibus dicauerim. Bene uale, & me mutuo ama. IIII. Idus Nouemb. M. D. XXVI. Ferraria.

Cælius

CÆLIVS CAL. IOANNI CALVO S.

NON est mi Calue quod tam cunctanter Cæliũ tuum adeas, eiusq; operam quom tibi usui esse potest, tam religiose exposcas: quando ei nihil iucũdius esse potest, quàm te ac bene nata ingenia promereri, si modo aliqua promerendi occasio affulgeat. & si ad amandas amplexandasq; uirtutes tuas multæ priuatim accedunt rationes, quæ me maximè possint permouere. Nam & ingenij tui suauitas ac dexteritas nihil habet promiscuũ, nihil quotidianarũ harum formarũ, ut ille inquit. mellitissimi illi elegi, quos mihi olim Romæ recitabas, adhuc penitissimis auribus sedẽt: ut iure possim iudicio de te meo gratulari, quom ex liberali illa indole tuorum olim studiorum segetem magnarum uirtutum, quæ nunc demum ad plenam frugem maturuerunt, tanto antea prospexerim. Hinc tibi scilicet magnã iustamq; beneuolentiã apud Rangonum principem nõ tuum magis quàm meum collegisti, ut iam inter secretiora aulæ ministeria adsciscere tus, magnis atq; præclaris sacerdotijs honestere: quas accessiones tuas ita possum ego non amare, ut tu non mereri. Di faxint ut eæ tibi diuturnæ sint, indiesq; fiant auctiores. Ego profecto non desinã, quotiens officium meum requires, omni ope atq; opera tuis cõmodis & diligẽtissime inseruire, & tibi amantissimũ animũ meum testari. Quod uero ad proximas literas tuas attinet, scito tibi rẽ confectã esse ex sentẽtia. Nam quom primũ literas tuas accepi, curaui perdiligenter, ut Sigismundus noster protinus Rodigiũ proficisceretur, & tuo nomine sacerdotij possessionẽ uacuam & pendentem adhuc adiret. nec sanè ille, ut est tui studiosissimus, aut precibus aut hortationibus meis locum reliquit: sed nec fœdissima cœli tempestate, nec ui aquarũ quæ late agros peruaserant, perterritus rem tuam egit quàm accuratissime, ut ex eius literis multo cumulatius intelliges. Quin & sacerdotij prouentus locauit: redemptãq; in annum pecuniã (aureolos puto duos & uiginti) uel per certum nuntium cui tu significaueris tutò credi posse, uel ex permutatione campsoria tibi actutũ Romæ curabimus. In eam rem tu sententiã tuam declarabis, ut quid nobis perficiendũ sit ocyssime statuamus. Siquid est præterea, quod tibi ulla in re possim accõmodare, persuasum habeas uelim, eum esse Cœlium de quo tibi large omnia polliceare. Quod de Lilio olim meo ad me scripsisti, in cælo sum si ex animo magis quàm ex hominum consuetudine scripsisti. Sanè ego ita Lilium amo, ita hominis uirtutes suspicio, ut propè nihil me magis urat, quàm quòd pares in amore uices reponi diffidam. Quòd si hominẽ exoraueris, ut pristinum mihi in amicitia locum uel seruet, uel ademptum restituat, maximo me beneficio obstrinxeris. Sed ita est profecto, uos homines Palatini quicquid infra collis Vaticani fastigiũ subsidet, id omne, aut nihil, aut omnino perpusillum existimatis. atq; utinã hoc ioco magis quàm serio dictum putes. Bene uale, & amplissimo principi & cõmuni patrono me multum ac sæpe cõmendato. IX. Calend. Ian. M. D. XXVII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. MATTHÆO MACIGNO S.

HINC facile colligas quãti te faciam Matthæe mi charissime. Nam licet grauibus obstrictus negocijs, nolui tamẽ efficere, ut diutius literas meas desiderares, quibus intelligas te mihi esse charissimũ, & tuas literas mihi fuisse iucundissimas: tum quòd ex ijs cognoui, te ita in præclaris studijs profecisse, ut optimi parentis tui, & nostræ qui te plurimũ amamus expectationi cumulate respondeas: tum quòd belle ac prudenter diluis calumniam, quæ sanè inhumane tibi inurebatur, quòd esses paulo durior in obeundis parentis tui mandatis. graue profecto crimen, & te tanti profectus adolescente indignum, nisi Dis atq; hominibus tuã innocentiã approbaris. Turpe enim foret ac plenum ignominiæ, si lingua magis & oratione quàm pectore ac moribus profecisse uideare. Peccant, inquit ille, qui Platonem legunt aut Xenophontem, ut dicẽdi scitamenta, non etiam uiuendi præsidia cõparent sibi. Quòd si quis locus est, ubi studiorum frugẽ, ubi gratitudinẽ, ubi pietatem exhibeas: certe nullus est honestior quàm

apud eum, cui te ipsum debes, cui quom omnia dederis, nunquam tamẽ parem gratiam reponas. Siquidem huic nõ modo natales tuos atq; istam uitalem auram, qua degis, & cætera quæ Græci dicunt τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, accepta referas oportet: sed & maiorum stemmata & generosæ domus insignia: egregiam præterea educationem & illa summa ingenij ornamenta, quæ nõ facile, nisi hoc duce ac monitore cõparasses. Hic tibi scilicet uiam ad hos progressus muniuit, hic faces accendit, quæ tibi ad splendorem nominis capessendum prælucerent. Inexpiabile itaq; crimen putari uelim, si tot ac tã eximia beneficia possis uel dissimulare uel obliuisci. Quod & si certum habeã te neq; feciſſe hactenus, neq; in posterũ esse facturum: nam quid minus conueniat tam spectatę indolis? facit tamen summus amor erga te meus ut te hortari ac rogare nõ desinam, ut istam omnem falsam licet & confictam suspicionẽ à te longe depellas, nequis omnino neuus eximiam tuæ uirtutis faciẽ deformet. Erit id tibi perfacile, si modo parenti fidem feceris, te non tua tantum animi inductione trahi, nõ ex tuo unius consilio pendere, sed eius etiã amantissimis sapientissimisq; consilijs plurimũ tribuere. & sanè quo es ingenij acumine, puto te optimè intelligere, te nondũ per ætatẽ ad eã prudentiã peruenisse, ut nullius admonitione indigeas, & parentis uiri clarissimi & magnis negocijs exercitati sententiã cõtemnas. Nã si Græci honesta admodum appellatione dixerunt ἱερὸν βάλλω, quid de consilio parentũ existimari par est? qui ita semper intentis oculis filiorum honoribus & cõmodis excubant, ut multa uideant, multa prospiciant, quæ liberi quamuis necessaria ad se tamen nihil pertinere arbitrãtur. Tu fortasse allectus rerum arcanarũ & Philosophiæ ac Mathematũ suauissima cognitione, tibi harum rerum studia quasi optatissimum quendam uitæ portũ statuisti: neq; aliud cogitas nisi quomodo ad has amœnitates quasi ad Lotophagos desideas atq; conquiescas. Probat hoc pater cõsilium. probamus & nos. siquidẽ Philosophia nihil maius aut melius Di immortales homini concesserint. Quin & Mathematicas artes ita suscipimus, ut eas supra naturam collocemus, & ad res diuinas quasi duces habeamus. bene bene Hercle. Sed heus bone adolescens, qui tibi hunc felicitatis portum tam belle proposueris, dic amabo qua tandem naui, quibus machinis, qua uelificatione huc traijciendum putas? Periti profecto nautę, uela, remos, anchoras atq; id genus alia præmuniunt instrumẽta, quibus maria & fluctus superent, quibus fortuitas tempestates & aduersi cæli inclementiã defendant: Tun' nautis & maritimis hominibus, quorum apparatus quotidie uides in urbe celeberrima, uoles te imprudentiorẽ incautiorẽq; existimari? An putas Aristotelẽ frustra memoriæ reliquisse, philosophos illos præclarissimos, quorũ nomina admiratur posteritas, non prius animum appulisse ad philosophiam, quàm sibi necessaria cõparassent? Neq; est quòd mihi Socratem hominẽ paganum obijcias, qui omnia sua studia ad animi cultum conuertit: quãdo & te militem Christi imprimis hoc agere uolumus, atq; huc omnia uota, omneis conatus dirigere: sed ita tamen ut memineris te non animo solo constare, sed animo corporeq; esse compactum: & ut illius princeps cura habeatur: non tamen hoc ita esse negligendum, ut in medio rerum actu obstrepat & bonos cogitatus deturbet. An nescis uindicẽ illum salutis nostræ Christum non prius sanctã ciuitatem ingressum esse, quàm domitæ asinæ insedisset? O utinã hoc corpore, his sensibus, his affectibus carere possimus, qui in nos, ut Plato scripsit, tyrannidem exercent. Egregium sanè uotum, & libero homine dignum. Neq; enim ad pensionem illam persoluendam obstringeremur, quam prægrauẽ atq; immodicã cõquestus est Stilpõ, ab animo nostro pro hac habitatiõe corpori impendi. Sed hæc est mortalitatis nostræ conditio, hanc patiamur necessitatem necesse est: quę ut quàm minimum serios conatus interpellet, à nobis est omni nixu procurandũ. Id quod facile factu erit, si in hac ætate ea prospexerimus præsidia, quibus in senectute aliquãdo perfruamur. Huc accedit ea ratio, quòd uera uirtus actuosa est: neq; sibi tantũ, sed in medium & omniũ necessitatibus consulit. Habes parentem, fratrem, cognatos, amicos. An hos abs te cõtemni decet? An tibi gloriosius uidetur in angulo aliquo quàm in hac luce hominũ uiuere? ubi patriæ, ubi ciuibus, ubi humano generi prodesse possis. ego sanè hic malim uel paucis annis philosophari,

nam &

nam & hanc ſolam philoſophiæ partem à tuo Socrate probatam accepimus, quàm omni ætate per inertiam anguli Baſin aut Hypotenuſam quadrati dimetiri. Quæ licet multũ uoluptatis inuehant, atq; à me multa in admiratione haberi ſoleant, ea tamen in ſecundis ac ſucciſiuis ſtudijs non in primis etiã haberi uelim. Nam quòd in ſacroſanctas leges ſtomacheris, & in eas etiã naſum exerceas, non potui non demirari: quom nulla alia ſit pars Philoſophiæ, quæ me magis teneat, in qua omnes neruos, omne ingeniũ intendi uelim. Hæc ſiquidẽ una omniũ optimates uirtutes exercet, quæ ab Ariſtotele ἀλυπρίαν uocitantur. Aliæ uel rem ſuam, uel priuatã, uel ut feliciter cadat, paucorũ curant. At leges ad omniũ mortalium ſecuritatẽ cõſtitutę ſunt. hę bonos ad uirtutes allicĩũt: à uitijs malos atq; audaces deterrẽt. Credis in tanta hominũ licentia ac perfidia philoſophiã & Mathematicas artes tutò poſſe uerſari, niſi legũ præſidio proteganť? At tu literis tuis non mihi legũ peritum, ſed neſcio quẽ aucupem uerborũ & formularum concinnatorẽ expreſſiſti. Ego uero de ijs loquor qui ſancte ac bene lotis manibus leges tractant: qui non ad ſerendas lites, ſed ad conſtituendam pacem tranquillitatẽq; hominum ſua ſtudia accõmodant: qui putãt legem eſſe quandam diuinã ac perennem, ad cuius imitationem ſuas ipſi leges effingunt: quam Martianus iureconſultus egregie admodũ ex ſentẽtia Chryſippi definiuit, εἶναι πάντων βασιλέα θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, καὶ κανόνα δικαίων καὶ ἀδίκων. Quę uirtus & ſi perpaucis ineſſe uideatur, hoc tamen magis fatearis neceſſe eſt eius exiſtimationem & auctoritatẽ augeri. Siquidem raritas pretium rebus conciliat: & ego tẽ ſanè non unum è multis, ſed ex paucis unũ, & eum quidem eximiũ eſſe uelim. Nam quòd Iuriſperitorũ etiam purpurã & pecuniã illudis, facile patior, ſi modo de malis ac peruerſe utentibus tot bonis id ſentias. Sed hoc tu ac cętera bene nata ingenia grauius coarguenda, quòd tam nobilem atq; opimã prædam ex facinoroſorum hominũ manu nõ eripitis, qua ad humani generis beneficentiã atq; liberalitatem utamini. Non enim aliunde legum & Iureconſultorũ infamia hoc ſeculo multorum opinionẽ peruaſit, quàm q; boni per inertiam atq; indignitatẽ rem optimã prodiderunt, eamq; flagitioſis hominibus diſſipandam diripiendãq; reliquerunt. Sed quid ego iam nimis multa in re minime, ut audio, inter te patremq; cõtrouerſa? Nam & tu tuopte ingenio philoſophiã appetis, & ille philoſophiam tibi maximè cupit eſſe in delicijs. Tu in hoc uno diuerſus abis, quòd ocioſam illam & lucernariã philoſophiam huic ſplendidæ ac forenſi anteponis. Tu umbrã & paleſtram prę optas: ille mauult te campo & ſoli aſſueſcere. Quicquid hoc eſt litis & diſſidij cõponi facile eſt, ſi utrunq; pro ingenij tui captu amplectare. Id quod profecto nõ eſt ita arduũ, quin facile confieri poſſit: ſi modo ad eam rem animum induxeris, & ſtudia temporibus rite partiare. alioqui philoſophiæ membra ita interſe cohærent, ut alterum alteri gradum faciat. Illud autem præferri par eſt, quod ad dignitatẽ & gloriã comparandam potius eſt. Nam quæ ad uoluptatem & delicias parantur, poſtremo loco haberi oportet: præſertim quom hæc quæ tu tibi propoſuiſti, uix unquam ad frugem peruenĩãt, illa uix unquã ſine fruge excolantur. Ad hæc te ardor quidam iuuenilis impellat: in illis uoluntas & conſilium prudentiſſimi parentis præponderet. Bene uale, & quæ ſcripſimus ab animo tui cupidiſſimo profecta exiſtimato. Octauo Calendas Ianuarias M. D. XXVII. Ferrariæ.

CÆLIVS CAL. IOANNI CALVO S.

QVOM fortunæ tuæ gratularer mi Calue, quę tibi ſacerdotium obtuliſſet impar fortaſſe uirtutibus tuis, honeſtum tamẽ, & quod beneuolentiã erga te optimi patroni teſtaretur: illud imprimis gratulabar, quòd qualecũq; id foret, certe (quod optatiſſimũ eſſe ſolet) ab omni abeſſet altercatione & controuerſia: putabamq; te unum eſſe, cui diuina uirgula tam inſignis felicitas obtigiſſet. Sed ecce mihi repente nihil tale aut uolenti aut cogitanti literæ afferuntur: neſcio quem quaſi lumbricum, ut ille ait, ex terra ſubito apparuiſſe, qui tibi negociũ faciat, & hanc animi tranquillitatem perturbet. quis ille ſit, aut quomodo res geſta ſit, non exiſtimaui me tibi melius aut facilius poſſe enarrare

rare, quàm si datas ad me literas ad te quamprimum transmitterem, ut causæ tuæ patrocinium susciperes & ferocienti aduersario possis occurrere. Spero enim quæ tua est prudentia, quæ amplissimi Antistitis nostri est authoritas, te non difficulter hac opera perfunctur̃. Certe nolim te aut nomine Veneto, aut Veneti ducis literis perterreri. Non uereor quin ius tuũ obtineas, uel apud iniquos iudices: si modo tu ipse tibi non desis, & rem tuam nauiter atq; intrepide tueare. Scio & doleo difficili admodum & iniquo tempore hunc nuntium tibi aduenire, rebus scilicet urbanis magnis turbis atq; fluctibus cõsternatis. Sed ferenda est rerum cõditio, atq; hoc acrius animus obfirmandus, quo uictis difficultatibus & maior gloria & optatior uictoria est affutura. Profecto si cui tibi usui opera mea esse poterit, nusquam Cælij tui officium aut diligentiam desiderabis. Bene uale, & me ama, & meo nomine Lilium plurimum saluta. XII. Calend. Feb. M. D. XXVII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. IOANNI PETRO FERETTO S.

P RITELLVS noster optat quædã uetera istius urbis monumenta recognoscere, ad quę sperat se tua authoritate facilem aditũ habiturum. Quod ut benigne facias, te plurimum rogo, non solum per Musas illas semper tibi familiares, sed & per uernaculam tuã humanitatẽ, quæ amicitiæ nostrę magna semper dedit incrementa. Ea res in meum ac nepotulorũ meorum beneficium reditura est. Quare si huic rei tuam operam accõmodaueris, putabo me abs te singulare quoddam tuæ in me beneuolentiæ testimonium accepisse. Et si ulla se unquam obtulerit occasio, ut tibi ac rebus tuis possim accommodare, curam ac diligentiam meam nunquam desiderabis. Bene uale, & me ama tui amantissimum.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLARVM LIBER X.

CÆLIVS CAL. MATTHÆO MACIGNO S.

E TSI mihi graue ac permolestum fuerit, te nobilem adeõ & tanto prognatum parente adolescentem malè audire eo nomine, quòd te paulo tardiorem, morosioremq; paternis admonitionibus præbeas: fuit tamẽ illud mihi periucundum, quòd tam eruditam ac luculentam defensionem praueneris, ut optabile mihi uideatur te in hanc uel calumniam uel suspicionem incidisse, ne isti tam illustri defensioni locus deesset & occasio, & licet tui magis ingenij claritas & splendida quædam eruditio ex his quę scripsisti agnosci possit, quàm uel officij religio uel in patrem obseruantia: uix tamen credibile est, in tam cordatum iuuenem & tam egregie institutum huiusce generis flagitium iure torqueri posse. Id quod me in admirationem adducit: tuos aduersarios non erubescere tam improbe acerbã tibi tam immerẽti inuidiam concitasse. Aiunt olim patrem fuisse, qui non æquo satis animo perferret filium in castris uersari, & rem militarẽ administrare, quòd scilicet Martem communẽ & incerta malitię discrimina uereretur. Quom uero deuicto hoste insignẽ lauream retulisse filiũ accepisset, ingenuè professus suam sibi pudori esse diligentiã. Sed hoc fuit magis fortunæ, quę rem dubiã beneuerterat, gratulari: quàm ratione suscepta consilia improbare. Nam & si in re militari multum gloriæ propositum sit, si tamen ex aduerso periculorũ magnitudo pensetur, potuit filius si parentis dicto audiens esse uoluisset, multo & meliorem & securiorẽ uiuendi rationem inire. Idem fortè aliquis tui studiosus de te dixerit, uel si alij taceant, optimus ac tui cupidissimus pater hoc dixerit. Ego te omnibus bonis ac præclaris artibus uelim esse quàm amplissimũ, neq; est quòd putes me ingenua ulla studia fastidire. Ego te in omni matheſi seu quæ ad numeros, seu quæ ad dimen-

ad dimensiones, seu quæ ad cælestes anfractus, seu quæ ad modulationem pertinet, optauerim esse præcellentem. Scio ego illa libero animo digna esse, scio inter diuina & humana medium quendam locum obtinere, atq; his adiutum mortalem animum assurgere, & suam se in primogeniam diuinitatem promouere. Hæc ego non despicio, sed alia quædam sunt & maiora & aptiora ei, qui non frustra se natum esse uult, qui patrię, qui parentibus, qui suis ciuibus contendit suos conatus approbare. In his uelim primum meditere, in his uelim te exerceas. Pueris olim ueteres & abacum & sphærulas & doctam arenam parabant, in qua geometricas formas designarent: hæc ludũ & suas delicias teneræ illi ætati proferebant, quæ adultæ mox ad grauiores & ampliores cõmentationes præsidium afferrẽt. Hoc est quod Plato atq; Aristoteles ad res obscuras & cõtrouersas explicandas nulla utuntur libentius facultate quàm numerorũ & schematum, utpote quorũ cognitio peruulgata foret & pueris imprimis traderetur: atq; in his tantisper morabantur dum ætas altioribus studijs assuesceret. Absit ergo ut hoc tam laudatũ disciplinarũ genus interdicã tibi. nõ peto, ut ab hoc abstineas, sed ut modum adhibeas: nõ ut nuntiũ remittas, sed ne ut tanquam ad sirenios scopulos consenescas. Sunt meliores auctioresq́; exercitationes, quibus ista naturæ alacritas, ista uis ingenij debetur. Si pietatẽ colis, si charitatẽ sectaris, si religionẽ amplecteris, si te dum homo es, aut quom hominẽ exueris, in aliquo esse numero cupis, lucernariã istam philosophiã sepone, facesse ex angulo Chrysippi, excute hanc fuliginẽ Cleomedis. Aude aliquid te dignum, dignũ hac ingenij pręstantia. Cogita quomodo possis quàm plurimos tuo beneficio obstringere: imitare summũ illud bonum, quod profusissime in omnia beneficẽtiã & liberalitatẽ suam partitur. Memineris in eo positum esse præcipuum Euangelicæ institutionis fastigium, si deum tuum toto animo concipias, si de hominum genere egregie mereare. Neutrum autẽ satis cõmode feceris, si ex numeris & lineis atq; huius modi deformationibus summi numinis afflatum elicere contenderis, & diuinitatis gratiã emereri. Non est, mihi crede, in ijs spes collocanda, sed in ea primum, quam fidem recte ac prudenter maiores nostri appellauerunt, id est firmã constantemq́; opinionẽ, tum uero ut actiones subsequantur huic opinioni consentaneæ. Hæ uero actiones non inanes neq; ociosæ sint, sed uinculo & sotietati humanæ excubẽt. In bonos ac benemeritos fortunas erogare: quod si fortunæ absint, opera, diligentia, assiduitate multos demereri: hæc demũ est uia quę nobis cælum aperit: quam nobis Christus ille nostræ salutis uindex suo sanguine præmuniuit: qua proceres illi, seu mauis heroas appellari, Christi sectatores cęlesti passu processere, nõ numeris neq; lineis aut quadratis aut rotundis æternã felicitatẽ nundinãtes, sed in excelsi numinis bonitate ac miseratione omnẽ expectationem constituentes, summa animi æquitate digna atq; indigna perferentes, liberaliter uero sua dispensantes, omnes deniq; beneficijs deuincientes. Nam quod tu putas numeris & lineis diuina posse demonstrari: atq; Aristotelẽ in primo De mũdo quom de ternario numero ageret, trinitati testimoniũ attulisse suspicaris: tantũ abest ut tu aut quicunq; hoc sentit ad ueritatẽ accedat, ut nihil dici possit sentẽtiæ Aristotelis repugnantius: quom eo loco neq; de deo, neq; de incorporea natura sibi tractandũ proposuerit, sed de corporibus quæ triplici dimẽsione constant. Magnitudinis, inquit, quod in unũ distendit̃, linea est: quod in duo, superficies: quod in tria, corpus. pręter hæc nulla alia est magnitudo, quoniã tria cuncta sunt, & ter quaq; parte: tale aũt cælũ quoq; esse perspicuũ est. Alioqui Aristotelẽ non tã alte assurgere supra naturã, sed in ea quæ demõstrari possunt tantũ incumbere, certũ est: ex quo eum ueteres Dęmonij cognomine iure honestarũt. Trinitatis autem indaginẽ incõpertã atq; adeo supra captum hominis eminere, apud omnes sacros scriptores in confesso est: ut ad eam cognoscendã uetus illud præceptum sufficiat: πίστευσον πίστευσον, καὶ ἅπλωσον σεαυτόν. Et sanè in uniuersum de diuinis illud Parmenidis apud Platonẽ dici potest: οὐ γιγνώσκομεν τοῦ θείου οὐδὲν τῇ ἡμετέρᾳ ἀθιστήμῃ. Idem à me uelim dictum putes de forma illa quadrangula, altera parte oblonga, qua tu in altero De anima libro probari animæ immortalitatẽ apud Aristotelem putas. Neq; enim locus ille istam expositionem capit, quom illud tetragonismi exẽplum ea tantum

tum causa afferatur, ut à notioribus ad ignotiora migrandum esse intelligas: & agenti de anima ab ijs facultatibus ordiendũ esse, quæ corpori cognatæ sunt, utpote nobis obuijs & sensu perspectis. Quare huiusmodi cõmentationes multo ingeniosius quàm uerius afferri in eum locum, uelim habeas persuasissimũ. Quòd nisi ea uerba spetiem quandam defensionis uiderẽtur afferre: ἀλλ' οὐκ ὅτε μὲν νοεῖ, ὅτε δὲ οὐ νοεῖ. χωρισθεὶς δὲ ἐστὶ μόνου τοῦθ' ὅπερ ἐστὶ. καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον: profecto non facile quis summi philosophi causam susciperet à calumnia diluendam: quæ tum ab alijs, tum à Iustino philosopho eodem & martyre, nuncupatim inuritur. Cuius uerba sunt: ἀριστοτέλης δὲ ἐντελέχειαν αὐτὴν ὀνομάζων, οὐκ ἀθάνατον ἀλλὰ θνητὴν αὐτὴν εἶναι βούλεται. Quòd uerò Dãtis hominis ingeniosi, & in eo studiorũ genere in quo eminere uoluit summi, authoritate niteris ostendere: imaginẽ, ad cuius exemplum deus hominem creauit, circuli diametro accõmodari: & si ego censeam eum locũ ad Christum θεάνθρωπον, ut Græci uocant, referri oportere: tamen quoniã in Christo agnoscitur perfecta dei & hominis effigies, nõ admodum pugno. Illud non prætermiserim, me multo cõmodius eam imaginem ab Ambrosio expressam existimare. Imago dei spiritus est, non caro. Imago dei est uirtus non infirmitas. Imago dei sapientia est, imago dei iustitia est. Ad hanc imaginẽ studeamus, enitamur, cum Apostolo nos reformare. Quod nos cõmode facturos puto, si ea studia amplectamur, quę in hac luce splendeant: neq; enim debet ardens lucerna sub modio delitescere: tum in ijs elaboremus, quę sint omnibus aut certè plurimis & maximã & diuturnam utilitatem allatura. Bene uale, & hæc puta patrẽ dixisse, aut qua est ingenij dexteritate multo his potiora: quibus si te facilem obsequentemq; præstiteris, non uereor quin tibi & tuis ornamẽto ac præsidio sis futurus: eamq; expectationẽ large impleas, quam de te pridem apud omnes cõcitasti. Pridie Calend. Augusti M. D. XXVII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. FR. AVGVSTINO EVGVBINO S.

QVOM tuæ mihi literæ semper multũ uoluptatis afferre soleãt, uel quòd ingenij tui suauitatẽ præ se ferant, uel quòd tuam erga me beneuolentiam large testentur: quæ neq; tẽporis diuturnitate, neq; intermissi officij iniuria labefactari potest: quas tamen abs te nuperrime accepi literas, uideo multo mihi & amorẽ in me tuum & animi tui amœnitatẽ dicã an indulgentiã testatiorẽ fecisse. Nã me torpentẽ, & scripturientẽ magis q̃ scribentẽ quasi classico ad scribẽdũ excitarũt. Agnoui enim obliquũ illud genus τῆς ἀντικατηγορίας, quod ita commode in te torques, ut sentiam tamen omne in me multo iustius retorqueri. qua ex re difficilis omnino atq; insolens iudicij ratio se ostendit: deferendi scilicet nomen apud eum iudicem, qui si reum oblatum damnauerit, intelligatur eadem se iugulasse sententia: sin autẽ absoluerit, sui se suffragij prærogatiua ac præiudicio munisse iudicetur. Adde quòd accusator, idem & reus: uel, quod iudiciorum magis ordinẽ peruertit, reus est idem & disceptator. Argumenta utrinq; recurrentia: quod etiã genus rhetores non probant. Sed hoc tu potior, quòd accusandi locum præuerteris. Sed hoc tu rursus deterior, quòd tu tibi grãdem istam dicam impegeris. alioqui nulla iustior damnatio, quàm quom se reus ipse dãnauerit. mea certè causa eo melior, quo plus habet innocẽtiæ, impietatis minus. Nam neq; ego te in iudiciũ uoco: neq; me sanè uocari uelim, si per me liceat. neq; potest non esse impium, uel se ipsum, uel se alterum, id est amicũ iudicio obligare. Quare ego si me audias uir clarissime, nihil in rem nostrã magis existimauerim, quàm interim dum fiunt subsortitiones, dum adhuc cæræ apparantur, fruimurq; legis Glauciæ beneficio de comperendinatu, litẽ hanc omnẽ ita inter nos dirimamus, ut soluta sponsione & reuocato sacramento uterq; nostrum uictor, neuter uictus abscedat. Et profecto, ut cæteræ nos fortasse leges obstringant, lex ipsa tamen præpotens amicitiæ nos è reis eximit, & cæteras facile potest leges obrogare. Hæc nos imprimis liberos esse uult, ut nihil addictũ, nihil obnoxiũ in amicitia deprehẽdatur. Nam quomodo potest sanctum illud amicitiæ fœdus ius suum tueri? ni suæ spontis fuerit, si ad alterius arbitriũ quicquã faxit. Et sanè inter quos uera uiget amicitia, nihil eiusmodi esse potest, quod

quod uni cõmodum tẽpeſtiuúmue ſit, alteri uero parum opportunũ uideatur. Siquidem amici ſuis mutuò cõmodis ſua cõmoda metiuntur. Semper turpe eſt ingratum eſſe, eſſe immemorẽ, eſſe inſolẽtem: at ſecurũ negligentẽq; eſſe, adde & ceſſatorem, non ſemper turpe eſt. Africanus negabat eum eſſe liberũ, qui nunquã nihil ageret. Ego itẽ negabo eum amici nomine dignũ eſſe, qui tam acer ſit officij exactor, ut amicitiam ad omnes tẽporum articulos & parẽ beneficiorum calculũ uocet. Illa demum uera eſt amicitia, quæ libero animo exercetur: quæ tam ſecura eſt, ut nulla putet negligẽtia ſe poſſe offendere aut offendi. Sed quid ego imprudens ago? quid melior agitãs hoc παράδοξον? quod uel propoſita clarigatione, abdicari, ablegariq; ab uniuerſa oportet amicitia: ceu neſciã confidentiæ primũ & ſocordiæ, mox etiã hoc uecte impudentiæ feneſtrã aperiri. Quin ergo fortiter ac nauiter diligentiã atq; induſtriã aſſerimus? ſine qua nec amicitia coli, nec bonæ artes poſſunt exerceri. Hoc eſt quòd, ut ab initio ſcripſi, tuæ fuerũt mihi literæ periucundæ, tuũq; mihi amorẽ teſtatiorẽ reddiderunt, quibus & ceſſationẽ tuam accuſas, & me ad ſcribendum impellis. Hoc uelim frequenter facias: uel, ut rectius ſcribam, nolim accidat, ut frequẽter ſit faciundum. Si tamẽ ita acciderit, ut ad eundẽ rurſus lapidẽ allidam, rogo, obſecro, obteſtor per omnes ingenij tui amœnitates, ut me libere atq; ingenue, non ſolũ admoneas, ſed redarguas, ueternumq; illud quod mihi uel aliud agenti perſæpe obrepit, excutias, ne altius radices agat. Hoc enim demum eſt, libere ac familiariter amicitiam tueri: ſi quom per abſentiam unà eſſe non poſſumus, crebro utamur literarum commercio, ſæpe de cõmunibus ſtudijs agamus, locorum deniq; diſpẽdia aſſiduitate ſcribendi accuratiſſime farciamus. Bene uale & me ama, meq; in amando & colendo ſummas uirtutes tuas conſtantiſſimũ puta. Tertio Idus Septembris. M. D. XXVII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. LAZARO BONAMICO S.

M IRVM eſt quàm iucunde ac ſuauiter excipere ſoleam Nicolaum Zopinum, quoties ad nos commeat: tum ob ſummas ingenij amœnitates, tum quòd aduenientes literaria ſemper aliqua merce auctior beneuolentiam ac fauorẽ bonorum emeretur. Nuper uero tuarum literarum beneficio aduenit mihi multo iucundiſſimus: quom ex ijs cognouerim eum abs te in amicitiam ac familiaritatẽ receptum eſſe: quodq; omniũ fuit optatiſſimum, intellexerim te in cõmune illud fatum Vrbis nõ incidiſſe. Qui nũtius eo me maiore affecit lętitia, quo grauior metus animum antea perculerat. Pertimui ſcilicet atq; immodice pertimui, ne publica illa calamitas, quæ multa bene nata ingenia oppreſſerat, Lazaro etiã meo aliquam perniciẽ attuliſſet. Sed Dis multam gratiã, qui Lazaro incolumi ſignificarunt, ſe nondum planè nomen latinum deſpexiſſe, neq; rem latinam uoluiſſe funditus euertere. Huius enim unius ea eſt claritas, ea in omni diſciplinarum genere præſtantia, ut bonas artes propemodum utroq; cornu laborantes poſſit in gradum reſtituere. Quare hoc ſuum munus Di immortales faxint nobis ſolidum eſſe atq; diuturnum. Quod uero ad Nicolaum Zopinum attinet: dabo operã, ut ad eum amorẽ quo antea propria animi inductione hominem amplectebar, ſentiat tantum ex tuis cõmendationibus acceſſiſſe, ut nihil ſit tam amplum aut difficile, in quo ſit operã & officium meum deſideraturus. Manardo ac Iuliano tuo nomine multam ſalutẽ dixi: quam uterq; eodem, uel etiam maiore modio tibi remetiuntur. Addit Iulianus eo ſibi futura Maſſaini ſcripta gratiora, quo difficilius ſperat à clariſſimo Antiſtite poſſe impetrari. Bene uale, & ſi quando occaſio arriſerit, da operã, amabo te, ne ex optimi ac doctiſſimi Egnatij mei memoria totus effluã. III. Idus Septemb. M. D. XXVII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. FRANCISCO BELLICINO S.

F VIT fateor tuus in patriã reditus, tam improuiſus, tã inſperatus, tam abruptus, mihi ſanè permoleſtus. Quod ſi auſus fuerim pernegare, inſignẽ uideo & ueritati & amicitiæ noſtrę contumeliam factum iri. Quis

m enim tam

enim tã alienus à ſocietate humana? quis tam ferreus? qui hominem omnibus naturæ, ingenij, fortunæ ornamentis præſtantẽ, ſub ipſis uix coalitæ beneuolentiæ auſpicijs, nõ ægre atq; acerbe ferat repente, & (ut dicam quod ſentio) inclementer à ſe auelli? Quare non eſt quòd labores, ut mihi ſenſus tuos approbes, mihi planè ex meis perſpectos. Qua enim es humanitate atq; animi benignitate, puto non potuiſſe tibi non eſſe iniucundiſſimũ, uel hanc moleſtiam accipere, quom tu ab homine tui amantiſſimo diſcederes: uel afferre, quom tantum tui deſiderium nobis relinqueres. Sed quid ego de tuo diſceſſu multa? quom diſceſſus tui cauſa multo mihi durior fuerit, animumq; grauius perculerit. Nam ſi ad rem feſtam atq; hilarẽ feſtinaſſes: tum uero poteram meum incõmodum tuo cõmodo compenſare. Sed quom tu ad parentem grauiter decumbentẽ iter ſuſcepiſſes, doloris tui æſtimatio mirifice animũ exulcerabat meum. Illud eſt unum quod ſoletur, & infeſtum hunc animi aculeum reuellat. Audio enim tantũ aduentu tuo profeciſſe, ut depoſitum ac propè conclamatum parentem ad meliorẽ ſpem ac ſalutem denicq; reuocaris. Id quod minime mirum uideri oportet, quom optimo ac ſapientiſſimo parenti tam optati, tam benemerentis filij lux affulxerit: quæ omnes animi tenebras, omnem corporis languorẽ excuſſerit. Nihil eſt igitur poſthac quod querar te nonnihil amicitiæ incõmodaſſe, quom pietati tam feliciter ſatisfeceris. Reliqua argumenta ſummi erga me amoris, quæ te daturum fuiſſe profiteris, ſi diutius tibi eſſe apud nos licuiſſet: ea me omnia cumulate accepiſſe arbitrabor, ſi crebro literarum teſtimonio uiuere ac uigere apud te memoriam iucundiſſimæ amicitiæ noſtræ cõprobaueris. Bene uale, & qui omnibus bonis in rebus primas ferre ſoles, da operam ne in amando tui ſtudioſiſſimũ ceſſator uideare. Nonis Octobribus. M. D. XXVII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. BONAVENTVRÆ PISTOPHILO S.

TSI ego habeam exploratum, quàm difficile ſit colluctari cum peruagata hominũ opinione, quæ præſertim alte inſederit, & iam in animis præiudicium fecerit: ea maximè in re, quæ ad tuendam prorogãdamq; ſalutẽ pertinere uideatur: non hoc tamẽ me deterrebit, quin bonæ cauſæ patrocinium confidenter, ut quidem mihi uideor, ſuſcipiã apud æquum imprimis amicumq; iudicẽ: qualem ego te ſemper cognoui Piſtophile uir clariſſime. Qui licet multum tribuere ſoleas famæ, tum cõſtanti hominũ uoce promulgatæ, tum quę nõ inanibus aut abſurdis omnino initijs prodijſſe uideatur: relinquis tamen locum iudicio: tibiq; integrum eſſe uis, ſiquando ueritas famæ fidem abrogauerit, falſosq; rumores probauerit, liberũ arbitrium interponere, & abdicata hominum opinione pro fama aut aduerſus famam pronuntiare. quo in genere prudentię quom ſemper tua ſponte uerſatus ſis, nunc te non iniuria maxime oro atq; obteſtor, ut meo rogatu tuam ueterẽ atq; honeſtiſſimã conſuetudinẽ retineas. Quom nuper igitur tota urbe proditum ſit, & ad ipſos uſq; decuriões permanauerit, peſtilentiam ædes ac familiam meam peruaſiſſe: certum habeo eam quoq; famã ad ſupremam ipſam aulam optimi principis perueniſſe: teq; eum nuntium ob eam, qua me ſoles amplecti, charitatẽ, moleſtiſſime accepiſſe. Eius tibi famæ rationem reddam, ut æquius poſſis iudicare. Ergo res ita accidiſſe ſcito. Puer meus anagnoſtes liberali indole atq; ingenio proxima hyeme cœpit ſcabie tam uehementer laborare, ut omnia ferme membra impetiginẽ contraherẽt, & totum corpus ulcus fieret. Ea res eum grauiſſime permouebat, uel quòd membrorũ functioni obſiſteret, uel quòd fœdũ planè oculis ſpectaculum offerret. properabat igitur primo quoq; tẽpore omni eam ratione abſtergere. Eius ego deſiderium, tum admonẽdo tum increpando in proximum uer ſuſtinui. Tum demũ ille conſulto ægrè Manardo, ſed doctiſſimi uiri conſilio minimè, quod poſtea cognitũ eſt, approbato, nõ hauſtis primũ cathartícis pharmacis, non uictus ratione immutata, non ijs demũ actis quæ medicinæ præſcripto traduntur: ſe leni primum unguine, mox quom illud ſerius uoto obſequeretur, alio acriore utpote hydrargyro confecto, nec ſuſpenſa ut fieri ſolet, ſed liberali admodum manu perunxit. Ea res tũ mihi cognita eſt, quom argui potius poſſet quàm corrigi. Quom enim

enim eum altum admodum pallorem incidisse, & quotidie decumbentẽ animaduer terem, satis intellexi noxios humores quibus exitum natura cõparauerat, ui hydrar gyri repercussos uitalia petijsse. ad eam perniciem retundendam quom iussissem remedia atq; opem medicorũ accersi, ipso licet reclamãte: nam pharmaca auersabatur: non tam cito succurri potuit, quin febris quæ ad eam diem in medullis fuerat grassata, magno impetu erumperet ac se proderet. Tum ego quom de salute pueri subdubitare cœpissem, nec essent mihi ędes satis ægris accõmodatę, utpote angustę, & in austrum obuersæ, hortatus sum Robertũ Pratum, uirũ honestũ, pueri parentẽ, ut sub hoc æstu algidum & idoneum domicilio aliquod procuraret: in quo aut minister alicuis diligẽs aut sedula aliqua matrona ei assideret, excubaretq;, & medici imperata exequeretur: me cætera quæ ad medicum & seplasiam spectarent large submministra turum. Id ille fecit perdiligẽter, & nescio quẽ in locum parum, ut audio, auspicatum filium amãdauit. Hactenus bona fide accepisti, quę apud me gesta sunt. cuius scenæ testes atq; adeo spectatores Manardũ, & quom Manardus pedibus parceret Raphaelem Hebręum & familiares meos omnes imploro. In reliquis quæ in quinto actu & peregre, id est alieno in domicilio gesta sunt, fidem meã non obstringo: sed illud certum est, morbum adeo increuisse ac prægrauasse, ut puer eius uim ferre nõ potuerit. Succubuit igitur, & multo quidem celerius q̃ ego putassem: non tamẽ ocius quàm causa tam uehemẽs atq; insignis, ipsaq; morbi inclementia postularet. E uestigio succlamatum est, puerũ pestilentem ex ędibus meis alienã in domum migrasse, pestilentia interijsse, signa apparuisse, lotiũ perturbidum, suggillata, anthracas, papulas, auget omnia rumor, atq; exasperat temporũ immanitas: & terror publicus fidem facit rumori. Quartus dies abierat à pueri obitu, quom hæc animaduersa sunt. Sapiens, puto, medicus manes sibi in consilio esse uoluit: tantisper diffisum est iudicium. Nec me certè mouet, nec absimile uero mihi uidetur, in tãto confluuio excrementorum peccantiũ humorũ, & natura ad postrema descendente præsidia, lotiũ turbidum isse, & suggillata aliasq; id genus pustulas protuberasse: ex eo præsertim corpore, quod etiamnum uiuens ac spirãs tabescebat. Iis rationibus ut alij putant, ut ego sentio uanissimis rumoribus permoti uiri sapientissimi & patriæ studiosi, publicæ sanitatis præsides, mihi per statorẽ ab atrijs Licinij euocatum, ut Cicero inquit, cõmune hoc cælum interdixerunt: eorum ego imperiũ, uti leuissimũ ac superuacaneũ est hac parte, ita iure elusissem, nisi nomẽ summi principis obiecissent. Hoc mihi quasi Palladis ægida uereri necesse est, & si hæc omnia ignaro principe agi habeã persuasissimum. Ex his facile potes colligere, quid apud reliquos inferioris notæ homines agatur: quom apud me, qui omnia mea semper studia ad dignitatẽ patrię & gloriam nostrorum principum illustrandam retuli, hæc non dico per suspicionẽ, sed per contumeliam gerantur: nõ explorata eorũ quæ gerantur causa, sed ex leuissimorũ rabularum sententia sumpto consilio: quorũ alij augent in maius, ut non frustra conducti uideantur: alij ut amplient stipendia, & in publicis calamitatibus nundinẽtur. Hæc sunt scilicet, ut uideo, quæ tot familias perculerunt, quę totam urbem infamarunt, quę apud nos solitudinẽ fecerunt: non quòd putem nihil in urbẽ crassari pestilentiæ: sed quòd plurima conficta atq; ementita putẽ per improbitatẽ atq; audaciã eorũ, qui (ut dicitur) paruo pedi magnũ calceum induunt: &, ut prodigiosi pictores solẽt, suę gloriæ suiue quæstus causa imagines ad metũ ac terrorẽ effingunt: ut hac ratione puerorum mentes flagellent, quod Plato in suis legibus nuncupatim interdixit. Erit fortè qui salutarẽ metum inutili audacię præferendum putet, & hac licet falsa & cõmentitia prospicientia tamen cautiores proficere arbitretur. Quæ sententia & si ad nostram causam nihil pertineat, in qua nõ de bono & æquo, sed de falso & uero tractamus, non iniuria tamen solet à prudentissimo quoq; irrideri: qui quom nullum metum utilem putent, illum etiã probrosum & inertię testem existimant, qui umbris & inani tantum opinione excitatur: & qui de moribus cõmentati sunt, multo à uirtute longius metum quàm audaciã ablegarunt. Sanè bono imperatori facilius audacem quàm meticulosum militẽ approbaueris. Plutarchus mauult sibi impium dari, quàm superstitiosum. Ille nullos deos ueretur, hic ita religione, id est metu, agitur, ut nõ ausit

digitum exerere, omnicp in re offensionẽ numinis expaueſcat. Non ergo terrore ac metu, ſed induſtria & conſilio ac ſalutaribus remedijs publico malo occurrendũ foret. Et hæc à me obiter in gratiã meorum ciuium dicta ſint, quos miſeris modis afflictari ſentio: dum alij ualentes in peſtilentum numerũ per inanem ſuſpicionem referuntur, & ad certam mortem damnantur: alij in morbo qui nihil habet contagij crudeliter deſeruntur. Sunt quorum domus ac bona ab ijs qui exercent libitinã, per licentiam diripiantur. Denicp ciuitas tota peruerſa ac præpoſtera hac diligentia diſſipatur uſcp ad internicionẽ, ut multo ſatius ſit remedijs carere, quàm hæc tam periculoſa tam infeliciter tentare. Rapuit me amor patriæ, & rei tam deteſtabilis indignitas, in cenſuram hoc loco forte ſuperuacuã, dignam tamẽ de qua coram ampliſſimo principe agaẽ: qui unus poteſt, aut certe nemo, res noſtras dextro ac ſiniſtro cornu laborantes in cõmodiorem gradum reſtituere. Hunc uero ſtomachum meũ ut tibi potiſſimum declarẽ, effecit non modo ſiniſter hic rumor, alioqui rebus & ſecuritati meæ cõmodus. Quom enim multos me quotidie familiariter adeuntes ſuppuderet à limite eijcere, ijdem illi falſo hoc rumore perterriti ſua ſponte noſtræ conſuetudini renuntiarunt: & quaſi Stymphalides (ut in fabulis ſcriptũ eſt) famæ crotalis perculſi auolarunt. In quam rem hoc etiã luſi epigrammate, ut intelligas me per ſummã ſecuritatem hæc egiſſe. Sed illud me multo maximè permouit, quòd rumore hoc in uulgus dilapſo de ſumma rerũ protinus actum plericp exiſtimauerunt, ita ſcilicet rationem ineuntes: ſi hanc in perniciem incidit Cælius ille Muſarum tantum cõmercio aſſuetus, ille ablegatus ab omni forenſi conſuetudine: illicet omnis ſpes ſalutis deperijt. Corrupta enim hac cæli ſpirabilis temperie, iam nullus incolumitati locus reliquus eſſe poterit. Aut ergo occidione pereundum eſt, aut à pedibus conſilium capiendum. Re itacp in deſperationem deducta iuſtitium inducitur, uectigalia deſtituuntur, mancipes occludunt tabernas, conſuetæ artes deſeruntur, ciuitas maleficis populanda relinquitur. Tanta enim eſt uis ſuſpicionis, ut quom ſemel animos occupauerit, nullus ſuſpicandi finis inueniri poſſit. Maiora enim ſemper ſibi terra monſtra effingit atcp portenta. Nam quod nonnulli exiſtimant cæli conditionẽ labefactatam eſſe, eo facile argumẽto falſum reuincitur, quòd bruta quæ Homeri atcp Hippocratis teſtimonio aeris uim protinus ſentiunt, necp intereunt, necp ulli noxæ obiecta reperiuntur. Sed & huius morbi uiolentia honeſtas inter familias frequentius quàm ignobiles peregrinatur: quom tamen contrà euenire par fuerit. Nam quæ alimentis uitioſis paſcunt, ſolẽt hę facilius ad omnes uiciſſitudines tẽporum periclitari. Quod uero ad me attinet, nunquã me tanti putaui ut me à ſummo rerum auctore præroga tiuam impetraſſe exiſtimarẽ, quę me conditioni rerum mortalium ſubduceret, & fati eximeret poteſtati. Quare ſi quid etiã mihi humanitus accidiſſet, nemo tamen debuit ex meo periculo ſuum metiri. Ego enim homo ſum, atcp humani à me nihil alienum puto. meam culpã præſtare poſſum, alienã non poſſum. Optare mihi à Dis immortalibus præclarã fortunam licet, eam mihi fingere meo ex arbitrio nõ licet. Cæterum quòd tibi non ſolum libenti & incondita, ſed ſuperuacua etiã epiſtola obſtrepam, non admodum miraberis: ſi memineris me ita tui eſſe mancipij, ut ſiquid mihi deperit, illud omne tuis rationibus decedat neceſſe ſit. Quare tua maxime intereſt hanc meam incolumitatẽ gratulari non uni mihi, ſed etiam tibi: qua factũ eſt, ut tuus iſte uſus & fructus tibi ſolidus atcp integer maneat. Eodẽ nomine gratulaberis apud eminentiſſimũ principem, cui addictiſſimã animã utcunc̃p fama diſrumpatur, ſeruat ſeruabitcp deorũ benignitas. quod ego tã certo futurũ auguror, ut auſim polliceri, magnum etiã illum aſſertorem ueritatis tẽpus noſtræ huic ſententię felici calamo ſubſcripturum. Bene uale uir clariſſime. Alphonſo Trotto Sigiſmundi filio, quem ob elegantiã, & liberalem animi cultum principis aulæ delicias iure nuncupamus, plurimã ſalutem dico. Sed & Iacobum Azaiolum alteras Muſarũ delicias plurimũ ſaluere iubeo. Calend. Iunij.

M. D. XXVII. Ferrariæ.

Cælius

CÆLIVS CAL. GALAXIO AREOSTO S.

LEGI mira cum uoluptate lepidíſſimum illud carmen quod nuper miſiſti ad me, id eſt delicias Antiſtitis Rhauennatis. Nihil eſt eo blandius, dulcius, amœnius. In quo non habeo ſatis compertum, quid prius mirer, an cõpagem carminis nuſquam hiulcam ac rimoſam, an orationis cultum, ut in poetica hilaritate grauitatẽ oratoriam agnoſcas. Ea uero propè parte mihi incõparabilis uidetur, quòd omnes ueneres ac lepores ita miſcet, ut quaſi aliud ſit carmen lectorẽ ſemper alliciat, & planè de ipſo Gratiarum ſinu nouum aliquem floſculum depromat. nam hęc planè laus eſt epigrammatis, quam ego ita conatus ſum aliquando uerſu exprimere,

Malim elegos, malim ſyluas contexere longo
Carmine, quàm ductu cultum epigramma breui.
Quippe illic fas eſt ſpatioſo excurrere campo,
Hic agilem anguſto limite flectis equum.
Illa ſat eſt plane, ſatis eſt dixiſſe latine.
Hic lepor & breuitas mixta lepore decet.
Ni lectum legiſſe iuuet, ni pruriat auris:
Iudice me, carmen, non epigramma uoces.

Admirationi illud accedit, quòd Antiſtitem Rhauennatem iam olim cõſtans fama & doctorum prædicatio magnum oratorẽ declarauerat, poetam ego nondum audiueram. Nunc non audio ſolum, ſed uideo, agnoſco, & propè manibus teneo: ut eodem momento, & non fuiſſe poetam, & ſummum poetam exiſſe, intelligam. Quicquid uero ſpatij medium inter non poetam intercurrit, illud omne eſt quod Plato dicebat ἀναφνης, præuertente ſcilicet doctiſſimi principis ui atq; impetu omnem humani animi captum. Atq; hoc eſt fortaſſe quod nonnulli ægre ſibi perſuaderi patiũtur: ab eo authore, tam repẽte, tam inexpectatò, carmẽ illud effluxiſſe: ſua ſcilicet tarditate aliorum ingenium metientes. Ex ea autem inuidia eſt quod clariſſimo Antiſtiti gratulemur, ſiquidem non de quolibet ſtatuario, ſed de præſtantiſſimo omnium artifice illud exijt, μωμήσεται ὅτι τὸς μᾶλλον ἢ μιμήσεται. Sed ſpes eſt eã cito intermoriturã. Nam & Plutarchus gloriã quæ in ora hominũ ſtatim peruaſerit, inuidia caritura iudicauit: ceu ignis fumo carere ſolet, qui protinus flammam dederit, & præter expectationẽ cuncta colluſtrauerit. Illud uerò abs te peto, ut ſiquãdo tibi occaſio arriſerit, operam dare uelis, ut tam excellens princeps intelligat, me unicum eſſe ac præcipuũ tantarum uirtutũ admiratorem. Bene uale, & me tibi tanto nomine obſtrictũ ama, & his delicijs frequenter imparti. Ferraria.

CÆLIVS CAL. REVERENDISSIMO BENEDICTO de Acoltis, Cardinali Rhauennati S.

NONDVM habeo ſatis conſtitutum princeps ampliſſime, profitear ne gratias Galaxio noſtro, an cum eo magis expoſtulẽ, quòd literas quas ad eum perfamiliariter dederam: nihil minus cogitãs, quàm ut aliquando in tuas manus peruenirẽt: ad te tam excellentem in omni uirtutum genere Antiſtitẽ perferendas curarit. Sed quom rurſus rem non adeo prudenter inchoatam tam feliciter ceſſiſſe uideam, nullũ iniurię atq; expoſtulationi locum relictum fatear neceſſe eſt: niſi uelim eſſe omnium mortalium ingratiſſimus. Non enim intelligo quomodo aliter impetrari abs te potuiſſet, ut in tãta mole rerũ, in tanta ſtudiorum occupatione, tuæ incredibilis atq; incomparabilis humanitatis teſtimonium, tuiq; præclari erga me animi ſignificationẽ dares. Audierã ego antea te literatura omni pręcellentẽ, oratione ſoluta iuxtà ac uorſa eminere cognoueram. Quantũ inter purpuratos Antiſtites, dignitate, exiſtimatione, authoritate, quãtum comitate ac liberalitate pręſtares nõ modo cõſtans fama & hominũ cõſenſus nũtia uerat: ſed & Galaxius quom de te ſępe uerba faceret, atq; in te laudes omnes ſummi principis cõgereret, oſtẽderetq; quibus artibus ad tantũ faſtigium prouectus fores,

familiari ac proximo exemplo tuam munificentiã approbauit: quom eum scilicet ab Vrbe proficiscentẽ & largo & honorifico uiatico prosecutus es. Hęc uero tam rara, tam eximia in uno homine ornamenta, in tui amorem & tantarum laudum admirationem ita me succenderant: ut nihil haberẽ prius in uotis, quàm ut aliqua mihi aliquando occasio daretur, qua & tu hunc animũ tui obseruantissimum cognosceres, & ego tuam gratiam inire possim. obtigit id mihi optanti magis quàm expectanti. Nã quom de tua in me uoluntate multa Galaxius, nec minus multa Stephanus Eremita priuatis in hoc argumento literis mihi patefecissent: ego interim obrutus inspe ratæ rei magnitudine mecum cogitabam, quod nam hostimentum tuæ isti bonitati reponerem, quibusue literis me gratum tãtis officijs præ me ferrẽ. Sed quom ego diem ex die ducerẽ: ecce tu, quæ tui est ingenij fœcunditas, me tuis gratissimis ac suauissimis literis propè oscitantem præuertisti: & quæ per sequestros prius audieram, ea tu penè obsignatis tabellis, tuo etiã chirographo conscriptis, quod ego propemodum ambitiose mei honoris gratia prædicare soleo, mihi confirmasti. Debeo igitur tibi quãtum nec pro rei magnitudine, nec pro animi mei captu possum explicare. nec spes est, ut aut uersura aut locata longi tẽporis opera tantum æris diluam. Quare quod ingenui debitores facere solent, id mihi faciũdum putaui. Illi enim non expectata declaratione prætoris, se ac sua omnia uolentes creditori adiudicant, ut sciat ille in soluendo nõ uoluntatẽ sed fortunam facultatemq; tantum defuisse. Cæterum quæ tu large & copiose mihi polliceris, ea lubens & quasi ex stipulationis formula accipio. Teq; posthac principem ac patronũ meum agnoscam: & quantũ erit in me enitar, tuam istam benignitatem, studio, fide, sedulitateq; perpetua emereri. Vale.

CÆLIVS CAL. R. BENEDICTO DE ACOLTIS Cardinali Rhauennati. S.

MEA erga te fides atq; obseruantia princeps amplissime tam alte radices egit, ut iam nullum sit periculum eam ulla silentij aut locorum iniuria posse conuelli. Nam licet ego tuæ fortunæ, quæ clarissima est, & in hac Romani senatus specula longe eminet, ut par est, reuerẽter adsurgam: tuæ tamẽ uirtutis faces nescio quomodo multo te reddunt illustriorẽ, prolixiusq; radios iaciunt: ut iam nulla sit regio, nullus locus, quò splendor iste non peruaserit. hic me primum in tui admirationẽ illexit, hic effecit, ut me tibi uniuersum addicerem, atq; in parte felicitatis adscriberem, si tu princeps tãtæ celebritatis me in aliquo haberes numero: dignumq; existimares, qui cum studia & lucubrationes tuas cõmunicares. hæc mihi ratio persuasit nihil esse extimescendũ ex ijs calamitatibus, quæ uulgares & quotidianas coniunctiones solent labefactare. Quibus enim auspicijs succreuit tua de me, utpote studioso homine, opinio, & mea de te utpote eminentissimo principe existimatio: ijsdem & confirmari & retineri perpetuò potest. Cæterũ quom uideamus industrios agricolas ijs plantis, quæ adhuc teneræ sunt, tametsi radices iecerint & terra adnitant, aliquos tamẽ imbres optare, atq; aliquãdo aquam adspergere, ut felicius coalescant: haud ego multo secus, ineuntẽ hanc nostram consuetudinem aliquando literis recreandam iudicauerim, ut lætior ac hilarior grandescat, ad frugemq; perueniat. Quod tunc fore arbitror, quom tu me ac mea opera pro potestate imperij utere: & tua scripta, quæ ego in gemmarum & emblematum cẽsu habeo, frequẽter ad me cõmeabunt. Bene uale princeps clarissime, & Cælium tuum tua gratia dignum puta. Ferraria.

CÆLIVS CAL. BONAVENTVRÆ PISTOPHILO S.

MVLTA extant tui erga me animi testimonia, quibus declarasti quanti me faceres, quantũ mihi studeres, quàm cuperes omnibus in rebus tuis me beneficijs honestare. Et profecto ego nunquã dissimulaui me tantum tibi debere, quantum nullo unquam possem hostimento exæquare. quòd uero etiã nuper tui mihi Plinij copiã feceris, protinus quom intellexisses me illum optare, tanta animi inductione, ut neq; permiseris locum precibus

cibus relinqui: profecto tãti facio, ut nullum sit adeo illustre beneficium, quo uel fortunas uel dignitatẽ meam cumulaueris, quod huic pręferendum iudicẽ. Et sanè quæ ad cultum animi & profectum ingenij attinẽt, ea longe cæteris bonis quæ peregrè & à fortuna proficiscuntur, iure optimo pręferri debent. Adde quòd in Plinio tuas mihi delicias, tuos amores accõmodasti: neq; id quod plerique faciũt, tantũ mihi suauitatis inuidisti. Quòd si Alexãder ille cognomẽto Magnus rem pręcipuã ac posteritate dignã fecisse dicitur, quòd Campsacen præstãti forma mulierẽ, quam ipse habebat charissimã, Apelli pictori dono dederit, quom hominẽ eius amore succẽsum animaduertisset, dum illius imaginẽ in tabula exprimeret: quantis ego iustius laudibus Pistophili mei liberalitatẽ celebrem, qui non fœda huiusmodi illectamenta, sed meros sanctarũ disciplinarum thesauros & sacras studiorum diuitias mihi impartitur. Nam quo aptiori nomine Plinianã lectionem appellem: & eã præsertim, quam Pistophilus meus excoluerit, repastinauerit, emangoniſſauerit. Nam ut cætera prætermittam, nemo est per deos immortales tam ignarus rerum precioſarum æstimator, qui margines illos, quibus tu chirographum tuum & bellas illas obseruationes addidisti: nõ unionibus magis quàm literis picturatos arbitretur. Quare ego me tuę isti munificẽtiæ tantum debere profiteor, quantum prædicatione potius quàm ulla grati animi significatione assequi possim. Vt tamẽ intelligas, me beneficij tui amplitudinem agnoscere, constitui pro ea Plinij usura, quam gratuitò mihi locasti, quasi pensionem quandã tibi exsoluere. Huius uicem subibũt annotationes aliquot, non adeo multæ, quæ inter legendũ se mihi obtulerunt: quas si tibi uiro clarissimo, cuiq; omnium maximè placere cupio, approbauero, plures aliquãdo fortasse atq; uberiores aggrediar. Bene uale, & me mutuo ama. Ferraria.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

D

IES aliquot postquam à nobis discesseras, tuas literas accepi, quibus mihi rationem itineris tui explicabas, & quæ tibi acciderunt obiter significabas. Addebas illud, quod mihi fuit gratissimũ intelligere, te ab Egnatio hospitio fuisse susceptũ, cuius mihi liberalitas pridem perspecta est, nõ minus ac excellens literatura. Eo nomine tibi protinus sum gratulatus: eas literas tabellario nostri principis dedi, qui eas oratori Ferrariẽsi qui isthic agit bona fide cõmendaret. Non multi dies abierunt, quom alteræ tuæ superuenerunt, quibus nihil dum in rebus tuis actum, teq; adhuc animo pendere nuntiabas. Illud etiam adscripseras, quod fuit mihi per molestum: te quod ad commentarios tuos typis exprimendos pertineret, animum propè despondisse. hæc dum Ferrariæ adhuc agerẽ, abs te accepi. Cœpit interim ita in urbem grassari pestilẽtia, quæ ad eam diem uim suam dissimulauerat: ut nihil prius quàm de fuga cogitarẽ. Nullo enim die non amici alicuius funus afferebatur. Illud præterea animũ meum religione propè obstrinxerat, quòd nulla maiore ui, aut causa apparente, pars mœniani nostri quæ in forũ prominebat, nocte intempesta corruit: podiũq; inferius, quo Martinus tuus ad cõpactas chartas insolandas uti solebat, ita perfregit, ut nullum ruinæ uestigium ad parietẽ adiunctum relinqueret. Sed quoniã domus alioqui parum firma neq; rimas fecit, neq; uitiũ ullum traxit, mitius sum auguriũ interpretatus. mox quom familiares meos alios aliò ablegarẽ, quo possem minore impedimento secedere, Paulumq; anagnosten olim nostrum parẽti remisissem, in ipso recessus mei apparatu, nuntiatũ est eum decessisse, incertũ an ex pestilentia: certè morbi inclementia, & celeritas obitus, magnum animo scrupulum iniecerunt. Quom ergo omnem moram abiecissem, & me Benuenium contulissem, ibiq; iam me per summam securitatem ad studia componerẽ: ea est enim loci amœnitas, ut sperarem nullam ægritudinem tam fore impudentẽ ut eò auderet irrumpere: conclamatũ est duos è numero paganorum febre laborare cœpisse. quo nuntio perterritus antequã latius morbus irreperet, confestim mihi abeundum existimaui. Relicta itaq; omni literaria supellectile tribus tantum comitatus familiaribus migraui in Aemyliam, & apud sacerdotium meum Fusignani subsedi. hic iam multos dies ago dei optimi benignitate inco

lumis, exiliumq; hoc meũ uix duobus solor libellis, Græco altero, & altero Latino. Quomq; ex necessarijs meis & ijs qui studiorũ gratia sunt mihi coniũctissimi, multi frequenter animo mihi obuersentẽ: tu unus profecto omniũ mihi creberrime occurris, tuamq; suauissimã consuetudinẽ sæpissime memoria repeto. Quòd si mihi tecũ esse liceret, cætera profecto studiorũ auocamenta leuia admodũ existimarẽ. Ego sanè & tuis literis inuitatus, & Egnatij nostri benignitate allectus, non aliò protinus quàm Venetias aduolassem: neq; in hanc solitudinẽ in qua uel solus sapio, uel quod magis puto, solus desideo, me uolens coniecissem: nisi fuissem ueritus hos pestilẽtis patrię rumores isthuc usq; peruasisse, & ob eam suspicionem nauigationem mihi ad uos intercluſum iri. Quòd si mihi Egnatius, te admitẽte, literas admissionis publicas impetrauerit, quod facile futurum arbitror: quom præsertim iam sesquimensem & amplius agã eo loco ubi tanta cæli salubritas, ut me sub tanto æstu degere apud Crotoniatas putes: hanc si mihi operam feliciter nauaueris, nihil est denicq; quod aduentum posthac meũ remoretur. Proinde siquid erit, quod aut tua scribere aut mea scire interſit, huic nuntio qui Fusignani seplasiam exercet, tutò literæ credi poterunt. Eas enim fideliter perferet. Ex ijs opto cõmonefieri quid constitueris: quandiu futurus sis in Italia: quid Venetijs ad hanc diem sis cõmentatus. Nam pro tua consuetudine, certum habeo te minimè fuisse cessatorẽ. Illud te pro nostra coniunctione hortor & rogo, ne prius abeas in prouinciã quàm inter nos capita conferamus. Alfonsus Trottus ille Sigismondi filius nobile munus adornauit, quo nuncupationẽ illam tuam remuneretur: fac eam igitur esse apparatã, ut primo quoq; tẽpore ad eum mitti possit. Ad hæc significabis quid in studijs moliatur Egnatius, quid Massarius noster in Historia piscium. Opto etiam mihi significari an ad hanc diem Gaspar Cõtarenus ille doctissimo pariter & candidissimo ingenio legatus, in Vrbẽ profectus sit. interim cum Martino nostro cura ut ualeas, & me ut soles ama. Fusignani. Calend. Augusti. M. D. XXVIII.

CÆLIVS CAL. LAZARO BONAMICO S.

POTERO ego fortasse uir doctissime tardum abs te nomen appellari, malum certè nõ potero. Sed & hæc mea negligentia, quæ sibi facile uentam de tua humanitate pollicebatur, diem fuerat longius diffisura, ni Florianus noster alia omnia cogitantem ad officium reuocasset: ut non frustra Alphenus fœnerator dixisse uideatur, bona nomina mala fieri, ni aliquãdo interpelles. Ne igitur fidem meam diutius requiras, en tibi Ptolemęum, & Tullianas castigationes, & elenchum Marcianæ Bibliothecæ, & Antiquitates urbis Fuluio cõditore incolumes remitto: tibiq; lõgioris huiusce usurę gratia, me plurimum debere profiteor. quòd siquid est apud me, quod tibi usui esse possit, large ac liberaliter eo utaris uelim, nullum sanè potes mihi dare tui in me amoris locupletius testimonium. Bene uale, & quod facis, nauiter perge, literas laborantes adiuuare, teq; in certum æternitatis gradum prouehere. Antistitem Bononiensem uirum ad omnem humanitatẽ ac doctrinam factum saluta meo nomine. Ferraria.

CÆLIVS CAL. ANTONIO LVCEIO LVSITANO S.

HABEO tibi multã gratiã uir clarissime quòd ad me scripseris, & quòd memoriam mei apud te serues incolumẽ. Illud fuit permolestum, quòd literas quas Odoardo Macigno ab illustrissima principe impetraueras, cuiusquam fidei credideris, præterquã meæ. Optabam enim eas bona fide remittere in manus parentis Odoardi, ut tuam meamq; diligentiam illi pariter approbarẽ. Nunc uereor ne putet sibi uerba data esse, aut inanẽ aut leuissimi certe ponderis cõmendationem, quam eius filio procurauimus. Nec iam uideo quid à nobis statui possit, ut iactura hæc officij sarciatur: nisi fortè literæ sub eodem exemplo geminentur: ut posteriores prioribus testimonium reddant. Tu uero qui in re præsenti uersaris, & nosti quantum tibi de eo polliceri possis, qui principis est ab epistolis, ex iudicio & authoritate tua rem totam transige. Quicquid egeris, ego albo

ego albo calculo subsignabo: illud rogo, ut quid in eam rem fieri possit, protinus me cõmonefacias, ne Macigni nostri uotũ diutius pendeat: quem habeo persuasum nostram operam non secus ac diuinam uirgulam incredibili desiderio expectare. Bene uale: & si forte intempestiuis meis literis tuas amœnitates interpello, ignoscas rogo. Hoc enim natus sum ingenio, ut quod nolim mea causa esse, in amicorum gratiam ineptus & importunus esse non erubescam. me ama, & mea opera meisq; omnibus fortunis utere, siqua in re tibi usui esse possunt. Ferraria.

CÆLIVS CAL. ANTONIO LVCEIO LVSITANO S.

GRATVLOR Macigno nostro, cui uideo rem multo uberius ac felicius cessisse, quàm potuit uel optare uel expectare. Nam pro unis literis quas expetiuerat, binas adsecutus est: quam felicitatẽ uni tibi & singularis officij & summæ authoritatis uiro acceptam referat oportet: quando ego frustra omnẽ lapidẽ mouissem, nisi tu pro tua humanitate Mineruam præsens numen inuocasses, eamq; nobis implorantibus propitiasses. Scribam itaq; ad Macignum, & literas, id est optatissimũ tuum munus ad eum mittam: & operã dabo literis, ut tibi immortalem gratiã debeat. Ego sanè paratus sum, qua uolueris conditione, sponsum inire: illum, qua est animi bonitate, nihil non tua gratia perpetuò facturum, ut intelligas te apud uirum gratũ quicquid est hoc beneficij locasse. Iterum atq; iterum uale, & tibi de me summa ima iuxtà omnia polliceare.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

IVO equidem mi Zieglere, atq; hoc unũ tibi gratulari potes. Nam & qui tui studiosissimus est, & qui se suaq; tibi pridem addixit, is eodem in te animo est, quo esse solet: cupitq; tibi omnia feliciter procedere. Vidi cq; anxie de me exquireres, & cq; saluti meę extimesceres: quod est mihi certum animi tui longe antea perspecti testimonium. Et profecto conarer tibi gratias agere, nisi ex uera amicitia huiusmodi uerborũ lenocinia uiderentẽ summouenda, præsertim quom mutuas inter nos operas in hoc beneuolẽtiæ stadio dare debeamus. Tertiana iterum atq; iterum me afflixit tam dure ac moleste, ut uix atq; ægre corpusculum hoc, quod quàm tenue sit non ignoras, potuerit in tot flagella sufficere: & mecũ ipse mirari soleam, tantulas uires aduersus tam grauem aduersarium potuisse reluctari. Nec tamẽ adhuc extra ictum sum, nec adhuc mei compos euasi. Vtor tamen & medicorũ & mea diligentia, ut ferocientẽ morbum compescam, & labefactatas uires colligam: quod mihi sanè difficulter procedit. Speramus tamen dei bonitate penes diligentiã nostram uictoriã fore. Bis abs te literas accepi, quibus nihil respondi morbo prægrauante. In earum alteris Germanorũ librorum elenchũ accepi gratũ mirifice. Nolim enim putes eam uim ęgritudinis, quę mihi literarum & studiorum desideriũ excusserit. Duo sunt in eo codices, quos uoto incredibili protinus expecto: quos si per difficultatẽ rei pecuniariq; tu ipse mihi curare non potes, obsecro, Venerabilem monachum Seuerinum ex sodalitio Saluatoris adeas, exponasq; ei hoc meum desideriũ, puto daturum operã ut sine mora uotum hoc assequar. Dabo operam ut quicquid insumptum fuerit cito ac bona fide istic repręsentetur. Quos opto codices ij sunt: Theodosianus & alij ueteres iureconsulti etiã abste non sine ellogio transmissi: Item dialogus Ciceronianus per Erasmũ: quem puto & melle & felle conditũ, Erasmicq; nostri argutijs pro more delibutum. Hos oratori Ferrariensi credere poteris, ut ad nos tutò perferãtur. Alfonsus Trottus me tuo nomine salutauit. Ex literis alieno calamo, sed eius uolũtate cõscriptis, intelliges quanto ardeat desiderio tuorum commentariorum, & propè certum habeo te operã non frustraturum, & longe commodius apud priuatum hominem, quàm apud amplissimos illos principes tibi rẽ processurã. Est enim immortalitatis cupidissimus, quod se non nisi beneficio literarũ sperat posse adipisci. De globo terreno nihil ad te scribam, quom apud te admonitores duos habeas: & fidem tuam, & singularem tuũ erga me amorem. De statu tuo lætor uehemẽter, fortunamq; ita tibi esse propitiatam, ut mul-

ut multa supra uotum tibi euenire sentiam. Sanè quom hinc Venetias solueres, spe rabã te uel in excellentis Egnatij nostri, uel in magnifici Hieronymi Sauorgnani æ des migraturũ. Erat enim cõstans fama, utrumq; & literatura & liberalitate præsta re. Nũc uideo opinionẽ meam superatã. Non enim modo apud alterũ, sed apud alte rutrũ paratum tibi hospitiũ audio: quod mihi fuit iucundissimũ auditu. Et de Egna tio quidẽ aliàs diximus. Nũc uero imprimis tibi gratulor quòd apud Sauorgnanum acquiescas, quo neq; literatiorẽ, neq; literatorũ studiosiorẽ quẽquam audio in ista ur be, quẽ ego absentẽ ignotumq; amo atq; obseruo: quæ admiratio hoc maxime tẽpo re increuit huius liberalitatis ergô, quom acceperim te adeo perhumaniter ac libe raliter ab eo exceptũ, quo nomine profiteor multũ ei uelle debere. Quom itaq; tam idoneum diuersoriũ nactus sis, ne desinas obsecro, cœpta studia & labores tuos iam propè affectos ad calcẽ perducere: tum ut humanum genus promereare, tum ut glo riam tibi pares in omnẽ posteritatem. Pigmẽtarius ille qui mense superiore Celsum nuper impressum ad me attulit, quom essem in Aemylia eum luxatum pertulit: nam in eo desideratur exterior quaterniõis pars, quæ p primum atq; alterum prę se fert. Amabo te tua mihi diligentia sarcias, quod ille per negligentiã prætermisit, & de re omni ne pigeat quàm primũ me cõmonefacere. Hæc Ioanni Hieronymo meo dicta ui cubans. Bene uale.

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ S.

A LEXANDER Panninus existimauit se multo tibi gratiorẽ fore, si te stimonio meo ornatus ad te proficisceretur. Id quod non existimaui ho mini benemerenti negare oportere, quem summa probitate ac mode stia insignem, & ad recta semper studia propensum, agnoui: ut sperem eum facile morum sanctitate posse pensare, si quid forte ætatis maturi tati deest: in instituendis uero adolescentibus omnes propè annos attriuit: ut liberis planè tuis accõmodatum præceptorẽ tibi polliceri possis, sub cuius disciplina breui magnos facturi sint profectus. quantum uero carmine aut soluta oratione polleat, non putaui adscribendum: tum quòd res ipsa per se loquitur, ἰδὼ ῥόδον, ἰδὼ πάλμυαν: tum quòd tu ipse tua prudentia hoc perfacile in re præsenti, nullius etiam acceden te testimonio iudicabis. Bene uale uir magnifice, & summis tuis uirtutibus Cæ lium addictissimum puta.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

E TSI pro explorato propè habeã in tuas manus peruenisse literas quas nuperrime in lecto cubans Ioanni Hieronymo meo dictaui ad te, non tamen ob id ero cessator, nec prætermittã tuis literis respondere, quas uno quasi tempore sub eodem exemplo abs te accepi, præsertim ut ex parte leuẽ hanc solicitudinẽ, quam te uideo ualetudinis meæ causa con cepisse. Quę itaq; alijs meis literis prolixius ad te scripserã, ea nunc sub compendio accipies. Iam quartus agitur mensis, quom me uehemens & sæua admodum tertia na Fusignani inuasit: quæ quom sæuire desisset, uidererq; mihi paulo confirmatior, tum cæli mutandi tum animi causa dies aliquot Rhauennam concessi. Quom inde reuertissem: eadem me tertiana multo uehementior atq; atrocior rursus adorta est, quæ me admodum grauiter perculit. Ea res fecit, ut me Lucũ oppidum proximũ re ciperem: ubi medicorũ sed malorum maior est copia, & unde sperabam mihi seplasi am largius necessaria sumministraturã. Ea spes me fefellit: ope tamẽ summi Numi nis ita cõualui, ut redirẽ ad optata studia, & sperarẽ me Fauẽtiã & Forumliuij, & sa cerdotiũ quoddam meũ quod est apud Aureolum posse inuisere. Quod quom à me factum foret, tum sole ardentissimo adustus, tum grauiore labore quàm mecum ipse cogitaram cõfectus, in febrẽ rursus incidi, non iam tertianã, sed quotidianam: quæ quo frequentius, hoc melenius affligebat. Tum rebus iam patriæ felicius proceden tibus, & pestilentia non solũ remittente, sed propẽ extincta, mihi in urbem redeun dum putaui. Quo loco diligentia Manardi & Raphaelis Hebræi à morbo impetra tum est

tum est, ut tota ægritudinis inclementia in quartanã abiret. Quæ quo tutior est, (neminem enim iugulat) hoc longior & diuturnior esse solet, hyeme præsertim: hęc me nũc quarto quoq; die discruciat. Cętera paulo firmior sum. Nã appetentiã desideratã diu bona parte recepi: & diebus quibus mihi cũ febre inducię sunt, omnia possim propè obire munia, quæ uel ad studia uel ad rem familiarẽ pertinẽt. Quo loco status meæ ualetudinis sit, puto cumulate intellexisti. Nũc ad reliqua quæ prioribus literis tibi significauerã, accedo. Multas scribis te ad me dedisse literas: ego quom peregrè agerem, binas abs te accepi: quarũ posterior ea fuit, cui librorũ aduectorũ è Germania indicem adscripseras. E quibus libris quom multam partẽ optem, tum uelim tua diligentia actutũ Theodosianum cum ueteribus illis Iurecõsultis: & Ciceronianum illum Erasmi dialogum curari ad me. Quod si feceris, gratiã tibi immortalem debebo, impensamq; pecuniã protinus bona fide curabo tibi istic enumerari. Alphonsus Trottus eundem in te animũ præ se fert, quem semper præ se tulit: omnino ex te immortalitatem sperat. Tu cõtrà, ut uideo, potes ex eo sperare ampliora, quàm magni illi Dynastæ tibi sperãti maxima præstiterint. Globum terrenũ nostrum tibi cõmendo. Gratulor te in magnifici Hieronymi Sauorgnani ædes diuertisse, quẽ à liberalitate & literatura audio summopere cõmendari. Scripseram etiã ad te, Celsum quem proxime ad me miseras, quom essem Fusignani, dimidio quaternionis imminutum esse: eo scilicet quod sub nota p. p 2. sub numero autem 113. 114. inscribitur. opto & hoc tua mihi diligentia sarciri. Est mihi cũ Ruberto Macigno antiqua necessitudo, eius filius religionẽ adijt, ex eo tempore neq; ab homine literas neq; nũtium accepi. Quare an homo mihi coniunctissimus uiuat non uiuat: mihi est incompertissimum. Peto abs te ut in mei gratiã pigmentarium, cui insigne rosa est, in area Bartholomei adeas, ac de amico scisciteris: & quicquid de eo cõpereris, id mihi notum literis facias. Hæc fermè ad te antea scripserã, quæ incertus an literæ in tuas manus perlatę sint, repetenda existimaui. Si quid est quo possim hic tibi amorem meum testari, memineris me tibi esse addictissimum. Bene uale, & Martino nostro plurimam salutem dic meo nomine.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

QVOM se mihi obtulerit huiusce nuntij copia, qui magnifici Alphonsi Trotti nostri familiaris est, & se monachum profitetur, nolui prętermittere quin te salutarẽ his literis: significaremq; me adhuc quartana distineri, quæ tamẽ in dies mansuescit, & me lenius uexat. Nuper binas ad te dedi literas, quibus tibi morbi, qui me hactenus inclementer afflixit, scenam explicabam, quid præterea ex te optarẽ cõmonefaciebam: imprimisq; te rogabam, ut operam dares qua Ciceronianus ille Erasmi dialogus, & codex Theodosianus alijq; ueteres Iurecõsulti ad me protinus migrarent, pecuniãq; te habiturum ex Generali Cruciferorũ significabam, siquidẽ tu inopia rei pecuniariæ laborares. Nunc quando hic monachus secum pecuniã conuehit, addo ut cures præterea mihi opera Clemẽtis, & Athanasium per Erasmum traductũ. Erogabit enim monachus quantũ tu ipse dixeris: quin & ad me ut spero breui ac bona fide codices optatos referet. quòd si si priores illos coemisses quo tẽpore hæ nostræ tibi reddentur, nihil est quod dubites duos reliquos parare, atq; ad me mittere, prius diligẽter excussos, ne qua pars quaternionis sit imminuta. quicquid in eos codices expositeris, tuis literis declarabis, ut intelligã quantum mihi reluendum sit amico cuius utor benignitate. tu interim bene uale, & an Venetijs pestilentia desæuiat me certiorẽ facito. Tuas literas cupidissime expecto.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

QVIS mihi uitio uorterit, si in hoc literario mangonio mercatores fuero imitatus? qui ita auidi sunt quæstus, ita nihil uolunt deperire ex tertio, ut gratis omnino nihil datum uelint. Sed quom subducta est occasio uendendi præsenti pecunia, aut sustinendi emptorem in certam diem: tunc, ut quidam

quidam dixit, permutãt farra lupinis. Nuperrime fueras me percunctatus super atilo noſtri Padi incola. Ego id tibi reſpõdi, quod in mentem uenit, & quod piſcatorum fides approbauit: quo in genere quom nullum abs te hoſtimentũ retuliſſem, uitam mihi acerbã putabam. At nunc ſe obtulit occaſio par pari referẽdi. nam ego uiciſſim te rogo obnixiſſime, ut Maſſarij noſtri ſententiã mihi perſcribas ſuper eo piſciculo, quem Venetijs piſcatorũ uulgus donzellam ſeu domicellam uocat. eſt omnino is piſciculus ſquammis & colorum uarietate ſpectabilis, nec indignus ſuper quo Maſſarius noſter philoſophetur. Te uero mi Zieglere amabo, ne pigeat, tantulũ piſciculum tam uaſto piſce cõmutare. Adde illud quoq; ſuperpondiũ. Verba ſunt Vitruuij libro primo: Baliſtæ foramine, quod Græci περιτρητὸν uocitãt: nauibus interſcalmio quod διπηχεϊκὴ dicitur: item cæterorũ operum è membris inuenitur ſymmetriarũ ratiocinatio. Feceris mihi rem periucundam, ſi ex iſtis ſummis architectis & opificibus rei nauticæ perquiſieris, mihiq; ſignificaueris: quæ nã iſthæc interſcalmiorũ ratio, & quomodo totius nauigij dimenſio fiat ex interſcalmijs. Nam quom hoc requirerem ab his noſtratibus fabris naualibus, me paulominus ſannis excepẽrũt, quaſi ridicula petentẽ & abſurda. Da ergo mihi hanc operam Zieglere optime: & tua diligentia mihi hunc ſcrupum adime. Bene uale.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

PRIDIE eius diei quo Martinus noſter Ferrariam attigit, ego Rhodigium conceſſeram: ut expedirem tricas illas, quæ me ſæpius, ut tu optime noſti, à ſtudijs auocarunt. Sed utrũq; mihi parum auſpicatò euenit. Nam & Rhodigij ob ſummã aduerſariorum improbitatẽ nihil profeci: & interim tua uota ſuſpendi. Nam & Martinus me abſente nihil potuit abſoluere, & magnificus Alfonſus omnia in reditũ meum extraxit. Quom primum itaq; reuertiſſem, nihil prius habui quàm omnes ingenij neruos intendere, ut res tua pro ſententia perficeretur. In libellum itaq; tuum & organum ad chorographiam accommodatum tantum laudum apud magnificum Alphonſum congeſſi, ut illi certum ac perſuaſum fecerim, id opus omnibus numeris eſſe exornatum. Huic ergo tantum fauet, tantumq; ſibi de tuo placet munere, ut hoc auſpice uiuens ac ſpirans ſe immortalem factum ſuſpicetur. Tibi uero pro ſui animi teſtimonio triginta aureos trãſcribit: eodem liberalitatis genere uſurus quom integrũ ac ſolidum opus acceperit. Ipſe quidẽ apud me profeſſus eſt, ſe cõmentationes Plinianas multo propenſiore animo fuiſſe accepturũ, utpote ad quas undiq; omnes ſtudioſos aduolaturos opinetur. Nam ea quæ nuperrime miſiſti, & ſi ſuis ornamentis non careant: putat tamen ob difficultatẽ materiæ in minore ambitu fore. Cætera quæ in hanc rem ſcribi poſſent, ſcribere ſuperſedeo: quòd Martinus, qui toti negotio nõ modo interfuit, ſed etiã præfuit, cumulatius coràm omnia explicabit. Nunc accedo ad tuas literas, quę me neſcio quo pacto uel ſuo genio, uel perpetua amoris inter nos mutui teſtificatione indies magis ac magis oblectant: in his ſpem facis mihi te queſtiones noſtras ſub aduentu Maſſarij explicaturũ, id quod erit mihi gratiſſimum. Venetias omnino conſtitui, Dis bene fauentibus. Quòd ſi me cætera parum inuitẽt, certè poteſt Ziegleri mei ſuauitas me uel ſub deſerti uadimonij periculo allicere. Duos illos codices Mantini omnibus mihi numeris graphice expreſsiſti. De ſuperiore lingua Hebręa cõſcripto tuum tibi iudiciũ relinquam. Quod ad alterum pertinet, ſi hic haberi poſſet, trium quatuorúe librariorũ operam redimerẽ, qui raptiſſime uniuerſum exſcriberent, ut eſſet apud nos in perpetuo mancipio. Sed id fieri poſſe minime confido ob ſummã gentis peruicaciam, quæ noſtro generi nihil credendum putat. Tu tamen pro tua prudentia rem tentabis: tum ne tã fœcundus codex nobis pereat, tum ut globus plenior abſolutiorq; ad nos aliquando proficiſcatur. Bene uale.

ALPHONSVS TROTTVS IACOBO ZIEGLERO S.

REDDIDIT nobis Martinus optatiſſimas tuas literas & primitias chorographiæ cum organo ad chorographiam exercendam accõmodato. Quæ omnia & lætiſſimo uultu ut par fuit, & obuijs manibus excepimus

mus: eoq; nomine tibi multam gratiam habemus. Et licet commentationibus tam operosis, tãtoq; ingenio elaboratis, maxima pars cõmendationis absit authore ipso absente, cuius uiua uox posset difficili alioqui obscuritati magnam lucẽ inuehere: tamen quantum ex prima lectione collegimus, opus tuum est ad summã diligentiam exactum, multiplex, uarium, quod & in uniuersum & priuatim locorum descriptioni inseruiat. Quare nõ est quòd uerearis, ne ideo minus existimatiõis apud nos mereatur: quòd ea pars quam ad nos misisti, angusta sit totius summæ portio, & nondũ summam manũ acceperit. Nam si Phidias ex ungue totã leonis molem metiebatur, quanto nos iustius ex tam absoluto capite, reliqua quæ desunt membra metiamur? Illud sanè testatum tibi esse uolumus: ex hoc proximo gustu, nos tanto totius operis desiderio accensos esse, ut nihil uehemẽtius cupiamus, quàm ut quicquid reliquum est, id ocyssime ad nos transmittas, ne tam bello operi summus penicillus suaq; desit circumlitio. Vt autẽ intelligas nõ uerbis tantũ nos tuas lucubrationes probasse, pro hoc gustu quẽ ad nos dedisti existimauimus uicissim tibi aliquod uoluntatis nostræ specimen reponendum esse. In testimoniũ ergo nostræ erga te beneuolentiæ scutatos quinq; & uiginti accipies: quos ad te damus, quinq; etiã dedimus Martino, quib. uiarum impendia sarciantur. His interim perfrueris, dum integre ac suis omnibus numeris absolutę cõmentationes tuę ad nos proficiscantur. Nam & tunc intelliges, te ornatissimũ istud munus, neq; apud ingratum hominẽ, neq; apud ignauũ æstimatorem collocasse. Bene uale.

CÆLIVS CAL. FR. AVGVSTINO EVGVBINO S.

Q VOM dies plusculos fuissem peregre, domũ rediens optatissimas tuas literas offendi, quæ εὐφυικῶς meum mihi Eugubinum expressерunt: quando in his & uernacula ista tua humanitas eminebat, & peculiaris candor, in cęteris accersitus, in te genuinus & natiuus. Nam elegantiam & dicẽdi copiã iam in te desiuimus admirari, in quo tantus se uirtutum cumulus profert, ut cętera hæc leuiora uideantur, & accessionis loco cedant. Quantum uero putas me mihi placere, quom te hominẽ tanta authoritate, literatura, existimatione, uideo ea mihi tribuere, quæ si uel sim ambitiosissimus non agnoscam. Nam & si ea libenter amori ac pietati tuę accepta feram, non iudicio, gratulari tamen mihi iure posse uideor, quòd hanc abs te gratiam iniuerim, ut ea tibi persuadeas, quæ nisi amares immodice, tibi persuadere nõ posses. Atq; ob id fortè alij non nihil esse iudicabunt, quòd tu de me tam honorifice pronuntiaueris. Sed quos rursum aculeos admouisti, quom tu triplici lingua disertissimus, tu in toto περιεγκυκλοπαιδείας ambitu propè absolutus, tu in diuinis literis cõsummatissimus, tãto tamen studiorum desiderio tenearis, ut honores ac dignitates omnes in eorum gratiam respuas, & unam cum literatis deambulatiunculam omnibus magistratibus præferas.

O te felicem Augustine, cui neq; humanarum rerum uicissitudo, neq; fortunæ uis, neq; hominum opinio potuit labeculã aspergere, ut harum rerum quas cæteri maximas atq; optimas putant, desiderio in transuersum rapiare. Bene uale.

Ferraria.

CAELII CALCAGNINI EPISTO-
LARVM LIBER XI.

CÆLIVS CAL. IVLIANO NASELLO S.

I LITERÆ amicorũ & familiarium in manus tuas pe-
uenerunt, quæ te cõmonefecerint de aduerſa ualetudine,
quę me tertio poſtquã à nobis abiſti die, grauiter percu-
lit. In qua ego profecto nihil unquã reformidaui, uel mor
S bi magnitudine obrutus, uel quòd diuturna meditatione
mihi ita perſuaſerim: nihil homini à Dis immortalibus da
ri poſſe morte accõmodatius, quæ nos tandẽ incredibili
& incõparabili beneficio afficiat, & ex hac mole calami-
tatum in libertatẽ aliquando uendicet. Hæc mecũ aſsidue
tractando, & in amicorũ colloquia ſæpe reuocando, illud mihi uideor aſſecutus, ut
quom ſupremus ille dies aduenerit, qui depoſitum repetat: minime ſim tergiuerſatu
rus, ſed lubens ac uolens me ad publicũ uadimonium ſiſtam, eam diem finem malo-
rum omniũ, bonorum omniũ principiũ fore certũ habens. Ex his facile potes intel-
ligere quàm parum medicis me debere putem, quorũ diligentia & aſſiduitate in gra
dum priſtinæ ualetudinis redierim. Morbi cauſa, quod mireris, non admodum gra-
uis, ex cruditate ſcilicet cõtracta. Apud nepotulos meos fuerã in prandio: nec me ſa
nè adeo indulgenter acceperã, ſed epularum uarietas potuit ſtomachum interpella-
re. Nam ueſperi quom eſſent apud me hoſpites quidam bene literati, qui ex Neapo
li Venetias traiiciebant, inde Cæſarẽ ſubſecuturi in Germaniam: intelligebã me pa
rum idoneum conuiuio, ſed maluí me mihi & ſtomacho uim afferre, quàm homines
mei amantiſſimos parum liberaliter excipere. Illud tamen à me impetrauerã, quom
menſæ accubuiſſem, ut ſpectator eſſem potius quàm conuiua. Sed ita fatum fuerat,
ut non effugerẽ quin me nocte ſequenti febris ardentiſſima corriperet, quę ſolidum
triduũ non intermiſit. In hoc autẽ noſtro corpuſculo proximis cladibus totiens affli
cto, quantũ noxæ acceptum ſit, tu tecũ multo melius cogitare potes quàm ego per-
ſcribere. Illud tamen mirari non deſino, me ad tot plagas inuictum, obſtrepentibus
undecunq; ſecuribus, breuem hunc ſpiritũ, nec multo impulſu exhalaturum adhuc
retinere: quom munitiſſimę arces multo paucioribus ictibus acciſę uix ſe poſſint diu
tius ſuſtinere. Suſtineo ego me tamen: &, quod omnes mirẽtur, decretorio quarto-
decimo die omnis uis morbi exoleuit. Poſtridie eius diei hęc ad te ſcripſi, & meo qui
dem chirographo: ut ſiquid moleſtię aduerſo nuntio cõceperas, illud quamprimum
exuas atq; in lætitiã obuertas: &, quod ſpero tibi fore gratiſſimũ, non alieno teſtimo
nio, ſed meo ipſo confidas. Bene uale. Nonis Maij. M. D. XXX. Ferrariæ.

CÆLIVS CAL. FR. AVGVSTINO EVGVBINO S.

S T uerò quod mihi plurimũ gratuler hanc meam mihi deſidiam tam
feliciter cedere: quom ego uel aduerſa ualetudine conflictatus, uel mo
E le occupationum auocatus, iam diu taceam, nõ ſine iactura mutuæ in-
ter nos beneuolentiæ. quæ licet nullo incommodo temporis conuelli,
ac ne labefactari quidem poſſit: tamen neſcio quomodo diuturna hac
taciturnitate flacceſcit, & priſtinũ illũ uigorẽ amittit: niſi tu quæ tua humanitas eſt,
tam religioſe atq; amanter mei memoriam retineas, ut ultro etiã ſæpe ſcripſeris atq;
ſalutaueris, nunc demum colophonẽ addideris. Quo enim alio iuſtius nomine com
mentarios tuos dixerim? quibus Platonicorũ ſententias in diſquiſitionẽ uocas. hos
ego cupide & obuijs excepi manibus, tum ut tua perfruerer ſuauitate, qua mihi ni-
hil optatius offerri poteſt: tum quòd bonã mihi frugem ex ijs large pollicear, perſua
ſumq; habeam, me ab ea lectione multo doctiorẽ abiturum. Cæterum non eſt quòd
mihi grauis interpellator occurras, neq; in perendinũ uaderis. Nam quom adeò tui
cõmentarij apud te adoleuerint, pluſculis diebus opus eſt ut eorum mundum orna-
mentaq;

mentaq; omnia recognoscã: præsertim quom tu à me hoc exigas, ut inter legendum quicquid mihi in mentẽ uenerit, seorsum in pagellam trãscribam. Ea quoq; accedit iusta moræ causa, quòd dum catharticis quæro omnes reliquias superioris ægritudinis detergere: medici sub interminatione salutis interdixerunt, ne me grauiore aut planè seria lectione obstringam. Quare tantisper tibi sustinendum est, dum medicis dicam longũ ualere. Tum uero illud accurate agã, quod peregre proficiscentes consueuerunt: qui quom paulo serius matutino surrexerunt, properando tamẽ atq; iter urgendo tempestiue eò perueniunt, quò animũ induxerunt. Bene uale, & illud exploratũ habeto, te nullum certius tui animi testimoniũ quàm hosce cõmentarios ad me mittere potuisse, utpote quos planè eruditiõis Platonicæ thesauros appellandos existimem. Ornatissimo Sebastiano nostro multam salutẽ nuntio. Nonis Maij. M. D. XXX. Ferraria.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

QVOD nihil abs te literarum acceperim post discessum Martini, me in suspicionẽ adducit: tibi, quod nolim, aliquã perturbationem accidisse. Nam ut te noui impigerrimum in scribendo: ita certum habeo te protinus scripturum fuisse, nisi quippiam præter expectationem, tuam diligentiam interpellasset. Literæ quas hoc eodem fasciculo accipies: allatæ sunt, ut familiares mei mihi dixerunt, à Germano quodam: qui impense rogauit, ut ad te ocyssime ac fideliter mitterentur. Esse enim in rem tuam, magniq; negotij literas. Quare opto imprimis, ut ad te omni mora abdicata incolumes perferant. Bene uale.

CÆLIVS CAL. FR. AVGVSTINO EVGVBINO S.

ÆTERIS propè, qui diu literas amicorum expectarunt, hoc solet accidere, ut quo rariores eas accipiunt, hoc etiam suauiores uideantur. At me diuersus quidam tenet affectus. Quo enim rarius ab amicis ad me literæ proficiscuntur, ab ijs præsertim, quorum ego literas tanti facio, ut eas inter pretiosa munera & emblemata magis quàm inter literas reponendas censeam: hæ inquam quo rarius ad me ueniunt, quo diutius exoptantur, hoc me aduenientes grauius afficiunt: utpote quæ me admoneant quanto amicitiæ fructu ad eam diem sim defraudatus, quantum mihi interea suauitatis literariæ sit ademptum. Quæ res efficit, ut etiam in posterum maiore quodam studio amicorum diligentiam requiram in scribendo. Hoc cum aliàs, tum proxime intellexi mihi euenire, quom tuas mellitissimas literas excepissem. Nam præter genium illum florẽtissimum ac tibi semper familiarem, qui me in admirationem tuarum plerunq; uirtutum erigit: qui tam commode tot disciplinarum cognitionem summæ eloquentiæ cumulauerit: accessit singulare testimonium tui in me amoris, quòd ita aduersa mea ualetudine permouebare, ac si tu fuisses in hac alea. Videbar enim mihi uidere tuos absentis affectus, animumq; istum atroci nuntio perculsum. Irritarunt autẽ hoc desideriũ meum, & locupletiorem significationẽ tuæ erga me uoluntatis mihi attulerunt, præclaræ illæ & felici adeò breuitate conscriptæ annotationes tuæ in quinq; libros Mosis: quas quom audissem typis exprimi, earum tenebar incredibili desiderio. Erat enim mihi persuasum, nihil abs te, ceu ab officina præstantissimarũ omnium artium, non delectũ atq; eximiũ prodire posse. Sed ingenue rem fatebor, & si ego magna cõcepissem, tui tamẽ cõmentarij & rerum ubertate, & iudicio Hebraicę dialecti, ad quod LXX. illos interpretes & superiores scriptores prouocas: & exquisita illa elegãtia, quam uix sacræ literæ capiunt, longe longe inquã opinionem meam superarũt. quo mihi fuit durius cœptam & properatã à me lectionem in ipso limine auelli è manibus. Ita enim uenerabilis pater Seuerinus noster Bononiã festinans imperabat. Erat autẽ imperium Manlianũ, neq; erat ab eo prouocatio. Vix ergo Genesim potui ad calcẽ usq; deuorare, quom me quasi Tãtalum uix delibata illa suauitas destituit. Ob id igitur nũc ardeo uehementius, ut proprius ac priuatus codex ad me

ocyssime mittatur, quo possim frui sine interpellatore. Tua quidē humanitas debuit hanc meā postulationem præuertere. quod quom abs te factum non sit, necesse est nunc me bene ac nauiter esse impudentē. cæterum quòd illud quoq; tuis in me meritis superpondiū inieceris, & tam honorificam de me mentionē in tuis monumentis habueris, ut me propè donatum immortalitate abs te iudicem: tāto uberiorē gratiam habeo, quāto liberalius, id est nullo meo id merito factū agnosco. nec enim mihi licet quod Pindaro, qui laudatorē suum ita remuneratus dicitur: κἀγώσοι χάριν ἀπ δίδωμι, ποιῶ γάρσε ἀληθεύειν. At ego tuo id testimonio lucrifaciā, ut me nonnulli fortasse talem existiment, qualem tu uir magnæ literaturæ exactæq; censuræ tuis coloribus exornaueris: fietq; illud memorabile, ut qui de meis dotibus non placeā, de tuo incipiam placere penicillo. Bene uale uir doctissime, & tuas mihi delicias amabo protinus impartire.

CÆLIVS CAL. FR. SEBASTIANO S.

HOC scilicet deerat tuis in me officijs Sebastiane ornatissime, ut tua iactura Bibliothecā meā locupletares, teq; studiorum tuorū supellectile defraudares, ut me instructiorē faceres. Et ego ille qui te semper ad capessenda animi ornamenta, & cōparandū animi cultum hortatus sum: nunc omnium primus ea tibi adimam instrumenta quæ tuos possunt profectus plurimū adiuuare. Neq; hoc dixerim quòd tua liberalitas mihi fuerit parū iucunda, aut tuum munus non fuerit mihi gratissimū, idq; obuijs manibus non exceperim: sed quòd impudentia mea uix ipsi mihi uideatur perferenda. quam hac una ratione redimēdam duxi, ut quom primū codex ille rursus è Germania ad nos commeauerit, tuum istud dispendium tibi protinus meo ære sarciatur. Quod ut curetur quàm diligētissime, uenerabilis Seuerini nostri fidem pacta etiā sponsione oppigneraui. Quod ni fecerit: facturum autē puto: ego qui propediem spero me Venetias affuturū, id præsens accurateq; faciam nō sine fœnore: ut eo pensetur, siquid tibi commodi interim mora temporis interceperit. Quod uero scribis te multum diuq; dubitasse, quo orationis genere in scribēdo uterere: per me quidē tibi utroq; uti licebat, ceu qui animum spectē magis quàm literarum speciē. Alioqui in mutua amicitia nihil obstrictum esse uolo ad certam rationē, quæ sine piaculo prætermitti non possit. Sit ergo tibi cæterisq; amicis integrum metiri ex suo commodo, qua dicendi forma literas conscribant. Nam uernacula sit, an adscita ex ueterum libris, non multum refert ad amicitiam: ad elegantiā uero permultum. Ego profecto tuarum literarū phrasin ita sum amplexatus, ut ad earū cultum nihil propè mihi deesse uideatur. Ob id te rogare hortariq; nō desinam, ut felicē hunc in scribendo geniū colas, in hoc te exerceas & assidue meditere. Ita enim fiet ut breui in utroq; dicendi genere par inueniare: tantundemq; laboris subeas, quom ex triuio & miscellanea turba, quantum si uerba ex antiquis conditoribus selegeris. Nam Fabio etiā auctore, diuturnæ exercitationis præmium est, subitariā sibi ad dicendum facultatē comparare. Bene uale mi frater suauissime, & fac ut crebro tuas literas accipiam. Reuerendos patres antistites collegij uestri saluta meo nomine, atq; ijs me plurimum cōmenda.

CÆLIVS CAL. FR. AVGVST. EVGVBINO S.

CLEMENTER tu quidem facis ac perhumanè Augustine doctissime, qui desidiam ac negligentiam meam in scribendo redimis, nunc curarum mole, nunc reliquijs superioris morbi cū quo sit mihi adhuc conflictandum: Agnosco hinc scilicet quanta sit tua in me bonitas, quàm indulgēter mecum agas: qui quom iure optimo possis me in iudicium uocare, & grandem mihi dicam (ut ille inquit) impingere: tantum abest ut id facias, ut ultro etiam meæ causæ patrocinium suscipias: tuisq; suauissimis literis confitentem reum absoluas, exornes etiam testimonio tuo: easq; in me cōgeras laudes, quas neq; in summo ambitu agnoscam, neq; in summa petulātia admittam. at tu mecum tantum laudum prodigis, quom sis laudum omnium fœcundissimus: sintq; illæ tibi non

bi non peregre conquirendæ, sed domi atq; adeò in sinu tuo succrescant: quas protinus quom lubet ex animi & ingenij tui thesauris depromas. Nam propè uerũ est Græcorũ illud, ἔχων πολὺ πεπερέος καὶ ἐν λαχάνοις τίθησι. Esse autem tibi meas epistolas in delicijs, easq; frequenter abs te relegi, tibi uiro optimo & ab omni palpo lõgè alieno, facile fidem habeo: atq; eo nomine mihi gratulor. Nõ quòd me ob id aliquid esse putem: nam mea mihi supellex planè perspectissima est: sed quòd hoc mihi certissimum sit tui in me amoris indicium. τῷ γὰρ ἔρωτι τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. Cæterum si tardus sum atq; adeo cessator in scribẽdo, certè in te amando colendoq;, non est quisquam, cui lampada cesserim. Sicut enim tuæ in dies uirtutes illustriores lucu lentioresq; prodeunt: sic ego in dies magis ac magis in tui admirationem succendor. Id quod mihi nuper cõtigit: quom defensionem tuam aduersus accusationem Erasmi nostri recognoscerem. Quam inuitus, fateor, legi. nam & te nullo tuo merito traduci, & ad eam necessitatem adigi, ut aduersus doctissimum atq; amicissimum hominem stylum stringeres, dolui uehementer. Illud quoq; mihi præter meam consuetudinẽ sumpsi, ut in alieno libello essem ingeniosus. adnixus enim sum quædam mollire: & si qua paulò duriora uidebantur, studui nunc epithetis, nunc præfationibus, exceptionibusq; προεπιπλήττειν. hoc enim ad modestiam tuam pertinere arbitrabar, si quæ abs te proficiscerentur, mitissimum ingenium tuum resiperẽt. Nam, si prouocatus, iustam irascendi causam possis fortasse prætendere: sed sibi imperare, ac se continere, quom faces admoueantur, hoc deniq; est perspectam grauitatem ac constantiam tueri. Sed enim te in Erasmum hoc æquiorem esse oportet, quòd uir eminentissimus, non uitio sed fato potius quodam ad contentiones & digladiationes proritari solet. Super qua re quom aliquando hominem meo iudicio me multo sapientiorẽ admonuerim: sinit tamen ille se suo impetu rapi, & genio suo quàm fidelissimis amicorum hortationibus audiens esse mauult: ob id dignus ut hæc eius iracundia dissimuletur magis quàm coarguatur. Libros autẽ tuos In academiæ paralogistas cupidissime legi: fateorq; tibi multũ debere, qui ignota mihi atq; antea inaudita dogmata aliquot retexeris. In ijs omnino optauerim paulo acriorem dialecticum quàm oratorem agas. In eos enim pugnas, qui neq; uolsellis neq; Samnitum hastis deterreri possunt: contis trabalibus & pilis syllogisticis opus est ut loco moueantur & corruant. Annotatiunculas seorsum in pagella adscriptas nõ mitto, quòd eas exscribi oporteat. Sunt enim dimidiatæ atq; interlitæ: nec tantũ mihi ocij suppetit, ut hoc tẽpore id facere possim. Dabo operam ut q̃ ocyssime fieri possit (nec enim admodum multæ, nec multi negocij sunt) ad te ueniant. Interea me amabis, persuadebisq;, tuis literis tuisq; lucubrationibus mihi nihil esse posse iucundius, quas in medio Musarum sacrario ipsaq; æternitatis ara consecratas suspicio. Bene uale.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

D I bene faciant illustrissimæ huic longe inter fœminas clarissimæ principi, eiusq; matronas & uirgines fortunent, quòd tibi uiro tã bene merenti liberaliter non selecta modo munera, sed & pecuniam identidem sumministrent. Id quod pro amplitudine fortunæ possunt efficere, pro egregia autem in bonos uoluntate libenter efficiunt. Audiueram ego id antea, nunc uero locupletissimo tuo testimonio significatum, ita me gaudio perfudit: ut tibi gratulari tuamq; uicẽ celebrare non desinam, quod te aliquando deorum benignitas hilariter respexerit. illud insuper precor, ut hoc erga te beneficium constans esse uelint ac diuturnum. Quod ad inopem & exanguẽ penum meum attinet, qualis qualis ille sit, scito eum tibi neq; hactenus pręcisum, neq; in posterũ unquam fore. Di faxint, ut tu quidem eo nunquã indigeas, lautioraq; indies tua tibi uota procedant. Cæterũ eadem mens, idem studium, eadem in te animi inductio manet, quę olim fuit: neq; quicquã unquam frustra desiderabis, quod in mea sit facultate constitutum: tantum abest ut de camera & cubili, quod nunc tenes, quicquam precandum putes. Tibi integrum est eo uti quantum & quamdiu uoles. quod si feceris, non te accepisse beneficiũ putato, sed dedisse. De curatione aũt tua ad quam te hortabar,

facies tu quidem ex tua sentẽtia. Mihi enim pergratũ fuerit reliquisse apud te testatum, quid ego sentiam, & quid ex me in tuæ salutis præsidiũ expectare possis, ut si quãdo tui te consilij pertęsum fuerit, possis mei meminisse. Bene uale, & me ama.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

QVOD morbus qui te pridem grauiter infestat, aliqua parte, ut scribis, desæuierit, audiui summa animi æquitate. quòd coxa & neruus nõ facile restitui possint, hoc uerò me habet permoleſtũ. Teq; hortor ac rogo, ut omni studio ac diligẽtia in eam curam incumbas, ut quamprimũ pristina firmitas tibi restituatur. Sunt enim hæc morbi genera eo ingenio, ut uexata recrudescant, & uetustescentia curationẽ propè nõ recipiant. Et licet audiuerim tibi large omnia ex curia principis Ireneę suppeditari, ut angustis fortunis meis parũ indigere uideare: tamen pro summa beneuolentia, qua te ac uirtutes tuas colo, res omnes meas tibi liberaliter & summa uoluntate offero, quo nihil prætermittas, ut planè salutẽ assequare. Nam quæcunq; medici dixerint in eam rem fore opportuna, ea tibi ære meo uolens ac lubens parabo. Et quod ad cætera cõmoda tua pertinet, nihil à me tui amantissimo: quatenus fortunæ meæ patientur, frustra desiderabis. Quare magno & excelso animo tuæ salutis curã capessas, neq; impendijs deterreare: quorum ego onus non inuitus sum subiturus. Tu uoluntatẽ tuam & quicquid constitueris perscribe, & me ama.

CÆLIVS CAL. LVDOVICO PARISETTO S.

MVLTVM debeo Prospero Auriniano uir clarissime, qui mihi primũ tuas delicias legendas obtulit. Quibus mihi planè testatum fecit, quanta tua sit eruditio, quãta in scribẽdo facultas, seu tu uorsam seu tu prorsam orationem aggrediare. putabã ego eum tam grato officio perfunctum omnes humanitatis partes impleuisse: nullamq; ad eas accessionem posse fieri. Sed postquã tuas literas accepi, longe mihi iucundissimas, tantũ uideo cumulũ ad pristinũ illud officium accessisse, ut nullo grati animi testimonio uidear mihi tam eximiã hominis diligentiam posse emereri. Primo enim propè ostendebat raras ingenij tui opes, quibus in tui amorẽ eram planè succensus: nunc uero tui prorsus mihi copiam fecit: & ut iam cõminus mutuus inter nos amor congraderetur, effecit. Quãti ergo putas me hoc munus æstimare? quo factum est ut tuã, hoc est uiri clarissimi beneuolentiã inirem. Opto itaq; mihi aliquando occasionẽ dari, ut hunc animũ erga te meum tui cupidissimũ atq; amantissimum tibi approbarem. Id quod ego profecto sum facturus, si quãdo tu mihi ad eam rem feneſtrã aperueris, id est tẽpus locumq; indicaueris, quo id cõmode facere possim. quare tu te tibi de me iã planè potes uir doctissime omnia polliceri. Ea enim est mea de te ac de tua uirtute opinio, ut nihil sit tã amplum tamq; illustre, quod ego nõ existimẽ me iure optimo tibi debere. quòd si quãdo mihi licebit tibi aliquã huiusce meæ uoluntatis significationem præbere, tum ego me non dedisse, sed accepisse locupletissmum beneficium putabo. Bene uale.

CÆLIVS CAL. RICARDO CROCO S.

QVARTO post die quàm à nobis discessisti, in Rodiginã peninsulã me recepi, ut si qua possem ratione deciderem super controuersia peruetera, quæ mihi est cum patricio Veneto ex hæreditate gentilitia, quam anno ab hinc quinto creuerã. Eã rem longe difficiliorẽ offendi quàm antea existimauerã. Quare iam dies multos luctor in hac molestissima harena: id uero mihi accidit insolentia & gratia aduersarij, cui iudex alioqui indulgentissimus fauet immodice. Non tamen despondi animũ quin aliquid cõficere possim priusquam hinc abeam. Interim dum uanissimis his curis auocor à melioribus consilijs, superuenerunt mihi literæ tuæ omnium optatissimæ, uenerabilis patris Severini diligẽtia ad me transmissæ: quas obuius excepi, & propensissimo animo sum exoscu

exoſculatus, utpote mirifice tua ſuauitate recreatus. Gratias uero tibi ago maximas, quòd libros quos optabam mihi curaueris diligentia & ſedulitate incredibili. Reliquum eſt, ut des operam ut tutò ad me perferantur. Ea in re non eſt quod multum labores. Qua enim eſt bonitate Seuerinus noſter officioſiſsime procurabit, ut ij incolumes ad me ueniant. Id quod commodiſsime facere poterit, quom princeps Ferrarienſis reditum apparabit: in cuius comitatu ſunt aliquot familiares mei, qui ſumma animi inductione hoc perficient. Cæterũ pecunia quam impendiſti mea cauſa, protinus bona fide ad te ibit, quom mihi ſignificaueris, cui & quo loco tutò enumerari poſsit. Dioſcoridem illum Germanũ pulcherrime ut ſcribis accuratũ non prius uelim ad me mitti, quàm certum habeã quid amplius euariet aut præſtet cæteris, qui plurimi ad hanc diem publicũ acceperunt. Id cõmode feceris, ſi quẽ præfert in fronte titulum ad me tranſcripſeris. Prioribus literis à me petis, ut imprimis enitar, quo tabellioni tabulæ illę exprimãtur quas tibi dolo malo interuerterat. Perſuaſiſsimum habeas uelim, me neq; authoritate neq; pollicitationibus defuturũ, & ſi ego uix putem quicquam hoc tempore poſſe confici. Noſtri enim populares oppido quàm meticuloſi ſunt. Ita enim fermè comparatũ eſt, ut reguli iſti minorum gẽtium acerbius quàm magni illi reges ulciſcantur, ſiquid aduerſum eorum uoluntatẽ admiſſum ſit. Spero tamẽ nos omnia pro ſententia conſecuturos, quom primũ Cęſar cauſam Mutinenſem dijudicauerit. Quippe ut uideo hæc nobis prægrauis aduerſaria eſt. Nõ tamen uelim putes me hanc deſidiæ meæ quaſi προφασιν prætendere, quando eo ingenio natus ſum, ut ingenue profitear quicquid mihi in mentẽ uenit, amicoſq; admoneam quid eorum rationibus prodeſſe aut obeſſe poſſit. Ego profecto nihil prætermittam, quo ſemel obſtrictã fidem reluam. Tum ſi quid opinione felicius obtigerit, id omne iure imputabitatur lucro. Quis autẽ procuratori principis rem noſtrã prodiderit, facilius coniectura quàm teſtimonio conſequi poſſumus. Ego certè in eã ſuſpicionem inclino, ut ueſter ille orator Britannus, qui tam belle calamitatem Romanam deplorabat, rem patefecerit, & interceſsionẽ procurauerit: quod ei facile fuit, quom regulus noſter hoc tempore quo iure quaq; iniuria Cæſaris gratiam colligat. Cõmentationes uero noſtras, quom primũ in patriã rediuero, & aliquid ocij nactus fuero, accuratiſsime urgebo, ut maximo clariſsimoq; noſtri æui regi fidem & obſeruantiã meam approbem quàm ocyſsime. Quod autẽ petis, ut conſultationibus in eam rem habitis, quas te miſſurum ſcripſiſti, à doctoribus collegis meis ſubſcribatur, confido me id facile ſub ſponſione pecuniaria conſecuturũ. Proinde quod huc pertinet, in utranq; aurem dormias licet. Quòd poſterioribus literis, quas omni amœnitate ingenij excoluiſti, mihi operam tuam amanter & iucũde polliceris, facis tu quidem rem tibi conſuetã ac peculiarem, mihiq; longe antea perſpectã: pro qua tibi lubẽs multam gratiã teſtarer, niſi pridem omne Gratiarũ myrotheciũ abſumpſiſſem. Tu uero exploratum habeto, me ita tibi eſſe obæratũ atq; addictum: ut iam nihil ſit mihi in meo mancipio reliquum: certè in eam rem incumbã omni ſtudio, ut quam de me opinionẽ concepiſti, eam ſuſtineam, indieſq; auctiorẽ reddam. tu interim gratiã mihi regiã, cuius propè ambitu ac deſiderio ardeo, ſtudioſe ac reuerenter concilia: ego uiciſsim non deſinam eam curam, aſsiduitate, omniq; obſequentiſsimi animi teſtimonio emereri. Bene uale.

CÆLIVS CAL. RICARDO CROCO S.

Si in his literis chirographũ meum non agnoueris, non eſt quod mireris: nam tuus nuntius me in lecto cubantem deprehendit ex febricula, quam inclemẽtia cæli Rhodigini mihi male cõciliauit. Hanc ſpero me pertinaci inedia, quam ego ſponte mihi indixi, facile poſſe diſcutere. Id quod & in tuam gratiã & boni ominis cauſa dictum uelim. De oratore Caſali ne uerbum quidẽ auditum erat apud me, tantum abeſt ut quicquã cum collegio confectum putes. Quom primũ literas tuas legi, incidi in ſuſpicionẽ ne me abſente atq; adeo rerum ignaro quicquã tranſactum foret. Proinde ad eum qui primus eſt à ſecretis apud hunc principẽ, ſciſcitatum miſi protinus, ecquid ea in re con-

tigísset. Is mihi in hæc planè uerba respõdit. Pridie eius diei, quo illustrísimus princeps Venetijs redijt, hic fuit, non orator Angliæ, sed eius frater oratoris nomine, idem cum magnifico factore sermonẽ habuit, cui cõmode uerbis satisfactum est: discessitq; eo animo ne hoc tempore cum collegio quicquã tẽtet, sed aptiora tempora expectet. Idem se recepit bona opera apud maiestatẽ regiam perfuncturũ, ne ea causa in nostrum principem quicquã indignationis concipiat. Hæc ille hactenus. Quare non est quod uerearis tibi bolum rapi, tuosq; labores ab alio occupari. Quocunq; enim ego loco fuero, pro captu ingenij & fortunę fidíssimus regię amplitudinis assertor, & tuæ dignitatis defensor aderit. Sed planè omnia quæ huc spectant, cessent hoc tẽpore necesse est: quod alias ad te scripsi. Nam dũ negocíũ Mutinẽse sub arbitratu Cæsaris pendet, nihil est quod hoc loco speremus. At ubi dies arbitratus cesserit, quę in proximũ Natalẽ domini profertur, tunc omnia digito uno & quidem primore, nisi me fallant omnia, promouebimus, quæ nunc frustra omni conatu impellimus. De cõmẽtatione uel consultatione, pro qua iam non semel fidem obstrinxi, agam ex fide, quom primũ Di feliciter aspiraverint, & fuero ego ipse mihi restitutus. Accepi cõsilium ex nũtio tuo, cui dabo operã, quom per uires licebit, ut subscribat. Quòd autographas meas ad inuictíssimũ iuxtà & doctíssimũ regẽ dederis, sanè erubui quom tuas legerẽ, uereorq; ne tanquam sorex, ut ille inquit, meomet indicio pereã. Certè nisi fidei & obsequentis animi testificatio nobis fuerit patrocinata, non est quòd aliũde aut tu tuo testimonio, aut ego meis literis fauorẽ impetrari posse iudicẽ. Permolestum mihi fuit quòd de librorũ precio nihil scripseris, & ne illud quidem, cui libros mihi perferendos curaueris. Quare amabo, me exime ex hoc fluctu, & fac ut tuum mihi solidum beneficiũ constet. Illud quoq; ne pigeat significare, quo loco sis proximã hyemem acturus. Literas tuas Seuerino monacho officioſíssimo recte credideris. Vale, & me ama tui studioſíssimum atq; amantíssimum.

CÆLIVS CAL. RICARDO CROCO S.

INAS abs te uir magnifice sub eodem tenore accepi literas, quas mihi nuntius tuus huius ipsius negocij causa missus rettulit. Eum protinus ad te remittendũ existimaui, tum quòd ipse sibi festinandũ præ se
B ferebat, utpote qui tibi ab amico in hanc rem fuerit accõmodatus: tum quòd ea quę petis, non tam repente possunt à me explicari. Nunquam autẽ mihi defuturi sunt nuntij qui literas meas ad Seuerinum monachũ perferant. Nec Seuerinus desideraturus unquã est tabellarios qui Patauium cõmeent. Ad hoc accedit, quòd ego adhuc planè infirmus, & nondum à proxima ualetudine reparatis uiribus, rebus agendis parũ sum accõmodatus: quæ res, uel me tacente, potest inertiæ meæ apud te tam æquũ imprimis iudicẽ patrocinari. Quod ad discessum protonotarij Casalis attinet, nuntium Bononiam destinabo, atq; operã dabo, ut quàm ocyssime rem totam exploratã habeas. Sanè qui sit Hieronymus Preuidellus, & an homo natus sit, ignotũ habeo. neq; ob id tamen desinam tuæ morẽ gerere uoluntati. De subscriptionibus singulorũ & uniuersi collegij iudicio, aliàs abunde ad te sententiam meã perscripsi. At tu nimiũ properas, & adhuc tibi messis in herba est. Non est quòd eandem κράμβην totiens repetã. Vt subscriptiones illas impetremus à collegis meis, non mea magis opus est incolumitate, q̃ ingenio ac dexteritate. Ad hæc certum habeas, non eos magis auri & quæstus amore rapi, quàm ferulæ & supplicij timore absterreri. Illud quoq; in animũ inducas uelim, nobis lõge aliam rationẽ Patauij, longe aliã Ferrarię iniri oportere. Illic scilicet à priuatis quibusdam turbas, hic ab eo qui summã habet uitæ & necis potestatẽ periculum imminere. Quare ad occasionis articulos prouocandum est: ea duce nihil non arduum & operosum licet, facile cõfici posse cõfido. Quod alteris literis scribis, doctores nostros subscripsisse consilio Marci Mantuæ, sanè ut id incertũ habeo, ita à uero lõge abesse puto. Noui ego mores nostratiũ, eorum præsertim qui in albo collegij adscripti sunt: quorum nemo non indigena est, fortunasq; habet sub nouacula. Nõ puto eos usq; adeo sui immemores ut insaniãt. Pergratũ mihi fecisses si eorũ nomina significasses, ut potuissem tibi ali-

tibi aliquid compertius respondere. Cæterum tu bono animo esto, neq; tibi hanc palmam à quoquam præreptum iri posse persuasissimum habeto. Quicunq; emissarij Casalis aduenerint, non dubito eos oleum & operam frustraturos. Quom nuperrime adhuc decumbēs cum tabellione, qui tabulas Theologorum è tuo penè sinu abstulit, uerba facerem: hortarerq; ut tanto regi tam honesta in re obsecūdaret: tum ego pręsentem pecuniam porrigerem: propè deflens respondit, se iniquam cau sam fouere, sed necessitate ad id facinus impulsum esse. Se esse præterea ea fortuna quæ minime pecuniam regiam aspernari deberet, sed se non ita esse stipitem, ut spe & inuitamento uel amplissimæ mercedis capitis & fortunarum periclitari uellet: præsertim quom hi qui iure principis ὀφθαλμοὶ καὶ ὦτα nuncupari possunt, tam acute omnia circunspiciant, totq; habeant Corycæos. Cuius rei exemplum addidit, quòd quom nuper frater ille Casalis oratoris aduenisset, protinus agminatim factoris nuntij adfuerunt, præmonentes nequid per imprudentiam aut quæstus gratia admitteret, quod principem offenderet. Quare ut iterum atq; iterum idem repetam, non est nobis properandum. Nam sat est cito, si sat bene: ut ueteri testatum est prouerbio. Libri abs te coempti opera Seuerini bona fide ad nos peruenerunt incolumes, ea ex re tibi ingentem gratiam profiteor. Sed heus tu, nihil de precio adscripsisti, fac per Musas ut sciam quantū tibi debeam: ne si cæteri conticuerint, ego me ipsum quasi æruscatorē coarguam. De opere Raphaelis Comēsis accurate agā quod scribis, sed quid Florianus ea in re prodesse possit, non uideo: quid obesse possit, uideo. Quare tua bona uenia, in tāta spe salutis ad periculosa remedia nō perfugiam. Bene uale, & in ijs quæ hic agi possunt, ut Cælio tuo, non summæ prudentiæ, sed singularis fidei amico plusquā alteri cuiquam credas rogo. Dum hæc dictarem librario meo, putaui non ab re futurum, si ex eo qui est ab aure principis uiro docto & summa beneuolentia mihi coniuncto exquirerē, an de Casalis discessu quippiam comperisset. Is mihi renūtiari iussit, nihil se habere cōpertū. Sed ex Floriano qui res Bononiēses probe callet, ceu qui est in familia Campegij, facile me omnia resciturum. summisi hominē qui percunctaretur. Respondit Florianus, neq; eum abiuisse, neq; esse abiturum, mirariq; unde is rumor increbuisset. Hoc te scire uolui, nō tamen ob id ego minus ero impiger, quin rem ex Bononia per certum nuntium explorem, & quicquid fuerit exploratū tibi significem. Operæ pretiū feceris, si uenerandum Seuerinum cōmonueris, quem in locum meas ad te literas dirigat. Dioscoridem cuius titulum misisti ad me, puto non inutilem quē coemas & ad me mittas. accedat is tuis in me officijs cumulus. Rursus uale.

CÆLIVS CAL. RICARDO CROCO S.

BONONIA redijt nuntius meus: is mihi nuntiat, neq; Casalē oratorem neq; fratrem in Britanniā concessisse, & adhuc Bononiæ subsistere: & quom diligenter quantū fieri potest omnia rimaretur, accepisse Guronum nescio quē Britannum à Casali ad regem destinatū: eumq; pleno passu Britanniam petere. Eius itineris causam non comperisse, quòd multo silentio arcana illa consilia ab hominum auribus subducantur. hæc ille. Cæterum ego quamuis adhuc me domi contineā, & colligendis uiribus adhuc studeam, atq; hoc sim minus æger quòd non decumbo: à Vincentio tamen illo Prædicatorij ordinis impetraui, ut ad me iret. Tum actis longis sermonis fundamētis in eam orationem descendi, an Rhaphaelem Comensem cognosceret, an hominis doctrinam haberet perspectam, an aliquod ingenij illius monumentū legisset, denicq; quid illud foret quod in causa regia perscripsisset. Tum Vincentius non hęc modo sibi ignota, sed illud quoq; sanctissime pernegauit: se de Rhaphaele quicquam certum habere, neq; scire an albus an ater homo natus foret. Quid facerē? alias fidiculas admouere nō potui. Cum Franciscano illo Theologicæ facultatis Decano nullū est mihi commercium, neq; uel de facie hominē noui. Summittā tamē nuntium eiusdem ordinis, quo sequestro spero nobis rem ex sententia processuram. Quom doctores aliquot è collegio, qui mihi arctiore familiaritate coniuncti sunt, me ægrū inuiserent, de subscriptione uerba feci. Operam polliciti sunt, modo consilium cui essent subscripturi certis

certis rationibus authoritatibusq; niteretur. Depromi iussi consiliũ quod ad me misisti, quom authorẽ quærerent, qui se pro consuetudine in coronide solet adscribere, nusquam repertus est. Tum suspectũ huiusmodi consilium habere cœperunt. At me rogarũt, ut operam nauarẽ, quo ille qui eum fœtum peperisset, si modo approbaret & suũ agnosceret, se quoq; sua manu auctorẽ testaretur. Ad hæc accedit is scrupus, quòd de pecunia transigenda cũ subscriptoribus, nolo esse mei iudicij: tum quòd in hoc genere nunquã alias me exercui, tum quòd temere alienã pecuniam nolim prodigi. Quare obsecro te ne pigeat, quid factu opus sit, me admonere. Sanè accurate & q̃ minimo fieri poterit impendio rẽ tractabo: sed ea lege, ut me omnino intra prę scriptos cancellos contineã. Amicus meus, ut puto, non omnino ἀναξιόπιστος, indicauit mihi, apud Florianum asseruari quædam consilia ad regis negociũ spectãtia, amplissimi Cãpegij, ut reor, reliquias: sed ita asseruari, ut neq; Indicę formicę, neq; gryphes Hyperborei aurum maiore custodia tueantur. Cogito mecũ an Mercurius quispiam ἀγλαόνικος inueniri possit, qui huic Argo oculos pręstringat. Tu quoq; in eam rem ingenij neruos intende, & si quid cogitaueris cõmonefacito. Nosti enim illud Homericum, μᾶλλον θαλπωρὴ καὶ θαρσαλεώτερον ἔσται, σώτε δὶν ὄρχαμίω. Et profecto uerum est quod sequitur, μὲν & δ' ἔπορε νοήσαι ἀλλάτε οἱ βράσσωι δὲ νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις. Bene uale, & me ama, qui te noctes ac dies oculis gero.

CÆLIVS CAL. RICARDO CROCO S.

VB idem tempus & eodem propè fasciculo ternas abs te literas accepi, diligentia Seuerini nostri ad me perlatas. Et cum ijs consilium authoris nomine & sigillo munitum ad me peruenit incolume. Quod fuit pergratũ, ut his nostris qui paulo morosiores sunt, omnis cunctatio & tergiuersandi ansa adimatur. Ego uicissim curabo, ut prius illud cuius nunc uicarium summisisti, protinus ad te referatur. Nunc accedo ad longiores illas tuas literas, quibus testaris te meas bona fide accepisse, id quod fuit periucundum. Quòd gratularis mihi de restituta ualetudine, facis tu quidem humane ac perbenigne & pro tua consuetudine. Et sanè si uera fateri oportet, tua quoq; interest, ut Dei eum tibi amicum seruent superstitẽ, quem tu tibi ita obstrinxisti, ut pro tua dignitate & existimatione nullũ unquã laborem, nullam ærumnã sit detrectaturus. De Casali illud certum est, eum fuisse Bononię quom meus nũtius eò aduentasset: quod tu ex cõputatione dierũ facile agnosces, si literas meas super ea re missas excusseris, & tẽpora quibus datæ sunt, ad calculũ reuocaueris. Mox tamẽ mercator Bononiensis amicus & familiaris noster, quẽ nũtius meus abiens propè huius rei exploratorẽ reliquerat, mihi significauit, Casalem trãsisse in Galliam cisalpinã ad 111. Calẽd. Decemb. incertumq; rumorẽ peruasisse in uulgus, eum in Britanniã profecturum. Sed certi nihil se habere cõpertum. Eius mercatoris dandas ad te literas existimaui, quo rem certiorẽ compertioremq; habeas, intelligasq; nihil me quoad eius fieri potest diligentia remittere in re omni, quo plenè omnia uotis tuis respondeãt. An Vincentius ille monachus mentiatur, nondum mihi planè constat, atq; in aliud tempus suspendo iudicium. Sanè quom amicũ meum de quo ad te scripseram summiserim, nihil ex Minoritano illo decano elicere potui. Nam & ille constanter ullum esse apud se Raphaelis Comẽsis cõsilium pernegauit. De pecunia regia quod iterum atq; iterum mones, ut ex meo arbitrio eam dispensem subscriptoribus: rogo te amicorũ optime, ne me ad hanc necessitatẽ adigas. Scio ego quàm sit hoc onerosum, quantum habeat difficultatis, quàm religiose tractãda sit aliena pecunia. Quid uero quom accepti & expensi ratio ineunda est? An tu non illam crucem putas homini ingenuo propositam? En tu aurei dimidio aut solido aureo ad summum cum subscriptoribus decidendum putas. & sanè ego tecũ sentio, ultra aureum non esse producendum impendiũ. Nã de aurei dimidio neq; ego homo priuatus & tenui fortuna in re priuata mentionẽ habendam putarẽ. Quid uero si ampulloſi isti & numerosis paragraphis suffarcinati ψήφισμα illud suũ pluris nundinentur? Si dem, alij protinus inclamẽt, mihi regios loculos non esse cõmittendos, qui tam incaute in eos onocrotalos tantũ

pecuniæ

pecuniæ profuderim. Si negem, non deerunt qui me arguant, quòd liberalitatẽ regiã in dubiũ uocauerim: & quòd parũ uidear intelligere quo in negocio, qua in causa uerser. Temporũ, locorum, personarũ rationẽ habendã esse. Et quod laudatæ memoriæ cardinalis Estensis olim princeps meus procuratoribus suis sepe inculcabat, aliubi impendendam, aliubi profundendam esse pecuniã. Tum uerò ego inter Cyaneas petras deprehensus quid faxim? nisi stultitiã meam accusem, qui quasi Cæcias in me nubes contraxerim. Verbum uetus est: quod dubites ne feceris. Sed tu dic sodes, quantam nobis aduersariam putas opinionẽ? quam homines audita causa regia protinus induunt, montes etiamnum aureos sibi pollicentes. quòd nisi in uulgus ea fama emanasset, si quo modo protrita hæc causa posset dissimulari, mirum uerò quàm nobis omnia fierent leuiora ac faciliora. Sed de his iam plus nimio: ea est rei summa, me paratũ esse regiã pecuniã enumerare, sed præscriptis finibus, ultra quos non transiliam: in reliquũ operam, consiliũ, iudiciumq; meum non desiderabis. De Campegianis illis reliquijs non despero. Nam sunt qui spem faciant, se posse earum copiã habere in paucas horas. Ego illud molior, ut tãtisper haberi possint dum præcipiti calamo exscribantur. Si hoc impetrauero, rem confectã tibi dabo. Nuperrime mecum uerba fecit Florianus, & quidem in eam sententiã, ut se partibus regijs studere plurimum præ se ferret: seq; si eum Ferrariæ conuenisses, multa fuisse cõmonefacturum, quæ uestris conatibus non mediocriter profuissent. Ego qui pertentandi causa ea dici existimabam, cunctanter ad omnia respõdi: illud addens, eum prudenter facturum, si aliquo insigni officio tãtum regem promeruisset: meq; paratum esse ad te scribere pro ea quæ inter nos cõflata est amicitia, siquid cõtingat quod uel tua scire intersit, aut in regiæ causę cõmodum cedat. Nihil ad Dionysium respondit: sed illud adiunxit, se habere cognitũ, tibi & Casali non bene conuenire, eamq; simultatem regiæ causæ obesse. Eundẽ Casalem cũ Genutio auditore Cameræ apostolicæ decertare, utri rex magis faueat in assequenda cardinali purpura: & multa id genus quæ me scribere, te autẽ legere pigeat. De Dioscoride, Linacro, Alciato, & si nõ plane is sit quem expetebã, multam tamen gratiam habeo. Linacrũ tuum tua manu recognitum ad te mitto. Bene uale, meq; tuum libra noris & cæræ minus.

CÆLIVS CAL. HENRICO ANGLIÆ REGI S.

A VDIVERAM ego pridem Britanniæ atq; adeo ipsi Oceano imperare Henricum regem eius nominis octauum, ingenio ac fortuna celebrem, qui uirtute atq; animi magnitudine non huius modo seculi, sed clarissimis quibusq; superiorũ temporũ regibus esset cõferendus: multa mihi de eius sapientia, clementia, ingenij suauitate olim enarrabat Ricardus Paceus uir prestantis doctrinæ, qui eo tempore regium oratorem agebat in Italia. Idem asserebant incredibili omnes consensu, qui ex Britannia in nostrum orbem cõmeabant. Est sanè apud omnes gentes regium nomen uenerabile: sed mihi Henrici nominis maiestas tot præconijs illustrata, religione quadam ita animum succenderat, ut nihil consuetũ de tanto rege cogitarem, sed heroicum ac diuinũ planè quiddam in eius animo uigere existimarẽ. Superuenit mihi deinde orthodoxæ fidei defensio ab illo suscepta contra Lutheranã factionem, opus Di boni quãta eruditione, eloquentia, ac pietate refertum. Res ea mihi uisa est imprimis admiranda, & nostræ planè ætati incognita, regem esse qui ad fortunæ ac rerum gestarũ amplitudinem, literarũ etiam splendorẽ addidisset. Sciebã ego priscos reges cõsueuisse non tam sibi ex magnitudine & felicitate imperij, quàm ex optimarũ & maximarũ rerũ & disciplinarum cognitione gloriã petere. Alexãder ille cognomento Magnus palàm profitebatur, se sibi multo clariorẽ uideri, quòd de Dis immortalibus recte sentiret: quàm quòd multas nationes perdomuisset, multisq; populis imperaret. At quanto hoc præstantius? quod quom ij ad quos imprimis tutela Christiani nominis pertinebat silerent, & tantam pietatis offensam dissimularẽt, tu unus rex inuictissime ex omnibus principibus quos Christus in excelsum solium euexit, inuentus es qui pro aris & focis, id est pro religione ac ueritate asserenda, stylum perstrinxeris.

Tuæ pro-

Tuę profecto laudes possunt fortasse alijs quibusdã, sed ijs perpaucis admodũ principibus esse cõmunes. Sed hæc pietatis gloria ita omnis tua est, ut quicũ possit communicari, non inueniat. Felicẽ itaq; Britanniã, felices populos existimabam, qui optimi ac sanctissimi regis parerẽt imperio. Tũ ego tãta percitus laudum & rerũ bene gestarũ celebritate absens absentẽ uenerabar: & quod unũ mihi licebat, deum opt. max. tibi diu propitiũ optabam, augustiq; tui nominis prædicatione meã erga te uoluntatem pietatẽq; apud omnes significabã. Quom uero nihil mihi antiquius esset in uotis, quàm ut aliqua mihi cęlitus affulgeret occasio, ut hunc animum meum tuæ maiestati addictissimũ, uel literis, uel certo aliquo testimonio tibi probarem: cõmodum accidit, ut Ricardus Crocus, uir præclaræ eruditionis & spectatæ erga te fidei, allectus nõnulla opinione meorũ studiorum, mecum sæpe & de literis ac rebus communibus, de animi uero tui celsitate propè quotidie solenniter uerba faceret. Is me succẽsum tantarũ uirtutũ admiratione, ad te unũ propius colendũ atq; obseruãdum inflãmauit. Aucta uero inter nos & confirmata multis diebus consuetudine, incidimus in mentionẽ causæ coniugalis, cuius gratia amplissimus Campegius in Britanniam traiecerat. Eius seriem ac rationẽ longe diuersam ex eo accepi, quàm mihi antea quidam enarrassent: qui quom me super ea re consulerent, impetrauerant ut in utrãq; partẽ academico more argumẽta colligerẽ. Et sanè ita rem tractauerã, ut mihi omnia in id tẽpus essent integra. Tum uero Croco admonitore atq; hortatore me recepi ea quę scripseram in examen reuocaturũ, & pro uirili ueritati nõ defuturum. quod sanè feci accurate quantum in me fuit: multamq; argumẽtorum & auctoritatum syluam collegi. quam quom reposuissem, sperans me aliquando per ocium eam in ordinẽ redacturum: nihil enim minus cogitabã quàm Crocum tam repente abiturum, ut non saltem dies aliquot darentur ad rem explicandam: sed is præter expectationem me ita improuiso suo discessu oppressit, ut tota ratio consilij mei mihi fuerit peruertenda. quæ igitur præsens præsenti fuerã pollicitus, ea in diem reluam oportet. Nam & si id quod daturus sum uel multos post dies, me quoq; iudice informe futurum sit: nunc tamen si ederetur merum planè foret abortiuum. Cæterum quom in colligẽdis doctorũ sententijs ac responsis Ferrarię multa sese Croco difficilia obiecerint, eiusq; diligentiã remorata sint, certis ex causis quas ipse multo cumulatius & cõmodius coràm, quàm ego per literas possim recensere: nunc demũ abiens consilium quoddã mihi reliquit uiri bene docti, qui pro causa regia consuluit: rogauitq; me, ut in tuæ gratiã maiestatis darem operam, ut quamplurimi atq; ij lectissimi uiri huic subscriberent. Quod & si hoc loco non adeo facile perfici possit, utar tamen ad eam rem ingenio ac dexteritate ut res procedat ẽ sentẽtia. Quòd siquid est præterea inuictissime rex, in quo fides ac sedulitas mea tuæ maiestati usui esse possit: tu me semper & tuę dignitatis studiosissimũ, & tuis mãdatis obsequentissimũ cognosces. Ego uero me planè felicẽ ac fortunatum putabo, si quando hunc animũ meum tibi uni rex maxime cõsecratum certo aliquo testimonio declarauero. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

DOLEO quantũ uix literis cõplecti possim, tuos istos casus in ea tẽpora incidisse, quibus neq; opera neq; authoritate possim mea tibi tãtum prodesse quantum uelim, neq; ab ista insigni fortunæ indignitate uendicare. In causa est non tuorum aduersariorũ potentia, quam nosti non modo infirmã, sed omnium ludibrio obnoxiam. Illi ipsi qui quom aderas, se tibi inclemẽtes præbebãt, non tuo quidẽ odio, sed quasi in bonos omnes inimicitias professi, te adhuc cuniculis oppugnant. Nam rogati ut aliquando se tibi faciles reddant atq; exorari sinant, contemptim preces audiunt, remq; ad se pertinere dissimulant. Quo fit ut neq; uotis respondeant, neq; precibus locũ relinquant. Nolo tamen ut eam ob rem animum abijcias, neq; ut parum tuæ uirtuti confidas. Multa hominum uoluntas ac temporis diuturnitas affert præsidia, quæ neq; tu sperare audeas, neq; ullo unquã ingenio prospicere possis. Hoc sanè tibi magno solatio esse potest, quòd boni & studiosi omnes te amãt, teq; in oculis gerũt: fatenturq; omnes

tuo

tuo digreſſu urbem noſtram magnã iacturam feciſſe: quando eorum adoleſcentum pleriq́, qui tibi operã in comparando animi cultu dabant, nunc cæteros propè omnes priuatos profeſſores ſtomachant, ingenuè aſſerentes neminẽ eſſe qui uel copia, uel delectu rerũ tecum conferri poſsit. Ego hactenus, quod unũ mihi licuit, nullo loco deſij tuas laudes prędicare: atq́ illud conſtãter profiteri, inſignẽ tibi atq́ indignã contumeliam factũ iri. Tuis uero familiaribus nuſquã defui, quoties me appellarũt. Quin & ipſe ultro mea illis ſtudia perſæpe obtuli, ſi qua modo in re aut illis aut cauſæ tuę adiumento eſſe poſſem. Illud quoq́ puto tibi tuorum literis ſignificatũ, noſtrę coniunctioni nouum uinculum acceſſiſſe. Siquidẽ ego nuper filiolam, quæ tibi proximis diebus nata, ſalutari aquæ admoui, atq́ ad myſticũ fontẽ excepi. Ex quo facile potes intelligere, me fraternæ beneuolentiæ partes cum eo nõ recuſare, quicum paternæ appellationis cõmunionem ſubire uolui. quòd ſi quãdo aliqua lux rebus tuis affulſerit, uentusq́ aliquis ſecundus afflauerit, ego profecto omnia uela amicitiæ ita explicabo, ut agnoſcas me nihil præterea cogitaſſe, quàm te ſaluum in portum aliquando prouehere. Obfirma interim animum: tuaq́ prudẽtia in mediis fluctibus ſibi faxit (quod Plautus ait) alcedonia. Bene uale.

ALPHONSVS TROTTVS IACOBO ZIEGLERO S.

LITERÆ quas dediſti ad octauum Calendas Ianuarias, hæ ad me demum peruenerunt pridie Nonas Apriles: ex quo facile colligere potes quàm accurate tui ad nos tabellarij cõmearint: quod ea cauſa dictũ uolui, ut ſi forte ſerius quàm tu atq́ ego uoluiſſem, hæ quoq́ ad te perferrentur, habeas in quos culpam reijcias: me certè ab omni ſuſpicione negligentiæ liberes. Illud uero imprimis mihi periucundum nuntiarunt tuæ literæ, te incolumem ſaluisq́ rebus Argentinam peruenisſe. Sanè cõmentationes in Plinium tuas longe antea publicum accepiſſe & haberi in manibus audiuerã: ſed neſcio quo fato acciderit, ut nondum mihi, ad quem primũ pertinebant, eas uidere contigerit: quom id tamen impenſe optarem. Profecto quom apud hos mancipes librorum, qui Ferrariæ negociantur, perdiligenter inquiri iuſſerim, nuſquã inuentę ſunt, quas precio mihi poſſem cõparare. Volebam enim eſſe apud me, tum alijs de cauſis, tum maxime in gratiã tuæ erga me uoluntatis, qui, quantũ in te fuit, me in partẽ tuæ immortalitatis uocaueris. Tuarum denicq́ literarũ clauſula mirifice me oblectauit, quæ ſtudium meum in proferendo propagandoq́ ad poſteritatẽ nomine approbauit: id quod ſemper ingenij beneficio cõmode fieri poſſe exiſtimaui. Siquidem quæ à bene inſtitutis ingenijs proficiſcuntur, ea propemodũ perſuaſum habui in ipſa immortalitatis arce dedicari, quæ nulla poſsint fortunæ aut tẽporum iniuria uiolari, ſed cũ ipſa planè uetuſtate repubeſcant. Qua in re quom tu mihi operã tuam liberaliter hactenus accõmodaueris, eamq́ in poſterum pollicearis, nõ facile dixerim quanto me gaudio perfuderis, & quantũ me tibi debere ſentiam. Quòd ſi tuis me Chorographicis alijsq́ id genus fœturis, quas felix iſtud ingeniũ quotidie parturit, honeſtaueris, easq́ ad me ſubinde perferendas curaueris, profecto me hominẽ bene gratum, neq́ meæ me ſponſioni, neq́ tuæ expectationi defuiſſe intelliges. Bene uale.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

IRASCOR bonitati ac benignitati meæ, quom ea ſit, quæ tibi ceſſandi fiduciam præbeat, tuarumq́ literarũ mihi ſuauitatẽ intercipiat. Atq́ ita Di mihi bene faxint, ut ego me inhumanũ moroſumq́ haberi malim, ne ego ipſe mihi huius iacturæ author fierẽ. Quom Auguſtus immitis eſſe familiarẽ: ego iure doleo, me abs te bonũ ac facilem nimis exiſtimari. Quòd ſi tu tarditatẽ tuam in ſcribendo occupationibus, quarũ mole premeris, redemiſſes: id æquo animo pertuliſſem, & tibi facile fidẽ habuiſſem: ſi negligentiã meam accuſaſſes, qui aliquot literas ad me dederis, quarũ adhuc reſponſum expectes, ceſsiſſem accuſationi, & me reum peragi nõ ægre permiſiſſem. Sed hoc iã ferre non poſſum,

me qua parte ſperabam imprimis tuas poſſe literas emereri, ea maximè periclitari, & earum deſiderio confici. Quare ego poſthac opinioni tuæ relinquam, an me incle mentem, an te officioſum effici malis. Nam ego uolens priſtinos mores exuã, ut hac ſaltem ratione tuas literas exprimã. Hoc ſi te pigeat, tu te ab hac ſegnicie frequenter ſcribẽdo uindicabis. Quòd iſthic tibi omnia feliciter cedãt, & ſi noui nihil mihi nun tiaſti: ſciebam enim hoc tuis uirtutibus deberi: tamẽ uehementer gratulor, & ut om nia in poſterum Di tibi ac tuis fortunẽt, deos obteſtor. Quòd tu tibi de me multa ac magna polliceris, tua te profecto nunquã fallit opinio. Habebis enim me ſemper a cerrimũ tuæ uirtutis defenſorẽ, ac perpetuum tuarum laudum amplificatorẽ. Qua in re ſi minus fortunam, certe uoluntatẽ ac ſtudium meum nunquã tibi non appro babo. Azaiolus quidem quas ad eum dediſti literas non oſtendit: tamen quom mihi occaſio arriſerit, nõ deero quin cum magnifico Trotto in tui gratiam fungar officio, ex tuarum literarũ præſcripto. Triſsino uiro excellẽtis ingenij ac ſummæ literaturæ ſalutes quas eius nomine ad me ſcripſiſti, non ſolũ pari, ſed maiore etiã modio reme tiere. Vxorem tuam fœminam lectiſsimã ſalutabis, & filiolas tuas meo nomine exo ſculaberis. Audio iſthic haberi antiqua quędã monumenta, digna quæ non iſto tan tum loco legantur: rogo te per Muſas mi optime compater, ut des operam, ut ad me perferantur: eo nomine tibi gratias ingentes profitebor Bene uale.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

VALE per incertam lunã ſub luce maligna
Eſt iter in ſyluis, quom cælum condidit umbra
Q Iuppiter, & rebus nox abſtulit atra colorem:
talem mihi tuæ literæ lucem obtulerunt. Nubes enim quæ antea latè omnia obduxerant, nũc neſcio quo Aquilonis afflatu abruptæ attenua tæq; ſunt diſcuſſæ, & meliora nobis potius augurantur, quàm ſpondeant. Nam con ditionẽ Vicetinã, quam certam firmamq; ſperauerã, adhuc pẽdere uideo: quom ta men Alfonſus Trottus noſter fidẽ mihi feciſſet, eam in tua eſſe poteſtate. Illud quoq; me male habuit, quod menſtruas tantũ inducias impetraueris: quom ego bello ac ſi multatibus nuntium mitti & ſummã manum imponi optarem, ut poſt tot hoſtiũ ex curſiones in pace tandem conquieſceres. Ergo tu paucis diebus Ferrariam? an hoc non eſt deſideriũ potius tui excitare quàm extinguere? ſitim iritare quàm explere? Quòd ſi tanta religio fuit inuito nebulone liberũ cõmeatum dare, & gratiã redeun di facere, cur non Areopagitarũ more publica fides data eſt? cur non in centeſimum annum iudicium diffiſum? Profecto hoc uel innocentia tua, uel (ut grauiſſime di cam) culpę leuitas, tot iniurijs præſertim prouocata, merebatur: quam magnitudine laudum ac uirtutum ita redimis, ut ſi in æquilibrio ſtatuatur, illius pondus horum pondere propè obruatur. Sed ego fruſtra acta ago, & alienam diligentiam requi ro: ubi iuſtius quorundam inuidia atq; improbitas accuſari poteſt. illud tamen non deſinam, te etiam atq; etiam rogare ac liberius admonere, ut conſtantiam tuam te neas, nullaq; fortunæ acerbitas tuam tibi animi magnitudinem excutiat. Ille enim parum uidetur profeciſſe, qui res ſecundas moderate tulit: aduerſis autem ita fran gitur, ut de gradu cedat, & ſe expugnatum fateatur. Bene uale, & ſi quando deeſt ſcribendi argumentum, uel de cõmunibus ſtudijs, uel ſiquid librorũ Germani man cipes nuper Venetias inuexerint, perſcribe. Ferraria.

CÆLIVS CAL. N. ORATORI REGIO S.

OTVIT me regij oratoris titulus, & eximiæ ac maximis de rebus oc cupationes tuæ à ſcribendo deterrere: ni mihi abunde perſpecta foret P ſumma humanitas ac liberalitas: quæ inter innumeras uirtutes tuas ita eminet, ut uel faſtigium uel faſtigio proximum locum tenere uideatur. quod quom ego conſtanti & celebri multorũ teſtimonio confirmatum antea accepiſſem, tum ipſe proxima æſtate in comitatu principis fœminę ducis Car nutũ non auritus tãtum, ſed oculatus etiã teſtis acceſsi. Ita enim benigne & comiter

ſum

sum abs te exceptus, ita splendido conuiuio honestatus, ut planè intelligerẽ famam parce ac ieiune ea inuulgasse, quæ multo uberiora ampliorá ego præsens cognouissem. Hæc sunt quæ me aliàs propè religiosum in interpellandis magnorum uirorum studijs, & immodicũ cunctatorem in auocandis ijs qui publicã rem & regia curant negocia, nunc nauiter impudentẽ esse patiunt: & ut opera atq; authoritate tua intrepide utar hortant. Est mihi multa & coniũctissima necessitudo cũ nobili & inter suos multæ existimatiõis uiro Cæsare Podacataro Cyprio, ob multa & illustria eius in me beneficia, quib. sanctissimũ etiã ius hospitij adiũgit. Quare nihil est tã arduum ac difficile, quod ego non libenter in eius gratiã quantum arrideat occasio sim facturus. Optat autẽ ille & suo propè iure à me exposcit, intelligens scilicet quantus ego sim admirator & præco tuarum laudum, & quantũ tu uicissim pro tua humanitate saueas mihi nonnulla opinione studiorum meorum: ut Ioannẽ Lyxum eius alumnũ, iuuenẽ multi ingenij multęq; suauitatis, tua gratia amplecti uelis. Is quom adhuc foret impubes, nescio quo fato, subita ira succẽsus, cui nõ bene imperat generosus & iniuriarũ insolens animus, hominẽ occidit. ea causa iam multos annos à patria exulat, in quam tuo ductu tuisq; auspicijs redire & optat & sperat. Ad eam rem facile conficiendam præmunita est propè uia. Nam sententia in eum olim pronuntiata, secũda actione cognita, reuocata ac rescissa est à magistratu Veneto: & iam ad recuperandam patriam nihil supereſt, nisi ut quispiã uir amplissimus eius patrocinium apud senatum Venetum suscipiat, cuius cõmendatione recreatus honestissimũ hoc uotum adsequatur. feceris igitur rem te, id est homine beneficẽtissimo, dignam, si Lyxum amplectare.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

PRIVS QVAM tuæ ad me literæ perferrent, desidię ita me suppudebat meæ, ut neq; mens neq; manus ad scribendũ, id est ad sarciẽdum corrigendũq;, quod iã aliquot mẽses admisi, facinus suppeterẽt. Eaq; res effecit hactenus, ut diẽ ex die ducerẽ: atq; interim & diuturnitate tẽporis, & subrustici cuiusdã pudoris mole obrutus intelligerẽ q̃ graue uitiũ foret immodica illa & detestabilis uerecundia, quam uoce admodũ accõmodata Græci ἀνασωπίαν uocãt. sed postq̃ tuæ mihi literę redditę sunt, quib. pertinax hoc meũ silentiũ tã docte tãq; amanter excussisti: tũ demũ cognoui me nõ aliàs felicius obtorpuisse: meamq; mihi desidiã pulcherrime cessisse, quæ abs te tam dulces ac tãtæ in me beneuolentiæ testes literas expresit: ut arguto cuipiã forte posit iocí pręberi occasio: me scilicet tam turpiter tacuisse, ut tu tam honeste loqui posses. Me fœde adeo peccasse, ut tu me iuste & cõmode adeo coargueres. Illud profecto mihi euenit admirabile quom tuas literas legerem Morate præstantissime, ut quo in me atrocius inuehebare, hoc mihi suauitatis & leporis amplius inueheres: & illa ipsa flagella, quibus tam immaniter me sauciabas, melle quodã Cupidinis mihi perlita uiderentur: ut sanctissime deierare possim, me nunquã aliàs melius habitum aut liberalius acceptum fuisse. Quare tu tibi proximis literis eam præmunisti uiam, qua nullã neq; honestiorem neq; urgentiorẽ ad protrudendum hunc soporem, extorquendasq; mihi literas cõminisci poteras. Quis enim tam obstinatus ac ferreus, quẽ tuæ orationis faces nõ permoueant? permotum non compellant, compulsum in officio non contineant? Id unum fuit permolestum, quod tu mihi magis diuinandũ reliquisti, quàm quod tu satis expresseris: literas illas scilicet lõgi subsellij, quas ad te superiore mense dederam, deerrasse ac minime in tuas manus peruenisse: quom uix fieri posse putarẽ ut illæ in transuersum abirent, quas credidissem nobili cuidam Vicetino qui se ex Athenæorum familia profitebatur, quẽ audio proxime in Gallorum castra cõmeasse. Alioqui fui ab eo rationẽ literarum exacturus, quas in suã fidem recepisset. Quod siquando aliàs mora tẽporis in scribẽdo intercesserit, uel perfidia tabellarij meas literas interceperit, aut aliquis quispiã casus interuerterit: rogo te atq; obtestor, nequãdo meam uoluntatem in suspicionem uoces: sed alia omnia facilius posse accidere opineris, q̃ ut amicitia nostra tam altis ac robustis radicibus nixa possit ulla temporis uel obli-

uionis iniuria conuelli. Tuæ enim uirtutes, tua suauitas eo mihi clauo inhæserunt, qui nulla forcipe extrahi, nullo malleo possit extundi. Azaiolus iunior recte ualet, alter propè oculis captus aut domi sedet, aut puero comitatus in publicum prodit, semper uero quasi Tiresias uaticinatur. Iulianus Nasellus uir tui amantissimus magna parte pulcherrimas ædes perfecit, tanto sumptu, tanta elegantia, ut nemo sit ita rudis artis architectonicæ, nemo ita occupatus, qui eo spectaculo non teneatur. Sed eius filius ὄνος πρὸς λύραν. Ioannes Hieronymus meus te salutat, teq; oculis semper gerit. exscribet puto iam tertio epigramma, quod satius fuerat semel deperisse. Sed postquã tu ita iubes, postquam uir æquè amantissimus ac doctissimus sic urget, illicet, uestræ existimationis periculo res agatur, me noxa solutũ uolo. Ioannes Manardus proximis diebus decessit, & nobis atq; omnibus bonis incredibile sui desiderium reliquit. Bene uale. Ferraria.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLARVM LIBER XII.

CÆLIVS CAL. BARTHOLOMEO RICCIO S.

NON obliuione aut negligentia factum est, ut tã sero tuis literis respondeam uir doctissime: sed quom optarẽ certi ac perspecti aliquid perscribere, opus fuit responsum diutius extrahi, quàm aut tu uoluisses, aut ego constitueram. Nunc quæ acta sint, paucis accipe. Quom primũ tuæ mihi literæ redditæ sunt, ex quibus facile perspexi quantum fiduciæ in mea erga te beneuolentia collocasses: nihil prius habui, quàm occasionẽ aucupari, qua possem penitus animum & cõsilium clarissimi principis explorare. Eam mihi ratio temporis cõmode aliquãdo obtulit. Ludebat forte filiolus in patris sinu: pilamq;, ut eius ætatis mos est, manu obuersabat. Tum ego, quàm probe factũ foret, ut isthæc indoles tantæ uirtutis prænuntia, honesto & liberali aliquo ludo exerceretur: qui quantum tenera ætas pati potest, ad futuram expectationẽ nõnihil proficeret. Ad hæc princeps: Persæpe mecũ, inquit, cogitaui, an aliqua ei præludia studiorum obijci possent: sed teneram adeo & nondum suis uiribus subsistentẽ ætatem onerare, & ad labores euocare, planè mihi fuit religio: quom præsertim reformidari possit, ne præcoces & planè intempestiui labores prius fastidium aut etiã odium inuehant: quàm intelligat, cui sibi studia usui esse possint. Hic ego, prudenter adeo cogitatum & consultum dixi, ne quo labore intempestiuo tenera hæc ætatula prægrauetur. Sed quom ita natura cõparatum sit, ut in primis etiamnũ crepundijs, atq; eo ipso tempore, quo adhuc infantes ex nutricũ papillis pendemus, agamus tamen aliquid, quo se iam uigor ille nobis ingenitus prodat, & nos planè ad agẽdum aliquid natos probet: quanta iniuria sit, malle adhuc balbutiẽtibus sordida & digna obliuione uerba quàm exculta & delecta inculcare? ludos promiscuos & sæpe pœnitẽdos quàm ingenuos, nec minus ad hilaritatẽ quàm ad animi cultum profuturos proponere? Ergo illi lusorias chartas & talos & tesseras agnoscent: eburneas uero literarũ formas, & pilas elementis insculptas, & numerarias tessellas, ex quibus in morẽ ueteris ostomachij uariæ rerũ & animalium formæ effingi possunt: aliaq; huiusmodi, ut ita dicã ludicroseria, agnoscere non poterunt? An uero ludi geometrici minus habent uoluptatis, quàm uernaculi isti & à uulgari turba accepti: ex quibus nõ modo in præsens animi expergiscuntur & gaudent, sed in posterum etiã ad maiores progressus excitantẽ. An alia causa Platonẽ mouit in Menone: ut hos maximè naturæ nostræ consentaneos existimaret, eosq; pueri exẽplo propè per se disci posse iudicaret? Quid dicã? quod & isti uulgares & tabernarij quãto minus habẽt ingenij, tanto etiam uoluptatis habent minus: nisi aliqua lucelli spes forte arriserit, ex quo illis maior quoq; accedit infamia. Iis adiunxi exemplum principis Mantuani, qui filiolo suo anno

anno plus minus quàm iſte natu maiori, præceptorem Lampridium addidit, uirum & græce & latine egregie eruditũ: qui Orationẽ dominicã & Angelicam ſalutationem in memoriã ac labra pueri quaſi præmanſam offam ita inſtillauit, ut nunc inter pulcherrimas patris delicias cenſeatur, filium græce garrientẽ audire. Qui mihi uidetur hac parte Philippum Macedonem imitatus, qui nato ſibi protinus Alexãdro non plus gaudij de natali filij concepit, quàm quòd eum ſibi Ariſtotelis ætate naſci cõtigiſſet: cuius opera ad alendam prouehendamq; illius expectationẽ uteretur. Et ſanè id præclare, mea quidem ſententia, à ſapientiſsimo rege excogitatum. Nam ſi Quintilianus exiſtimauit nullum tẽpus oratori deperire oportere, cuius induſtria, ut ſe latiſsime porrigat, uix tamen unquam ex foro aut ſenatu excedit: quanto hoc iuſtius proſpiciendum in principe? à cuius prudentia multorum populorum ſalus & ſecuritas pendet. Tum ille: ſcio, inquit, hanc eſſe inter literatos agitatã quæſtionem, ſed ego perſuaſum habeo, pueros primis illis annis pullis auium eſſe perſimiles: qui utprimum uiribus niti incipiunt, parenti aduenienti adludunt, aliſq; applodunt, & roſtellum aperiunt ita cibum expoſcentes, nec quicquã præterea per ſe moliuntur, donec infantiã ſuperauerint. Tunc enim in marginẽ nidi adrepunt: mox circumuolitant, ſed ita ut neq; longe auolent, nec rectam uiam ingrediantur, neq; pabulum ſibi cõquirant, neq; omnino ſuæ tutelæ permittãtur. Sed eos interim parentes alunt & fouent, donec iam grandiores, uires confirmauerint. Tum demum liberi euagantur: & pabulum ſibi proſpiciunt. Quòd ſi audaciæ ſuæ ante tempus relinquantur, uidi ego plerunq; in terram prolapſos auibus ceteris aut certè feris prædam fuiſſe. Sic tenera hęc ætas nec præpropere nec præpoſtere nimis è ſinu nutricum quaſi è nido ad præceptores releganda eſt. Adde quòd quom authores inter ſe diſſideant, ſintq; utriuſq; ſententiæ adſertores: quom alij ſeptimũ annum expectandum, alij à tertio protinus auſpicandum putent: ſi mihi quaſi honorario arbitro libera detur iudicandi facultas, neutris planè acceſſerim; ſed ſicuti in pomis ita in ingenijs delectum habendũ exiſtimauerim. Nam quæ celerius ſeſe oſtentant, atq; ocyus maturitatẽ promittunt, ijs ego prius manũ iniiciendam iudicauerim: quæ uero crudiora ſunt, & tardius ſe proferunt, non ſolum in autumnũ, ſed in adultam etiã hyemem pendere permittam: ut tum demum decerpantur, quom matura & apta eſui uideantur. Quæ uero de Philippo poſteris tradita ſunt: ea multo ambitioſius quàm uerius dicta crediderim. Atq; utinã rex ille de profectu filij plus curæ ſuſcepiſſet: neq; enim eũ Leonidæ & Lyſimachi ex Acarnania fidei reliquiſſet, à quibus multo plus uitiorũ q; uirtutis hauſiſſe proditur. At regulus Mantuanus cõſobrinus meus (ut audio) non præceptorem, ſed cuſtodem potius filiolo adſciuit. Cuius rei facile fidem facit, quòd preculas, quas ex inſtituto Chriſtianæ pietatis altrices alumnos edocere ſolent, doctus ille uir docendas ſuſcepit, præceptoris etiã fortaſſe munus obiturus, quom pueri ætas adoleuerit: ſed ſuum illis iudiciũ relinquamus. Nos noſtra (ut dicitur) noſtro modulo metiamur, ſeruabimusq; hoc temperamentũ, ut neq; ſeptẽnium expectemus, neq; à triennio ſtatim auſpicemur. Sed ubi quinquenniũ iniuerit, nos noſtrum præceptori, qui non modo doctrina, ſed imprimis prudentia ac dexteritate polleat, formandũ mandabimus: qui propè aliud agẽs, per ſummã iucũditatem ceu ſolemus in uaſa anguſti oris, literas paulatim infundat. Interim nauabimus operam, ut omni ſolutus cura, dignos ætate, dignos principis filio ludos exerceat: corpus confirmet: hominum conſpectum non expaueſcat: blande occurrentes excipiat: præceptionibus adquieſcat: reprehenſus doleat, laudatus frontem exporrigat. Hæc puto omnia ita pueri animum futuris ſtudijs apparabunt, ut ſolent pictores certis quibuſdam pigmẽtis tabulas prælinere atq; accõmodare, quibus ſunt poſtmodũ nobis picturas elegante penicillo inducturi. Hæc quom diciſſet, ex quibus cumulate eius ſententiam perſpexi, non duxi reluctandum, neq; in altercationẽ rem producendã. Illud unum addidi, non ſemper arridere bonorum præceptorũ prouentum, atq; hoc ipſo tempore mihi occurrere Bartholomeũ Ricciũ uirum multæ literaturæ, & in hoc erudiendi munere diu feliciter uerſatũ. Qui quom ſe huic prouinciæ ultro obtulerit, ſi poſtmodum ad aliã conditionẽ animum appulerit, aliquando fore ut fruſtra huiuſmodi

hominẽ desideremus. Tum uerò quom ille de te percũctaretur, dixissemq; te in Aemylia natum in oppido ditionis Estensis, cui Luco nomẽ est: te demũ illum esse, qui Selectorum cõmentarios ex Cicerone decerpseras, & in publicũ cõmodum edideras: Atqui ego, inquit, hominẽ probe noui, eiusq; cõmẽtarij mea in bibliotheca dudum asseruantur. Sed quàm factum esset imprudenter, si uir bene doctus, & ad multorum utilitatẽ natus biennium apud puerum unum desideret, cui etiam nulli planè usui esse posset. Cæterũ & alij quoq; plurimi & sanè mihi approbati quotidie in hac functione suam operam pollicentur, ex quibus quom erit mihi delectus faciẽdus, & Riccij nostri sum rationem habiturus, eiusq; memoriã nulla mihi delebit obliuio. Libuit hæc aliquanto prolixius ad te scribere, & epistolam propè ad imaginẽ dialogi effingere, ut intelligas quàm accurate rem tuam egerim: & quæ rationes utrinq; adductæ sint: ut quid tibi in posterum sperãdum sit, possis coniectura consequi. Certè ego quoties se præbuerit occasio, nihil prætermittam, quod tuæ causæ profuturum putem. Et quæ tibi meo nomine Emaldus compater utriusq; nostrũ studiosissimus renuntiauit, quæq; per literas uir elegantis ingenij Ferrinus noster significauit: ea re ipsa & quidẽ cumulate præstabo: non modo ut obstrictam fidem meã reluam, sed ut eos etiã non patiar nexũ inire, qui tam prompte mea causa sponsum inierũt. Atq; id eo faciã libentius, quòd habeo perspectum, me nõ solum hominẽ optimum ac de rectis studijs optime meritum posse promereri, sed & hominibus ætatis nostræ celeberrimis quasi ex eadem fidelia, ut aiunt, rem pergratã facturum, qui multo ambitu rem tuã mihi per literas cõmendarunt: quod minus opus fuit, quom per se foret mihi cõmendatissima. Bene uale, & me ama tui amantissimũ. III. Calend Nouemb. M. D. XXXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PAVLO III. PONT. MAX.

POSTQVAM certus nuntius significauit te Pontificem maximũ esse salutatũ, tanta omnes protinus peruasit lætitia, ut nemo facile sibi temperaret, quin palàm gestiret, ac uultu & plausu gaudiũ testaretur: ipsi medius fidius parietes, ipsa muta subsellia à sedibus suis conuelli optabant, ut aliquam significationẽ conceptæ hilaritatis darẽt. Quin & cælum iam multos dies tetrum faciẽ puriorem ostendit, & sub ipsum arcturum spurcæ tempestates quom maximè sæuire solent desæuierunt. Neq; sanè id mirum, quom tu humano generi & publicè orbi terrarum salutare sidus affulseris. Tuis enim auspicijs speramus pacem incertã ac dubiam atq; inter principes hactenus male coalitam iam retineri posse & confirmari, partes reipublicę labefactatas & dissidentes in pristinum statum restitutum iri: audaciã eorum qui nouas hæreses inuehere non reformidarunt, & inconsutilem domini tunicam diloricare ausi sunt, prudentia ac religiõe tua frangi. Quom enim antea nullo magis argumẽto quàm Romanis moribus & recepta uiuendi consuetudine sua dogmata cõprobarent: nunc demum deus opt. max. rem Christianã laborantem propè utroq; cornu miseratus, eũ sibi in terris uicarium delegit, ad cuius exemplum nemo esset tam deploratis moribus, tam effricta fronte, qui uitæ suæ rationes nõ effingeret & confirmaret. Plericq; ante te isto in solio positi, puto suæ imbecillitatis conscij, audito concilij nomine expauescebant, & quibus poterant artibus tergiuersabantur. At nunc ita de te homines cogitant: nullũ te præsentius remediũ inuenturũ ad reparandã constituendamq; Christi Ecclesiã tibi creditam: q; si tempestiue cõcilium indixeris, & suam peruicacibus pertinaciam exprobraueris. Neq; enim iã quisquã ausit ambitu & malis artibus dicere te ad apicem summi Apostolatus fuisse prouectum, quom nõ modo consentientibus omnium purpuratorũ patrum suffragijs in istud fastigium sis cooptatus, sed multos etiam ante dies quàm pontificia comicia inirentur, rumor publicus & cõmunis mortalium omniũ prædicatio te principem christiani orbis renuntiauerit. Neq; erat illa fortuita diuinatio incertis ex coniecturis accepta, sed certum tuæ uirtutis testimonium. Sentiebant enim omnes quàm iure ac meritò augustum istud solium iam olim tibi deberetur: & hoc uno peccasse fortunam fatebantur, quòd tam sero in te oculos obuertisset

uertisset: quod certo cõsilio fatorũ factum existimauerim, ut hoc magis diuinam beneficentiam agnosceremus, quo necessario magis tempore beneficium hoc impendebatur. Nostra enim interfuit, non tua, ut hoc maximè tempore rebus in apertum discrimen deductis, tu fasces humani generis susciperes. Tibi enim iam olim persolutum est id præmium, quo neq; maius neq; iustius aliud persolui potest, gloria scilicet, id est peruagata apud omnes gentes ac nationes de tua summa ac excellenti uirtute opinio, nullo unquam æuo intermoritura. Nam quid tu priuatim sperare aut tibi polliceri de tuo pontificatu potes? nisi plus laboris, plus ærumnarum, minus otij, minus quietis: quàm priuatus perfruerere. Vnus erit portus, unum perfugiũ qui cũ omnes animi & corporis fluctus cõpenses, in quo libenter cõquiescas: quotiens tecũ ipse cogitaueris, tanti constare Christiani generis securitatẽ ac felicitatẽ, & corruptos & deploratos olim mores in integrum restituere: Hæc esse illa tela, illas copias, illas classes, quib. dei optimi maximi clemẽtia parari potest, hostiles aũt conatus expugnari. Tu enim pater beatissime pro tua summa sapientia rerumq; plurimarũ ac maximarum experiẽtia optime intelligis, non alijs artibus aut machinis rem Christi sarciri, & in integrum reuocari posse: nisi ijsdem quibus & ipse maximus nostræ salutis uindex, & qui eius militiæ nomina dederunt, eam olim coalescentẽ constituerunt: tenui quidem initio, sed in tantam spem, ut non multo post granum illud sinapis in arborẽ succreuerit, & reliqua omnia olera inumbrauerit. Quom ergo omnes homines promiscuè tantũ spei ac lætitiæ conceperint te salutato Pontifice, quid eos putas? qui celsitudinẽ animi tui, perspicaciã ingenij, rerum humanarum despicientiam cognitam habent: qui propius nouerunt pectus istud omniũ bonarum artium fœcundissimum. Certè studiosi literarũ, atq; adeo literæ ipsæ neglectæ hactenus & iacentes, ad nomẽ tui pontificatus caput erexere: sperãtq; tuo felici auspicio aliquando posse recreari, & amissam olim dignitatẽ tueri. Nam id & potes, ad tantum fortunę prouectus: & debes, cum nullo alio magis quàm literarũ pręsidio tu tibi in arcem æternitatis aditũ aperueris. Nos uero summum numen supplices precamur, ut maiestatem tuã seruet incolumem, & munus quod nobis dedit diuturnũ esse patiatur. At tu pater beatissime Cæliũ seruum tuũ religiose ad sacrosanctos pedes istos procumbentẽ tuo nutu dignum puta. Felicitatẽ interminam iterum atq; iterũ tibi nuntiamus. XII. Nouemb. M. D. XXXIIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. IACOBO SADOLETO CARD. S.

QVOM primum rumor & multorũ literæ nobis significarũt, te frequentibus comitijs & magno bonorum consensu Cardinalem designatum esse, expressit mihi protinus magnitudo lætitiæ has literas: quibus tibi recentem hanc dignitatẽ gratulor, non ea sanè causa, quòd illam tibi magno admodum ornamento futuram putem: sed ob id multo magis, quòd hãc ipsam tua uirtute posthac multo fore illustriorẽ atq; ampliorẽ uideo. Nam (nisi mea me fallit opinio) quom Paulus Pontifex maximus idẽq; sapientissimus de te ac alijs quibusdã tui similimis cogitabat in amplissimum istum ordinẽ recipiendis, non illud primum habuit in consilio, quomodo uos homines tantæ uirtutis uel promereret uel ad excelsum honorẽ proueheret: sed qua ratione dignitatẽ multa superiorum Pontificum indulgẽtia labefactatã & propè in ordinem redactã, inuectis tot clarissimis facibus ad pristinum splendorẽ reuocaret. Quare si recte atq; ordine gratulandũ sit, non iam dignitatẽ tibi, sed te dignitati potius gratulari oportet, præsertim quom tu illi multo plus existimationis quàm illa tibi sit allatura. Nisi ea forte ratio cuipiam persuadeat: eo iustius gratulationem tibi deberi, quòd tua uirtus, alioqui per se antea celeberrima, non habebat tamen theatrum satis dignum sua magnitudine, in quo uires explicaret suas. Quod quom nacta sit modo, iam se in isto orbis Christiani proscenio maiore plausu ostendet, & publicæ omniũ expectationi uberius atq; illustrius suam actionẽ approbabit. Quãdo & sol ille aureis inuectus quadrigis, quamuis habeat ignis ac radiorum plurimũ, nisi tamen mortalibus affulgeret, nisi naturæ procurationẽ suscepisset, certè nec tot haberet suorum beneficiorũ æsti-

matores, nec tantos ſuæ lucis admiratores inueniſſet. Bene uale, & me tum ob tuam dignitatem, tum multo maxime propter tuam uirtutẽ tibi addictiſsimum eſſe ac fore perſuadeas. III. Calend. Ian. M. D. XXXVII. Ferraria.

IVLIANVS NASELLVS HIERONYMO ALEANDRO Cardinali S.

POSTQVAM & rumore hominum & multorũ literis ſignificatum eſt nobis, te in numerũ Cardinaliũ proximo delectu cooptatũ à ſanctiſsimo D. N. tantũ lætitiæ animo concepi pro ea qua te ſemper proſecutus ſum obſeruantia, quantum neq; dicendo neq; ſcribendo facile poſſim explicare. Video enim ampliſsimã dignitatẽ in eo homine collocatam eſſe, in quo & ſumma uirtus & ſingularis iuris prudẽtia cum admirabili morum præſtantia coniuncta ſit: ut fortunam iuſtius accuſare, quàm laudare poſsimus, quæ hominem tam benemeritũ tot annis debito honore fraudauerit. Illud quoq; mihi incertum eſt, an præſtet tibi hoc tẽpore pro recenti iſtac dignitate gratulari, an ordini ampliſsimo purpuratorum patrũ, in quem ſcio multo abs te plus ſplendoris inuectum eſſe quàm tu ipſe ſis inde mutuatus. Vtriq; tamen iure gratulandum puto. Illi quidem quòd te tanto uiro, totq; eximijs uirtutibus auctus ſit. Tibi uero quòd in ea ſpecula humani generis poſitus ſis, ex qua ingenij ac ſapientiæ tuæ radij longe ac late coruſcare, & ſe in omnes terras poſsint effundere. Quod ut cõmode facere poſsis, deum optimũ maximum obteſtor, ut tibi hanc dignitatẽ, teq; huic dignitati diu ſeruet incolumem. Vnum eſt quod te pro tua incredibili humanitate rogatum uelim: ut neq; tanti honoris amplificatio, neq; moles negociorum ullo unquã tempore Iuliani ſeruuli tui memoriã intercipiat: qui te poſthac non equidem amantius aut obſeruantius quàm hactenus fecerit, neq; enim ad id quicquã addi poteſt, ſed religioſius tantum & reuerentius colet.

CÆLIVS CAL. NICOLAO ARCHIEPISCOPO Campano S.

QVOM incertus ille rumor de honoribus tuis tantũ mihi lætitiæ inuexerit, quantum enarrare ſuperioribus literis magis optaui q; potui: facile cogitare potes quãtus lætitiæ cumulus acceſſerit, poſtquã & certi nuncij, & tuarũ literarum teſtimoniũ ſuperuenit. Non deſino itaq; tibi gratulari, & quòd hũc dignitatis apicẽ meruerís, & quòd ex merito ſis aſſecutus: quodq; longe cæteris præſtantius uidet, Leonis optimi maximi Põtificis iudicio auctus & ornatus fueris beneficio. Plurimum enim intereſt, per quem ad dignitates & honores prouehare. Nec uerò tantum tibi gratulari libet, ſed ut tu ipſe ſapientiſsime ſcribis, & mihi gratulandũ puto. Facit enim uel ſumma bonitas tua, uel mea erga te maxima obſeruantia, ut acceſsiones & incrementa tua omnia amici tui ſtudioſi, inter quos ego auſim uel imprimis nomen profiteri, ex æquo tecum partiantur. Cæterũ Di faxint, ut hac dignitate diu tecũ ſaluo Leone, ſaluo illuſtriſsimo antiſtite Medice perfruamur, ſitq; tibi hic non dignitatis faſtigiũ, ſed gradus. Quòd meautẽ aut mea tibi cõmendem non eſt. peccat qui cõmendandum ſe putat eſſe ſuis. Illud uelim pater optime tibi certò perſuadeas, me ex nutu & prudentia tua totũ pendere, ad eam conſilia atq; inſtituta omnia metiar, ceu qui habeam perſpectiſsimũ, te pro eximia bonitate tua non minus cõmodis meis quàm dignitati proſpecturũ. ne uero ſummæ occupationes memoriã forte rerum mearũ adimant tibi, rogaui Naſellum, ut interdũ, quom ſcilicet occaſio arriſerit, Cælium auri inſtillet. Dabit ille operam, ne tibi animo effluam: tu cętera auctoritate qua plurimum polles, omnia exuoto conficies. Bene uale. Calend. Septemb. M. D. XX. Ferraria.

CÆLIVS CAL. HERCVLI FERRARIÆ DVCI IIII. S.

QVICQVID egeris, quocunq; loco hodie fueris, princeps optime ac eminentiſsime, opto hanc diem, quę natalis eſt principatus tui, noſtreq; hilarita-

hilaritatis auſpicium, tibi lætam ac fortunatam fuiſſe. Ego profecto, ut par fuit, pro tua ſalute tuiq; dominatus perpetuitate uota ſuſcepi: ſummum numen obſecrans, ut iſtam tibi ſtationem, teq; iſti ſtationi diu ſeruet incolumem, ut eius clementiæ ſæpe agere gratias, multaq; nobis non modo decennalia, & uicennalia, ſed tricennalia etiam celebrare cõtingat. Felix eſto dux indulgentiſsime. Calendis Nouembribus. M. D. XXXV. Ferraria.

CÆLIVS CAL. HIPPOLYTO ESTENSI ARchiepiſcopo Mediolanenſi S.

SALVE princeps eminentiſsime. Sit enim hæc tibi ineunte anno præfatio accõmodatiſsima. Cælius ille tuę amplitudinis obſeruantiſsimus tibi ſalutẽ mittit, & rectam ualetudinem ominatur, & quom multa quę ad hanc rẽ pertinent, uno propè impetu collegerit, ea tibi hac luce dan da exiſtimauit: non quia te digna, ſed quia tu dignus, ut illis diu multa cum felicitate perfruare. Datum Calend. Ian. M. D. XXXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PHILIPPO LILIO S.

ETSI locupletiſsima illa teſtimonia tuæ in me beneuolentiæ, quæ olim mihi perſpecta, tuis modo literis confirmaſti: ſuerint mihi & grata & periucunda: graue tamen fuit ac moleſtum audire, te minus fortiter & conſtanter ferre tuum à nobis diſceſſum. Non quia ego, quoties mentio fit de te, ac mutua inter nos conſuetudine plena literatæ cuiuſdam ſuauitatis, non propemodũ in eandẽ culpam incidam: ſed quoniã, quom in eam urbem conceſſeris, in qua uiget omnium ſtudiorum ac bonarum artium officina, in ea non ſolum iacturã, ſiquam ea cauſa feciſti, ſarcire potes & corrigere, ſed etiã cumulate & cum fœnore compenſare. Quare ſi ablegato animi affectu tecum ipſe cogita ueris, intelliges te iſti neceſsitati multã gratiam debere: quę tibi pro uno amico, eoq; tenuis admodum ingenij, & nullius propè literaturæ, magnos ac lectiſsimos uiros, & in omni diſciplinarũ ambitu præſtãtes obtulit: ut non dolẽdi ſed gratulãdi potius argumentum præbitũ tibi uideatur. Quare magno atq; excelſo animo has rerũ commutationes nõ modo perferendas, ſed contemnendas etiã tibi perſuadeas: quom uideas fortunam, quę tibi fortaſſe obeſſe uoluit, nulla melius ratiõe prodeſſe potuiſſe. Breui enim futurum ſpero, ut ad nos multo melior ac doctior magno patrũ conſenſu reuertare: ut tum demum omnes intelligant eam, quam de te expectationẽ concitaſti, nõ modo æquaſſe, ſed lõgo etiam interuallo ſuperaſſe. Tu interim in ea ſtudia, in quibus iam multum proceſsiſti, totus incumbe: & quod facis, noſtri memoriã ab omni obliuionis iniuria incolumẽ tueare. De re mea non eſt quòd labores, eo enim loco ſita eſt deorũ benignitate, ut non facile hoſtili incurſu ex arce ſecuritatis poſsit exturbari. Cyriacum uirum doctiſsimũ & magno mihi amore cõiunctum uiciſsim meo nomine ſalutato. Bene uale, & quom aliquid ſucciſiui temporis nactus fueris, ad me ſcribe. X. Calend. Auguſti M. D. XXXVII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. ALBERTO LOLLIO S.

EGO profecto is ſum Lolli ornatiſsime, de quo tu tibi omnia cumulatiſsime polliceare. Tuus enim amor in bona ſtudia ac rectas diſciplinas facile poteſt omnium, qui literis nomen dederunt, fauorẽ ac beneuolentiã emereri: quom tu præſertim in ijs tantos progreſſus feceris, ut ex omni nobilitate noſtræ urbis perpauci ſint, qui tibi cõferendi eſſe uideantur: qui uero præferri poſsit, habeã neminem. Quæ ornamenta quom tu primùm & deorũ benignitate & ingenij dexteritate, ſed multo maximè tua tibi aſsiduitate cõparaueris: auſim tamen ego etiã in ijs nõnihil laudis mihi uindicare. Nam ſi quom fortiter pugnatũ eſt in acie, fuſis profligatiſq; hoſtibus, cornicines ac tubicines de ſe quoq; magnifice ſentire ſolent ac prædicare, quaſi uero & ipſi in partẽ gloriæ uocari mereant: non faciã ego arrogãter, ut puto, ſi me tantæ laudis participem gloriabor, qui nũc monẽdo nunc adhortãdo te ad præclaras artes capeſſendas excitauerim

tauerim. Nam licet tu tibi semper egregius adhortator fueris, nec multum adeo alienis calcaribus indigueris: dum tamen ætas prima adhuc in lubrico fuit, & facile huc uel illuc impelli potuit, recte actum ab ijs existimamus, qui titubanti manum porrexerint, & incertis uestigijs hærentem confirmauerint. Nam & Prodicius Hercules non antè ad præclara illa facinora obeunda animum appulit, quàm multis fuerit nō modo hortationibus, sed præmijs etiã & spe denicq; immortalitatis inuitatus. Quòd si accurati mancipes structuram à se redemptam non antè desinunt excolere, quàm summum fastigiũ inuexerint, quid mihi faciundum putem? quom tam nobile ædificium iam propè ad coronidem perductum uideã. Certè à me nihil prætermittendũ arbitror, quod tua studia possit adiuuare. Quom primum itaq; per meas mihi occupationes licebit, operã, quam à me per literas postulasti, sartã tectam tibi præstabo. Idcq; ob eam causam faciam libentius, ut tu quocq; tũc tibi acriores faces admoueas, quom me tibi tam honesta præsertim requirenti, minime defuisse cognoueris. Bene uale. Pridie idus Iun. M. D. XXXVII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. BAPTISTÆ EGNATIO S.

QVI tibi has reddet, multis mihi nominib. est gratissimus. Is quom hinc solueret iam succinctus & petasatus, me rogauit, ut eum tibi per literas plurimum cõmendarem, id quod facio non inuitus. Tu uero quæ tua est humanitas, quo breuior est mea cõmendatio, hoc me de tua bonitate tuaq; erga me beneuolẽtia, magis cõfisum existima. Bene uale, & me tui semper studiosissimũ mutuò ama. Idib. April. M. D. XXXVII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. ERASMO ROTERODAMO S.

AGNOSCO etiam in scribendo quædam esse decretoria tempora, quæ neq; præuertas neq; prętereas: id ego sum meo expertus periculo. Nam quom sæpe mecum ipse constituissem ad Erasmum meum scribere, iamq; manu calamum tenerem, nescio quo pacto repente aliæ se mihi cogitationes, aliaq; auocamenta obiecerunt: quę & calamum manu excuterent, & in scribendo diem diffinderent. Quam rem sanè periniquo animo tuli, quom in ea non exiguam existimationis meæ partem uersari intelligerem. Nam ad me imprimis pertinebat, coalitam inter nos beneuolentiam non solum comiter sed religiose etiam tueri. Ad hoc illud accedebat incommodi, quòd meo me silentio magna fraudatum iri uoluptate sentiebam, tuarum scilicet literarum suauitate, quom nihil scribendo, tibi rescribendi occasionem adimerem. Nam qua ego alia ratione abs te homine occupatissimo literas impetrarem, nisi scribendo? Et hæc sane accusationis pars tanti est apud me, ut nullo facile dilui possit argumento. Aliàs ego totam hanc cessationem uel facili possum deprecatione redimere, quom præsertim nihil interim acciderit, quod aut me scribere aut te scire nostra interesset. Atq; utinam non potius quædam incidissent digna quæ perpetua obliuione premerentur. Cæterum quod amoris proprium munus est, quodq; sine piaculo prætermitti non potest, memoria nostræ beneuolentiæ alioqui nunquam intermoritura semper apud me incolumis mansit: & quicquid à me in scribendo desiderari potuit, id large & cumulate non desii assidua tuarum uirtutum prædicatione & crebra amicitiæ nostræ commemoratione sarcire. Et hactenus quidem desidiæ nostræ patrocinium tenes. At quom iam fatale illud silentij tempus effluxerit, nunc ab amico tantum admonitus certum offerri nuntium, qui istuc proficiscereturetiam si nullum scribendi iustum argumẽtum suppetebat, scripsi tamen hoc quicquid est, & ferream illam necessitatẽ perfregi, qua scribẽdi occasione oblata, illam quoq; nõ prætermittam grati animi tibi significationẽ dare, tibiq; immortales gratias testari, qui me toties in cõmunionem tuæ gloriæ uocaueris, & in libro Adagiorum & in Ciceroniano tuo de me honestam mentionẽ habueris. Tantũ enim abest ut ego mihi abs te facultatem Ciceronis in dicẽdo ademptam doleam, ut ultro etiã fatear, te multo mihi plus dedisse, quàm ego uel si immodice sim ambitiosus, optare audeã. Rerum enim multarum

multarum cognitionẽ & tolerabile dicendi genus reliquiſti: uiro etiam me eruditiſſimo, cui ſoleo mea ſponte ingenij faſces ſummittere, prætuliſti: quom iure meo nihil poſsim mihi arrogare, ſi modo res ad æquilibrium ueritatis referatur, præter aſsiduitatẽ ſtudiorũ & inexhauſtum optimarũ artium deſiderĩ. Quare quicquid tu mihi quaſi liberalis paterfamiliâs ex cæſis & rutis condonaſti, id omne tuæ bonitati acceptum feram oportet. Cęteroquin tuum ego iudiciũ eo in libello ualde probo: nullum ſcilicet poſt Ciceronẽ omnes eloquentiæ numeros impleuiſſe. Alijs uerborum delectum, alijs grauitatẽ, alijs ſuauitatem, alia alijs defuiſſe: certè in omnibus ordinem ac numerum deſiderari. Sunt enim hæc duo inter ea, quæ apud Ciceronem μὴ μίσεται τὴς μᾶλλον ἢ μιμήσεται. Nec tamen negauerim magnos quoſdam fuiſſe in hoc cenſu proceres, qui metã illam propius acceſſerint, ſed magno tamẽ interuallo propius. Ego cum ijs feliciter actum puto, qui aliquam Ciceronis ſpeciẽ expreſſerunt. Sicut olim Apellis diſcipuli ſe tũc permultum in ea arte promouiſſe exiſtimabãt, ſi lineamenta aliquot præceptoris fuerant adſecuti. Nam omnia, improbum & longe ſupra captũ arbitrabãtur. Bene uale. Quintodecimo Calẽd. Octob. Natali meo. M. D. XXXIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. LAZARO BONAMICO S.

EGo uero incredibili deſiderio pridem teneor ſingulari aliquo teſtimonio probandi, quanta beneuolentia Bartholomæum Riccium amplectar, quem uirum bonũ & bene doctum ſemper iudicaui: ad eam rem conficiendã nihil deerat præterea, niſi occaſio. Eius quoq; mihi optanti copiam fecit ipſe Riccius proximis menſibus. Rogauit enim me per literas, ut quicquid gratię apud optimum principem Ferrariẽſem meorũ ſtudiorum aſsiduitate collegiſſem, id omne in eius utilitatẽ ac beneficium conferrẽ. Nihil ſanè potuit mihi gratius aut iucundius ſignificari: quare plenis (ut aiunt) uelis ferebar, ut huic eius poſtulationi ſatisfacerẽ: quom tuæ mihi literæ recẽtes quaſi Zephyros ſereniſsima à parte cæli inuexerũt: quibus afflantibus nõ ſanè ocyus, ſed auſpicatius inſtitutam uelificationẽ perficerem. Ob id tecũ ipſe cogita uir eminentiſsime, quantæ mihi faces ſubditæ ſint, ut ueſtræ utriuſq; expectationi reſpondeam: quom intelligam me eodem officio duos uiros præſtãtiſsimos poſſe demererí: quorum alterum ſemper amaui, alterius excellentẽ etiam uirtutem ita ſum admiratus, ut nunquam de proceribus rei latinæ iuxtà & Græcæ ſermo inciderit, incidit autẽ frequenter, quin meus mihi Bonamicus uelut in proſcenio famæ collocatus, omnium primus occurrerit. Quare uelim certò tibi perſuadeas, me nullo loco uoto Riccij noſtri defuturũ: utarq; tuarum literarum quaſi honorario quodã teſtimonio, quom uſui uenerit, ad eius cauſæ cõmendationem. nam & ſi lege Pompeia ſummotæ ſint laudationes ex iudicijs, tamen quæ tua eſt authoritas, tuis literis locus dabitur uel apud Catonem. quòd ſi in meo uniuſ arbitrio res ſita foret, iam ego comperendinationes omnes ſuſtuliſſem, nec Riccij noſtri expectationi locum reliquiſſem. Quom uero tempus & negocij maturitas affulſerit, ſine qua omnẽ omnino conatum fruſtrari neceſſe eſt, dabo operam, & ſi multi multis ac magnis patronis ſuam aduerſus noſtra ſtudia cauſam tueantur, ut omnes intelligant: me ita adnixum eſſe in re amici, ut nemo adniti potuerit diligentius, amantius, accuratius. quòd ſi Dis bene iuuantibus res ex uoto proceſſerit, me non dediſſe, ſed accepiſſe beneficium putabo.

CÆLIVS CAL. LAMPRIDIO S.

NON facile poſſum tibi enarrare quàm iucundus fuerit mihi aduentus eius adoleſcentis, qui tuas mihi literas reddidit, teſtes planè tui apud te Cælij memoriã uiuere. Quare & literas obuius accepi, & adoleſcenti meam operã, meaq; omnia officia ſum pollicitus: præſtaboq; quod recepi, ſiquando ille ſui promerẽdi occaſionẽ obtulerit. Non poſſum enim non putare mea dignũ liberalitate, quem Lampridius ille doctiſsimus ſua dignum cõmendatione exiſtimauit: quando mihi abunde perſpectũ eſt, eius iudicium non ab

non ab amore, sed amorẽ à iudicio proficiſci. Librũ Antonij Muſæ de materia ſimplicíũ, de quo iſthic tecũ uerba feci, mitto ad te: in quo nolim miram elegantiã requiras, ſed reconditam quandam rerum cognitionẽ. Hac parte ſi ſtudioſorum expectationi reſponderit, abunde penſum impleuiſſe iudicato. Bene uale, & me ama, magnoſq; illos uiros omnes, quibuſcũ te authore amicitiã iniui, ſaluta meo nomine: Agnellum imprimis, & uirum clariſsimum præfectum arcis. ſed præ omnibus Camillum Capilupum compatrẽ ſuauiſsimum. Magna uirtute iuueni M. Antonio Bendeo noſtro, & uiro excellentis ingenij Iulio Romano nuncupatim meis uerbis ſalutem dicas oro. Iterum uale. XV. Calẽd. Decẽb. M. D. XXXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. ROMVLO AMASEO S.

QVOM Bartholemæus Riccius commentarios illos ſuos quos ex libris Ciceronis excerpſerat, ad me dediſſet, anno puto ab hinc tertio, hominem exiſtimaui & multæ eruditionis & ad literarios labores natum ac planè factum. Ob id eum ſemper incredibili amore ſum proſecutus, optauiq; occaſionem mihi aliquando præberi, qua poſſem hominẽ & literatum, & meo iudicio frugi, inſigni aliquo officio demereri. Quom proximis diebus ipſe mihi ſuis literis ſignificaſſet, ſe cõſtituiſſe uti opera & authoritate mea apud principẽ Ferrarienſem, quo facilius honeſtiſsimo uoto ſuo potiri poſſet: ego lubens operam, curã, diligentiãq; meam ſum pollicitus, & eius cauſa me omnia facturũ recepi. Erã ergo ad omnia Riccij noſtri cõmoda ſatis mea ſponte cõcitatus: quom tuæ mihi literæ ſuperuenerũt, plenæ amoris & raræ cuiuſdam ſignificationis erga illum beneuolentiæ. Quibus inflammatus nõ magis cupio apud illum fidem tueri meam, quàm probare tuas cõmendationes magnam uim ac plurimũ ponderis apud me habuiſſe, atq; utinam res Riccij penderet ex me uno. Nam ad hanc diem & locũ commendationibus ſuſtuliſſem, & ex eius ſententia rem planè totam confeciſſem. Sed multi ſunt competitores, & ij magno ambitu quo iure quaq; iniuria undecũq; aucupantur ſuffragia. Spero me tamen & mea diligentia & tuarum literarum teſtimonio effecturum, ut omnes intelligãt, Riccij etiam abſentis habitã eſſe rationẽ: apud eum principem præſertim qui in re literaria tantum promouit, ut nemo poſsit ei aut uerba dare, aut atra pro candidis ſubij cere. Illud unum fortaſſe noſtra paulo diutius uota remorabitur, quòd ad negocium conficiendum temporis maturitatẽ expectari oportet: citra quam nos planè laborare poſſe uideo, quid proficere poſsimus non uideo. Quòd uero ſcribis te nihil dubitare, quin ego ſim omnia in tuam gratiam facturus, profecto tua non te fallit opinio. Nam quoties aut tu mihi occaſionem obtuleris, aut ego intellexero tuis aut tuorũ cõmodis me poſſe inſeruire, ita adnitar, ut ſentias, me magna animi inductione uoluiſſe tua uota præuertere. Pierio Valeriano homini optimo & uiro doctiſsimo doleo aduerſi quicquã accidiſſe, quod eius feſtinationem remoretur. Eſt enim planè indignus ut eius recta conſilia aliqua fortunę iniuria labefactentur. quòd ſi fatale fuerat, eius iter aliquo incõmodo interpellari, quanto ego malim id eo tempore eueniſſe, quo me adhuc lectulo quieſcentem matutinus atq; adeo inexpectatus ſalutauit: dictoq; aue, dixit & uale. quomq; eius penulam penè diſciderim, nec ui nec precibus potui impetrare, ut tantiſper ſubſiſteret, dum adſurgerem, eumq; familiariter & pro dignitate, ut par fuit exciperem. Sed Di boni quãto ego fortunatior, ſi tunc interfuiſſem quom duo iſthic proceres noſtrorum ſtudiorum capita cõtulerunt, & ſi eorum mihi grauiſsimo ſermone & incredibili ſuauitate uel diecula frui contigiſſet. Bene uale. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

REDIERAM cõmode ex Veneta peregrinatione, quom ſe mihi obtulit Socrates ille tuus uere aureus, & ut Græci dicunt σφυρήλατος. tum ego & tuis literis & tanti Philoſophi occurſu, ut uerum fatear, mirifice ſum oblectatus: quem tamen pro Socrate nunquam agnouiſſem, niſi tuæ id mihi literæ uix tandem perſuaſiſſent. Pulcherrima ſanè & abſolutiſsima eſt imago ſenis, quæ

quę posit etiã parũ eruditos oculos in admirationẽ prouocare, sed ὀδὲν πρὸς ἐκεῖνον σωκράτην. Profecto quom Alcibiades audito Socratis nomine in occursum prodiſſet, primo ipso obtutu se delusum exclamauit. Hui, inquit, ubi gibber? ubi caluitium? ubi denique Silenus ille meus? Quis est hic pulcherrimi nominis malus imitator? Certè ego Socratẽ quæro in Socrate. Quom uero ego & tua authoritate depugnarem, & persuadendi deam, quæ tuis in literis delitescebat, in meæ causæ patrocinium euocassem: festiue ut solebat ille respõdit: Aures fortasse ui orationis expugnari posse, certè oculos non posse. Vt omnis ergo controuersia summoueretur, maluisem procusorem illum amicum nostrum Myronem quàm Phidiam. Hic enim Alexandrum Magnũ non ad ueritatẽ sed ad maiestatem augustiorẽ effinxit. Ille Discobolum suum tunc se absolutissime expressisse existimauit, quom illum distortis contractisq; omnibus artubus effinxisset. Adde quòd literas, quę sunt in ambitu, castiores honestioresq; esse uoluissem. Verum de his aliquãdo coràm cõmodius agemus: neq; enim omnia tutò credũtur literis: quin etiam uereor ne qui sub hoc scrinio subauscultent Corycæi. Cæterum ego tuã amplector munificẽtiam, sed ea conditione, ut solam operam gratuitã esse uelim. Nam aurum muneri acceptũ ferre, insignis foret iniuria atq; impudentia. In re uero tua ita enitar apud Prosperum atq; adeo apud principem, quoties se prębebit occasio: ut absens præsens intelligas diligentia & studio maiore neminẽ procurasse rem suã. Bene uale, & me mutuo ama. Pridie idus Februarias M. D. XXXVII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. DANIELI FINO S.

LIBROS optimi uiri parentis tui, mi Daniel, quantum potui succisiuis horis legi perdiligenter, opus magno quidem ingenio, sed maiore cura elaboratum. In quo nescio an pietatẽ, an acumen & uim dicendi, an rerum atq; argumẽtorum copiam magis admirer. Nam, ut uideo, quæcunq; ueteres ac recentiores scriptores, aut ad asserendam nostræ religionis ueritatem, aut ad expugnandam arcẽ Iudaicę obstinationis in medium attulere, ea cumulate omnia parens tuus unũ in corpus redegit, ut ex eo quasi ex quodam salutari promptuario habeas sub manu machinas, quibus hostes nostræ pietatis nõ solum summoueas & de gradu deijcias, sed etiã prosternas & ad internecionẽ usq; persequare. Atq; utinam multi hoc tam dulci flagello ad internecionẽ usq; uapulent: ut mortui reuiuiscãt, & quom reuixerint ueritatẽ agnoscant, & agnita demum sine fine perfruãtur. O felix igitur flagellum, quo & ueritas ius suum tueri potest, & improbitas cogitur resipiscere, atq; ad meliorẽ frugem redire. Nihil enim melius sontibus ac maleficis optari potest (si Platoni credimus) quàm ut scelerum pœnas luant: & quom propria animi inductione non possint, flagello saltem moniti in uiam aliquando reuocentur. Vale. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PAVLO PELLATO CANONICO Regulari S.

HABEO tibi gratiam, quòd tuas mihi delicias tam amice ac familiariter aliquando impartiare: quibus sanè neq; gratius, neq; iucundius quicquam ad me mittere potes. Quin ut hoc agas, id est ut in hoc scribendi genere te multũ ac frequenter exerceas, hortor & rogo, ut tua diligentia atq; assiduitate ea bona quæ à natura accepisti, meliora reddas & auctiora. Turpe enim foret ac plenum desidiæ, si seminaria illa uirtutũ, quæ animo tuo ingenita sunt, non excoleres, neq; dares operam ut pulcherrimã aliquando frugem parerent: præsertim quom in hoc genere literarũ quæ ad poeticen pertinent, nemo sibi possit nomen comparare, nisi summum fastigium fuerit consequutus: tantum abest ut quisquam mediocri exercitatione contentus esse possit, aut sibi aliquid nominis polliceatur, si in medio subsederit. Facile autẽ ad summos peruenire poteris, si optimos quosq; scriptores tũ ex Græcis, tum ex Latinis tibi proposueris, ad quorum imaginẽ te ipsum effingas. Quare quom cætera omnia quæ à summi numinis

liberalitate proficiscuntur, large tibi suppetant: enitere obsecro, ne tu solus tibi defuisse uideare. Bene uale.

CÆLIVS CAL. VINCENTIO CAPRILI PHYSICO S.

TVÆ mihi literæ fuerunt pergratæ, tum quòd abs te uiro multę literaturæ & compatre omnium mihi charissimo proficiscebantur, tum quòd ex ista absentia tua mutuam inter nos beneuolentiam nihil iacturæ fecisse testabantur. Di faxint, ut quicquid molestiæ utriq; nostrum accedit tuæ peregrinationis causa, id magna & insigni aliqua utilitate fortuna sarciat, ut possim tibi dictum illud ueteris poetæ occinere: Multi peregre rem suam gesserũt probe. De aliquot urbibus Calabriæ à rege Turcarum incensis ac direptis, multisq; mortalium milibus in seruitutem abductis, ac demum de uastatione insulæ Corcyræ audiueram antea. Qui nuntius mirifice animum perculit: non sanè, quòd ea res apud me maiorẽ fidẽ fecerit uaticinijs Sauonarolę nostri, quàm fuisset antea: sed quòd uideã hæc atq; his multo atrociora nobis imminere, nisi aliquando principes nostri resipiscãt, & ab intestinis simultatibus desinant. Quòd si sapientissimus senatus Venetus nũc demum tanti hostis perfidia admonitus cum ijs principibus, qui rem Christianã saluam uolũt, fœdus inierit: seq; hostẽ in communẽ hostẽ declarauerit: persuasum habebo inexcogitabili dei optimi prouidẽtia recentem hãc calamitatẽ incidisse, ut scilicet tãti nobis tanta securitas cõstaret. Lanuginosam illam pilam quam misisti ad me, bona fide accepi, & eo nomine tibi gratiam profiteor. Nam licet planè uideam nõ esse illud opus halcyonum, esse tamen halcyonæum tecum sentio: uel quod ex eo halcyones nidum struãt: uel, quod magis reor, quoniam eadem sit utriusq; materia, & propê par opificium, sed hoc naturę sponte concretum. Nam quomodo in hoc nidulari possint halcyones? cui neq; aditus sit, neq; cõceptaculum, in quo pulli edantur, uel editi alantur: præsertim quom Plinius & ante Plinium Aristoteles nidis halcyonũ os paulum eminẽtius, sed perquam angustum tribuat. abest præterea huic duricies ferro impenetrabilis, abest rigor ille à spinis belones siue acus, ex quibus constant, contractus. Ad hæc nihil habet simile medicorum cucurbitulis, quibus est collũ porrectius. Ergo hoc halcyonęũ existimabimus, non illud auicularum opera cõfectum, sed quod intra fornacẽ excoctum delicijs fœminarum paratur: de quo lepidus poeta meminit: Ore fugant maculas, halcyonea uocant. Quod uero petis ut tibi auem Halcyonem ostendam, quom tu mihi nidum ostenderis: & si tecum uti possim exceptione non persoluti precij, tamen quoniam in cõtractibus bonæ fidei scriptum, inter bonos bene agier oportet, eam esse dicam quam hodie nauticum uulgus hirundinẽ marinã uocat: haud multo passere ampliorem, colore tum ceruleo, tum uiridi, tum etiã leniter purpureo insignẽ, eoq; non partiliter ita distincto, sed ex indiscreto uariè toto corpore & alis & collo refulgentem, rostro subuiridi & longo & gracili, querula admodum uoce peruolantẽ maria, & in præruptis scopulorum nidificantẽ, cui pręterea pisces in cibo sunt. Illud animaduertendum, uel Plinium Aristotelis uerba non transtulisse ad fidem: uel, quod credo libentius, nos parum castigatum habere codicẽ: apud quem pro uiridibus pennis candidas, pro rostro collum legimus. quod ut facilius intelligi possit, utriusq; uerba subscribam. Et hęc quidem primum Aristoteles, ἡ δ' ἀλκυὼν ἐστὶ μὲν οὐ πολλῷ μείζων στρουθοῦ, τὸ δὲ χρῶμα καὶ κυανοῦν ἔχει καὶ χλωρὸν καὶ ὑπὸ πόρφυρον, μεμιγμένως δὲ τοιοῦτο τὸ σῶμα πᾶν, καὶ αἱ πτέρυγες καὶ τὰ περὶ τὸν τράχηλον, οὐ χωρὶς ἕκαστον τῶν χρωμάτων. τὸ δὲ ῥύγχος ὑπόχλωρον μὲν, μακρὸν δὲ καὶ λεπτόν. Halcyon non multo maior est passere, colorẽ autẽ habet cæruleum & uiridem & subpurpureum toto corpore permistum. ad eundẽ modum habent alæ & quæ sunt circa collum partes. Neq; singuli colores seorsum spectantur. Rostrum illi subuiride, sed oblongum & gracile. His Pliniana illa comparabis. Ipsa auis amplior passere, colore cyaneo ex parte maiore, tantum purpureis & candidis admixtis pennis, collo gracili & procero. At qui diuinator aliquis Plinij uerba mutila, & ad hunc modum sarcienda existimauerit. Ipsa auis amplior passere, colore cyaneo ex parte maiore, tantum non purpureis & pallidis admixtis pennis tam in alis

quàm

quàm etiã in collo. roſtro gracili & procero. Nam Plinio ea quæ tam perſpicue ſcripta ſunt apud Ariſtotelem, uel ignoraſſe uel per incuriam prætermiſiſſe, mihi nõ fit ueriſimile. Quòd ſi quando nobis, quod utriuſq; noſtrũ cõmodo fieri poſsit, illud acciderit, quod Socrati & Chærephonti aliquando accidiſſe ſcribit Lucianus, ut ſub occaſu Virgiliarũ, uel per brumam dieſq; illos ſeptem Halcyonios, ſedentes aliquo in promontorio maria proſpectemus, futurum ſpero, ut quam modo, Ariſtotelico penicillo depinxi, tibi etiam prætento digito oſtendam Halcyonem. Bene uale, & eſto mihi ad iſtum modum perſæpe liberalis. Datę ad XI. Calendas Octobris. M. D. XXXVII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. SCIPIONI BALBO S.

ITINERARIVM tuum legi mi Balbe cum uoluptate, ſed tu homo delicatus planè id tibi præter natales nihil debere uoluiſti. Nudum omnino atq; incultum, hocipſo puto gratiam emereri poſſe exiſtimaſti, ſi nihil adſcitum haberet, nihil fucatum, niſi quantum primigenius dies inuexiſſet. Omnino in eo impetus quoſdã poeticos agnoſcimus: ex quibus intelligi poſsit, quantum efficere potueris, ſi ſtylum inuertere quàm ingenio indulgere maluiſſes. Bene uale.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

PORPHYRIVM ac Simplicium uenientes ad me hilari fronte accepi. ita enim par fuit accipi duos ſummi Philoſophi Ariſtotelis apparitores, præſertim quom abs te uiro utiq; humaniſsimo proficiſcerentẽ. Lõge aũt fallebare, ſi gratiores mihi futuros ſperabas, ſi plus cultus prætuliſſent, & ornati umbilicis & expoliti pumice ad me peruenisſent. Apage hos calamiſtratos & comatulos, qui ſine chlamyde Syloſontis prodire in publicũ recuſant. Atqui me ita domeſticus & familiaris cultus oblectat, ut amicos optem uel in ueſte cęnatoria mihi occurrere, dũ ſub tumultuario illo amictu multũ cãdoris, multumq; beneuolẽtiæ cõuehãt. Quare te poſthac rogo, ut ita de me ſentias, ut de eo ſentiri oportet, qui precium muneris in amicorum animis ſtatuit, & liberalitatẽ non ex cenſu, ſed ex uoluntate metitur. De Euſtratio faciam quod me facere monuiſti. Quod Amianum & Caſsiodorum te mihi curaturũ ex Germania polliceris, gratiam habeo, conditionẽ accipio, quantumq; in utrunq; impenderis, tantundem tibi Venetijs aut quo uolueris loco refundã. Gallum illum in titulum De fructibus iam acceperã, quom tuæ mihi literæ redditæ ſunt. Abortiua epigrammata, quæ uoluiſti à me ſcribi in nuptias Georgij Loxani uiri clariſsimi, ad te mitto, ut intellígas me tuę uoluntati quàm meæ exiſtimationi inſeruire maluiſſe. Bene uale, & me ama tui amantiſsimum. Pridie Nonas Septemb. M. D. XXXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. COMITI ALPHONSO CAL. NEP. S.

QVOM tuæ mihi literæ ſemper ſint periucundæ, tum uero longe mihi ſunt iucundiſsimæ, quom tua ſtudia omnia in uirtutẽ propenſa teſtantur. Feliciter enim tecum actum eo uno nomine exiſtimauerim, ſi amore uirtutis ſucceſsus ad hanc omni animi inductiõe, & plenis, ut aiunt, uelis proueharis. Cætera enim in hac noſtra mortalitate incerta ſunt, & fortunæ telis obnoxia: ſola uirtus conſtans atq; æterna eſt. Hanc uero pulcherrime coles, ſi eos tibi imprimis comites adſciueris, qui eodem uirtutis ſtudio teneãtur, & publica hominum opinione comprobentur: tum etiam eos tibi imitandos propoſueris, in quibus uirtutis radij effulgeãt. Quom uero duplex uirtus ab Ariſtotele ſtatuatur, & altera ex rerum optimarũ cognitione pendeat, altera in præclariſsimis actionibus ſit cõſtituta: utranq; facillime adſequere, ſi omnia quæ audiueris, uideris, legeris, ad rationẽ uiuẽdi referas: hoc propoſito, ut turpia deteſteris: pulchra uero, id eſt honeſtati cõiuncta, memoriæ cõſtanter adfigas: ut inde quaſi ex prõptuario ad confirmandos mores, & totam uitã inſtruendam præſidia tibi depromas. Et quoniam

noſtris uiribus fruſtra confidimus, niſi afflatu ſummi numinis aſpirante: iccirco noſtras omnes ſpes omnia noſtra uota ad fauorem dei optimi maximi emerendum dirigamus: tum demum illa eſt compendioſa ad gloriam atq; immortalitatẽ uia ex teſtimonio Socratis, ſi operam demus ut tales ſimus, quales uideri & à cæteris exiſtimari optamus. Bene uale. Ferraria.

CÆLIVS CAL. LAZARO BONAMICO S.

EGO ſanè Iacobo Zieglero noſtro tantum tribuẽdum eſſe cenſeo, quantum eorum cuiq; qui rectas diſciplinas cum ſumma probitate coniunxerunt. Eam ob cauſam hominẽ ſumma charitate amplector, & quicquid mihi fortunarum accommodauit deorum benignitas, id propria animi inductiõe homini benemerito cõmune eſſe uolo: & hoc uno me inopẽ ſentio, quòd excelſa illa animi & ingenij ornamẽta non poſſum pari liberalitate exæquare. Rodolphus Campegius clariſsimæ indolis adoleſcens, & tuas literas & Ptolemęum tum diligenter tum ſumma humanitate reddendas curauit. Quo nomine tibi multã gratiam habeo: & quom antea de tua bonitate ac liberalitate multum mihi pollicerer, proximo exemplo admonitus, certum ac perſuaſum habeo, nihil eſſe tam pretioſum in tua ſupellectile, quod non poſſim te autore meo mancipio propè adiudicare. Zieglerus de aduentu tuo Ferrariam nonnihil ſpei fecit, quodq; prẹſentia tua ſis ædes noſtras illuſtraturus. Id ſi feceris, exiſtimabo me pulcherrimũ tuæ in me beneuolentiæ teſtimoniũ accepiſſe. Interim per Muſas te rogo, ut conſuetudinem noſtram diuturno ſilẽtio propemodum ſopitã, crebro literarum cõmercio excitari patiare. Bene uale. Ferraria

CÆLIVS CAL. THEBALDO DE THEBALDIS S.

QVOD optimi ac officioſiſsimi parentis tui in reſpondendo meis literis partes ſubiueris, gratiam multã tibi habeo Thebalde ornatiſsime: non ea ſolum cauſa quòd rem meã diligẽter ac ſedulo procuraueris, ex quo facile intellígo mihi abs te in amore mutuas operas præſtari: ſed quoniam in literis & eruditionẽ tuam, & quantum in ſtudijs profeceris, perſpexi. Quæ res mihi attulit incredibilem uoluptatẽ, atq; ita ut frequenter facias, te uehementer obteſtor. Neminẽ enim habes, qui tuas laudes, uirtutumq; omniũ tuarum acceſsiones me uno propenſius audiat, atq; amplexetur. Ad hæc clariſsimo uiro parenti tuo gratulor, qui te planè ad ſuæ probitatis imaginẽ expreſsit: eumq; nobis dedit filium, cuius opera ac diligentia uti poſsimus, ſiquando patrem maiores occupationes auocauerint. Bene uale, & de Cælio tuo uiciſsim omnia omni ablegata exceptione tibi polliceare. Ferraria.

CÆLIVS CAL. ARNOLDO ARLENIO S.

ACTVS occaſionem certi nuntij mitto ad te precium eorũ librorum, quos proximis diebus ad me & Barbuleium noſtrum miſeras. Mitto itidem eorum quos recẽtiſsimis literis tu te miſſurũ recepiſti, quorum etiam nomina ſeorſum adnotata ſunt in pagella: utraq; ſumma ſcutatos duos includit. Tu uero quę tua eſt humanitas iuxtà & prudẽtia, dabis operam, ut tutò ac bona fide ad nos perferantur. Quòd ſi interim nullus ſatis idoneus nuntius ſe obtulerit, poteris tantiſper ſuperſedere, dum Vincentius hic noſter librorum manceps iſthinc reditum apparabit: qui ut ſpero, ea eſt ſcilicet hominis bonitas, mea cauſa nullum aut officium auerſabitur, aut laborem recuſabit. Tu ſi me ac mea omnia in eo rationario adſcripſeris, in quo ea quę maximè tui mancipij ſunt ſoles annotare, profecto neq; tua te fallet opinio, neq; ego diſpunctioni tanti nominis locum unquam præbebo. Bene uale.

Idibus Ianuarijs. M. D. XXXVII.

Ferraria

Cælius

CÆLIVS CAL. BARTHOLOMÆO PROSPERO S.

VIR magnifice, res meæ in eum locum adactę sunt, ut nisi protinus prę-
V sto sis, mox frustra auxilium implorē. Quare te per tuum genium, per tuas uirtutes, per salutem principis, rogo, fac ut te quamprimum hominis tui semper amantissimi rebus non modo nomine, sed re prosperum sentiam. Bene uale. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

LIBRVM epistolarum ad Atticum recognitum & castigatum ad uetus exemplar Romanum mitto ad te, ut obstrictā fidem aliquādo reluam.
L Di faxint, ut uel ex eo aliquid bonæ frugis decerpas, atq; ita tua studia per me fiant auctiora: uel tu mihi parum utilem codicē exprobres, aliumq; meliorē emendatioremq; objicias, ut tuo auctus atq; ornatus beneficio tibi gratiam profitear. Vir sororis uxoris tuę confirmauit, te breui ad me Alcibiadem missurum esse. Id ego maximopere opto, & rogo ut id perquam facias accurate, nequid ei depereat ex autoritate quam apud principem cōcepit. Sanè ἐκ τῆς πρώτης, scilicet ex priore illa frōte nihil immutari uelim. Est enim faberrime & exactissime excusa, ut nihil quicquā demi addiue possit. In parte aduersa fac amabo ut uel ad imaginē principis omnia ad unguē respondeāt: uel, nisi tædiū aut religio artificē prohibet, hominē exora, ut ea parte cupidinē nobis exprimat, fulmē perfringentem. Obseruaui enim apud receptos scriptores Grecos, Alcibiadem usum atq; oblectatum fuisse hoc symbolo. Adde quòd existimationi numismatis nihil ea causa detractum iri puto: quom fuerit antiquorum consuetudo, ut auersas partes pro temporum & euentuum ratione euariarent: & modo alias & alias inuicem sine reprehensione substituerent. Reliquum est ut ualetudinē itinere conflictatam ut audio cures, & uxorē salutes, & filiolas meo nomine exosculere. Virum optimū & doctissimum Plagaphetā meis uerbis salutato, & illepidissima carmina seorsum in pagella adscripta ei reddito, ea conditione ut ea putet non Apollinis, sed amoris hostimentum.

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ CYNTHIO Gyraldo S.

AVDO te Cynthi, qui serò quidem, sed tamen ut uirum bonum decet oppigneratā aliquando fidē reluas. Epistolas Floridas Erasmi quo loco
L nunc delitescant nescio. Mitto ad te integrum uolumen unde decerptę sunt, ut hoc possis uel in fœnus uel in auctariū tuæ postulationis transcribere. Quæ sint tua infortunia nescio, adeo ego extramundanus homo sum. Siquid est quod ego possim uel fortunis uel opera tibi accōmodare, nō frustra operā meā desiderabis. De epistola Lilij an apud me substiterit, an omnino usq; uiuat, nil est quod ad te scribā, ita mihi penitissime è memoria excidit. Bene uale.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLARVM LIBER XIII.

CÆLIVS CAL. BERNARDINO BARBVLEIO S.

IDEO ueteres iureconsultos uarie usos esse uerbo cōmittere. Nam & ille cōmittit, qui ad certamen contentionēq; prouocat. Vlpianus ad legē Aquiliam Digestorum libro nono: Planè si cedentem uulnerauit, erit aquiliæ locus: ut
V si in certamine seruum occiderit, nisi domino committente hoc factū sit: tunc enim cessat aquilia. Quę loquutio frequens est oratoribus latine loquētibus. Trāquillus in Caligula: Nō cessauit ex eo criminari alterū alteri, & inter se committere. Est altera paulo remotior significatio huius uerbi, qualis illa apud M. Varronē in Re rustica: Itaq; greges ouium lōge abiguntur

ex Apulia in Samnium æstiuatum: atq; ad publicanũ profitentur, ne, si inscriptũ pecus pascerent, lege censoria cõmittant multam: id est, in multã incidant. Hinc apud Iureconsultos cõmissum pro delicto, seu delicti pœna: quo usus est cõmode Martianus titulo De publicanis & uectigalibus & cõmissis. Siquis, inquit, professus apud publicanũ fuerit, nõ tamen uectigal soluerit, hoc cõcedente publicano, ut solent facere: Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, res in cõmissum non cadere. quom enim, inquiũt, professiones recitãtur, cõmissum cessat. Tryphonius De minoribus: Non fit ætatis excusatio aduersus prę cepta legum ei, qui dum leges inuocat, contra eas cõmittit. Sed illa multo rarior, quom hæreditas, bona, prædia cõmitti dicuntur. Paulus libro Digestorũ tertio: Si uero iusta causa fuerit, propter quam integra centum custodirentur: ueluti si periculum erat, ne prædia in publicum cõmitterentur: ne pœna traiectitiæ pecuniæ augeretur, aut ex cõpromisso committeretur: non solum decem quæ in hæreditaria negotia impenderim, sed etiã quinquaginta quæ mihi debita sunt ab hęrede, me cõsequi posse. In publicum cõmitti, est publico adjici, & ut aiunt, ærario seu fisco applicari. Hoc loquutionis genere uidetur usus Cicero tertia in Verrem actione: Est in eo Testamẽto, quo ille hęres esset, scriptũ, ut statuas in palęstra deberet ponere: faciemus ut palæstritæ negẽt esse positas. petant hæreditatem, quòd eam palæstræ cõmisisse dicant. Illa uero multo omniũ rarissima, super qua me consulis, qua Vlpianum peculiariter inter Iureconsultos usum uideo, ut aliquot locis obseruauimus. Nam titulo De bonorum possessione cõtra tabulas, quinquies hoc dicẽdi genus repetit. Quale illud: Siquis ex liberis hęres scriptus sit, ad cõtra tabulas bonorum possessionẽ uocari nõ debet. quom enim possit secundum tabulas habere possessionẽ, quod bonũ est ei contra tabulas dari: Planè si alius cõmittat edictum: & ipse ad cõtra tabulas bonorum possessionẽ admittetur. & rursus: Vt autẽ admittantur ad bonorum possessionẽ, ex liberis eos esse oportet. Cęterũ si adoptiuum filium dedi in adoptionẽ, & hęredem scripsi: cõmisso per alios edicto bonorum possessio contra tabulas ei non dabitur. & alibi: Non est nouum ut emancipatus prætéritus plus iuris scriptis hæredibus fratribus suis tribuat, quàm habituri essent, si soli fuissent. quippe si filius, qui in potestate patris est, ex XII. parte hæres scribatur, emancipato prætérito, dimidiam partẽ beneficio emancipati occupat. Qui si emancipatum fratrem non haberet, duodecimam partẽ habiturus esset. Nam & si ex parte minima sit hæres institutus, non pro ea parte qua institutus est, tuendus est, cõmisso edicto: sed amplius per bonorum possessionẽ habere potest. Prætoris enim propositũ est, quom contra tabulas bonorũ possessionẽ dat, eas partes cuiq; liberorum tribuere: quas intestato patre mortuo in hæreditate habiturus esset, si in potestate mansisset. Et ideo siue emancipatus, siue is qui in potestate mansit, siue in adoptionem datus, ex minima parte hæres scriptus sit: nõ redigitur ad eam portionem, ex qua institutus est, sed uirilem accipit. Idem quoq; alio loco: Liberi qui contra tabulas habere nõ possunt, nec partem faciunt, si per alios cõmittatur edictum. Quod enim bonum est eis fauere, ut partem faciãt, nihil habituri: Et paulo inferius: Exheredati liberi quemadmodũ edictũ non cõmittunt, ita nec cõmisso per alios edicto, cum illis ueniũt ad bonorum possessionẽ: unaq; eis querela supereſt, si de inofficioso dicãt. Quibus omnibus locis cõmitti edictum nihil planè est nisi edictum uigere ac pollere aduersus uoluntatẽ testatoris. & ille cõmittit edictũ, qui edicti beneficio utí potest. Nam quom antea tam mancipati quàm ij qui in potestate patris remanssissent, si à patre prætériti fuissent, nihil ex bonis paternis consequerentur: postmodum edicto prętorio cautum est, ut portionẽ sibi obuenientem, quam uirilem appellat Iureconsultus, ita petere possent, ac si pater intestatus decessisset. Quo facto tabulæ paternę rescindebãtur. Sed ea res non ipsi soli cõmodum inuehebat, sed & fratribus cęteris qui fortè fuerant instituti: qui nõ secus uirilem portionẽ adsequebantur, ac si pater testamentum non cõdidisset. Nam puta duos fratres fuisse: quorum alter prætéritus, alter ex uncia institutus fuisset: quom primum prætéritus ille cõmittebat edictum, id est prætoris beneficio utebatur, suamq; sibi portionem, hoc est hæreditatis semissem, petebat: & alter institutus nõ iam adigebatur uncię sibi relictę acquiescere

scere, sed erat ei integrum alterum sibi semissem petere. Quinimò rescisso testamento & petita contra tabulas bonorum possessione, dubitatũ est an legata deberentur, & uerius fuit, non deberi. Edictũ uero prætoris præteritis tantũ, non etiã exhæredatis opitulabatur: relinquebaturq; tantum exhæredatis querela, ut dicere possent de inofficioso testamẽto. Vsus est idem Vlpianus hac dicendi ratione in eandem significationem, titulo De legatis pręstãdis contra tabulas bonorum possessione petita. Nonnunquam, inquit, contra tabulas bonorum possessionẽ quis habet, iure secundum tabulas bonorum possessionis. ut puta hęres institutus est emancipatus filius, alius emãcipatus filius præteritus. Institutus accepit contra tabulas bonorũ possessionem, præteritus omisit. Apertissimũ est, ut cogatur omnibus perinde legata præstare, atq; si cõmissum edictum non fuisset. Nec enim occasio emancipati præteriti debet institutum lucro adficere, quom præteritus iure suo utatur. & paulo infra. Si duo proponuntur esse, unus in potestate pręteritus, alius emancipatus institutus, apparet cõmissum esse edictum per eum qui in potestate est. Et si ambo petierint contra tabulas bonorum possessionẽ, is quidem qui in potestate remãsit, quom rem ab intestato habeat, non pręstabit liberis & parentibus legata. Emancipatus uero nunquid nec ipse præstat: quia ei rem aufert, qui præstiturus non erat, si solus esset? sed uerius est, uel hunc saltẽ debere liberis & parẽtibus præstare legata. Proinde si contra tabulas non accepit, dicendum est, tuẽdum eum in partem, & utiq; liberis parentibusq; legata præstaturũ. Sed an & omnibus, dubito. Tamen quia plena fruitur uoluntate, plenum etiã obsequium præstare testatoris iudicio pro sui parte debet. Hæc tibi Bernardine iucundissime prolixius ac liberalius explicanda duxi, ut quæ seorsum spectata poterant nonnihil obscuritatis afferre, subiecta oculis uniuersa plana perspicuaq; efficerẽtur. Large tamen edictũ etiã committi dicitur, quom occasio utendi edicti affulsit, etiam si nemo utatur. Erat enim in facultate eius qui à parente supremis tabulis fuerat pręteritus, suo iure uti, id est petere contra tabulas, aut omittere, quando nec prætor apud quenquam inuitum collocat beneficium. Bene uale.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

EN tibi datã atq; oppigneratã iam fidem reluo, atq; huius dilígentię meę testes affero literas pontificias: quas ut uerum fatear, nõ preces aut pecunia, ut plerisq; euenire solet, sed uirtutes tuæ, atq; prædicatio, quam de ingenio ac doctrina tua inuulgaui, tuis præsertim literis cõfirmata, tam facile impetrarunt: ut me etiam non admodum adnitẽte Pontifex maximus tibi responderi mandauerit, & sanctum tuum positum in domino cõmendari. Quòd si cõstitueris uigilias tuas in Italiã atq; adeo ad Pontificis pedes exponere, uides iam tibi præmunitũ iter. Neq; id sanè absq; honorum & cõmodorum tuorum incremento futurum spero: neq; ego tamẽ rerum & actionũ humanarum adeo expers sum, ut huic tantum spei incumbendum putem, quæ plerunq; incerta & lubrica est, & in urbe Romana suos maximè ludos exercet. Sed postquã illustrissimus princeps meus in Italiã uenit, atq; eum reuerẽter salutaui, nihil prius mihi fuit q; de Zieglero meo percunctari: à quo nullas accepisse literas mihi summæ admirationi fuit. At princeps meus, qua est erga te atq; omnes bene literatos animi benignitate, me de te uerba facientẽ pronis auribus accepit: excellentemq; opinionẽ de summa probitate ac ingenio tuo retinere cumulatissimo præconio testatus est. Quare ego mihi occasionẽ tam cõmode oblatã non prætermittendã arbitratus, neruos omnes ingenij intendi, ut hic tibi facillima & certa omnia redderẽ, neq; iam ad meras spes sed ad certissima uocarẽ cõmoda. In quo profecto non multum mihi fuit elaborandum, quando ea est optimi principis erga te benuolentia, ea erga me indulgentia, ut precibus locum omnẽ ademerit. Impetraui itaq;, ut quoties tu animum ueniendi ad nos induxeris, & de ea re Alfonsum Cistarellum commissarium Agrienſem certiorem per literas feceris, ille tibi rursus significet, quo tempore id cõmode facere possis: de tuto etiam comitatu & uiatico abunde tibi ac ministro tuo prouideat. quom uero ad nos peruenęris, cætera quæ ad uictum & necessitates tuas erũt opportuna,

ita in parato offendes, ut nihil sit quòd Pannoniam aut Budam multũ requiras. Adiuuit etiã hos nostros conatus fortuna, quom in aduentu principis mei lectionis mathematicæ locum uacare contigerit, multiq; competitores ambitiose de eo contenderent: ille uirtutis tuæ & intercessionis meæ optime memor, neminẽ substitui passus est, in aduentum scilicet tuum integra sibi linquẽs omnia. Ea uero est loci conditio, ut præter nostram existimationẽ ac decus, honestam etiam utilitatẽ sit allaturus: minimi alioqui laboris, utpote qui diebus tantũ festis exerceatur. Quare nihil est quantum uideo quod aduentũ tuum in Italiã remorari debeat, si modo id tibi semel constitutum fuerit. Habes enim principem tui amantissimũ, qui tuis studijs liberaliter consulere uelit, & possit. Habes Cælium tui cupidissimũ, ut parcissime dicã. Habes ita fortunam arridentẽ uotis, ut nihil tibi metuendum sit, aut de securitate uiæ in uenièdo, aut de inopia quom ueneris. Quòd si animi tui magnitudo ampliores spes concipit, eum nacti sumus patronum & adiutorẽ, qui omnia studia sua ad promerẽdos præclaros homines conferat: nullumq; maius liberalitatis & excellentis fortunæ suæ monumentum extare uelit, quàm plurimis & ijs quidẽ benemerentibus profuisse. Et hæc ita ad te scribo, ut ea tibi certa ac persuasa esse uelim. Cætera quæ in fortunæ manu sita sunt, & quæ Romæ quasi sublustri luce affulgẽt: ea sicut incerta existimo, ita minime tamen desperanda arbitror. Vt uero meam operam tibi hoc tempore studiosius nauarem, & quasi totus in hoc negocium incumberẽ, præter summum amorem quo te prosequor duo imprimis suaserunt: primum occasio, quom scilicet clarissimi principis uoluntatẽ erga te tam bene cõpositam inuenerim. quàm uero lubrica sit occasio, quàm furtim effluit, tu optime nosti. Quare ne tibi desis in hoc rerum cardine, te uehementer iterum atq; iterum hortor. Illud etiam nõ leuiter calcaria & stimulos iniecit, quod qui isthinc proficiscuntur, mihi significant, mancipem illum tuarum mercium iam tertio tuas spes frustrari: teq; animo ægro esse quòd ad eum scopulum allideris, unde portus non facile prospici possit: ex quo si nauim tuã ceu Triton ille Homericus reuulsero, & me prudentem, & te fortunatũ putabo. Bene uale.

CÆLIVS CAL. HERCVLI ESTENSI Duci Ferrariensi S.

I TA mihi proximi hi calores non solum omnia studia, sed mentem atq; animum excusserãt, ut nulli rei obeundæ, quæ paulo altiore cogitatione indigeret, me parem omnino existimarem. Qua ex re ita animũ desponderam, meq; ita desidiæ dederam, ut non putarẽ me facile in gradũ posse restitui: ni tu princeps illustrissime quasi præsens numen cælitus demissum me adeo torpẽtem, & propè à me ipso destitutum excitasses, tuaq; authoritate erexisses, & tacito quodã afflatu maiores meliores q; cogitationes inspirasses. Quòd igitur mihi ipsi sim restitutus, quòd iam sapere incipiam, quòd pristina studia repetam: tibi tuæq; beneficentiæ princeps optime acceptum feram oportet. Ad hęc protinus me igniculi poetici inuaserũt, quibus percitus huius sententiæ argumentũ carmine cõplexus sum: quod subscripsi, nõ ea causa quòd eruditissimis auribus tuis dignum existimarẽ, sed ut beneficij tui præsens & sub manu testimonium haberes. Di te nobis incolumem felicemq; diu seruent. Ferraria.

CÆLIVS CAL. LVDOVICO CATTO S.

T VVM De prescriptione quinq; pedum libellum uir doctissime tam cupide legi, ut uno propè hausto eum absoluerim. Illexit uero me ad eam lectionem primũ incredibilis meus erga te amor, tum singularis quædam opinio de studio ac profectu tuo. Nam mihi uel ab ipsis unguiculis natus ac factus uideris ad præclaras disciplinas, uel si ingenij felicitas, uel si cura spectẽ. Nec profecto animi falsus sum. In ijs enim artibus, in quibus tu te excellentẽ uoluisti, ita emines ut paucos habeam quos tecum conferam: quem præferam, habeam neminẽ. Certè eo in libello & acumen ingenij & argumẽtorum copiam sum admiratus: mirifice uerò me tenuit, quòd iuris peritiam cum eloquẽtia ita per-

ita permiscueris: ut eos longe falli ostenderis, qui hac ætate pernegãt utranq; posse coniungi: ut facile intelligamus non rerum naturã dissidere, sed negligentiã & tardi tatem illis obstare. Quòd uero me in cõmunionem & participatum tuæ gloriæ uocas, mihiq; quasi præceptori adsurgis, humanitatẽ tuam agnosco, quæ multo magis nostræ amicitiæ plus fauet, quàm ego uel si fuerim immodice ambitiosus, possim optare. Tu enim is es quem ego habere præceptorem non recusem: & ego is sum qui more Pythagoræ profitear me ὁ διδάσκῳ, ἀλλὰ κοινωνεῖν. Nec illud protinus sequetur, etiam si olim adolescẽs inter auditores meos adsedisses, me scilicet ea causa doctiorem existimari oportere. Peruagatus enim apud Græcos uersiculus admonet, πολλὰς μαθητὰς κρείττονας διδασκάλων. Multos discipulos meliores esse præceptoribus. Legi ergo tuum libellum non quasi censor aut præceptor, sed ut amicus iudex, qui non minus iudicium quàm amorem habuerim in cõsilio. Et sanè amor gratiam, iudicium admirationem, lectioni conciliauit. Bene uale.

CÆLIVS CAL. FRANCISCO BELLINCINO S.

QVÆ scripsisti apud uos constante hominum cõsensu nuntiari de summis noui principis uirtutibus, ea ita uera sunt atq; explorata, ut quæ apud Sagram gesta sunt, neq; uerius neq; certius nuntiata sint. Quare & uos nobis iure optimo, & nos uobis ex re tanta felicitatẽ gratulamur. Quid enim potest populis beatius euenire, quàm rempublicã ab optimo ac prudẽtissimo principe administrari? cuius illud sit uel unum uel princeps uotum, suo subiectos imperio felices facere. Vnum est quod uerear, ne in tanto uirtutum agmine, quę se undiq; ex fœcũdo pectore depromunt, rumor ille parcius quàm rei dignitas & magnitudo postulet, suam populis lætitiã significauerit. Ita enim inter se uirtutes optimi principis decertant, ut quæ nam ex illis emineat, nemo facile dijudicauerit. Laudanti grauitatem comitas sese obijcit. liberalitas non sinit iustitiam sibi præferri. nec eloquentia sine prudentia, nec prudentia sine eloquentia partes suas tuetur. Ita uero magnitudinem fortunæ perfert, ita agit principem, ut se tamen hominem esse meminerit. Moderationem autẽ animi quis nõ plurimum admiretur? Nam quom sit in omnes bonos indulgentissimus, ipse tamen sibi uni nihil indulget. Quom uero ingenio multũ polleat, quom ad ingenium optimarũ artium & pulcherrimarum disciplinarũ lumen adiunxerit, nihil tamẽ sine prudentissimorum hominũ consilio uel publice uel priuatim decernit. Ita fit ut in hac ætate iuueníli recoctam illam senectutẽ minimè requiramus. Quin hoc Dis immortalibus maiores gratias profiteri debemus, quo spem nobis faciunt certiorẽ, suam hãc in nos beneficẽtiam ex naturę præscripto fore diuturniorẽ. Sed ó me multo Apelle incautiorem. Ille enim tãta felicitate Veneris emergẽtis partes superiores expressit, ut diffisus penicillo reliquas posse absoluere desperauerit, atq; ita in admirationem posteritatis tabulam incohatam reliquerit. at ego multo præstantiorẽ nostri principis imaginem, non Apelleis, sed Socraticis coloribus aggressus exprimere, sentio in primis lineamentis calamum deficere. Sed enim ego me abunde uotum adsequutum putauero, si ex ijs quæ ego uix inumbraui, tu animo colligas, hunc eum esse principem, cui nõ facile uerba dari possint, cuius animus semper quasi in specula excubet, ut adulatores iuxtà & delatores non sinat sibi surripere, neq; in suorum consiliorum arcem cuniculos effodere. Quare in utranq; aurẽ dormias licet: illudq; certũ habeas, in tuam innocentiam nulli obtrectatorũ ius fore Hercule principe. Nec tamẽ ego recusauerim, si ita ratio temporum postulet, tuq; me paulo pressius admonueris cuius tela cauenda sint, omnem tibi operã, diligentiam, assiduitatẽ meam impartiri, quo tua tibi dignitas inconcussa & extra omnẽ fortunæ aleam incolumis maneat. Id quod me citra omnẽ difficultatem facturum spero, uel quòd mirum in modum princeps bonis ac bene educatis ingenijs faueat, uel quòd nihil sit facilius quàm apud æquum iudicem innocentes tueri. Bene uale, & me ama, ut ego me mihi abs te amari persuadeo. X. Calend. Decemb. M. D. XXXIIII. Ferraria.

Cælius

CÆLIVS CAL. PAVLO SACRATO S.

QVANTO uerò putas me gaudio inceſsi, quoties tuæ ad me literæ perferuntur, plenæ bonæ frugis & tuæ eruditionis teſtes? Nec ſolum quas tu ipſe ad me dare conſueuiſti, ſed & quas ad ſe datas amici utriuſq; noſtrum ſtudioſi frequenter mihi legendas depromunt. Mirum profecto quantum ego iſtud ingeniũ iſtosq; profectus tuos amem & exoſculer. quod ut faciã tum aliæ rationes ſuadent, tum illa imprimis me mouet, quòd te quom olim amantiſsimis meis conſiliis utereris, ad præclara ſtudia & gloriæ cupiditatem non deſinebam quotidiana propè declamatione excitare. Qua in re, quom te uiderem meas hortationes atq; incitamẽta tua animi inductione præuertere, incredibili ſanè gaudio geſtiebam: gratulabarq; eam tibi ingenij felicitatẽ: diuinabamq; fore, ut eam laudum ſegetẽ, quæ ſe tum primum late proferebat, ſuccreuiſſe & iuſtum modum accepiſſe homines aliquando admirarẽtur. Hoc ergo iudiciũ meum, uel ſpem conceptam olim, nunc tuear ac ſuſtineam neceſſe eſt: quom me præſertim tanti profectus ſi non autorẽ, adiutorem certè & agnoſcam & profitear: ut niſi ingratus eſſe uelis, tuas mecum laudes partiariò decidas oportet. quod eo nunc confidentius aſſero, quòd te iam in eum locum promouiſſe uideo, unde non facile de gradu deturbari poſsis. Fuit enim quom ſubuererer, ne tibi quom iam ex ephebis exceſsiſſes, atq; in tuam tutelam perueniſſes, cum uoluptatibus eſſet colluctandum, ne conſuetudo iuuentutis parum frugi tibi grauis eſſet aduerſaria, ne uitiũ huiuſce ætatis, ut ſolet pleroſq;, te in diuerſa omnia auocaret. quos ſcopulos quom te uideam nauiter euaſiſſe, & te iam habere cõſtitutam uitæ rationẽ, quom præſertim in optimi ac eminentiſsimi Antiſtitis auũculi tui cõtubernium peruenerís, ex quo omniũ bonarũ artium omniumq; uirtutũ ſeminaria facile haurias: oro te atq; obteſtor mi Paule, ut hunc ſemper ſpectes, huius actiones tum publicas tũ priuatas, ſed intimas illas imprimis imiteris, quarũ te cum paucis ſed melioris notæ familiaribus ſpectatorẽ Di immortales eſſe uoluerunt. puta quom Muſarũ tractat arcana, quom diurnũ penſum mane partitur, aut ſub noctem peractum remetitur: quom diuinas lectiones adit, & cęleſti illo nectare depaſtus lõge ſupra hanc mortalitatẽ ſubuehitur. Quòd ſi te moresq; tuos ad hoc, ut te facturũ auguror, exemplar effinxeris, ſi auunculum oculis, ſed multo magis animo geſſeris, tu quidẽ tibi & perpetuitatẽ nominis & certam felicitatem parabis: tua uero in familia ea ornamenta ſtatues, quæ nulla poſsint iniuria temporum refigi: at nobis qui tibi ſummas omnes acceſsiones optamus, incomparabilem uoluptatem attuleris. Bene uale.

CÆLIVS CAL. IACOBO DE NOIANT S.

TVÆ literæ Lugduni datæ ad quartũ Idus Octobris, mihi fuerunt periucundę: quom ex ijs ſumma cum uoluptate acceperim, te in columem ſub ipſo Arcturi ſidere Alpes ſuperaſſe, Heluetiorũ anfractus traieciſſe, ac natale ſolum demũ attigiſſe. Et hæc quidẽ omnia tibi proueniſſe ex ſententia gratulor. Illud mecum ipſe gaudeo, quòd tua iſta abſentia noſtri memoriã nulla parte labefactatam uideo. Cuius rei teſtimonium illud habeo locupletiſsimũ, quòd in meam gratiam, ut te facturum receperas, protinus librarias officinas Lugdunẽſes excuſſeris, & aliquot mihi libros curaueris, & per certũ mancipem tranſmiſeris. Tãti igitur amoris ſignificationi quipote ego pares gratias inueniam? quod tantæ liberalitati hoſtimentũ? Sanè quom hic ageres, & pulcherrimum illud amoris certamẽ coràm inter nos depugnaremus, incredibili perfundebar gaudio, quom me uiciſsim & uictum & uictorẽ agnoſcerem. Neq; enim aliter tam honeſtam pugnã confici poſſe arbitrabar. Nunc uero abſens occaſionẽ (ut uideo) nimis inclementer arripuiſti, & me tuis officijs opprimendi, & tibi primas uindicãdi. quare non erit poſthac quòd mireris aut mecum expoſtules, ſi quando ego quoq; in inſidijs ſubſedero, & tempus opportunũ nactus, amatoria te talione repercuſſero. quòd ſi Dis annuentibus, & tu has in me expoſtulationes aliquando cõiecerís, tunc me bel-

me bellissime ultum putabo. Sed hæc hactenus per iocum. Illud seriò persuasum habeto, me omnia tibi debere: neq; esse aliquid tam arduum atq; operosum, quod non sim tua causa libenter facturus. Bene ualet soror & uir ororis cum festiuissima filiola, tibiq; omnes magno uoto salutem & felicem reditum optamus. Tu quoq; bene uale, & tui desiderium crebris literis leua. Octauo Calendas Nouembres. M. D. XXXVII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

SI mihi aliquando certi nuntij offerrẽtur, quibus tutò literæ credi possent: nunquam profecto sinerem quenquã ex ijs isthuc sine meis literis cõmeare, præsertim siquid foret quod abs te primo quoq; tempore intelligi oporteret: id quod modo accidisse uideo. Tuæ enim literæ quas proxime accepi, te in eam usq; diẽ significant animo pependisse, ac dubitasse, an tuæ priores literæ cum libro & aureo numismate incolumes ad me perue nissent. quando neq; adolescens ille cui ea omnia cõmendaueras, de suo aduentu te cõmonefecit: necdum meæ literæ ad te peruenerant, quibus te certiorẽ faciebam, ex asse omnia salua ad me fuisse perlata. Quæ si fortè tardius quàm uterq; nostrum optabat tibi redditę sunt, in nuntios ac tabellarios culpam reijcias uelim: qui uel negligenter opera functi sunt, uel quod magis puto, se non satis cõmode obtulerunt propinquo tuo: cui mandauerã, ut eas ocyssime quoad eius fieri posset perferri curaret. Quamuis itaq; ratio postularet, ut eandem cantilenã recanerẽ, id est tibi rursus gratias agerem, & me tibi de tuo munere obstrictũ putarem: quàm etiã delicate tuum Alcibiadem adseruarẽ: tamen ea mihi duxi prætermittenda, quom propè certũ ac persuasum habeam: meas literas, licet serius, aliquando tamẽ ad te peruenisse. Est enim mihi perspectũ, à propinquo tuo non temere cuiq; incertę fidei tabellario literas cõmitti solere. De Socrate quod scribis, pergratũ mihi feceris si eum ad nos quamprimum delegaueris: non solum ut nos meliores suo reddat exemplo, (scio enim quantum aculei eius ferret oratio, propter quod à suis etiã familiaribus uere asilus uocari meruit,) sed imprimis ne suum Alcibiadem incomitatum patiatur: præsertim quom tam formoso adolescenti magno opus esse pædagogo intelligã. Et quamuis Socrates lenoniam artem olim profiteretur, ab eo tamen minime cauendum putarim: qui sub eadem chlamide (ut inquit Plato) illum tam sancte habuit, quàm si cum parente Clinia decubuisset. Sed hæc ioco dicta sint. Tu si ad me Socratem propè περὶ τῶν παιδεραστιῶν renatum miseris, aut certe tu ipse, quod malim, attuleris, certum habeto nihil te posse facere mihi iucũdius, imò te posse planè hoc modo Cælium in cælum statuere. Illud sanè tibi polliceor, & si iureiurando opus esse arbitreris, Iouẽ lapidem deierabo, me uerẽdum illum senẽ in sanctiore lararío habiturum, cui more ueterum cereos & thura succẽdam. Prosperum uirum planè elegantis ingenij allocutus sum, tuiq; amantissimũ cognoui: is quantũ uideo nullo loco rebus tuis est defuturus, sed ubi occasio arriserit. Nam intempestiue ac præpropere tentare quod perficere non possis, hoc est planè aquã tundere & Aethiopem lauare. Dum hęc scribo, mihi nuntiatum est, Prosperum nostrũ uxorẽ duxisse ex Prisciana familia, Di boni, uxorem bene atq; opulenter dotatam, quod Di bene fortunent. Tuum erit nouum nuptum auspicato salutare. Bene uale.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

TERNAS accepi abs te literas eodem tẽporis articulo & ab eodem tabellario: & cum ijs uere aureum Alcibiadem, & insuper librum, quem ad te dederam, probe adseruatũ. In quo uersando nisi bonas horas male collocaueris bene est. Satis lucri factum puta si nihil iacturæ adijsti. Nam quòd ullam frugem excerpseris, uix est ut cogitem. Quod ad Alcibiadem pertinet, ipse ita omnes secum Charites cõuehit, ut tuarum minime literarum indigeat lenocinijs, quibus tamẽ deformissimũ quodq; mancipium potuisti uel licitantiũ oculis approbare: tãtum scilicet, me iudice, polles in hoc mangonio. Quare ne ti-

ne timeas, ea cura ac diligentia à me adseruabitur, ut nunquã in publicum prodeat, neq; à me secubet. Nam præter ea quæ tu prudenter adeo scripsisti, ego etiã riuales reformido, quorum inuidiam non facile sperem me posse perferre. Cæterũ tibi uerbis gratiã non profitebor, sed operam dabo, ne te pœniteat, me tam præclaro munere honestasse. Respondi his literis quæ datæ sunt ad X. Calendas Nouembris, reliquæ VII. & VI. Calẽdas Nouembris præferunt, quarum priores in tarditatẽ cursorum & tabellariorũ atrocissime inuehuntur. Perstringis etiam mercatores: qui fœdis tempestatibus tam facile perterrentur: quasi nescias nos omnes multo libentius σκιαμάχειν, quàm in iustũ certamẽ prodire, & ob eam rẽ leuiculas etiã causas quasi sonticas solere prætendere. Dis uero gratia habẽda est, quòd in tanta cæli inclemẽtia omnia sarta tecta, ut dicitur, ad me peruenerint, ut uetus illud agnosci possit: sat cito, si sat bene. Adolescentẽ quem postremis literis mihi cõmendas, tanta comitate, tam hilari frõte uenientẽ accepi, ut putarem meum me Moratum amplexari. Omnem opem atq; operã meam summa animi inductiõe sum pollicitus. At ille quom se rediturum ad me recepisset, ut cum eo familiariter, id quod summopere optabam, de te ac rebus tuis uerba facerem, post redditas literas nusquã apparuit. Quare si intellexeris me nulla in re illi testimoniũ dedisse mutuæ inter nos beneuolentiæ, neq; tuę expectationi, ut par fuit, respondisse: persuasissimũ habeto, nõ me illi, sed ipsum sibiipsi defuisse. Bene uale, & me ama, ut soles, & meo nomine filiolas exosculare.

CÆLIVS CAL. ANTONIO LVCEIO PHYSICO S.

BENE est uir doctissime postquam inter medias etiã uoluptates memoriam Cælij tui non finis deperire. Quod sanè uix fieri posse confiderẽ, nisi magnus ille animorum tyrannus amor, qui pridem tuę me uirtuti deuinxit, interdum tibi aurẽ uellicaret: teq; admoneret, turpe esse omnibus in rebus uinci, sed in amore turpissimũ. Nam ęteris in rebus ignoscas fortasse quid causeris, quomodo culpã depreceris: quòd autem in hoc beneuolentiæ stadio mutuas operas non reddas, quòd lampada tradas cuiquam, quid est deniq; quo inertiam prętegas, aut dissimules negligentiã? Si quis te munificẽtia superauerit, potes fortunę uitio crimen redimere. Si cursu aut lucta cesseris, iure ualetudinem aut naturæ infirmitatẽ accusaueris. At si posteriores in amando tuleris, te ingratum planè fatearis opus est: quando ea res tota ab ea pendet animi parte, quæ prorsus nostra est in potestate. Vide Antoni clarissime quo ego artificio totam hanc in me gloriã transferre moliar, ceu uero ea una causa faxit ut in ista solitudine & tuas inter delicias tuum Cælium in oculis atq; adeo in animo feras, quòd ego de te nunquam desinam cogitare, & absens absentem quasi prẽsens præsentẽ uideam, & semper amœnitate ingenij tui perfruar. Hæc sunt scilicet illa philtra atq; ueneficia, quibus & memoriã & beneuolentiam tuam excito, ut uel repugnanti ac reluctanti tibi non secus ac fidiculis hoc amoris hostimentum extundam. Gratiã itaq; habeo tuis literis, quæ mihi declararũt, quantum ego Magia polleam: sed & posthac pluribus & grauioribus nodis rhombum hunc amatoriũ adligabo, ut animũ istum tuum diuina uirtute præstantẽ, quo mihi neq; charius neq; pretiosius quicquam esse potest, inexplicabili nexu semper in officio teneam. Illud interim rogo, ut fœminam omni animi atq; ingenij splendore præcellentẽ Partheneam meo nomine salutes. Admoneas etiam Sinapium nostrũ, non mihi placere, ut Galenum meum tam molliter ac delicate habeat apud se. Nam si forte rescierit, cæteros suos apud me fratres cum puluere ac situ colluctari, uereor ne abiurato iure mancipij & dominum & domicilium auerset: delicijsq; Sinapij illectus apud eũ perpetuò esse uelit. Familiares omnes mei ad unum te salutãt. Quin & Roccha tuas literas reuerenter exosculata, quantũ exgannitu cognoscere potui, tibi gratias agit, & quidẽ caninas, quòd honorificam sui mentionem feceris. Bene uale. Calendas Quintiles. M. D. XXXIIII.

Ferraria.

Cælius

CÆLIVS CAL. COMITI ALPHONSO CALcagnino nepoti S.

NVLLA poteras cõmodiore ratione me prouocare ad scribendũ, quàm tu ipse scribendo: præsertim quom tuis literis mihi significaueris, eas quas nuper ad te dedimus, tibi ita esse in delicijs, atq; ita familiariter tractari: ut non solum exscripseris in tuo illo Enchiridio, quo domi & peregrè uti soles, sed dum sæpius ad lectionẽ reuocas, etiã propè memoriæ cõmendaueris. Tum me illud uehementer oblectauit, quòd testaris te non modo ex phrasi ac uerborum delectu fructũ capere, sed multo magis argumenti & sententiarum grauitate ac pondere proficere, easq; in penitissimo animi recessu collocare. Siquidem ij parum sapienter faciunt, qui in pigmẽtaria officina ex odoribus tantum aromatum uoluptatẽ capiunt, quę autem ad curam ualetudinis & salutem conferunt prætermittunt. Scribis autẽ præceptum illud Hesiodi tibi imprimis arrisisse, qui primas partes dat ijs qui suopte ingenio sapiunt: proximas ijs qui alieno cõsilio se cõmittunt, eoq; prudentes fieri uolunt. Teq; daturum operã pollliceris, ut in secunda classe censearis, si minus in prima locum inueneris. Atqui hoc est mi optime fili, iam sapere, iam in se descendere, suamq; supellectilem excutere: & quod difficillimum est, iam se agnoscere: id quod in Pythij Apollinis foribus scriptum fuisse memoriæ proditum est. Atq; hæc ipsa ratio, ut arbitror, mouit Zenonẽ Stoicorũ principem, ut Hesiodium illud præceptum cõmutauerit: primamq; sedem ijs adscripserit, qui alienis admonitionibus se tradunt erudiendos: finitimam illis quos naturę & ingenij bonitas ita instruxit, ut magistris non egeant, & (quod est in prouerbio) suis se armis tueantur: alioqui expetentes amicorum, & eorum qui maiores natu sunt, consilium, se uitare arrogantiã & parum sibi se cõfidere testantur. Præterea iudicio usi alieno, suumq; non negligenter adhibentes acumen, melius & salubrius suis rebus consulunt. Quare tibi iure magna debetur cõmendatio, qui ætatis tuæ cõscius, & multos post me annos ingressus in hoc uitæ curriculum, eum tibi deposcas ducẽ, qui agnationis uinculo & paternę charitatis iure astrictus debet. potest autẽ longioris ætatis beneficio & multæ lectionis adminiculo consilium dare, & uiam qua tibi proficiscendum sit præmonstrare: ut solent plerunq; nauigantes, quom in portũ redeunt, eos qui tum primum soluunt admonere, quos scopulos & quæ uada caueri oporteat. Non possumus itaq; de te non bene sperare, deosq; tibi propitios augurari, quòd & ipse ingenio polles, & nos in subsidium uocas: ut quod tuis ipse uiribus nõ audes, id nostra erga te beneuolentia, nostriq; consilij autoritate sarciatur. Cęterum literas optimi & clarissimi principis legi perlubenter: quibus te & lectissimã fœminam uxorem tuã hortatur, ut ad reditum usq; suum istic esse uelitis, atq; interim loci amœnitate uos oblectare, & uarijs animi auocamentis tempus fallere: eosq; imitari, qui in picturato aliquo uireto, hos aut illos flosculos legunt: alios naribus admouẽt, alios sinu condunt, alios coronę intertexunt. Sed heus tu, sub ortu arcturi, imò iam sæuiente bruma, ubi flosculos inueneris? quin potius & obduratos frutices & arentes paliuros pro flosculis inuenias. Ad euitandum igitur cæli inclementiam puto facile indulgentissimum principem missionem daturum, si uos hoc optare cognouerit: ne grues, ciconię, & hirundines nobis prudentiores putentur, quæ pro uice temporum loca commutant: & calore aut frigore cõmonitæ nunc oras transmarinas, nunc nostras regiones reuisunt. Bene uale, & ama tui amantissimum.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

FECISTI tu quidẽ prudenter, me iudice, qui non duxeris temere prodigendam pecuniã, multo præsertim labore partã, nisi prius iure postliminij reditum in patriam impetraueris. Quare hoc agendum prius, certè ego opera ac studio tibi non deero. Nec modo excitabo sed urgebo etiam præstantẽ uirum Alfonsum Trottum, ut autoritate & gratia, qua plurimum pollet, cõcitatas olim simultates tollat, & ἀμνηστίαν illam celebrẽ apud

Athenienſes reſarciat. Nam ſi hoc faxit, tum cæteræ turbæ quaſi Epheſiæ Dianæ epiſtylia, ſponte ſua facile ſubſidebunt. quocunq; uero tẽpore tu cogitaueris domum uectigalem liberare, ſi meum conſilium fueris ſecutus, non ad me, ſed in manum Iacobi Boiardi argentariĳ primi nominis ac ſummæ fidei pecuniã mittes: qui eam tutò apud ſe habebit, & ex præſcripto tuo erogabit. Vxorem tuam optimã fœminam meis uerbis reſalutabis, & Deliæ puellæ iam feſtiuè, ut tu ſcribis, garrienti in frontem & aurem ſuauiolum meo nomine imprimes. Bene uale compater doctiſsime, & dum hæc tempeſtas deſęuit, abſens abſentem ama. XVI. Calendas Martias. M. D. XXXIIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. ARNOLDO ARLENIO S.

NIHIL facere poteras tua humanitate dignius, aut mihi Barbuleioq; noſtro gratius, quàm utrunq; noſtrum commonefacere de ea Muſarum ſupellectile, quæ tibi nuper ex Gallia & Germania conuecta eſt: eoq; nomine plurimam tibi gratiam habemus. Librorum autẽ qui noſtrã in rem faciũt, nomina ſeorſum habebis in pagella. Quòd ſi eos ad nos mittendos curaueris, quãti eos indicaueris, indicabis aũt quãti eos bonitas tua indicandos putauerit: operã dabimus ut tantũ tibi pretĳ & optima fide & quàm ocyſsime iſthic perſoluatur, & inſuper eo beneficio nos plurimũ obſtrinxeris. Bene uale, & nos ex aſſe tuos memineris. VIII. Calend. Aprilis. M. D. XXXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ CYNthio Gyraldo S.

HABEO tibi gratiã mi Cynthi quòd tuas delicias, id eſt lepidiſsimos tuos uerſiculos ad me dederis, quos ipſis planè Muſis dictantibus te excepiſſe credimus. Hoc ſcilicet illorum genius, & incredibilis quædam ſuauitas uel ipſi Midæ poteſt perſuadere. Me certe illexerũt tenuerũtq; dum legerem, ut experirer non fruſtra Homerum ſcripſiſſe, Vlyſsis ſotios guſtata ſemel loto à Lotophagis nõ amplius potuiſſe auelli. Quòd uero mecum etiam paciſceris ut tuas Muſas ad cẽſuram uocẽ, & cum ĳs inuerſo ſtilo depugnem; neq; æquum poſtulas, neq; ego conditionẽ accipio. Phœbum iratum habeam, ſiquid eſt ĳs dulcius, amœnius, elegantius, ut neq; oculatus ille undecunq; Momus uel in earum crepida quicquã auſit arguere. Blande itaq; ac delicate, ut par fuit, à me excepta ſunt. Et quom ad te redire feſtinarent, uix à me tandẽ potuerunt miſsionẽ impetrare. quòd ni crimen plagĳ mihi abs te obtrudi reformidaſſem, in eas uel Cupidinis uincula conieciſſem, uel Sirenum gremio concluſiſſem, tantiſper dum te parentem obliuiſcerentur, & uolentes nolentes eſſe apud me aſſueſcerent. Nam ut uerum fatear, ego mearum deformitatẽ Camœnarũ perteſus magno ambitu unum hoc procurauí, ut tuæ tandiu apud me forent, donec illarum cõſuetudine expolitæ noſtræ meliores elegantioresq; fierent: uel, quod poſtremũ fuit in uoto, ex earum ſaltẽ pigmentis ac narthecĳs cognatam fœditatẽ corrigerent. Bene uale.

CÆLIVS CAL. PETRO BECHINIO Bohemo S.

TSI eo tẽpore quo abs te literas accepi, & tuo nomine me Hippolytus ſalutauit, eſſem multis occupationibus atq; auocamentis laceſsitus: nihil tamen habui potius quàm tuæ uoluntati obtemperare, ac tibi teſtarí, mutuæ inter nos beneuolentiæ memoriã apud me ita uiuere ac uigere, ut nulla neq; temporũ neq; locorum iniũria ſit intermoritura: quando ea uis eſt tuæ humanitatis ac uirtutis, ut non modo bene inſtitutam amicitiam & iam aliquot officĳs confirmatam tueri poſsit, ſed nouos etiam atq; ignotos amicos tibi quotidie comparare. Quæ de clariſsimo & excelſi animi uiro Guizardino ſcripſiſti, ea mihi mirificam uoluptatem attulere. Nam quid mihi eſſe poteſt uel iucundius uel optatius? quàm apud ſummum noſtræ ætatis præſidem, in quo prudentiã, auctoritatem

ritatem literaturāq; ex æquo admiramur, aliquo in numero haberi: & nugas meas, ita enim malim quàm commentationes appellare, tanti uiri iudicio placere. In cælo itaq; sum ego Bechini suauissime, si quæ scripsisti ex animo scripta sunt, nec maluisti amici auribus quàm ueritati inseruire. Sed utcunq; res cadat, hoc unum te saltem oratum uelim: ut si species ac genius eorum quæ scripsimus nō potest mihi amplissimorum hominum gratiā lucrifacere, in eam partem postremo adnitare, ut meum in eos studium atq; obseruantia sarciat, quicquid in scribendo desideratur. In cōmendando Volfango excellentis ingenij adolescēte non est quod multum uerborū prodigas. Eum enim in amoris & consuetudinis nostræ sacrariū ita admisi, ut nihil non eius causa sim facturus. sed nescio quo malo fato euenerit, ut postquam Ferrariam se recepit, uix unquam ei secūda ualetudine frui licuerit. Ea res adolescentē perterruit, existimantē hoc cælum sibi parū salubre: quom tamen uix aliud sit tota Italia, quod aeris temperamento omniū habitudini in uniuersum magis cōgruat. Sed puto morbi seminaria aliubi concepta, hic demum eruperunt. ea res immerentem afflixit. Quicquid uero uel præsenti uel absenti accōmodare unquam potero, in tui atq; illius gratiam nullo tempore desinam certā amantissimi animi significationē utriq; uestrū præbere. Ioannes Hieronymus meus tibi multam salutē dicit, epistolamq; quam expetis, profitetur se protinus à tuo discessu per certum nuntiū in Arlenij nostri manum direxisse: eamq; arbitratur ad hanc diem fideliter ad te peruenisse. quod ni factum sit, non pigebit eum tua causa iterum atq; iterum onus exscribendi suscipere. Bene uale, & me ama tui amantissimum.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

NVNTIVS qui ad te profecturus est, iam petasatus & ad iter procinctus mihi significauit, sibi protinus abeundum esse. Ob id me breuiorem esse oportet quàm aut tu uelles, aut ego antea cogitaram. Et profecto ut longi temporis silentium redimerē, ut dispendia diuturnæ ægritudinis sarcirem, tuisq; literis hostimentum aliquod reponerem: me atticismo potius quàm laconismo uti par fuit. Sed hoc meum mihi propositum extorquet tabellarij festinatio. Breui itaq; tibi hoc imprimis scribendum putaui, quod iucundissimum tibi fore arbitror: me dei opt. max. benignitate, ex grauissimo morbo cōualuisse, ac propè salutem pristinam reparasse. Eius rei testimonium esse poterit, quòd in his literis meum chirographum agnosces, quom multos iam mēses librarij manu uti consueuerim. Mox illud habebis exploratū, neq; temporis interstitiū, neq; uim aduersę ualetudinis, quicquā ex summa in te beneuolentia ademisse: sed tui memoriam uiuere ac uigere apud me incolumem, nō secus ac si mihi tuarum uirtutum fructu tuæq; consuetudinis suauitate quotidie frui liceret. Neq; id mihi multis argumentis probandū puto: quom omnia quæ non solum ad dignitatē atq; utilitatem tuam pertinere significasti, sed quæ tibi etiamnum ex amicis tuis grata fore intellexi: summa diligentia, fide, assiduitateq; faciunda curauerim, uel tunc quom decumberem & rebus meis nuntium misissem. Quin & nuperrime Georgio Lubiano, quem mihi per literas cōmendaras, in tuam gratiā omnes quas potui amoris significationes dedi: plures etiā daturus, si mea opera & authoritate pluribus aut grauioribus in negotijs uti uoluisset. De quodam etiā Bartholomęo, quem tu nebulonē appellas, te ad me scripsisse profiteris. Eas literas neq; accepi, neq; quis ille sit nebulo, aut quid sceleris designarit, satis animo possum conijcere. Quare si quid est quod tua aut mea scire interfit, rursus me certiorē facias uelim, præsertim ut à quo mihi cauēdum sit, planius ac certius norim. Sed me interpellator iste succinctus ac penulatus longiorem esse non sinit. Bene uale, & me ama, tuosq; omnes meo nomine saluta. Calendis Nouembris. M. D. XXXV. Ferraria.

Epigrāma quod à me iterū atq; iterū flagitaras, cōmentationem præterea super attagenis scripserā, atq; ad te miserā: sed an bona fide in tuas manus peruenerit, nondū habeo satis compertū. quòd si in transuersum abijsse, teq; utrūq; optare intellexero, quale quale sit, etiā cū existimationis periculo exscribi & ad te trāsmitti mādabo.

CÆLIVS CAL. ARNOLDO ARLENIO S.

NON est quod Barbuleius noster ea causa apud te male audiat, quòd tuarum mihi literarũ copiam fecerit. Ea enim est illarũ species, ut tibi apud omnes gratiam possint comparare: uel si genus dicendi spectetur lene & suapte uena perfluẽs, uel genius iste animi ad omnes homines promerendos factus. Ob id quom ego te antea de una aut altera salutatione amarem, mox uidẽs quàm officiose ac liberaliter cum Barbuleio ageres, cœpi te habere charissimũ: & quom literę illę quasi prędes inter nos interessissent, cœpi de te mihi omnia polliceri, & uicissim omnia tibi mea repromittere. Summa igitur fiducia ex eo tempore opera tua uti non destiti, quam ita promptam & expositã semper inueni, ut uix unquam rogare, sæpe gratias agere oportuerit. Id quod & nunc facio. libros enim quos ad me dedisti bona fide accepi, & Vincẽtio librorum mancipi, ut tu mandasti, duos scutatos & dimidiũ insuper enumerauí. Reliquum est ut si qua in re opera mea tibi usui esse potest, me crebro cõmonefacias, ut amorẽ erga te meum, & me benegratum aliquando testari possim. Nauigationes Petri Martyris, si penes te sunt, opto ad me mittas. quantum pecuniæ & cui erogandum præscripseris, erogabo. Bene uale. Nonis Feb. M. D. XXXV. Ferrariæ.

CÆLIVS CAL. BONAVENTVRÆ PISTOPHILO S.

PERDIFFICILEM mihi uideo actionẽ propositam, Pistophile uir magnifice, & planè ut Græci dicũt, ἀσύστατον, in qua reo actoris, actori uero rei partes subeũdæ. Tu te creditorẽ pernegas, debitorem profiteris, atq; has partes obis tanta eloquentia ac ui persuadendi, ut omnibus aliis eas facile probare possis: quin & ipsi mihi, nisi magnitudine alieni æris admonitus, intelligerẽ, quantum oneris sustinerem. Quare si uiri boni, si probi nominis existimationẽ tueri uolo, ueritatis mihi patrocinĩ suscipiendum est: & pro captu ingenij ac infantiæ meæ modulo, & me creditorẽ negare, & debitorem profiteri oportet. Rarũ planè ac pręposterũ uindiciarum genus, debitorẽ esse, ubi non sit creditor. Et quom in rationarijs duplex pagina semper occurrat: permirum sanè nostra in supputatione alteram desiderari. Et quamuis mihi rem esse sentiam cum grauissimo & facundissimo aduersario: qui possit, quod Protagoras pollicebatur, deteriorem causam meliorẽ reddere: non tamẽ mihi deero, & meam mordicus defensionem tenebo. atq; illud interim inclamitabo, quod olim Vatinius: si Pistophilus optimus est orator, non tamen uideo Cælĩ damnari oportere. Cæterũ quod tuũ à me Plinium belliorẽ instructioremq; factum gratularis, non ego is sum, qui mihi beneficij loco statui uelim quod ego summi beneficij loco accepi: quãdo ab ea lectiõe multo me doctiorẽ cultioremq; factum cognosco: idq; non modo ingenue sed etiã libenter confiteor. Et profecto si me meo ex animo loqui sinis: rem planè ridiculam fecerit, qui Plinio, quẽ tu absolutissimo penicillo exornasti, accersita emblemata & inane mangonium addiderit. nõ secus ac si quis Canoni Polycleti, aut Veneri Apellis quæ ἀναδυομένη dicta est, lineas & inutiles circumlitiones conetur adstruere: ut de ipso iure dici possit, quod Cicero in eos pronuntiauit qui cõmentarios Cæsaris reformare tentauerint: ineptis quidem gratum fortasse id futurum, qui uolunt illa calamistris inurere: uerum sanos homines à scribendo deterreri. Bene uale, & me tuo dignum amore puta: quem, ita mihi faueant Musæ, mea singulari in te obseruantia & pietate commereo. Bene uale.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

AQUĘ ad te superioribus literis scripsi, uera sunt, atq; adeo certa, ut quę olim gesta sunt apud Sagrã non sint certiora. non est tamen quod properes, neq; incertas spes rebus tuis bene constitutis præferas. Turpissimum enim est sapienti dicere, nõ putaram, &, spes mea me fefellit. Et, Ego longe aliter animo præceperã. Nam si hæ remoræ tam diu ac tam negligen

negligenter res ſuas curant, in rebus noſtris, quas propè nihil morantur, quid factu ras putamus? Quòd ſi eſſent tibi illæ fortunæ, quæ tibi ac tuæ uirtuti debentur, unde familiam & uernaculos aleres, nõ hæc ſcriberem. Quid enim poſſet mihi eſſe iucun diùs, quàm unà eſſe, quàm de cõmunibus ſtudijs uerba facere cũ Morato meo? Verum ubi nõ de cõmuni uoluptate, ſed de tuis cõmodis agitur, illud imprimis proſpi cio, eoq; clauum omnẽ dirigo, nequid me autore facias pœnitendum. Ob id te amice hortor ac moneo, ne quod nouum conſiliũ ineas, nequid moliaris aduerſus præſentem fortunã, ni prius aut Alphonſi hominis tui cupidiſsimi aut meas literas accipias. Ex ijs enim & ratum auguriũ & aues tibi putabis addixiſſe. Bene uale. Poſtridie Nonas Nouemb. M. D. XXXVII. Ferrariæ.

CÆLIVS CAL. IACOBO ZIEGLERO S.

QVOM hæ literæ ſummã manũ expectarent, iamq; mihi obſignandę forent, ecce à primaria matrona & principe fœmina de Anſubiſe, tua Palæſtina atq; unà deſideratum illud chorographiæ ſpecimẽ adfertur. Di boni, quanta me uoluptate ea res perfudit. quom enim ſubuererer, ne quæ pollicebare uel in trãſuerſum abijſſent, uel in longiorẽ diem diffinderentur, mirifice lætatus ſum iam præſto eſſe, eoq; nomine tibi à me gratias deberi. Nam ſi meæ literæ ſine hac acceptilatione ad te peruenijſſent, ſcio quantum tibi moleſtiæ attuliſſent. Hæc autem ipſa chorographica protinus, ut tu mandaras, ad eos cenſores retuli, quos tu tibi elegeras. Qui ad ſpectaculum tanti apparatus uno conſenſu Euge ſucclamarunt. Et ſanè rationem hiſtoricam mihi tenere uiſi ſunt. quom autẽ ſciſcitarer quæ ratio diaſtematum, & totius hypographes: ita obmutuerunt ut rem maiorẽ eorum captu omnino intellexerim. Sed tu age macte ingenio, & quod pulcherrime exorſus es opus, feliciter pertexas: ut ijſdem quadrigis quibus ad famã proueheris, nos quoq; ad æternitatem nominis perducas. Iterum uale.

CÆLIVS CAL. PETRO NICOLEO CASTELLANO S.

LIBRVM tuum De animorũ immortalitate, quem nuper ad me miſiſti, legi tanta cum animi uoluptate, ut me propè immortalem factũ putauerim. Video enim te undecũq; argumenta collegiſſe, quibus immortalitatem adſereres: eaq; in ſententia fuiſſe Ariſtotelem probares, ſummum illum quidem Peripateticorum principem: cui ſanè tantũ tribuo, ut primas ei in diſſerẽdo facile deferã. neq; in hoc ſenſu Platonẽ excipio, quod pace ueterũ dictũ uelim. Sit enim Plato, quod omnes fatemur, amœnior ac ſuauior in dicendo: alliciat blãdius in ſententiã auditorẽ, inductionibus inſinuatiõibusq; nos ita circumſcribat, ut quaſi aliud agentes non ſinamus modo, ſed optemus etiam nobis quicquid ille propoſuerit, perſuaderi. Certè Ariſtoteles acrius pugnat, & cogentiſsimis rationibus adigit manus dare. Nam & cõminus cõgreditur, & abiectis Samnitum haſtis, quibus ad uoluptatẽ magis gladiatores quàm ad pugnã utebãtur: demonſtratiuo ſyllogiſmo, id eſt fulgentibus armis, quibus iugulum appetat & hoſtem conficiat, in animos hominum graſſatur, & uolentes nolentes in ſententiã rapit. Dolebam igitur mecum, ut uerum fatear, tanto philoſopho eam notam inuri, quòd genus humanum ſuprema animi & corporis interneciõe damnaſſet. Dempta enim hominis animi immortalitate, nullum profecto animal homine infelicius inueniri poteſt. & ſanè ueteres pleriq; cõſtanter Ariſtotelem eius hæreſeos arguunt. Nam & Plutarchus Chæroneus, & Iuſtinus martyr, quo loco antiquorum opiniones ſuper anima repetunt, eum certò ſtetiſſe pro animorũ interitu conſentiunt: quam ſententiam noſtra etiam ætate Petrus Mantuanus multi nominis philoſophus multis argumentis conatus eſt cõprobare. Tu demũ periclitãti Philoſopho affuiſti uir doctiſsime, conceptamq; ac diu conſtitutã opinionem ex animis reuellere aggreſſus es. quod ita feliciter perfeciſti, ut ipſe licet aliquot locis uariauerit, & ſibi parum conſtitiſſe uideatur, ut nõ ſine cauſa à quibuſdam ueterũ ſepia fuerit appellatus: tu tamen rem totam dubiam antea in unũ conſenſum & quaſi harmoniam reuocaueris, ut te autore à ſuſpicione

ſpicione tanti criminis maximus philoſophus iam omnium calculis abſolui merea-
tur. Debet itaq; tibi plurimum mortalium genus, cuius optimã partem à manifeſta
pernicie uendicaueris: debent boni omnes & qui ſe præclaris actionibus exercent,
ſperantes rectè actæ uitæ præmia, ad quæ inter uiuos uel nemo uel certe pauci aſpi-
rare poſſunt, ſe aliquando liberatos ab hac corporis compage cõſecuturos. Intereſt
enim ſocietatis humanæ, intereſt reipublicæ bene inſtitutæ, ut animorum perpetui-
tas ſit omnibus perſuaſa: ut ſpe præmiorũ boni inuitentur ad uirtutẽ, mali uero ſup-
plicij metu à flagitijs deterreantur. Ob id egregie Democritus dixit, præmio ac pœ-
na uitam cõtineri. Hoc igitur quom tu effeceris, quid ego pro tuis tibi meritis debe-
ri dixerim, niſi ut uictus tibi ſtatuatur in Prytaneo, quod Socrates de ſe dixit: & ſo-
lida tibi imago in Ceramico erigatur, ut monumẽtum tuæ uirtutis, quod pridem in
animis hominum collocaſti, in uiuentium etiam oculos incurrat, & tu uiuens ac ſpi-
rans tua poſteritate perfruare. Bene uale.

CÆLIVS CAL. SEBASTIANO CORRADO S.

S I tibi Venetijs Egnatium uidere cõtigit: ſi apud Regium Lepidi Croti
Di boni qualis & quàm felicis animæ, facta eſt copia: ſi utriuſq; ſuaui-
tate tibi licuit perfrui, multum profecto auribus atq; oculis tuis debes
Corrade ornatiſsime, neq; eſt quòd Ferrariæ Cæliũ admodũ requiras:
& ſi ille quidem eo natus ſit ingenio, ut probis ac bene ſtudioſis tuiq;
ſimillimis faueat, ut literas ac literatos ex animo amplexetur. Cæterũ nihil eſt præ-
terea, ut uerum fatear, quod aut multum ames, aut in eo priuatim admireris. Quod
ſi te Ferrariam contuleris, ut te facturũ polliceris, non præceptorẽ ſed comitem ſtu-
diorum te nactum putabis: eritq; illud inter nos cõmune, quod Pythagoras profite-
bat̃, οὐ διδάσκειν, ἀλλὰ κοινωνεῖσθαι. Cæteras laudes quas in me cumulate cõgeris, boni-
tati tuæ acceptas fero. Facile enim tibi eſt de iſto penu laudũ fœcundiſsimo aliquot
depromere, quas ad honeſtandos amicos uel parum merentes pro animi tui ſenten-
tia prodigas. Bene uale, & me mutuo ama tui amantiſsimum.

CÆLIVS CAL. FRANCISCO ESTENSI AL-
fonſi ducis filio S.

C ERTE ego princeps ornatiſsme non poſſum recte ualere, te aduerſa
ualetudine laborante. Illud tamẽ me ſolatur, quòd & medicorũ diligen-
tia & tua moderatione breui futurum confido ut priſtinã repares ſalu-
tem. Phaſianam auem ad te miſeram, non quia putarem uobis magnis
principibus huiuſmodi aues deeſſe, ſed ut uiuens illa, & prope manu
adſueta, tibi delicias faceret: & moleſtum ocium, quale ſolet ægros inceſſere, uel leua-
ret uel magna parte imminueret. Eã tibi ademptã grauiter & inique tuli. quare poſt
hac ero cautior, atq; operã dabo, ne quę ad te miſero munera auferri poſsint. Tu quę
tua prudentia eſt, æquiſsimo animo hæc quæ leuiſsima ſunt, perferas, & reſtituẽdæ
ualetudini ſolum iucumbas. Te enim incolumi reliqua facillime ſarciemus. Bene
uale, & me ama tui obſeruantiſsimum.

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ CYN-
thio Gyraldo S.

I MPROBE an licẽter magis metamorphoſin illam tibi indicarim, non
habeo ſatis exploratum, certè id cunctanter feci: ut intelligam pruden-
ter ueteres admonuiſſe, Quod dubitas ne feceris. Tu uero quæ tua hu-
manitas eſt, æqui boni omnia conſuluiſti: & tecum illud, quod uerũ eſt,
cogitaſti: me non aliunde anſam ſcribendi arripuiſſe, quàm è tuis lite-
ris. Nam quom tu unus ex profeſſo Ciceronẽ in oculis & calamo ferre ſoleas, nunc
uero ad Apuleium deſciueris, bella ſe obtulit ludendi occaſio: cui tantũ hactenus fa-
ueo, ut me quoq; immutatum & longe ab inſtituto meæ modeſtiæ delapſum confi-
tear. Quòd ſi Steſichoro reddita eſt uidẽdi facultas quom primum palinodiam ceci-
nit, cer-

nit, certè & mihi uenia iure debetur, qui cantilenam illam omnem retexo, omniaq; in integrũ reuoco: tibiq; ablegatis etiã procul rosis, te uirum & summæ quidem uirtutis atq; eruditionis agnosco. Quare si tu te mihi æquum bonumq; prębuisti, quom nondum factũ deprecarer: tu nũc id multo propensius facere debes, postquã eo minus ego mihi ignosco, quo tu mihi magis ignoscendum existimasti. Vale.

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ CYNthio Gyraldo S.

A VDIERAM ego antea, Sirenas cãtus dulcedine nauigãtes in naufragium cogere, ipsas periclitari atq; adeo ad scopulos allidere nunquã audierã. Tuæ itaq; literæ mirificos mihi euentus nuntiarunt, quales neq; Homerus, neq; Vlysses ille πολύτροπος unquã audiuit. Ergo tu Cynthi, Sirenẽ illã nostri seculi, quæ te propè in medias undas pellexerat, & paulominus ex Cynthio Glaucũ fecerat, tuo (ita enim ego arbitror) lepore perculsa: parum abfuit, quin (ut tu scribis) naui ad tignum in amne suffixũ impacta id passa sit quod alijs parabat. Et nunc tuo beneficio uiuit: & puto fatetur inuita, suas suauitates tuis suauitatibus uinci. magna & incomparabilis laus tua Cynthi, qui nõ obturatis auribus, nõ uinctus à socijs, sed sola animi magnitudine tantũ periculum transmiseris. magna bonitas, quom opificem ipsam tui periculi iam sibi diffidẽtem, iam adactam in extremũ discrimen ita liberaueris, ut seruatam se malit, quàm nunquam periculum adijsse: tibiq; uti seruatori suo tabellam suspenderit, pręfixo titulo,

Præsidio seruata tuo pulcherrime Cynthi,
Hanc dicat Eridani ad ripas tibi naufraga Siren.

Nam reliqua illa animi & corporis ornamẽta, quas tu uirtutes uel in dicendo uel in scribendo Latine, Græce, Etrusce, appellare soles: ego totidẽ appello philtra, ego totidem ueneficia interpretor, quibus animos mortaliũ circunscribat. Quid uero pingere acu, & catagraphas imagines exprimere? an non hoc est improuidos oculos præstringere? Sic Circe, sic Calypso, sic Proteus ille uersipellis in oculis miracula faciebãt, quibus pręstigijs ἀναπαλψίαν suã Arcesilas facile approbabat. Nam quòd ad hæc religionem etiã simulatam scribis, mihi uerò rem minime nouam aut miram significasti, qui scią magos & impostores huiusmodi potentissimas duas artes, medicinam scilicet & religionẽ coniunxisse, ut rebus suis fidei & diuinitatis opinionem aucuparẽtur. Tantum ergo abest ut istarum me deliciarũ participem esse uoluerim, ut doleam pariter tibi tantum periculi oblatum, & rursus gratuler, te uel prudentia uel fato sirenios astus euasisse. quod tamen minus mirum mihi uideri solet, quoties in memoriam redit, Sirenas in Creta cum Musis aliquando decertasse, uictasq; ac deplumatas partim dolore partim uerecundia in mare desilijsse, ex quo nomen loco ἄπτερα permãsit. Epistolã quam repetijsti à me, pulchre adseruatã mitto, in qua multa eleganter, multa splendide dicta, nihil transuerso calamo dignum obseruaui: tu quoq; cum ea clemẽter agas obsecro, quæ te patrẽ agnoscit. Habes duabus epistolis tuis bene longis perbreue responsum. Ita enim homo occupatus existimaui me operæ pretium facturum, si ex una fidelia duos parietes dealbassem. Bene uale.

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ CYNthio Gyraldo S.

Q VOM prius addubitassem nequid tibi incõmodi Maga illa de qua ad me scripseras attulisset, & fretus tua constantia in eam sententiam inclinarem, eius tibi ueneficia nihil potuisse incõmodare: quòd præmunitus moly illo Homerico posses omne periculum facile euitare: ecce mihi tuæ literæ offeruntur: quibus quantum potes contendis mihi approbare, eam quam ego uel Sirenẽ uel Circem fueram suspicatus, uirginẽ esse, castam, illibatam, ex comitatu Charitum aut Musarum selectam. Sed res mira planè cõtigit, ut quibus maximè argumentis adnitebaris eam suspicionẽ diluere, ijsdem meam suspicionẽ maximè augeres & confirmares. Neq; me illud mouet, quòd tanto laudum

cumulo blandam illam hostem tuam, ut cõmode Græci dicunt γλυκυπικρὰν, siquidem dulcedini quam tibi propinauit multũ amaroris admiscuit, in cęlum prouehas. Ea scilicet est uis ueneficij, ut animi ijs rebus imprimis pelliceantur, quibus absterreri plurimum deberent. Hæc causa Platoni persuasit, ut amorem magum ac ueneficum appellaret. τὸν γὰρ ἔρωτα, ut inquit Theocritus, πολλάκις ὦ πολύφαμε τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφαντο. Legimus inter socios Vlyssis Gryllum quendam fuisse, quem Circe in suem cõmutarat. Is beneficio Vlyssis in pristinam formã restitutus non desijt inclamare, secum actũ esse infeliciter quòd in hominem redijsset, qui tam suauiter antea in sue uiueret. Virgæ enim illius medicatæ uis ita in animũ tyrannidẽ exercebat, ut neq; homini redditus humane sapere cœperit. Hoc ego tibi (quod uix sine gemitu effari possum mi Cynthi) uideo accidisse. Fascino enim illius tuæ uirgunculę, nunquam satis ut tu te arbitraris laudatæ, perculsus, proh deorũ fidem, ex arce Mineruæ deiectus, in aliam protinus speciem abijsti. Quòd si me urgeas, ut in quod te brutum uerterit ostendam: & si mihi durum ac difficile sit tibi tuam perniciẽ declarare, præsertim quom certum habeam te parum mihi fidei habiturum, uos tamen illustres Physicos imitabor: qui magnam in ea re partem salutis collocatis, siquis cognoscere cœperit, quo morbi genere incessatur. Vna enim hac ratione accõmodatum remedium inueniri, quo ęgro medeamur. Sed quid ego multis te moror? quom ex tuis literis quasi ex speculo id possis non multa cum difficultate colligere. Arrige aures Cynthi. An non audis te qui olim cum cygno Arpinate solebas contendere, nunc cũ asino Apuleiano rudere? Sanè uox ista desultoria, quis sis & quod animal indueris, testari potest: ut neq; tu ipse, tanto licet ore cõfisus, reclamare iam audeas. Sed frustra ego morbũ indicauero, nisi & remedium quoq; præmonstrẽ. Est illud, si experimento credimus, uernas rosas degustasse, nõ terrenæ huius Veneris, quam mortales agnoscunt, sed cœlestis illius quam sub Isidis nomine colebat Aegyptus. Iis enim delibatis, tum te nos Cynthium quasi postliminio recuperabimus. Vale.

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ CYNthio Gyraldo S.

QVOD ego hactenus nihil tuis literis responderim uir doctissime, non est quod arbitrere uel tua apud me studia parum habere ponderis, uel tuam excellentẽ literaturam non tanti à me æstimari, quanti merito ab æquo iudice æstimari debet. Sed ita, nescio quo fato, accidit, ut quom tuæ ad me literę perlatæ sunt, essem tum occupationum mole obrutus: tum ita uiribus corporis destitutus (nam me insolita quędam δυσπεψία dies aliquot male uexauerat) ut ego ipse mei cõpos nõ essem. Quare amabo te per cõmunia Musarum cõmercia, facessat omnis de me sinistra cogitatio: persuasumq; habeas me in studiorũ sectatores albam esse lineam in albo lapide. Doctos uero homines, in quorum censu tu honorificũ tibi tua uirtute locum uendicasti, non solum amare sed etiam admirari. An non ego sim mortalium omniũ ingratissimus, si pulcherrimis tuis literis non faueã? quibus tantum mihi tribuis, quantum neq; uel si immodice sim ambitiosus, agnoscam. qua in re & si ego animaduertam te plus amori & bonitati dare quàm iudicio, tamen non potest tua ista præclara in me uoluntas non mihi esse gratissima. Illud non dissimulabo, me quom primũ tuas literas accepissem, constituisse ad propositam de imitatione disquisitionẽ non prius respõdere, quàm auocationes expunxissem omnes, & essem mihi ipsi per ualetudinẽ restitutus. Sed quoniã tu tuis literis urges, & faces mihi subdis, non cõmittam ut diutius officiũ meum desideres. Abijciam itaq; omnẽ cunctationẽ, & quæ mature digerere cogitauerã, ea tumultuariò in compendiũ redigam, ut intelligas me tuæ uoluntatis quàm meæ existimationis rationem habere maluisse. Bene uale.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

QVOD meæ literæ sero ad te peruenerint, non est quòd mireris. Illud iustius mireris, cur ad te aliquando peruenerint, tam docti hominis iudicium

cium ſubituræ. Atq; habent quod de me iure conquerantur, qui eas prociduo partu natas, eorũ oculis ſubijciam, quibus uix Apellis penicillus ſatisfacere poteſt. Quòd ſi tua humanitas in eas etiam indulgenter agit, non eſt propterea quòd aliquis felicem temeritatẽ probet. Neq; enim quenquã probum exiſtimari oportet, cui non ſua uirtus fauet, ſed aliena bonitas ignoſcit. Et ſanè te uideo quom noſtras literas publico iudicio cõmendari ſcribis, amorẽ habere in conſilio, non iudiciũ. De Athenienſibus illud ſcitum eſt: quę male ac præpoſtere cogitaſſent, ea Mineruę ope corrigi atq; ad felicem exitũ produci. Quod ego uere dictum exiſtimarẽ, niſi illud quoq; poſteritati cõmendatum foret, nunquam Athenienſes niſi pullis ueſtibus amictos de inunda pace cogitaſſe. Ex ijs enim intelligo ita Mineruam Athenienſibus fauiſſe, ut nihilominus imprudentiæ pœnas luerint, & (ut eſt in prouerbio) ſuo periculo reſipuerint. Sed heus tu, quis te, rogo, in Fuluium tam repente trãsformauit? an fiunt & Venetijs metamorphoſes? Et ſunt iſtic quoq; ſuæ Circes? & pocula illa medicata? An quia Grammaticã profiteris, hanc etiam metonymiam putas tibi licere? An hos ſpiritus facit tibi conditio Vicetina? ut terrigenam illum quem Græci χυσὸν, latini aurum uocãt, fuluum illum inquã ac pallidulum cui mortales inſidiãtur omnes, in ſolidus atq; adeo in ſinu te habere omineris? hinc ſcilicet illa tranſnominatio. Sed ego imprudẽs qui ea in re ingenium exerceam, & cauſas conquirã, quam quom tu percõmode (ut puto) enarraueris, ſuppudeat me tam longe à linea aberraſſe. Sed nõ diſcedam hinc priuſquã illud quoq; admoneam: tibi cauendum eſſe, ne ſi hoc modo nomina interpolaueris, ſit tibi de ædibus quas mãcipio accepiſti periclitandum: ſi modo impoſtor aut decuplator aliquis tibi grãdem dicam impegerit. Neq; enim tu ſatis tuam cauſam retinebis, quom tabulæ aliud nomẽ profiteantur, aliud tu hodie geras. Quare amabo te procura diligenter, ne tibi fraudi aliquãdo eſſe poſsit, quod tu per iocũ fortaſſe feceris. Nã bene ſcio, te neq; adoptiõe, neq; teſtamẽto, neq; alia iuris formula nouũ nomẽ induiſſe. Alioqui ſolẽt ὀνομαζθήρα male audire, quaſi aut æri alieno fucũ parẽt, aut ſodali os ſubleuerint, aut plagiũ admiſerint. Certè pellaciſsimus ille Vlyſſes nõ antea Cyclopem circũſcripſit, quàm ſe ex Vlyſſe ὄπῳ feciſſet. Vale.

CÆLIVS CAL. BAPTISTÆ EGNATIO S.

SANE mihi perdifficilis conditio propoſita eſt, ut uel tua, uel Peregrini Morati, hominis docti & ueteri neceſsitudine mihi coniuncti, offenſa ſubeunda ſit. Optat ille tibi à me non uulgari cõmendatione conciliari, quom nulla re minus indigeat. Habet enim ille in ſinu omnia philtra, quibus cuncta præclare nata ingenia poſsint in eius amorẽ ſuccendi, lectiſsimos imprimis mores & præſtantẽ eruditionem. Nihil eſt enim propè in re latina quod non legerit, excuſſerit, annotauerit. Hoc niſi fecero, quod ipſe à me tantopere efflagitat, uereor ne me laborẽ auerſatum & in re amici ceſſatorẽ fuiſſe ſuſpicetur. Sin id fecero, periculũ imminet, ne tu tecum putes, me parũ intelligere quàm ſuperuacuã operam ſumpſerim, qui tibi uni omnium mortalium humaniſsimo atq; officioſiſsimo multo quàm oporteat impenſius cõmendem uirum benemerentẽ, qui ſoles etiã minus merẽtibus tua ſponte ſine cuiuſpiam cõmendatione ſtudia atq; operam tuam approbare. Quare ne in alterutrũ ſcopulum offendam, ſeruabo illud temperamentũ, ut breui admodum utar cõmendatione, atq; illud unum adſcribam: quicquid in Peregrini gratiã feceris, te id apud hominem bonum gratum q; locaturũ. Ego profecto eo nomine me tuo cohoneſtatum beneficio interpretabor.

Bene uale.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLARVM LIBER XIIII.

CÆLIVS CAL. DOMINICO CYLLENIO Anconitano S. P. D.

QVOM magnus ille dithyrambici autor carminis Pindarus magnis se laudibus euehi accepisset, tātū abfuit ut laudatoribus gratias testaret, ut multo magis eos sibi debere prędicaret, ea causa ꝙ eis cōmodè ueritatis dicendæ argumentum obtulisset. Intelligebat enim uir abundans poeticæ laudis (est enim uirtus sui bene cōscia) celebritatem illam nominis non beneuolentia, quæ plerunq; interstrepit iudicio, non adulatione, cui in tanto uirtutis splendore locus esse non poterat: sed ingenio ac monumentis in certam spem posteritatis conscriptis esse comparatā. At ego qui optime teneo, quàm parum laudes, quas in me pleno modio cōgessisti, mediocritati meæ cōsentaneæ sint, non possum dissimulare, quin eo tibi plus debeam, quo minus me tuis parē esse laudibus sentio. Nam quom me ex æquo optimū ac doctissimum honoris gratia appellaueris, sim profecto immodice ambitiosus, si duos istos titulos agnoscam: qui cumulate utramq; uirtutē complectuntur, & eam quę est κατὰ διάθεσιν, & eam quæ est καθ' ἕξιν. Certè unus post homines natos Scipio Nasica ciuitate libera, in potestatē uero Cæsarum redacta Traianus optimus iudicatus est à senatu. Siquidem hoc esse optimum, omnes in se numeros probitatis large comprehendit. Quod ex eo facile potes colligere, quòd maiores nostri non temere quenquā bonum iudicari uoluerunt. Sanè Fimbria homo cōsularis iudex à M. Lutatio Pythia equite Romano, eoq; secundę famæ, delectus: quom is sponsionē fecisset, ni bonus uir esset: se super ea re iudicaturum negauit, quæ innumerabilibus officijs & laudibus cōtineretur. Quanto eum cunctantius de uiro optimo iudicaturū existimamus? qui de bono uiro quicquā statuere non auderet. Doctissimum uero unum ex omnibus memoriæ proditum accepimus M. illum Varronē, cui adhuc uiuenti statua posita est in bibliotheca, quæ prima publicata est Romæ. Oportet enim eū qui sibi hoc nomen uendicat, rerū omnium causas & rationes tenere, quæ toto ambitu Philosophiæ cōtinentur. Quo etiam loco agnoscis puto statum illum uersari, quē rhetores de eodem & altero nuncuparunt. Ex ijs facile potes intelligere quàm ego parce de me sentiā, quàm ego mihi nihil arrogē, tametsi abs te laudato uiro laudatus. Nam licet multa in me sint, quæ nesciā, illud tamen scio, atq; utinā σωκρατικῶς καὶ οὐκ ἀληθῶς, me nihil scire. Quom itaq; tuas literas legerē, uideremq; te imaginarias meas laudes cum ueris laudibus clarissimorum hominum cumulasse, primū illud mecum cogitaui, ὁ ἔχων πολὺ πεπερέως καὶ ἐν λαχάνοις τίθησι. Mox altius cogitans agnoui ῥητορικὸν χῆμα. uobis enim oratoribus mos ille uernaculus, falsis uera, obscuris illustria permiscere, ut ex illis falsa fidem, obscura lucem mutuentur. Illud quoq; tradere soletis inter τὰ τῆς ἐποδοῦ ὠλιγχειρήματα, ut ea quæ recta oratione obtineri non possunt, flexa atq; obliqua obtineātur. Voluisti scilicet me tacite admonere, ut talis esse enitar, qualem tu me tuis coloribus depinxisti. Proinde quom ego de te antea præclare sentirem, mox etiā de tuarum literarum artificio te sum admiratus: in quo (ut uerum fatear) tantum fuit rhetorici ueneficij, ut propè me transuersum abduxerit, & me mihi nonnihil esse persuaserit, nisi ad ἀλεξιφάρμακον illud Homericum protinus accurrissem, οὔτοι ἐγὼ θεός εἰμι. τί μ' ἀθανάτοισιν ἐΐσκεις. Neq; tamen est, quod putes te à me insimulari quasi magis eloquentiæ quàm ueritatis studiosum. Scriberē enim pugnantia, ipso etiā Catone reclamante, si te eloquentē, neq; tamen bonū uirum putarem. Sed tu uetus illud nosti: bonum uirum falli posse, non fallere. & illud Nigidianum: uir bonus pręstare debet ne mentiatur, non etiam ne mendacium dicat. Quare quom summus amor erga me tuus, ut uideo, literas illas tibi expresserit, mihi ultro gratulor, te in meam gratiā maluisse mutuæ

mutuæ inter nos beneuolentiæ quàm tuæ cõsuetudinis rationem habere. Ob id qui te prius amabam tuæ uirtutis ergô, iam nunc tuarum literarũ testimonio succensus, opto mihi insignẽ aliquam occasionem præberi, qua possem tibi minime ingratum animum declarare. Quicquid enim ad cõmodum aut dignitatem tuam pertinere intellexero, persuasum habeas uelim me semper summo studio diligẽtiaq; curaturum. Neq; dubito, quin tuæ uirtutis ductu & in hac urbe, & quocunq; loco fueris, summa omnia adsequare: eaq; eo facilius, quòd habes magnos uiros, & propè ipsos literatu ræ proceres, tui studiosos. Nam quod ad illum pertinet, quem parum tibi amicũ fuisse suspicaris, non uideo cur nulla abs te prouocatus iniuria tibi obesse uoluerit: non ea solum causa quòd eum liberali ingenio natũ semper cognoui: sed multo maximẽ quòd eius existimatio tam alte sita est, ut quum tua gloria etiã multum succreuerit, eius tamen luminibus nunquã possit obstruere. Quare te ut bono animo sis hortor, tuq; ipse tibi confidas, etiam si paulo tardius quàm uterq; nostrum optaret, tua uota processerint: quando ita comparatum est in rebus humanis, ut ea quę à fortuna proficiscuntur, ocyssime: quę à uirtute, uix tandem suscipiant incrementum. uirtutis tamen melior conditio, quòd illa ut cito adolescunt, ita cito intereunt: contrà hæc tarditatem diuturnitate compensant. Bene uale. Datæ pridie nonas Ianuarias. M. D. XXXVIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

TERNAS abs te literas accepi, quibus respõsum debeo. Hui, dices, tam sero expergiscere? Amabo te per tuas delitias tuumq; candorẽ nequid mihi uitio uertas, neq; id negligẽtia uel obliuione uel superbia factum putes: neq; enim hæ labes cadunt in hominem tam impense tui studiosum, neq; id quod inertiæ solet esse perfugiũ, occupationes causabor. Illud dicã quod uere possum dicere: mihi dum expecto aliquid in negocio tuo confici quod sit tuis auribus dignum, quod utriusq; nostrum desiderio respondeat, iam propè alterũ mẽsem abijsse: neq; tamẽ quicquã profecisse, neq; auctiores literas dare posse, quàm si eo articulo, quo tuas accepi, rescripsissem. In causa sunt hominũ inscitia atq; ignauia. Altera effecit ut nolint, altera ut nesciant, quid in rem suam expediat statuere. Itaq; diem ex die ducunt, turpissimi procrastinatores: ut iam propè mihi persuasum sit, eos esse suo ueterno immorituros. Quòd si me meo ex animo metiris: sanè, ausim dicere, officio iam cumulate satisfeci. sin ex euentu rerum, non uideo mi Morate, quomodo unquã possim satisfacere. Quæ meo nomine decuriõibus Vicetinis recepisti, ea præstabo summa animi inductiõe, quoties illi mihi præstandi argumentum obtulerint, daboq; operam ne unquam mea causa, aut nexum ineas, aut tua fides periclitetur. Amabã ego antea de moribus Carolum Fauentinũ, uirũ mea quidem sententia eximię probitatis: nuper uero ex tuis literis testimonio tanta facta est amoris accessio, ut nihil non sim facturus, ut homini merenti beneuolentiã meam probem. Gratulor uero tibi quòd eam uiã iniueris, hoc enim tuæ mihi literæ testantur, quæ te ad summam eamq; perpetuam felicitatem prouehat. Quod profecto tibi perfacile factu uideo: tum quòd semper ex animo, non per fucum philosophiæ Christianæ nomen dederis, cuius rei specimẽ dedisti quom sanctissimis moribus ac disciplinis tuam familiam auditoresq; tuos institueris: tum quòd si ea, quæ summopere bona sunt, maximè sunt uitæ nostræ consentanea: fateamur oportet, nihil esse tam secundum naturã, quàm illud uiuẽdi genus, quod Christo autore didicimus, in quo summa & præcipua bona omnia continentur. Quòd si ad hæc, quę scilicet optima sunt, ultro nos allicit natura: profecto fallitur, qui suæ uel ignauiæ, uel consuetudini, rei difficultatẽ prætẽdit. Venio ad tertias, quibus significas, te incredibile desiderium incessisse ueniendi ad nos, sed illud propè diuinitus fuisse discussum. Qua in re non possum non uehementer probare consilium tuum, qui non solum actus sed cogitationes etiam tuas omnes ad uoluntatẽ summi numinis referas. Dolui tamen, ut uerum fatear, tanti tibi oraculum illud stetisse, ut querquera febre fuerit cõparandum. Alioqui recte factũ puto, q̃ ad nos nõ ueneris. Nam licet nihil mihi tua possit esse con-

esse consuetudine dulcius, nolim tamen ego te sæpius ingratissimis his hominibus oggeras. Memini enim illud uetus, ultroneas putere merces. quom enim illi suã pecuniam suumq; supercilio tanti faciant, à nobis uicissim procurandum est ne eorum fortunæ, aut uirtus, aut animi altitudo cessisse uideatur. Bene uale, & intra limites Christianos tua desideria compesce. Hoc si feceris, te felicem putabo. Idibus Februarij. M. D. XXXVIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. AVGVSTINO EVGVBINO EPIscopo Cissamensi. S.

ETSI ego perspectum habeam quàm peruerse ac præpostere usu comparatum sit, ut tum demum honores amicis gratulemur, postquam eos adepti sunt: quod uero & prius est tẽpore & multo re ipsa honorificentius, honorem scilicet meruisse, nemo est propè qui gratulari soleat: licet hoc quoq; omnes fateantur, alterum fortunæ, uirtuti alterum acceptum ferri oportere: ego tamen hominũ potius consuetudinem quàm meum iudicium secutus gratulor tibi eam dignitatẽ, quam nuper audiui te cum summa omnium approbatione fuisse adsecutũ. Nam pro ea qua te olim prosequor beneuolentia atq; obseruãtia, incredibile gaudiũ concepi te ad apicem episcopatus fuisse prouectum, qua sanè dignitate, si eam seorsum spectemus, suisq; radijs metiamur, Christiana pietas nullam habet illustriorẽ. Sin eorum numerum, qui uel per summã indignitatẽ ea potiti sunt: malim profecto (ut uera fatear) te dignitati quàm dignitatẽ tibi gratulari, utpote cui tua uirtute multum splendoris accessisse uideã. Quare siquid est, quod ad te pertineat, quodq; iure optimo gratulatione dignum uideri possit: illud unũ est, te scilicet maximi ac sapientissimi Pontificis Pauli tertij iudicium meruisse, ut hanc ipsius erga te liberalitatẽ, non beneficium, sed amplissimũ tuę uirtutis testimonium possimus interpretari. Bene uale, & me ama tui obseruantissimũ. X. Calend. Martias. M. D. XXXVIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PAVLO MAGNOLLO S.

NON potuisti cõmodius mihi declarare te hominem esse omnium officiosissimũ, quàm tuis modo literis, qui tam amice ac familiariter me ad officiũ prouocaueris, quicum antea neq; præsentem ullum congressum neq; literarum cõmercium habueris. Quare ultro tibi plurimam gratiam profiteor, qui de me tam honeste ac liberaliter cogitaueris: daboq; operam, ut tui istius iudicij te nunquam pœniteat. Huius mei animi illud habebis argumentum, quòd ubi primum libros Ciceronis abs te missos accepi: curaui ut nobiles aliquot ac bene eruditi adolescentes aliquẽ tuarum annotationũ gustum capesserent. Qui primo capti impressionis elegãtia, carptim omnia propè loca illa exploratorio more excurrerunt, in quibus antea fuerat aliqua mendæ suspicio. Ex quibus quom multa ad suum nitorẽ abs te restituta inuenissent, tuæ diligẽtię gratulati sunt: teq; eo nomine amare cœperunt, quòd lectionẽ Ciceronis inuersam prius ac deformatam in legitimã faciem reuocaueris. Annotatiunculas uero illas tuas, ut eorũ sensum abdicato omni fuco tibi aperiã, aliquanto uberiores desiderassent. Nam & tui ipse nosti, quàm proprium sit humani ingenij, labores auersari. Plericq; enim amœnitates studiorum καὶ τὰς τῶν ὁδῶν ὁμαλότητας sectamur. Neq; tamen ego tuam causam indefensam reliqui, quom dicerem, annotationes tuas hermas imitari, qui in compitis quasi prætento digito uiatoribus dubitantibus significãt, qua sit iter flectendum. Teq; potuisse iactura paucarũ noctium paratam supellectilem explicare: quam parare difficile est, paratã uero exponere spectatoribus, nõ difficile est. Itaq; te hoc maluisse affirmaui, ut exerceres ingenia, ut in tractãdis scriptoribus bene nata ingenia non torpescerent. Turpe enim est more infantiũ nihil nisi præmansum delibare. At illi longa rerũ indagine perterriti uix, ac ne uix quidem, defensioni meæ acquieuerunt: causati alij non esse sibi librorũ copiam, alij esse quidem, sed ab Aldina impressione diuersam. Hæc uero ego nõ alia causa perstrinxi, nisi tuæ laudis tuæq; utilitatis

utilitatis desiderio concitatus: uideo enim eas lucubrationes, quas nunc habes uenales, uendibiles etiam fore, si rursum stilum admoueris, easq; noua recognitione locupletaueris. Alioqui nisi hunc squallorem absterseris, periculum est, ne quispiam aliquando plagiarius, subductis tibi laboribus tuis, & ijs quæ tu breuiter præsignasti, longiore oratione adornatis, eos interuertat, atq; in rem suam adsciscat: tu uero frustra & plagij & uindiciarũ litem intendas. Aliàs omnibus etiam plagiarijs cessantibus, tum demũ tamẽ quom impressio Aldina, ut sunt res omnes hominum mortales, esse desierit: ut tui quoq; labores cum illa depereant, necesse est. Neq; hæc ego ad te scripsi, quòd existimem me plus sapere in re tua, quàm tu ipse sapias: sed ut tester meam erga te beneuolentiã, intelligasq; in homine tuæ existimationis studioso fiduciam collocasse. Cæterũ quod à me petis, ut tuis lectionibus ac uigilijs faueam, quo plausibiliter à nostratibus excipiantur: id faciam ita accurate ac diligenter, ut in hoc genere officij me à nullo ueterũ amicorum tuorum uictũ esse fateare. Quic quid enim amicitiæ nostrę diuturnitati deest, illud præclara de tua uirtute opinio sarciet. Tum ego summa ope elaborabo, ne tuum de mea benignitate iudicium, aut frustra aut parũ prudenter susceptũ fuisse uideatur. Bene uale, & me ama tui amantissimum. Calend. Martijs M. D. XXXVIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PAVLO MAGNOLLO S.

ET bona fide, & ad numerũ accepi libros, quos ad me dedisti, eosq; protinus librariæ officinæ mancipi cõmendaui, pollicitus etiam nonnihil lucelli, si rem tuam nauiter curasset. Illud mihi certum est, aut pretium aut libros tibi saluos fore. Tenere eos apud me uenales neq; fuisset ex mea dignitate: ne quis me forte librorũ propolam factum suspicaretur: neq; ex re tua, quom nemo ad me cõmeet emendorum librorum gratia. Illud profecto quod integra existimatione facere potui, feci. Nã illos & meo testimonio approbaui, & nullos ex ijs quos uiderim, ad hanc diem castigatiores prodijsse confirmaui. Quare, quod in me fuit, multos si non emptores certe empturientes tibi conciliaui. Vnum audio incõmode cecidisse, librorũ scilicet institorem quẽdam paulo opulentiorem palàm professum esse, se multo meliore pretio mox daturũ, quos ipse Venetijs expectat: utpote qui senos in aureolum se mercatum testetur ab illo ipso opifice, qui libros tuos expresit. Quæ tametsi falso ille fortasse, & quæstus quàm ueritatis amantior, commentus fuerit: ea tamen nolui te latere. Ego uero omnia quæ ad te tuamq; utilitatem pertinere intellexero, studiose atq; amanter perficiam. Quòd si quid parũ, quod nolim, ex uoto processerit: facultatem nõ uoluntatem mihi defuisse persuasum habeas uelim. Bene uale, & me ama. Pridie Calendas Apriles. M. D. XXXVIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. ALEANDRO CADINALI Brundusino S.

QVOM & rumore & multorum deinde literis nunciatum foret te in amplissimũ Cardinalium collegium fuisse cooptatum, tantum nos lætitiæ peruaserat, quãtum uix animo capere possemus. Multæ enim & iustæ causæ animum permouebant: uel quòd homo summa uirtute, summa prudẽtia, omnibus propè liberalibus disciplinis illustris ad hoc fastigiũ esset prouectus: uel quòd is quẽ magna & publice & priuatim semper obseruantia essemus prosequuti. Accedebat lætitiæ cumulo quòd hoc siue iudicium siue beneficiũ ab optimo & sapientissimo Pontifice Paulo proficiscebatur. permagni enim interest quẽ quisq; suæ fortunæ autorem sortiatur, tum illud tacite tibi gratulabamur, quòd eo tẽpore illa tibi dignitas obtigisset, quo nõ inter umbras sed splendidissima istius collegij lumina lux tuæ uirtutis fulgураret. Quom itaq; tã festos dies, atq; in tãta gratulatioe ageremus, multoq; maiora ac meliora in posterũ expectaremus, ecce repente nobis omnia gaudia excusit mors Iuliani Naselli, hominis mihi cõiunctissimi, tui uero supra omnes mortales obseruãtissimi, non solũ inexpectata, sed planè

improuisa. Nam quom dies aliquot antea grauiter ex dolore auris siniſtræ laborasſet, poſtquã ea ſuppurare cœperat, leuatus planè dolore uidebatur, omniaq; pro conſuetudine negocia obibat. Nam & ſacris diebus myſteriis interfuit, & in noſtro collegio ſanctæ Synaxi operatus eſt. Securum itaq; & nihil minus quàm de ualetudine cogitantẽ incredibilis uis morbi ſubitò oppreſsit. quom enim pus ſubſtitiſſet, protinus febris & dolor capitis inexpugnabilẽ quendã ſoporẽ inuexit, adhæc lotiũ ægre ire & acerrimus dolor ilia conuellere. Tot ergo malis uno impetu ſe ingerẽtibus par eſſe nõ potuit. Id quom ego reſciuiſſem, accurri ſine mora: ſed ita erat ille magnitudine morbi obrutus, ut neq; filium, neq; ſorores, neq; me quẽ unum incredibiliter amabat, agnoſceret: neq; noſtras cohortationes, conſolationes admonitionesq; audiret. Accerſiti medici non auſi ſunt deploratæ ac deſtitutæ ægritudini manũ admouere. Nã uigor priſtinus iam euictus ac proſligatus omne remedium reformidabat. Biduo itaq; inter ſtuporẽ & cruciatus abſumptus, uel ut rectius dicã abreptus & è ſuorum manibus auulſus, ad meliorẽ uitam (ut credi par eſt) euolauit. Ab eius exceſſu apertum teſtamentũ, quod ab hinc ſexenniũ Romæ cõdiderat. In quo tu pater ampliſsime inter cõmiſſarios ac defenſores ſupremę uoluntatis primus omnium nominatus es: ut quem ſemper uiuens coluerat, eidem mortuus relinqueret perpetuũ ſui iudicij teſtimonium. Potuit ergo mihi iure magnitudo lætitiæ, quam ex acceſsione tuæ dignitatis collegerã, ſuſpecta eſſe. Vix enim unquã euenire ſolet, quin res lætas & florentes à tergo ſequatur fortuna (ut ille inquit) humani gaudij carnifex: ut tabella illa à Socrate conficta quotidie accipiat fidem, uoluptatis ſcilicet & mœroris cõfinia ita eſſe coniuncta, ut mutuos uiciſsim habeant tranſitus. Cæterum licet quom hæc ſcriberem in ſumma animi perturbatione uerſarer, eſſemq; propè mei oblitus: illud tamen neq; poſſum obliuiſci, neq; prætermittere, quin teſter ad priſtinum illud ſtudium, quo te propemodũ partiario ſemper colui: nunc geminatũ onus accedere oportere. Quare & maiore cura, diligentia, aſsiduitate, poſthac utendum eſt mihi, ut tibi duorum hominum obſeruantiã probem, meam ſcilicet & Iuliani: cuius memoria in me uiuit, neq; me uiuo unquã intermorietur. Tu uiciſsim ſi pro tua humanitate eam beneuolentiã, quam utriq; noſtrum ſolebas præſtare, in me uno ſuperſtitẽ eſſe patieris, magnam tuę bonitatis ſignificationẽ mihi dederis: & tam immani iacturę, quam me feciſſe profiteor, magnũ ſolatium atq; alleuamentũ attuleris. Bene uale pater ampliſsime, & me perpetuum tuæ uirtutis admiratorem ama. Quarto Calendas Maij. M. D. XXXVIII.

CÆLIVS CAL. IOANNI SALVIATO CARdinali Ferrarienſi S.

OCTAVIANVS Caſtellus, epiſcopus, & tuus hic uicarius, mihi retulit: quanta animi æquitate, quantaq; tuæ erga me uoluntatis ſignificatione mandaueris, nequid turbarum iuribus meis fieret: poſtquã accepiſti ſacerdotiũ diui Iacobi, quod poſitum eſt in Ciſpadano ſuburbio, ex obitu hominis mihi coniunctiſsimi Iuliani Naſelli reſignatum olim iure fiduciario ſeu regreſſus per deceſſum ad me rediiſſe. Ex quo tua uirtus eo eſt teſtatior, quo magis rem geſsit præter aliorum conſuetudinẽ: qui ſi dis placet, iuſtã & diuturnam etiã quorundam poſſeſsionem, quo iure, quaq; iniuria uexare ac perturbare nõ erubeſcunt. Quare ego non ſolum æquitatẽ ac bonitatem tuam agnoſco, uerum etiam tibi optimo principi meo multã gratiam profiteor. Habeo enim perſuaſum te nõ modo, quom hoc mandares, iuſtitiam in conſilio, ſed ſummã etiam fidem, atq; obſeruantiã meam in memoria habuiſſe. Poſthac igitur non modo iura mea tua bonitate atq; autoritate ſtabilita & confirmata, ſed me planè ipſum ſacerdotiũ abste accepiſſe arbitrabor. Nec refert quàm illud ſit exile, quom tua præclara & liberalis uoluntas faxit, ut exile illud mihi & amplum & opulentum uideatur. Bene uale princeps ampliſsime, Cælij tui obſequentiſsimi memor. Pridie Nonas Maij. M. D. XXXVIII. Ferraria.

Cælius

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

LIBELLVM illum tot contentionum fluctibus iactatum perlegi, pensi tauí, ad rationis æquilíbrium reuocaui. Nihil deniq; inuenio, quod aut probari aut defendi nõ posit. quædam omnino sunt, quæ quasi mysteria taceri ac dissimulari satius sit, quàm in uulgus efferri, utpote quę ad primogeniam & primum nascentem ecclesiam pertinerent. Nunc uero postquã & patrum decreto & diuturna cõsuetudine alij mores recepti sunt, quid opus exoletis & iam desitis, nulla præsertim ratione cogẽte, autoritatẽ dare? quom ea neq; ad pietatẽ neq; ad salutem animarum pertineãt. Quare illa per deũ immortalem sinamus conquiescere: nõ quia agnosci à studiosis & uetustatis amatoribus nõ probem: sed ne ad populares & rerum nouarũ cupidos inuecta, occasionẽ seditionibus, & dissidijs præbeãt. Sunt enim indocti & inepti quidã, sibi suoq; ingenio præfidentes, qui propter ὀψιμαθίαν quom primum in baptísmate, in nuptijs sacerdotum, in ordinibus conferendis, in dierum & ciborũ delectu, in pœnitentia publice agenda, & alijs eiusmodi noua quędam legerint aut audiuerint, ea protinus mordicus tenenda atq; obseruanda arbitrentur. Quare meo iudicio illa non nisi apud initiatos differenda ac discutiẽda sunt, ne discindant inconsutilem tunicã domini. Hæc ratio, puto, suasit bonis illis uiris, qui nuperrime exemplum restituendæ pietatis Christianæ cõscripserunt Paulo Pontifici maximo, ut Colloquia Erasmi non aliter è republica nostra ablegauerint, ac Plato Homerum aliquando è sua depulerit. Puto fuisse, ac in posterum etiã fore, qui autorem illius libelli suspectum habeant, quasi in Manichæi hæresim plus nimio propensum: sed eadem suspicio tanget Apostolum gentium Paulum, si in temerariũ & imprudentem lectorẽ inciderit. Sicut & Iacobus frater domini immodice fauere Pelagianis existimabitur, nisi eum nactus sit, qui atra & candida possit internoscere. Siquidẽ recte inquit Paulus, à fide omnia pendere, & nihil nostris uiribus, sed gratiæ dei omnia esse tribuenda. Nam quom omnia fecerimus, nos tamen esse seruos inutiles, fateamur oportet. Certum enim & confessum est nostros conatus per se nihil pręstare, nisi gratia accesserit. Ausim etiã illud asseuerare, gratiam nunquã affuturam, nisi animus noster fuerit ad eam suscipiẽdam præmunitus atq; apparatus: ea semper excipio, quæ ab inexplorabili indulgẽtissimi dei bonitate proficiscuntur, quæ priuilegij uocem habent: qualia sunt prædestinationis munera, quæ quoniã mortalium captum exuperant, satius est ut silentio quàm oratione transmittantur, utpote in recessu imperuio diuinæ præscientæ delitescẽtia. Illud rursus uerum est, fidem abdicatis operibus inanem esse, & planè fidem esse desinere. Nam operibus fides cõprobatur: quando & Abraham fidei pater, illam fidem tenuit atq; in delitijs habuit, quæ in suo haberet comitatu opera, fidei apta & consentanea. Ob id Christianũ hominẽ par est illud habere persuasum, & fide, & fidei testimonio, id est mandatorũ obseruatione, conatu præterea & propensione animi nostri, sed multo maximè gratia & diuina benignitate opus esse, ut diuinitus promissa consequatur. Nisi enim conatus noster requiratur, nisi uoluntas aliquid possit proficere, in qua una positus est liber animi motus, quod liberum arbitriũ uocant, quid opus fuit mandatis? quomodo regnum dei uim patitur? quomodo unicuiq; reddetur secundum opera sua? Stertamus licet ac per desidiam uitã agamus inclamãtes abba pater. Credentibus enim tantũ & nihil præterea laborantibus nobis citra omnem charitatis functionẽ, diuina uirgula large omnia suppeditabit. Atq; hic sanè est ille ueterum philosophorũ ἀργὸς λόγος: quo potestati fati oscitãtes omnia permittebãt. quem ubi semel acceperimus, tum legũ & sanctionum omniũ autoritas, omnis philosophia quæ ad mores pertinet, omnes euangelicæ præceptiones corruãt, necesse est. Quibus de rebus quoniã periculosum est in turba atq; in forensi concione uerba facere, iccirco saluberrimum existimauerim, loqui ut multi, sentire ut pauci: & Paulinũ illud præceptũ semper in ore habere, atq; in memoria: σὺ πίστιν ἔχεις, κατὰ σαυτὸν ἔχε ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. Tun' fidem habes? Penes teipsum habe, deo spectatore cõtentus. Hæc uero quom ad te scriberem, noli existimare me ignorasse, quàm plenum sit temeritatis, te prudentiorẽ admonere. Sed expressit hoc à me officium mutuus amor

& ingenua charitas, quod alioqui ſine probro nõ poterã prætermittere, quom iam dies pluſculos fidem tibi obſtrinxiſſem: quam omnino liberari oportebat. Bene ua le. x. Calend. Sextiles. M. D. XXXVIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. PETRO GEORGIO VICECOMITI S.

QVOD ſerius quàm ego uoluiſſem, aut certe quàm tu optaſſes, reſpon deam tuis literis generoſe adoleſcens, multa fuerũt in cauſa: ſed auoca menta imprimis quibus tum mirifice diſtringebar, quom tuas accepi li teras. à quibus licet nondũ ſatis interſpirare potuerim, expreſſit tamen à me hoc reſpõſum uerecũdia. Turpe enim exiſtimaui, abs te adoleſcẽ te nobili & tam præſtãti indole meas literas diutius expectari, quare una hac epiſto la ad omnes quas hactenus ad me dediſti abunde reſponſum puta. Imprimis illud re cte auguraris, me incredibilem dolorẽ concepiſſe ex obitu Ioannis Baptiſtæ Angia rij, uiri multa mihi neceſſitudine coniuncti. Sic enim ferebat humanitas mea. Nam quom in omnes familiares meos ſim indulgẽtiſſimus, tum hunc imprimis ob elegan tiam & amœnitatẽ ingenij amabam atq; in oculis ferebam. Quom enim ille à natu ra magna ornamenta accepiſſet, tum ipſe cura & diligentia illa auxerat. Italiam, Hi ſpaniam, magnã Galliæ partem, aut miſſus à principe, aut in comitatu principis, pe ragrauerat. Sapienter ac feliciter demandata ſibi munia obiuerat. Erat enim incom parabilis propè dexteritas & facũdia in iuuene. Erat natiuus ac uernaculus quidam lepor, quo aures atq; animos hominũ alliciebat, & in quos uellet affectus pertrahe bat. Tanta uero me proſequebatur obſeruantia, ut hæc propè omnia ea cauſa mihi ferret accepta, quòd domi meę educatus, omnia mea ioca æquè ac ſeria habebat per ſpecta, omnem uitã interiorem nouerat. Quęcũq; carmine luſerã, ita memoriæ com mendauerat, ut multa quę mihi exciderãt, ſępe ipſe memorię beneficio in libellũ re ferret. Quom ergo nihil à me ille accepiſſet, niſi meras ad uirtutẽ adhortationes: ma gna tamen & quotidiana grati animi teſtimonia reponebat: & quaſi nihil non acce piſſet, ſe mihi omnia debere profitebatur. Quom tantos ergo progreſſus & in uirtu te & in tractatione rerũ humanarũ feciſſet, & cumulate gratiã ſummi principis na ctus foret, & iam ad ſummos honores ſibi uiã muniſſet, ut nemo dubitaret quin cer ta mox laborũ præmia eſſet accepturus: ecce illum inexpectantibus nobis inuidum rebus humanis fatum abſtulit, abripuit, auulſit: ut penè prius deceſsiſſe, quàm ęgro taſſe intellexerim. ó ſpes lubricas & incertas, ó conditionẽ noſtræ mortalitatis fragi lem & inconſtantem. Ergo ille animi uigor, ille ſplendor ingenij, non dicam, extin ctus eſt: ſed ut credi par eſt, reparatis protinus pennis tam repente, tam inſperato in cęlum, unde uenerat, reuolauit. Nec enim ei mali quicquã accidiſſe uelim putes, qui bonas artes ſemper coluit, qui nunquã ſocietatem hominum uiolauit: cuius animus licet foret in corporis uincula damnatus, ſe tamen exporrigebat, & caput extra uin cula exerere conabatur. Eius rei mihi fidẽ facit, quòd quom ex hac uita diſcederet, ultro ſibi gratulabatur, quòd ex colluuione hac rerum mortaliũ tandem emigraret, ceu tum præſagus felicitatẽ & bene actæ uitæ præmia meliore loco ſibi eſſe conſtitu ta. Sed nobis optimo uiro & amico perſpectæ fidei orbatis iuſtam mœroris cauſam affert iacturæ magnitudo, cuius ſarciendæ nullam ſpem præbet inexorabilis noſtrę imbecillitatis neceſſitas. Atqui me imprudentẽ in hos querimoniæ ſcopulos rapuit quidam quaſi doloris aquilo, quem iam torpentẽ tuæ nuperrimę literæ excitarunt. Tu uero ex ijs facile potes colligere, quãta ſit uis uerę uirtutis, quæ homini nouo & nullas habenti imagines tantum amoris atq; exiſtimationis conciliarit. Quid tibi fu turum ſperas adoleſcenti ſummæ nobilitatis, atq; in ea familia nato, in qua tot glo riæ faces tibi prælucent? tot maiorum monumenta domi & foris, in toga & in lago parta celebrantur? Cæterum quæ tu ſoluta & uorſa oratione conſcripſiſti, mirũ in modũ mihi arriſerunt. Atq; ut hoc agas frequenter, te hortor. Iſtã enim ubertatẽ in genij ſi diligenter & accurate coluerís, non uereor quin prope diem magnos tibi prouentus ſit allatura. Bene uale.

Cælius

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ GYRALDO S.

MINVS mirum profecto uidebitur posthac Mineruã è capite Iouis prosi liisse, postquam & apud te è capite humano tam formosæ & elegantes puellę Musæ scilicet prodierunt: neq; hoc χαλκελάτῳ πελέκῃ, id est, ærea bipenni, ut inquit Pindarus, sed pumicato & bene exculto calamo. Adde quòd Minerua protinus nata saltabat, ad pyrrhichium moueba tur, clypeum quatiebat, hastam uibrabat, terrorem incutiebat. Tuæ uero Musæ ridٍent, canunt, adlectant, nectunt uincula: sed è rosis, è liliٍs, ex amarantis, coronas ag glomerãt è philyra. Quas quom ego sutiles ac solutiles existimarẽ, re cõperi, ita esse tenaces, ut uix, ac ne uix quidem ab ٍis me potuerim eximere. Nam captus adhuc au ribus earum abeuntiũ leporem sequor: fietq; posthac ignoto & poetico planè uenefi cio, ut quom ad te redierint, secũ tamen absentes aures meas trahãt, nec minus quàm præsentes tuorũ carminum dulcedine permulceant. Bene uale.

CÆLIVS CAL. PAVLO MAGNOLLO S.

QVOM primum tuas accepi literas, bibliopolam cuius fidei quindecim uolumina abs te missa credideram, cõmoneri iussi, ut protinus uel pecuniam uel libros repræsentaret. Actutum ille libros omnes bona fide attulit ad numerũ incolumes. Rogaui cur tam segniter mercaturã exercuisset. Ille sanctissime adiurauit, se nunquam æque Mercurium iratum habuisse, quom tamen ad emerendum gratiã nullum lenocinٍ genus omiserit. Nam & in tabernę fronte quotidie exposuisse, & nunc elegantia literarũ, nunc annotatio num eruditione, nunc castigationũ utilitate studia adolescentũ excitasse. Quòd uero nihil profecerit, in causa fuisse arbitratur: uel quòd hæ literæ, quæ parũ quæstus pol licentur, omnibus ferè in gymnasiٍs frigent: uel quòd eo ipso tẽpore libri allati sunt, quo publicę lectiones propè desierãt, & multo maxima pars ciuitatis à ciuitate aberat. Sed quicquid illud fuerit, doleo tua causa, & quidem plurimum doleo, pro pecunia uerba cõmutari. Tua uero sit optio an libros ad te remitti, an hic retineri uelis. Quòd si hoc statueris, quàm potero ocyssime dabo operã ut tui ad te Cicerones reuertãtur. Caue autem mihi quicquã uel graue uel parum honestũ unquã fore suspiceris, quod tuis rebus accõmodet. Nam siquid tibi uiro tam excellentis ingenٍ ac literaturæ prospexero, tum demum existimationẽ & dignitatẽ meam sartam tectam putabo. Nonis Septemb. M. D. XXXVIII. Ferraria.

CÆLIVS CAL. AVGVSTINO EVGVBINO EPIscopo Cissamensi S.

COGITANTEM ad te scribere morabatur rerum omnium dubitatio. Nam postquam à nobis discessisti, neq; quò profectus sis, neq; ubi pedem stiteris, neq; quid cõstitueris in rebus tuis, comperire satis potui, tametsi crebro ac diligẽter à sodalibus olim tuis Lateranensibus id fuerim scisitatus. Quare ego te aut in recessu theologiæ, aut in uiretis Musarũ hactenus delituisse existimaui, ad quæ loca paucis adeo nec nisi diuinis mysteriٍs initiatis aditus datur. Postquã uero Pont. max. in urbem redٍisse accepi, in quo uno noui te spes propè omnes tuarũ fortunarum collocasse, cœpi mecum ipse cogitare, te uix alio esse loco posse quàm Romę. Itaq; certũ nuntium nactus ad te scripsi, quasi Romæ agas. Quòd si meum me auguriũ fefellerit, haud sanè graue erit iacturam feciٍsse literarũ, quibus meram salutem & testimonium meę erga te obseruãtiæ, nec præterea arcani quicquã incluٍsi. Quòd si te meæ literæ Romæ offenderint, tum uero ego felix, quando à me prouocatus scribes uicissim ad me, quid hoc tempore cõmenteris, quod speres de promulgandis autoribus illis reconditis, qui ad hanc diem cũ puluere & blattis colluctantur. Quòd si eos ab interitu uindicaueris, tibi profecto & thus & cærei debebũtur, Aesculapio uero longe præferemus. Ille enim uno aut altero in uitam restituto delubra meruit: at tibi qui nam pro dignitate honores persoluentur: si tot deplorata iam & conclamata monumenta ab orco excitaueris.

Bene uale pater doctiſsime. ſexto Idus Sept. M. D. XXXVIII

Teneor deſiderio, ut tu optime noſti, barbæ ἰκλιανῆ τὸ πρόσωπον, nec ultra quic quam addo. Satis enim eſt meum deſiderium refricuiſſe. Nam quom me ames, uoto meo, quom uir bonus ſis, tuæq; te ſponſioni ſatisfacturum puto.

CÆLIVS CAL. ALBERTINO LOLLIO S.

ETSI ea quæ ad te ſcripſi mi Lolli ex animo proficiſcantur, tua tamen dubitatio non fuit mihi admodum moleſta: quom mihi ſignificaueris, te nondum ſatis habere perſpectum: an ea, quæ ſcripſi, amori an iudicio dederim. Nam utcunq; tu meas literas intepreteris, non poteſt non grata eſſe interpretatio. Nam ſi me quom ſcribere iudicium habuiſſe in conſilio exiſtimaueris, erit id mihi profecto iucundiſſimum, quom me hominē multæ fidei arbitreris, utpote cuius animus & calamus cōſentiant. neq; ſanè uereor, ne quis me temere iudicaſſe ſuſpicetur, quom ea in te uirtutum ſemina emineant, quæ iam uberrimos fructus dederint: multo etiā uberiores in poſterum datura, ſi tu ipſe tibi conſtiteris, tecūq; ipſe in hoc conſpicuo uirtutis ſtadio decertaueris. Quòd ſi illud cogitare malueris, me mutuæ inter nos beneuolentiæ magis quàm ueritati fauere uoluiſſe: erit iſta quoq; mihi cogitatio ea cauſa non iniucunda: quòd quantū meæ fidei deceſſerit, tantum amori accedit: quantum exiſtimationi ademeris, tantum uoluntati adijcies. quare utcūq; cadat hæc alea, recta cōcidat neceſſe eſt. Verū ſi me auditueris, ea quę à me ſcripta ſunt, ex æquo & ab amore & à iudicio quod amori præuertit, profecta exiſtimabis. Hoc ſi feceris, tum uero me uoti compotē putabo. Aſſiduam enim operam dabis, ut ea quæ in te ampliſſima iudicaui, multo re ipſa ampliora inueniantur: nauiter uero in amore mutuas mihi operas dabis. Nam quom bene natis ingenijs, omnibus in rebus uinci turpe ſit, tum id eſt in amore turpiſſimū. Bene uale. III. Calend. Nouemb. M. D. XXXVI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. AD LECTOREM

QVAM operoſum ſit de coloribus agere, & quàm ſinuoſa ſit ea materia, quæ colores pertractat: nemo profecto intelligit, niſi qui ſe priuatim in illa exercuerit. Tanta enim eſt colorum multitudo, tam multiplex coagmētatio, tam lubrici tranſitus, ut non aliunde Arceſilas cōmodius ſuam illam ἀκαταληψίαν probauerit. Cicero uarietatē proprie in coloribus naſci, hinc in alienum migrare exiſtimauit. Certè non alibi natura copioſius aut maiore laſciuia opes ſuas cōmendauit. Metalla, gemmas, marmora, flores, aſtra, omnia deniq; quæ progenuit, ſuis etiā coloribus diſtinxit: ut uenia debeatur, ſi quis in tam numeroſa rerū ſylua caligauerit. Vergilius Marcellus ſolas colorū nuncupationes ex floribus pollicitus, quom rem cōminus fuiſſet aggreſſus, cognouit multo eſſe facilius rē tam operoſam polliceri quàm præſtare. Difficultate itaq; uictus in cauſa amplius pronunciauit. Quare præclara omnia ingenia hortamur, ut aſſidue in ea naturæ ſpectatione uerſentur. Quo enim res eſt difficillior, hoc erit glorioſius rei difficultatem peruiciſſe. Quod uero ad hunc libellum pertinet: eum arbitramur ex duobus, quos Ariſtotelem ſcripſiſſe teſtatur Laertius, in unum coaluiſſe. Sanè phraſis & obſcuritas, quaſi ſepię atramentum multis locis aſperſum, non multum abeſt à uernacula Ariſtotelis conſuetudine. Id quod fortè mihi uideri potuit, qui quaſi in procinctu hanc operam tranſegi, unius tantum exemplaris præſidio adiutus: ut gratiam ultro ſim habiturus, ſi quis in hanc caliginē, quam uel culpa ingenij, uel neceſſitate coactus parum exterſi, faces aliquando inuexerit. Bene uale.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

QVOM eſſem in Aemylia, tuas literas accepi ea lingua ſcriptas, quam fortè iuſtius barbaram quàm uernaculam poſſem appellare: ſi modo hoc mihi per eos liceat, qui ei tantū fauent, ut nō contenti latinę adęquaſſe, etiamnum (ſi Dis placet) præferre non uereantur. Et quo magis ſuum uel odium uel ſtoma

ſtomachum in Romanam linguam teſtentur, iam non uulgarem appellare, ſed uolgarem uocali quinta in quartam commutata, uoluerunt: quo ſcilicet longius à latini tate abſcedant. Atq; ita ſe planè Etruſce loqui profitentur, idq; mea quidem ſententia prepoſtere: quom ſit in confeſſo, ueteres Etruſcos, quarta uocali caruiſſe, & in eius locum quintam ſurrogaſſe. Sed quid ad tuas literas τὸν παράγραφον? Iis ergo literis te nihil adhuc certi aut cõſtituti habere in tuis rebus ſignificabas. Cæterũ quom domum reuertiſſem, poſteriores accepi & latine ſcriptas & longe mihi gratiſſimas, quibus te piſtrino exiſſe, & mox piſtrinũ initurum nuntiabas: quo ſcribendi genere dubium mihi feciſti, an dolere tuã uicem, an gratulari malim: niſi forte ea non gratulatio, ſed compenſatio potius debet appellari. Illud nonnihil mihi bonæ ſpei attulit, quod polliceris te ad Calendas Maias nobiſcũ fore. uel ſi ex præſcripto tuo loqui uelim, futurum fore. Scio quos ſequaris, ſed inſolens uerbum ſcopulus eſt. Quòd uero imprimis tuæ familiæ cõſulendum putes, conſiliũ tuum probo: & planè hoc ſapientis eſt, malle præda frui quàm ſemper uenari. Nã & aſſequi quàm perſequi totidem literis præſtat. Illud exploratum habeas uelim, ad ea inuitamenta, quibus ſolis te alli ci poſſe ſcribis, ut uenias: alia multa eſſe acceſſura, quom ueneris, multo uberiora. Perſpecta enim cõminus uirtus multo plures poteſt in ſui amorem concitare quàm audita. Nam & ſi multo maxima pars hominum ex auribus pendeat, mirifice tamen animus permoueri ſolet, quom aures oculiq; cõſenſerint. Bene uale. Sed heus tu Morate, caue ſis quicquam in eam legem cõmittas, quam tu ipſe uolens ac ſciens inſcribẽdo preſcripſiſti. IX. Calend. Decemb. M. D. XXXVIII. Ferraria.

Puer Pelei modo ſuperauit quinquennium, quaſi tu dixeris annum ſtudiorũ climatericũ. necdũ quiſquã inuentus eſt Chiron. Puto id futurũ quod uſu plerunq; uenire ſolet, ut in peſſimũ quẽq; inclinet fortuna. Tu uero Valerij Sorani memineris.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLARVM LIBER XV.

CÆLIVS CAL. BERNARDINO BARBVLEIO S.

NON male cecidit profecto quòd te per iocum Barbulei mi chariſſime nuper prouocauerim: & dum inter nos familiariter ageremus, dicta quædam hilaritatis potius quàm ſalis plena in te contorſerim. quale illud: te in Scyriæ capræ morẽ modios illos lactis, in quibus inter ludendum te innatare profitebaris, euertiſſe, quòd modiũ ad ſicca inuentum atq; apparatum ad liquida tranſtuliſſes. Hæc uero ita te pupugerunt, ut protinus eruditis ijſdemq; ſuauiſſimis literis noſtros iocos ulciſci tentaueris: quibus adniteris (ſi modo uires ſuppetant) probare, modiũ antiquis in uſu liquidorũ fuiſſe, & in apotheca ſupellectile aliquando locum habuiſſe. quod ſi mihi placeat negare, id profecto faciam doctis omnibus applaudentibus. Verũ hoc mihi adhuc liberum relinquo. Dic enim oro per Muſas, qua te id ratione probaturum ſperas? Quæ, amabo, muti illi magiſtri, quos te habere in conſilio prædicas: quæ rogo tibi ſuggerent argumenta? tua certè epiſtola nullum mihi denuntiat teſtem, cui iure credi poſſit, modium olim liquidis inſeruiſſe. Nam tui illi modioli uel uinarij uel aquarij apud Vitruuiũ, ad modium, ut tu arbitraris, nihil pertinent: omniſq; illa tua argumentatio uerſatur in æquiuocis, quod argumentandi genus à doctis prorſus reijcitur. Nam pari fortaſſe ratione aurẽ & auriculam, unguem & ungulam, linguam & ligulam, mentã & mentulam eadem putaueris: quom tamen hæc, quæ grammatici uel deriuatiua uel diminuta ſolent appellare, permultum inter ſe plerunq; differãt. At mihi ſi cõmodum foret, uel ſi liberet ocio abuti, totam legem Caſſiam & Terentiam, utranq; frumentariam poſſem in medium afferre: poſſem multo maximam partem quintæ actionis in

Verrẽ, & octauidecimi libri Naturalis historiæ, & omnes propè libros Columellæ, in quibus agit de frugibus, in hanc epistolam transcribere, & sexcentis præterea testibus modiũ siccis quasi recuperatorio iudicio uendicare: qua in disceptatione multi & assidui scriptores mihi testimonium dicerent. Sed ego in re tam perspicua modum seruabo, & ex multis pauca ac potissima seligam. Varro in primo de re rustica: Hoc licet cõiectura uidere ex aliquot rebus: ut nuces integras, quas uno modio comprehẽdere possis: quòd putamina suo loco quæq; habẽt natura composita: quom easdem fregeris, uix sesquimodio concipere possis. Cicero in frumentaria: Hoc reprehendo quòd quom in Sicilia sestertijs binis tritici modius esset, ut istius epistola ad te declarat, summũ sestertijs trinis, tamẽ iste pro tritici modijs singulis ternos ab aratoribus denarios exegit. Suetonius de C. Cæsaris cõgiario: populo præter frumẽti denos modios ac totidẽ olei libras, tricenos quoq; nummos quos pollicitus olim erat, diuisit. Spartianus autor est Pertinacẽ imperatorem Romanum morientẽ reliquisse canonem frumentariũ in septennium suffecturũ, ita ut septuagena quina milia modium quotidie possent. Ex Catone & Donato dimẽsum menstruũ quod seruis dabatur, annotauimus modios quatuor fuisse. Nam M. Cato: Familiæ cibaria: qui opus faciunt per hyemem tritici modios quaternos, per æstatem modios quaternos semis. Villico, uillicæ, epistatæ, opilioni modios ternos. Compeditis per hyemem panis pondo quaterna. ubi uineam fodere cœperint: panis pondo quina usq; dum ficos esse cœperint. deinde ad panes quaternos redito. quo ex loco ego Catoni panes librales fuisse conijcio. Plinius libro XVIII. Tritico nihil est fertilius: hoc enim natura ei tribuit, quoniã eo maximè alat hominem: utpote quom è modio, si sit aptum solum quale in Byzazio Africæ campo, centeni quinquageni modij reddantur. Cum centesimo quidem & Leontini Siciliæ campi fundunt, alijq;, & tota Betica, & imprimis Aegyptus. Ex eodem Plinij libro XVIII. quo agit de tritici pondere, agnoscimus id quod deterrimũ sit, quale est Gallicum, pendere in modios libras uicenas. quod autẽ optimum, quale est Africanum, septem & uiginti libras ac dodrantẽ. & rursus: è modio tritici tricena pondo panis confici. Quòd uero in medimno modij sex continerentur, satis declarat locus ille Ciceronis in Verrem: Agri Leontini decumæ anno tertio uenierunt medimnis triginta sex milibus, hoc est tritici modijs ducentis sedecim milibus. & hoc quidem ad mensurã Siculam dictum putant. Nam Romanus medimnus quinq; modijs contentus fuisse traditur. Quod ergo Suidas non omnino malus autor apud Græcos testatur, ad Siculum seu Græcum est referẽdum. Sic enim inquit. μέδιμνος μέτρον ὄν ξηρῶν, οἷον πυρῶν ἢ κριθῶν μέδιμνος μοδίων ἓξ. hoc est medimnus est mẽsura aridorum ceu tritici & hordei, Idemq; modios sex capit. Ex quo facile intelligi potest, eruditos quosdam, quorum nomini qua parte coarguuntur parcendum puto, non recte medimnum & modium eundem putasse. Etsi fortasse suum errorem illi Ciceronis auctoritate se tueri posse arbitrentur: qui in libro De amicitia uertens illud Aristotelis ex septimo Moraliũ Eudemiorũ: δοὺς πρoιμίαν ἐλάλυθεν ὁ μέδιμνος ἅλων, dixit multos modios salis simul edendos esse, ut amicitię munus expletum sit. Sed hæc eorum imbellis omnino est defensio, cum Cicero suo more sententiã non uerba transferenda indicauerit. Siquidem Romanis auribus modius uox frequentior quàm medimnus: sicut & Græci quom modio utantur, non suam sed peregrinã, id est Romanam uocem mutuantur. quam uocẽ si latine ad uerbum uelis interpretari, non inepte fortasse sextarium dixeris, quamuis ἑκτεὺς à sextario quo latini utuntur, longe absit. Sextario enim Græco, qui ἑκτεὺς dicitur, à nostris uero modius, sextarij latini sedecim includuntur. & ex eo ἑκτεὺς apud Græcos nomen accepit, quòd ut sum præfatus à medimno sexies caperetur. Noster uero sextarius ideo dictus est, quòd sexta sit pars congij, quæ mensura à Græcis certo nomine ξέστης uocatur. Numerus enim Senarius, qui τέλειος, id est perfectus à Græcis dicitur, multa fuit in obseruatione apud ueteres, tum alijs in rebus, tum uel maximè in mensuris ac partibus digerẽdis. Sic sextula, sexta est unciæ portio. sic oboli sex conficiunt drachmã: ex quo ἑξωβόλια illa apud Athenienses dicta, quom sextam quisq; drachmæ in medium conferret. ad

eandem

eandem rationem & sextarius sexies hauritur è congio. & sanè ijs qui uetustas dimensiones quærunt, imprimis sextarij ratio excutienda est, utpote inter maiores minoresq; mensuras media, & aridis & liquidis ex æquo accõmodata: quando hanc etiam ueteres non secus atq; assem in partes duodecim, quas cyathos uocant, distinxerũt. Adde quòd hæc ignorata magnos errores inuexit. Nã uir grauissimus nostri æui, deceptus autoritate quorundam, opinatus est in sextario libras duas, id est uncias quatuor & uiginti contineri, qua ratione quisq; cyathus binas uncias caperet: quom tamẽ autoritas ueterum sextario tribuat librã & dodrantem tantum, cyatho uero eius partem duodecimã, hoc est sescunciam & drachmam cum scrupulo: uel, ut alij malunt scriptulo, γράμμα è Græco interpretantes. Sed hæc obiter dicta sint de Sextario, ut hinc perspicuè agnoscas quam summã ueterũ modius cõciperet. Quom enim audieris sedenos sextarios modio includi, intelliges protinus modiũ si ad pondus exigas, libras senas & uicenas & bessem insuper, id est uncias octo pendere. quod si ei certum ambitũ modumq; præfinias, tertiã partem quadrantalis agnosces. quadrantal uero idem cũ amphora & circumquaq; pedale esse docti omnes fatẽtur. Quom rursus audieris, sextario duas heminas tribui, nihil dubitabis quin modius binas & tricenas heminas, quas etiã cotylas uocãt, complectatur. Ex his, quæ à nobis superius dicta sunt, locus ille apud Corneliũ Nepotẽ in uita Pomponij Attici iam corrigi & intelligi potest. In uulgatis enim codicibus ita scriptũ legimus: Auxit hoc officiũ alia quoq; liberalitate. Nam uniuersos frumento donauit, ita ut singulis VII. modij tritici darentur, qui modius mensurę medimnus Athenis appellatur. Multi enim in errorẽ lapsi sunt, existimãtes (ut dixi) modiũ eundem esse apud Latinos, qui medimnus apud Græcos: quom tamen apud Cornelium, non modius sed modus, neq; septem sed sex tantum legẽdum sit. Voluit enim Cornelius hominibus Romanis declarare quantus foret medimnus Atheniensis, dixitq; eo mensuræ modo modios senos nostrates capi. quod Cicero in Frumẽtaria (ut testati sumus) ita planum reliquit, ut probatione non egeat. Verum & ex eo quoq; facile intelligas modium in aridorum usum fuisse repertum, quòd & trimodia coloni ad sementem uterentur. Columella inter remedia quibus arceretur uligo ait: Nõnulli pelle hyænæ satoriam trimodiã uestiũt: atq; ita ex ea, quũ Paulum immorata sunt semina, iaciunt, nõ dubitantes prouentura quę sic sata sint. Possum & te hominẽ sacris initiatum ut nobis fidem habeas religione obstringere. Nec enim deest nobis testimoniũ ex sacris literis. Pollicetur enim Helisæus in quarto Regum, postridie eius diei quo ea loquebatur, modiũ similę & binos hordei modios statere uno cõstituros Subscribũt huic sententiæ & sesquimodij Hortensij, de quibus sic Cicero: Quòd nisi omnis frumenti ratio ex temporibus esset & ex annona, nõ ex numero neq; ex summa consideranda, nunquam tam grati hi sesquimodij quinti Hortensij fuissent.

Asconius testatur, lege Clodia cautũ ut frumentũ populo, quod antea senis æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur. Sed quid ego in re confessa uerba prodigo? Nec enim quisquã est adeo auersus à lectione ueterum, cui nõ sit persuasum, modiũ fuisse in usu aridorũ: in usu aũt liquidorũ nunq; fuisse ausim contendere uel sacramento. Alioqui & sextarium & medimnũ & congium & reliquas mensuras quæ sine controuersia aridis & liquidis inseruiunt, certum est ad arida prius, ad liquida tarde & contanter peruenisse. Illud enim Barbulei suauissime, nos meminisse oportet, res ita adinuentas esse, uocabulaq; ijs ea ratione accommodata, ut nõ multis sed certę rei addicerẽtur. Ita enim expedit omnia suũ intra modum stare. sicuti & lege Cyri (si credimus Xenophonti) indictũ erat Persis, ne quis præter unã artem aliam exerceret. Quod & uersiculo Græcorum est approbatum. ὅρδοι τὶς ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. Quem sic Cicero est interpretatus: Quam quisq; norit artem, in hac se exerceat. At demum & res & uerba, quæ certo loco suos natales debebant, egestate puto sic cogente, in alienum migrarunt, & pristina sede destituta quasi in colonias abierunt. Ad eandem rationẽ medimnum, sextarium, congium, primò aridis prouentibus apparata, rustica uel necessitas uel imprudentia ad liquentia & ad ipsam usq; uindemiã rapuit, ut non sine causa carmen illud effluxerit:

Questa

Queſta Ceres raptum Bromij ſibi fraude medimnum,
Quem commodato præbitum ille peierat.

Ad eandem rationẽ Columella modium agri dixit, quantũ ſcilicet modiũ ſementis capiat. Sic Plautus in Captiuis. Aulas calicesq; omnes cõfregi, niſi quę modiales erant. Sic Cato placentam ſemodialem appellauit. Et Cicero in Officijs abſolute modiũ dixit ea fiducia, ut tritici modiũ protinus intelligas. Eius uerba ſunt: Ne M. quidem Seio uitio datum eſt, quòd in caritate annonæ, aſſe modium populo dedit. Sic & Martialis:

Amphora uigeſsis, modius datur ære quaterno.
Ebrius & crudus nil habet agricola.

Eadem cauſa mouit Aegyptios, ut quom Nilo cubitos ad eius incremẽta metienda adiunxerint: ijdem ad Aegypti fœcunditatẽ teſtãdam capiti Serapidis modium addiderint. Illud quoq; nõ prætermittã, celebres autores ſcripſiſſe, tres annulorũ modios Carthaginẽ miſſos ab Hannibale poſt pugnã Cannenſem: uel certè unum, ut alij quidem annales prodiderunt. Petes à me fortaſſe, qui hoc perſpectum habeam, aridis ſcilicet priuſquã liquidis menſuras fuiſſe adiudicatas. Atqui hoc me docuit rerũ mater & magiſtra natura, aduerſus quam reclamare planè eſt nefas. Hęc enim dura & ſolida genuit prius, mox tenera & fluxa. quippe non aliter rerum ratio patiebatur: quom ea quæ primo animantiũ ſenſui, eidemq; maximè neceſſario erãt accõmodata, imprimis forent ſumminiſtrãda. Is uero eſt tactus, ſine quo nullus ſenſus eſſe poteſt, quom ſine alijs ſenſibus ſolus ille conſtare poſsit. Ob id uides nõ modo animantia primæ notæ, & rurſus extrema naturæ conditione damnata: ſed eam quę inter animalia & plãtas ambigua ſunt, & à Græcis Zoophyta uocãtur, qualia oſtrea, urticæ, ſpongiæ, præter tactũ nullum ſenſum habere. Cuius ſententiæ autorem non ſolum habeo Ariſtotelem, ſed & Platonem & Moſem illum diuinitatis participem: quorũ alter natales mũdi ab igne & terra, alter à cęlo & terra inchoauit. Quod ex ipſius interpretatione Platonis nihil aliud oſtendit, niſi à ſupremo opifice ea imprimis elemẽta fuiſſe adornata, quæ uiſui tactuiq; cõuenirent: ex quibus duobus ſenſibus, hic neceſsitate, ille nobilitate cæteris longe præcellit. His adde quod prima quæq; naturæ rudimenta à facilioribus ad difficilia proceſſerunt, facilius uero eſſe ſolida quàm lubrica & fluentia continere, neminẽ puto negaturũ. Hactenus de modio: decet enim de modio uerba facientẽ, modum etiam orationis ſeruare.

Supereſt ut ad eum Ciceronis locum accedam, de quo tu mentionẽ habes in tuis literis, qui poſitus eſt in primo Tuſculanarum libro: in quo pleriſq; uiſus eſt Cicero contra fidem hiſtoriæ Polycletum inter nobiles pictores recenſuiſſe: quod nonnulli inter Ciceronis μνημονικὰ ἁμαρτήματα annumerarunt, qualia multa aliquando Atticus & amicus & accuratus ſcriptorũ Ciceronis cenſor, miniatulis cæris præſignauit. Sed in re tam nota tamq; agitata ac toties repetita Ciceronẽ memoria lapſum uix mihi perſuaderi poteſt. Certè in oratiõe De ſignis memoria nõ excidit. Erãt, inquit, præterea ærea duo ſigna non maxima, uerum eximia uenuſtate, uirginali habitu atq; ueſtitu, quæ manibus ſublatis ſacra quædam modo Athenienſiũ repoſita in capitibus ſuſtinebãt: κανηφόροι ipſæ uocabantur. Sed earum artificẽ quemnam? recte mones, Polycletum dicebãt. Et in Bruto: Sed tamen nõ iſto modo ut Polycleti Doryphorum ſibi Lyſippus aiebat, ſic tu ſuaſionẽ legis Seruilię tibi magiſtrã fuiſſe. Et in ſecundo De oratore: Hunc de toto illo genere reliquarũ orationum nõ plus quæſiturum eſſe quid dicat, quàm Polycletum illum, quom Herculem fingebat, quemadmodum pellem aut hydram fingeret, etiam ſi hæc nunquã ſeparatim facere didiciſſet. Quid uero notius Doryphoro Polycleti? de quo ille toties meminit. Ob id in re tam trita ac peruulgata Ciceronẽ memoria aberraſſe, mihi non fit ueriſimile. Multo autem minus eos probo, qui præfidenter nimis (ut tu uere ſcribis) abiuratáq; omni ueterum codicum religione, pro Polycleto Polygnotum ſubſtituerunt. quo genere audacię uſos uideo apud Ariſtotelem quoq; libro ſecundo Ethicorũ quoſdam, qui ſe in alienis libris ingenioſos uideri uolunt, tq; adeo ſua pertinacia ueterẽ ſcripturam peruiciſſe. Quom enim Ariſtoteles grauioribus cogitatiõibus occupatus, & ut maio

ra mo-

ra molientibus ſæpe euenire ſolet, μετέωρον ſcripſiſſet: καθάπερ καὶ ἡ καλυψὼ τὴν ὀδυσσέα, τὸ μὲν καπνὸν καὶ πῦρ ἐκτὸς ὁρᾶν πᾶσι: illi ut ſcientiã oſtentarent & ali-
quãto plus Ariſtotele ſapere uiderẽtur, pro Calypſo audacter Circen ſubſtituerũt: ut accuratus etiam interpres Euſtratius annotauit. quod & ſi forte quiſpiam recte ſa-
ctum tueatur: ſunt enim ea uerba Circes apud Homerum libro Odyſſeæ: tamen in alienis cõmentatiõibus argutari et ingeniũ exercere, immodicę audacię plenũ puto: quando hoc eſt feneſtram ijs etiam aperire, qui arridente ſemel ſucceſſu felicis ali-
cuius animaduerſionis ubiq; & ablegato pudore Ariſtarchi perſonã induunt, & li-
center omnia uertere atq; inuertere pro libidine aggrediunt. Alioqui nobis homun-
cionibus & in poſtrema propè ſtudiorũ claſſe agentibus nonnihil uel ſolatij uel ex-
cuſationis pollicetur, magnos uiros & ſupra omnem ingeniorum aleam prouectos aberaſſe, & cõmuni huic mortalíũ cõditioni fuiſſe obnoxios. Ad hanc etiã cenſurã iure quis uocauerit illud, quod à Cicerõe ψευδησιόδειον, id eſt falſo Heſiodo attribu-
tũ, uocat. Quale illud: μήτε δῆλα δηλήσασθαι, περὶ ἀμφοῖν μῦθον ἀκέσασθαι. Quod quom ſit carmen Phocylidis, uitio tamen memorię nonnulli Heſiodo tranſcripſerunt. Tu de-
mum, ut ad inſtitutũ redeam, in hoc proſcenium prodíiſti, aſſerens Polycletũ quen-
dam fuiſſe nobilem etiam pictura: teq; mirari dixiſti rem ſcriptã à Vitruuio, & con-
firmatam à Luciano lynceos homines latuiſſe. Ex quibus quom quoſdam ea de re admonuiſſes, ais ingenue admodũ ac prudenter erubuiſſe: quod ſanè nõ potui non uiciſsim admirari. Quis enim erubeſcat abs te uiro multæ & exactæ lectionis diſce-
re atq; admoneri? Ego certè is ſum, qui crebro uerſiculũ illũ Solonis in ore atq; adeo in animo habeam, γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Sed age mi Barbulei, poſtquam nobis tantum ocij eſſe uoluiſti, tuam iſtam obſer-
uationem, quam quaſi filiolam amplecteris, ſi uidetur, non populari trutina, ſed auri ſicis ſtatera, ut Cicero inquit, examinemus. Tu te dicis obſeruaſſe Polycletum quen-
dam pictorem fuiſſe apud ueteres. Quis obſecro ille eſt? qua patria natus? quo præ-
ceptore eruditus? quas tabulas pinxit? apud quem ſuum nomen approbauit? At tu hæc omnia fateris tibi æquè ignota atq; inexplorata ac mihi. Qui uero credibile eſt, Ciceroni in mentẽ ueniſſe, ut hominem ignotum adeo atq; ignobilem inter clariſsi-
mos pictores adſcriberet, quin & Parrhaſio pictori præſtantiſsimo adiungeret. At-
qui, ut tu aſſeris, Vitruuius de hoc mẽtionẽ habuit in prefatiõe tertij libri De architectura, cuius hæc uerba ſunt: Nõ minus itẽ pictores, ut Ariſtomenes Thaſius, Poly-
cles, et Atramitenus Nicomachus, cęteriq;. Verũ ego hic Polycletũ nũcupatũ uideo neminẽ. Sed tu Polyclẽ & Polycletũ eundẽ arbitraris: quos ego Plinij li. XXXIIII. & XXXVI. Naturalis hiſtorię aliorumq; ueterum teſtimonio diuerſos omnino pu-
to. Quibus ſi parum credis, certè teſti quẽ tu ipſe produxiſti credas neceſſe eſt. Quis ille ſit, rogas. Ille ipſe Vitruuius, atq; eadem præfatione, paulo ante ea uerba quæ tu modo adduxiſti: uti Myron, (inquit) Polycletus, Phidias, Lyſippus, cęteriq; qui nobi-
litatem ex arte ſunt conſecuti. En Polycletum nominatim appellat, eumq; à tuo Po-
lycle pictore ſecernit. Hic tu alterum tuæ obſeruationi cuniculum quærẽs, quid ad-
uerſus Luciani autoritatẽ in libello De uirtute proferam percũctaris. Nihil ſanè mi Barbulei: quid enim afferri poteſt aduerſus id quod planè nihil eſt? aut in ſciama-
chia quid opus eſt neruos intendere? Neq; enim libellũ illum ut tu uideris exiſtima-
re, ſcripſit Lucianus: neq; hactenus uſquam à Luciano ſcriptũ offendi. quòd tu ſi in-
ſuper meum iudiciũ petis, ab homine non admodum erudito, & qui argumento po-
tius quàm doctrina aut elegantia operis placere uoluerit, mihi ſcriptus uidetur: licet & ille quiſquis ſit, ut tu ipſe teſtaris, nõ Polycletũ ſed Polyclem, uel Polycletem ſcri-
ptum reliquerit. At nos quanto cõmodius & ueteris ſcripturæ fidem & Ciceronis autoritatẽ tuemur, quom eũ figura oratoribus conſueta, quæ inter ſpecies τὸ νοήμα-
τος annumeratur, uſum defendimus: quom plus ſcilicet intelligimus quàm oratio-
ne enuntiamus. quippe Cicero noluit intelligi, ſoli picturæ honorẽ futurum fuiſſe, ſi Fabio homini nobiliſsimo laudi datũ eſſet quòd pingeret: ſed & ſtatuariæ, ſi ijs, qui ſe illi arti dedidiſſent, ea res dignitatẽ attuliſſet. Atq; ita apud Romanos nõ pictores tãtum, ſed & ſtatuarios celebres futuros fuiſſe, quales & Polycleti & Parraſij apud

Græcos

Græcos sunt nomẽ cõsecuti. Alioqui me cunctantẽ propè manu in hãc sententiam ducit eadẽ ratio dicẽdi, qua proxime Cicero utitur. In summo honore, inquit, apud illos geometria fuit. Itaq; nihil mathematicis illustrius. Nam licet solam geometriam nominauerit, tamen quasi arithmeticam & cæteras compares nuncupasset, in uniuersum subiunxit, mathematicis nihil fuisse illustrius. Quod & uerba quæ protinus subsequũtur, planius probant. At nos metiendi, inquit, ratiocinãdiq; utilitate inspecta, huius artis terminauimus modum. Nam metiendi arte geometriã, ratiocinandi arithmeticam, indicauit. & sanè in eo scientiarũ ambitu, quem ἐγκυκλοπαιδείαν uocamus, hæ disciplinæ ita mutuo nexu cohærent, ut altera ab altera disiungi nõ possit. Sicut & pictura, quę aliquando etiã in primo liberalium artium censu habita est, à cæteris, puta statuaria, fusoria & plastice, nullo modo reuelli potest. Hæc ad te mi Barbulei scribenda existimaui, ut intelligeres tuas mihi literas nõ modo fuisse iucundissimas: sed & dignas habitas esse quibus in gratiam nostræ amicitiæ profusius responderẽ. atq; utinam cæteri, qui ea quæ à nobis dicuntur scribuntúrue non probant, tuum istum candorẽ imitarentur, neq; furtim adlatrarẽt. Nam uel eos certis rationibus in meam sententiã perducerẽ, uel quod mihi foret optabilius, ab ijs doctior factus gratiam deberem. Bene uale. Pridie Idus Martias. M. D. XL. Ferraria.

CÆLIVS CAL. BERNARDINO BARBVLEIO S.

P ETIS à me Barbulei amicorũ optime ad quam legem Terentius adludat in Andria, quom toties repetit Philumenam compertã esse ciuem Atticam, atq; ob id Pamphilo necessitatẽ impositam ut eam uxorẽ ducat, cui uitium obtulerat. Dicã breui quod sentio. Lex fuit apud Athenienses in hæc uerba, ἢ βιαδεῖσα ἢ γάμου ἢ θανάτου ἐρεῖδω τῷ βιαζομένου. Quæ uim passa fuerit, eius qui uim attulit, uel nuptias uel mortẽ optato. De hac meminit Hermogenes in primo Rhetoricæ, quo loco agit περὶ ἔκτου τῆ διανοίας. Ex hac multas natas esse declamationes, testis est Seneca in secundo Cõtrouersiarum: qui non tantum nuptias, sed indotatas etiã nuptias, ab ea quæ uim passa est posse optari scribit. Hãc etiam notat Quintilianus declamator in Raptore cõuicto. & quoniam lex neq; ad seruilem conditionẽ, neq; ad peregrinas pertinet, sed ad liberas tantũ fœminas, easq; ciues atticas: ob id apud Terentium in eo primũ laboratur, ut Philumenà ciuis attica agnoscatur. Hanc uero legem ante Solonis tabulas latã puto à Draconе, quem falsè Demades nõ atramento sed sanguine suas leges scripsisse dixit. Siquidem Solon multo mitiores leges in stupratores tulit. Ei enim qui ui ac metu mulierem compressisset, decem drachmarum tantum pœnam indixit. ei uero qui rogando suadendoq; in sententiã perduxisset, duplum id est drachmas uiginti multam iecit, modo publice nõ foret prostituta. atq; id sanè dignum admiratione uideri potest, quòd eum qui uerbis mulierẽ pellexisset, quàm eum qui ui ac minis in sententiã adegisset, grauiore pœna afficiendum duxerit: εὖ πάνυ καὶ πρὸς τοῦτο τὸ πρόβλημα πρὸς βέλτιστον ἀφ' ἡγεμόνος τῆ βιαδίκου ἀφορίζει, ut ait Plutarchus. Recte scilicet atq; ordine existimans, suasiones ad ea facienda quæ minime honesta sunt, à ui nihil differre. Alterum quod petis obuium est, neq; modo cum iure nostro, sed cum iure etiã naturæ cõiunctum, ut defuncti pecunia ad agnatos cognatosq; superstites perueniat. Par enim uidetur, sicut Cicero scribit, ut ad quẽ summus mœror suorum morte peruenit, ad eundem quoq; summus honos summaq; utilitas perueniat. Critonem uero sobrinum fuisse Thaidis Terentius ipse testatur: qui ea causa præsidenter admodum lege sibi deberi bona Thaidis cõtendit, quòd ante Solonem non licuit cuiquã extra cognationem sibi quenquã hæredem instituere, quam legem primus omniũ Solon abrogauit: omnibusq; liberum esse uoluit pro animi sententia amicitiam cognationi præferre, & hæredem scribere quem sui amantissimum existimaret. Quod uero scriptum est à Terentio in eadem fabula: Cura obseruãdum uinctum, atq; audin' quadrupedem constringito. non puto ad uincula aut seruos confugiendum esse, sed plane ac simpliciter intelligendum: ut Dauus pedibus manibusq; in morem quadrupedis uinciretur constringereturq;, ita ut manibus manicæ adderentur, pedibus compedes

pedes: quas ligneas soleas uocauit Cicero, Demosthenes à distorquendis pedibus ποδοστράβλω nũcupauit. cętera quę Donatus & post Donatũ Crinitus cęteriq; cõmenti sunt, ad ποδιφρίαν potius quàm ad autoris intelligentiã pertinere arbitror. Vale.

CÆLIVS CAL. ANNÆ ESTENSI S.

LEGI quas ex Etrusca lingua in latinum uertisti fabulas princeps & natalibus & ingenio illustrissima, quæ me mirifice oblectarũt: sunt enim undiq; excultæ atq; expolitæ, & quales ex manu ista regia prodire par fuit. Vnũ illud me male habuit quòd tam cito desinerent, meq; adhuc lectionis appetentẽ destituerent: quam tamen iacturam ego repetita lectione sarcire conatus sum. Eaq; res mihi bene uertit: sic enim intellexi illas non nouitate, ut alij suspicabantur, sed suopte ingenio placuisse. Age igitur beata successu, & quod tibi parentibusq; tuis faustum fortunatumq; sit, nauiter in hanc operam incumbe. Nam bona spes me habet futurum aliquando, ut hæc rudimenta, quæ quasi semina futuræ uirtutis iecisti, adolescant, atq; uberrimos fructus cũ summa laude & splendore tui nominis proferant. Ego interim tibi in isto famę proscenio agenti felices plausus dabo. Bene uale.

CÆLIVS CAL. ANNÆ ESTENSI S.

ABELLÆ illæ Milesiæ, quas ad me dedisti princeps & fortunæ & uirtutis opibus beata, multas tibi gratias profitentur, quòd se Romana ciuitate donaueris: togamq; tam illustrem sibi induxeris, ut in publico optimatum consessu apparere, & in maiorum gentiũ decurias recipi mereantur: seq; iam malunt tuo ductu Romanas quàm Etruscas salutari. ea res fecit, ut eas plusculos dies inuitas sanè (cur enim uera dissimulem?) apud me habuerim. Properabant illæ scilicet in sinum parentis. Contrà ego eas remorabar, earum consuetudine cupiens diutius perfrui. Et quo blandius tui desiderium perferrent, flosculos & emblemata quædam sum pollicitus, quibus pulchriores elegantioresq; prodirent. Persuaserã enim mihi eas, quæ cæterarum puellarũ est consuetudo, huiusce modi munerũ inuitamento facile allici ac retineri posse. Sed, Di boni, quantum me mea fefellit opinio. tantum enim abfuit, ut conditionẽ acciperent, uel mea liberalitate uti uellent, ut hoc unũ pro summo munere à me postularent, ut eas quàm ocyssime dimitterem, tuoq; optatissimo cõspectui restituerẽ. Satis enim ornatus ex tua manu accepisse, de qua uel ipsæ Gratiæ gratiam mutuãtur. quencunq; præterea ornatum inducerẽ, non iam ornatum sed merũ fucum & ambitiosos cincinnos posse appellari. Et sanè quom ego accurate perquirerẽ, qua parte uel margaritum assui, uel gemma posset affigi: inueni te ita cõmode & cumulate omnia perpolisse, ita omnia ad formæ dignitatẽ absoluisse, ut quicquid insuper accessisset, inter additamenta καὶ τὰ παράρρα posit computari. Bene uale, & tua diu felicitate perfruare. XI. Calend. Februarij. M. D. XLI. Ferraria.

CÆLIVS CAL. OLYMPIADI MORATÆ S.

QVID ego simulem me tuas literas optasse? quarum suauitatẽ nondum attigeram. Vix enim quenquam desiderium inceserit eius rei, cuius gustum nondum sit assecutus. At postquam tuam illam epistolam, quam te puto dictantibus Musis excepisse, ad me dedisti: ingenue fateor me nunc demum tuarũ literarum desiderio laborare. non sanè ut mihi materia taxandi præbeatur. Neq; enim uel ipse Momus in ijs quicquã offendat, quod acuto oculo possit perstringere, quanto ego minus? qui & ingenio tuo faueo, & candorem unum maximè omniũ familiariter colo. Quare tu quidem aut ipsi tibi aut certè mihi insignẽ iniuriã feciste: quom me eum esse existimasti, qui in aliena scripta cẽsuram exerceam: aut ea abs te scribi uerita es, quæ stylo confodi aut transuerso calamo induci mereantur. Quòd si hęc suspicio te male habet, parum profecto tua bona uideris agnoscere, neq; meminisse delicias istas Musarũ planè tibi esse uernaculas,

quas cum ipso propè lacte nutricis hauseris: eundemq́ tibi & corporis parentem & animi formatorẽ diuina quasi uirgula obtigisse. Iure igitur tibi uirgo ornatissima & gratulor, & te hortor ut tuos istos profectus nauiter promoueas, eosq́ quotidie meliores auctioresq́ facias: ut nostra quoq́ secula intelligãt, magni numinis beneficentiam non cessare, neq́ bonarum artium studia fœminis abiudicasse: multoq́ minus naturam effœtam esse, ut nonnulli suæ patrocinantes desidiæ arbitrati sunt, quæ nostra etiam ætate Aspasias & Diotimas non possit excitare, si modo cura & diligẽtia adhibeatur. Cuius rei facile fidem feceris, si constanter in cœpta studia incumbas, & pro colo calamũ, pro lino libros, pro acu stylum exerceas. quod ut cõmodius facere possis, tuaq́ laus in dies fiat illustrior, en quàm opportune fortuna te in aulam regiam optimæ ac præstantissimæ ducis Irenęæ, & in comitatũ Annæ principis prouexit, cuius diuina indoles ipsam pollicetur parentum felicitati non minus splendoris quàm acceperit esse additurã. tu uero quom recta parentum instituta, pudicitiam scilicet, modestiam, bonarũ disciplinarum rudimenta domo attuleris: isthic quoq́ adnitere, ut sapientiã, morum elegantiã, animi magnitudinem, rerum deniq́ humiliũ despicientiam consequare. Bene uale.

CÆLIVS CAL. OLYMPIADI MORATÆ S.

DEFENSIONEM quam pro Cicerone nuper elaborasti, legi summa cũ uoluptate: tum quòd abs te proficisceretur, cuius studijs iampridem plurimum faueo: tum quòd in ea mirum in modũ Veneres & Gratias paternas expresseris. Accessit hæc quoq́ priuatim cõmendatio, quòd eam mihi munus esse uoluisti, idq́ adeo gratum & iucundum, ut in interiorem bibliothecam receptũ sit à me, & inter sanctiores thesauros collocatũ. Gratulor igitur isti festiuissimo ingenio tuo, pleno leporis, pleno eruditionis: cuius mihi certissimum testimoniũ dedit felix illa & prædiues uerborum supellex & argumentorum copia, quam in illam admirabili artificio congessisti, ut omnes oratorias lecythos propemodum reluisse uidearis. Auget admirationẽ, quòd quom cæteris uirginibus ille mos sit peculiaris, ut uernos flosculos hinc atq́ inde decerpant, unde sibi uersicolorem coronã intexant: tu non iam flosculos illos qui suis horis expirant ac breui cõmoriuntur, sed planè immortales amaranthos ex fœcundis Musarum uiretis legisti, quibus ceu tessellis uermiculatis totam orationẽ adornares atq́ interspergeres. Quibus ea est etiam prærogatiua propè diuinitus data, ut nunquã flaccescãt, sed ætatis beneficio fruantur, & quotidie magis reuirescãt. Musas iratas habeam, ni mihi hoc certum ac persuasum est: Ciceronẽ, si ad eius manes tam excultæ defensionis fama peruasit, gratias ultro acturum atq́ adeo habiturum sillographis & calumniatoribus illis suis, qui tibi elucubrandi bellissimã istam orationem occasionẽ dedere. Quom igitur aduersarios Ciceronis sis tam graui stylo persecuta, quom tanto studio Ciceronis partes defenderis, uide ac tecum cogita, quãtam de te expectationem concitaris, quantis deniq́ te prædibus obstrinxeris: ut iam tibi non liceat mutare sacramentum, neq́ militiã cui semel religiose nomen dedisti, abiurare. Te itaq́ in castris Ciceronis assiduam ac frequentẽ esse oportet, donec iusta stipendia cõfeceris, atq́ ad primos ordines perueneris: idq́ eo libẽtius ac accuratius facere debes, ut Annę principis lectissimæ, in cuius regio comitatu adscripta es, plenius fauorẽ promerearis, eiusq́ studia imiteris: quæ quom omnes summas uirtutes in hac tenera ætatula amplexetur, tum maximè Græca & latina studia & ipsam imprimis eloquentiam, tanquam puellares iocos suas delicias putat. Bene uale.

CÆLIVS CAL. EDMEO MAIRIO S.

AGITATAM diuq́ inter grammaticos peruagatam quæstionẽ in medium reuocas, quæ non aliunde melius definiri potest, quàm si tecũ ipse cogitaueris, uerbum hoc iacio in compositione alteram literam in i cõmutare. quæ causa fecit, ut ex eo composita geminato ij scriberentur, ut reijcio, subijcio, deijcio & alia huiuscemodi. Quòd si utrunq́ ij uim uocalis tuetur, [illegible]

σὺν τῇ συλλαβῆς, id est per dissolutionē syllabæ, tunc utranq; corripi necesse est. Quæ ratio effecit, ut in illo Luciliano uersu:

Scipiadę magno improbus obijciebat asellus. Et in illo Vergiliano:

Eripe me his inuicte malis: aut tu mihi terram
Inijce: nanq; potes. Et in illo Ouidiano:
Reijce libatos illius ore cibos:

pleriq; non dactylo, sed proceleusmatico locum uendicarint. Qui uero συνδεσμόν, id est coagmentionē syllabæ defendūt: ij dactylo sedem relinquūt. Nam & reiectos & obiectos & subiectos prima producta enuntiamus. Horatius:

Iniecto ter puluere curras.

Alij primum i, plane elidunt, suamq; sententiam Statij testimonio comprobant. Cuius carmen est,

Tela manu reijcitq; canes ad uulnus hiantes.

Quod ad Catulli imitationem dictum opinantur, cuius carmen est ad Ortalum:

Non, ita me diui, uera gemunt, iuerint. pro iuuerint.

Quin & Virgilius quom dixit,

Tityre pascentes à flumine reijce capellas,

creditus ἔκθλιψιν fecisse. nam pedē ex quinq; syllabis constare, uel ex quatuor, quarum prima producatur, negat ratio metrica. Quin & Cicero dubitat in Oratore, an qui tres syllabas excedit, pes, an numerus potius debeat appellari. Gellius hanc dubitationē attigit libro quarto Noctium atticarū: quàm bene autē eam discusserit, aliorum sit iudicium. mihi sanè uidetur occasionē dubitandi intendisse potius quàm sustulisse. Cæterū ego, ut ingenue tibi uir eruditissime sententiā aperiā, in ijs grammaticorū disceptatiōibus, quas quisq; pro captu ingenij oppugnare ac propugnare potest, semper existimaui ad autoritatē ueterū prouocari oportere, & ad eam quasi ad sacram anchorā esse acquiescendum. Bene uale, & me tui amantissimū puta.

CÆLIVS CAL. BONAVENTVRÆ PISTOPHILO S.

PRODITVM est ueteres principes duo plerūq; domi lararia habuisse, quæ puto à Plinio salutatoria cubicula appellari. in altero deos immortales Dis parentibus progenitos: in altero homines in deorum collegium cooptatos, quos scilicet merita in cælū uocauerunt, salutabant. Vtrisq; thure ac flosculis, sed & uictimis interdum sacrum faciebant. Ab illis prioribus, & quasi maiorū gentium, salutem fortunasq; precabantur: ab ijs rectam mentem & uirtutis splendorē optabant. Hoc est quod Alexandrum imperatorem Mameæ filium legimus, non promiscue, sed quoties cum uxore non cubuisset, matutinis horis in larario in quo diuos principes animasq; sanctiores, & inter eos Apolloniū & Christum & Abraham & Orpheum habebat, religiose coluisse. Nam si legentes illustrium uirorum pręclara facinora, quibus æternitatē meruerunt, excitamur ad honestos labores & studium immortalitatis: quāto hic amor laudis & gloriæ ambitus animos nostros uehemētius percellet, spectantes eorum iconicas imagines, & quasi cōminus congredientes cum his, qui sibi illud nomē, eamq; apud posteros nominis celebritatē pepererūt. Inter reliqua itaq; prudentiæ ac uirtutis tuę testimonia Pistophile uir clarissime, & hoc quoq; adnumerabimus, quòd tam diligenter ac studiose numismata antiqui operis conquisiueris, eaq; in sanctuario tuo collocaueris: quæ ne quis impure illotisq; (quod aiūt) manibus attrectet, pinacothecis inclusisti: ea ratione, ut possint utrinq; eodem propè momēto spectari. Et licet tua excellens uirtus parum indigeat admonitore, tamen quatenus tibi per fortunam licet, cum ijs innocentia, liberalitate, modestia, uigilantia, animi magnitudine contendis: ut iam omnes intelligāt, nō in principū atq; imperatorum fastigio solum, sed in pacata etiam ista mediocritate uirtutē habere suos radios, ac de multis posse benemereri. Id quod ego propè quotidianis officijs experior: quom uel autoritate, qua plurimū polles, dignitatem meam tueris: uel testimonio, quod magnæ est apud omnes fidei, exornas. Non est ergo quòd quispiam miretur, si in tuæ spem gratiæ in ijs persæpe

adnitor, quæ & captũ & conatus meos exuperant, id quod nuperrime accidit. Nam quom te persæpe animaduerterẽ optare, ut in ea de quibus dixi numismata, quorumq; tu mihi liberaliter adeo copiã feceris, annotatiunculas scriberẽ: & si non ignorarẽ, quantũ ea res habeat difficultatis, tum quàm plenum sit temeritatis ad hominẽ doctissimũ, et in omni genere studiorũ, sed in hoc antiquitatis præcipue exercitatissimũ hæc scribere: uicit tamen pudorẽ meum, studiũ tibi obsequẽdi: rescq; subinde incredibilis subsecuta est, ut iã te autore tuisq; auspicijs sciã quod nescio, ausimq; quod longe uiribus esse meis impar sentio. Sed anteq; rem aggrediar illud præfabor, &c.

CÆLIVS CAL. SEBASTIANO CORRADO S.

TANTI te facio mi Corrade tum propter suauitatem morũ, tum ob elegantem literaturã, ut licet multa ac magna me auocamenta circumstreperẽt, quom tuas literas accepi, (urgebat enim me profectio in urbem principis & reipublicę causa suscepta) nihil prius habuerim quàm principem conuenire, eiq; tuum desideriũ aperire: qui & tuarum uirtutum cõmemoratione, & egregia ista tua uoluntate mihi non mediocriter oblectari uisus est, præsertim quom res obsignatis planè tabellis ageretur. Meũ enim illud testimoniũ tui libelli comitabãtur. Quòd nisi peractis quoq; comitijs prehensare, & te candidatum profiteri cœpisses, uix puto te unum aut alterum cõpetitorem fuisse habiturum. At nunc eò res perducta est, multis non solum uirtute sed gratia & ambitu & suffragatorum studijs adnitẽtibus, ut omnia nobis posthac duriora futura sint, neq; mea autoritas tantũ sit ponderis habitura, quantũ in re tam honesta iure habere deberet. Hac tamen difficultate proposita non deterrebor, quin eo accuratius incumbam atq; adnitar: & ex duobus alterum spero me omnino adsecuturum: uel ut extra ordinem à prærogatiuis centurijs tuum nomen recipiatur, suffragiaq; in integrũ reuocentur: uel si forte secus ac tu uelles & ego optarem, res cecíderit, ut opinione hominum adlectus ac designatus, temporis iniquitate exclusus uideare. Illud certe uelim tibi persuadeas: meam operam, quantũ in me est, nullo aut loco aut tempore tibi defuturam. Bene uale, & me ama.

CÆLIVS CAL. FRANCISCO FANTINO S.

MVLTA sunt præclare adolescẽs, quæ mihi persuadẽt, ut studijs ac profectibus tuis ita faueam, ut neq; me mea studia, neq; occupationes, quę undiq; obstrepunt, possint ab hac opera auocare. & licet tua assiduitas uix alienum fauorẽ requirat, quom tu ipse tibi classicum canere nõ desinas: & qui te tuopte ingenio incitatũ urget, actum agere & inanẽ diligentiam suscipere uideatur: non tamen hæc unquam ratio me mouere poterit, aut à proposito deterrere. Nam & in stadio se exercentes, quamuis exsudent, quãuis pleno cursu ferantur, non desinimus tamen adhortari, ut institutos conatus teneant tantisper, dum optatã lauream adsequantur. Ad hoc accedit, quòd hoc agens sentio me desiderio optimi & grauissimi uiri patruí tui satisfacere, quí quom te fortunarum & dignitatis hæredem cooptauerit, tum uero multo magis abs te splendorem familiæ & suarum uirtutum lumen augeri ac propagari desiderat. Vt igitur hoc quod facis, libentius facias, atq; in eam rem maiore animo enitaris: persuasum habeas uelim, te tum multos habere istius tuę laudis spectatores, tũ uero me perpetuũ institutæ operæ adiutorem & præconẽ fore confidas. Quæ uero à me petis, ita se habent. Phania libertus Appij opportune admodum, sed planè inexpectatus testem se obtulerat ijs rebus, quę in laudem Appij à Cicerone gerebantur: quare eum merito κωμικὸν μάρτυρα appellat. Mos enim est plurimus in comœdijs, ut in ea parte quæ καταστροφὴ dicitur, rebus dubijs & inexplicabilibus testes propè diuinitus superueniãt, quorũ aduentu ea quæ incerta sunt & cõtrouersa explicentẽ, & fidẽ capiãt. Sic apud Terentiũ Crito in Andria, Chremes in Eunucho introducit: ut facile agnoscas κωμικὸν μάρτυρα illi esse proximũ, quod Græci dicũt, θεὸς ἐκ μηχανῆς. At colũnarios, ita eñ malo q; colonarios scribi, Cælius uocat eorũ tributorũ redẽptores, quæ colũnatim exigebãt.

De quibus

De quibus & Cæsar in tertio Cõmentariorum belli ciuilis mẽtionem habet, agens de exactionibus quæ in summa rerum difficultate exercebantur: In capita singula seruorum ac liberorum tributum imponebatur: columnaria, hostiaria, frumẽtum, milites, remiges, arma, tormenta, uecturę imperabantur. Quin & Cicero lib. XIII. ad Atticũ: Columnariũ, inquit, uide ne ullum debeamus. Bene uale, & in hoc honestissimo quæstionum genere te frequenter exerce, ut eorum expectationi qui de te summa omnia sibi receperunt, aliquando respondeas.

CÆLIVS CAL. BAPTISTÆ GYRALDO S.

QVOM inanem operam sumpseris in uertẽda atq; emollienda oratione, quam me iudice multo satius fuerat perpetua obliuione obliterari: sanè admirarer bonas illas horas, quas potioribus Musis poteras impendere, tam male collocasse: quom præsertim nouerim te hominẽ non modo in melioribus studijs occupatum, sed & præstantis iudicij & delicati stomachi non nisi delectas epulas approbare: nisi uicissim & bonitatẽ & uerecundiam tuam agnoscerem. Hæc causa facit, ut mirari desinam, & te omnibus suffragijs absoluam. est enim mihi abunde perspectũ, te neq; tua sponte neq; ex animi tui sententia, sed inuitum potius ac reluctantem, te parum dignum onus suscepisse. Ista enim præclara indoles tua, isthæc felicitas ingenij ad maiora atq; illustriora quædam facta est atq; instructa à natura, quàm ut ad hæc se demittat, tã pressa, tam humilia. Apelles & Polycletus sublimis ingenij artifices in Dis atq; heroibus exprimendis elaborabant. At Pyrrhichi sordidi ingenij hominis tonstrinas, sutrinas, asellos auersabantur. In hoc enim genere præstantia ingenia recusant retundi atq; obsolescere. Et profecto ita est, elementa illa angusto & tenui ductu conscripta oculorum aciem hebetant: maiora atq; uncialia ad lectionẽ inuitant. Tu uero dum amico obsequeris, dum agis indulgentius aut certè uerecundius quàm par fuit, maluisti periculum existimationis adire, quàm cõmittere ut officium & opera tua à quoquam desideraretur. Cæterũ quom res propè tibi adhuc integra sit, neq; irritus iste labor adhuc in manus hominum effluxerit, amabo te, quicquid hoc est supprime: atq; intra cancellos coerce, ut nusquã rimam inueniat. quòd si amicus ille Iouem Philiũ inclamet, & tecum ex sponso agat, tu cõtrà ut fortem uirum decet, Agesilaum illum Spartiatã imitare, & intrepide non sponsum sed dictum respondeas. Denicq; ut omnia pessime cedant, illud cõstanter memineris, Multo esse satius, semel atq; apud unum, quàm semper atq; apud omnes erubescere. Bene uale.

CÆLIVS CAL. IOANNI BENEDICTO S.

REFRICVERVNT mihi tuę literę hulcus, quod profecto nondum occalluerat: sed tamen uel diuturnitate temporis uel multis rerum auocamentis, mendacem quandam (ut medici dicunt) cicatricẽ contraxerat. quid enim potuit mihi magis prẽter opinionem atq; expectationẽ euenire, quàm quòd quom meis potissimũ literis adlectus te in hãc urbem receperis, non secus tamen optatissima tua consuetudine caream, quàm si longe & per terrarum planè diametrum à nobis absens fores: quàm uero mihi hoc graue sit, tu ipse tecum potes cogitare: si persuasum habueris me de uirtute ac bonitate tua incredibilem quandam opinionẽ concepisse, atq; omnia tempora quæ à grauioribus negocijs succidi possent, si data foret copia, in amœnitate mutuæ cõsuetudinis fuisse collocaturũ. Hoc tamẽ quicquid est incõmodi, æquiore animo perferebam, quòd omne illud tẽpus, quod meis uoluptatibus deperire sentiebã, studijs ac progressibus filiorũ patruelis mei, quos æquè ac filios charissimos habeo, accedere pro certo existimabam. Adhoc sciebam te animũ atq; operam studijs forensibus addixisse, neq; tibi aliquid tẽporis reliquum facere. Atq; ob id hominem in tam operosa materia occupatum interpellare, ut parce dicam, mihi fuit religio. Neq; mihi hoc loco discutiendum puto, quàm feliciter tu tibi ad beate uiuendum ea studia proposueris, quæ si recte atq; ordine tractarentur, profecto & publice & priuatim salutaria omnibus

iudicarẽ. Sed iam usu atq; experientia cõpertum est eò rem processisse, ut pro legibus formulas iudiciorũ, pro iure litium cõmentationem, pro iustitia calumniarum artificium teneamus: ut mihi propè testatum sit, neminem ea causa in hoc genere literarum elaborare, ut honeste uiuat, neminẽ offendat, suum unicuiq; tribuat: sed ut potius in omnes mortales tyrannidem exerceat, suum cuiq; adimat, miseros clientes spreta lege Cincia depopuletur: se deniq; magnis opibus farciat, quas quom ad fastidium, nunquã tamen ad satietatẽ congesserit, tum demum ingrato hęredi relinquat: ipse uero ad ineuitabile uadimonium diuinitatis accitus, anteactę uitæ pœnas luat. Quare quom ego te semper animaduerterim ueram non personatam probitatem profiteri, & longe ab huiusmodi hominum portentis abesse: iccirco non imprudenter fortasse dixerim, te omnino difficulter iuris peritiã illam adsecuturũ quæ nostro seculo rerum potitur, cui omnes adsurgunt, quam omnes admirantur: & (ut dicam quod sentio) quę nihil minus est, quàm iuris peritia. Nam si uirum bonum ac probe educatũ aut piraticæ aut prædatoriæ arti audiuissem nomen dedisse, liceret mihi puto cõstanter affirmare, eum aut nunquã aut certè summa cum difficultate egregium piratam aut prædatorẽ fore, natura scilicet repugnante. Idem si de te sentio, utpote uiro mea sententia integerrimo, non est quod doleas, aut factam tibi contumeliã suspiceris, in ea præsertim disciplina quæ piratica & prædatoria multo est nocentior. Nam quom piratę ac prædatores sint de perduellium numero, nõ definiti, sed communes hostes omnium, quocunq; loco fuerint intercepti, aut laqueo aut gladio ultore puniuntur. Isti aũt urbani prædatores in auro ac purpura non solum populis, sed ipsis etiam regibus dominantur. Omnes enim sacrosancto iuris ac iustitiæ nomine, quo se præmuniunt, in admirationẽ erecti, quo iure quaq; iniuria sinunt omnia eis licere. quare ijs solis hominẽ occidere, familias spoliare, summa impunitas est. Sed ô me imprudentẽ, qui hæc mysteria ausim literis cõmittere, quom certum ac perspectum habeã, quàm sit odiosa ueritas, maleficis præsertim ac facinorosis. Nam ad hos tantum uolo meam orationem referri. Atq; utinam pauci sint ad quos mea referatur oratio. Cæterum quàm tu polleas ingenio, quàm sis factus ad omnes bonas disciplinas capessendas, notius est quàm ut meo egeat testimonio. quin & quo mihi hoc est testatius, hoc te hortor impensius, ut supremã ac perennẽ illam legem animo amplectaris: cui neq; fucus fieri potest, neq; unquam lex esse desinit. Huic si tu te semel addixeris, tum uero ego te optimã iniisse uiuendi rationẽ putabo: tibiq; ultro ueram felicitatem gratulabor. Reliquum est ut eam iacturã, quam uel à negligẽtia uel ab occupationibus profectã hactenus uterq; nostrum fatetur, frequenti inter nos consuetudine atq; adsiduitate nauiter sarciamus. Bene uale, meq; ac Comites nepotes meos, id est meas delicias, cõmendatos habe.

CAELII CALCAGNINI EPISTOLARVM LIBER XVI.

CÆLIVS CAL. ILLVSTRISSIMO HERCVLI secundo, Duci Ferrariensi IIII. S.

C RISPVS Passienus orator multæ celebritatis profitebatur, se ab alijs iudicium, ab alijs beneficium optare: iudicium quidem ab ijs qui sibi sapientia excellere uidebantur, beneficium autẽ ab ijs qui magnitudine fortunæ cæteris mortalibus præstabant. Ego uero abs te princeps eminentissime non minus iudicium quàm beneficiũ semper optaui. Tanta enim uis ingenij, tanta alacritas animi, uel in te puero adhuc eminebat: ut ego, qui te semper familiarissime colui, tuos profectus multo ętate maiores admirarer: omnes uero prospicerent, ab illa indole te aliquando ad hunc prudentiæ apicem peruenturũ, in quo nunc Dis bene iuuantibus feliciter conquiescimus. Sed postquam

postquam ad principatū hæreditario iure prouectus es, & amplitudo fortunæ hoc uno te nobis præstantiorē ostēdit, ꝙ tantū quantū uis omnibus prodesse posses: ego tua beneficia tāti feci, ut ea nō solū beneficia, sed testimonia tui de me iudicij, tuæq; in me beneuolētiæ ornamēta, semper existimauerim: ꝙ quom ego grauiter decumberē, & tu Neapolim cogitares, profectionēq; parares, meis collegis de incrementis publici stipendij agētibus, tu mei licet absentis rationē habendā duxisti. Quæ tua erga me uoluntas tanto fuit illustrior atq; honorificentior, quòd nō precibus, non assiduitate impetrata, sed à tua tātū profecta est bonitate ac liberalitate. Quod quom mihi uir clarissimus Antonius Musa, tuę salutis omniū studiosissimus, quo & propter fidē & propter peritiā medico uteris, renuntiasset: ausim dicere eo nūtio multo maximam mihi partē morbi ademptā esse. itaq; quom peregre redijsses gratias egi tibi, ut par fuit: dediq; operā, ut magister decurionū, quē XII. sapientū iudicē uocāt, tuam illam uoluntatem in publicis monumentis adscribi mandaret. Id quod factū est, & ad hanc diem tua mihi liberalitas incolumis mansit. At nunc ille idem decurionum magister quem dixi, homo ut de eo parce dicā, iterarum omniū ignarus, & ob id literatis omnibus infensus, nititur & tuam uoluntatē cōuellere, & tua me beneficentia fraudare: & quod singularis impudentiæ plenum est, negat suo iussu tuā uoluntatem in publicas tabulas relatā esse: quom Daniel Finus scrinij præfectus, uir perspectæ fidei, & Antonius Musa quē iterum honoris causa nomino, id eius mandato factum constantissime asserant. Lacessito igitur mihi hac iniuria necesse est te princeps optime ac beneficentissime appellare atq; implorare, ut beneficiū quod mihi dedisti, ea animi magnitudine tuearis, qua prius contulisti. Sic enim te bis de me benemeritum putabo, & tunc quom dederis, & nunc quom defenderis. Vale.

CÆLIVS CAL. LILIO GREGORIO GYRALDO S.

QVOD tibi laborem non sumpseris perferendi ad me tua manu declamationem meam illam quam optabam, sperabamq; multo cultiorē tua opera domū remigraturā, non sanè id admodū ægrefero: & si nihil possit mihi esse iucundius, quàm tua frequenter cōsuetudine perfrui. Illud mihi fuit permolestum, quòd per aduersam ac reflantē fortunam id tibi minus licuerit. Sentio enim te in eadem propè naui positum, in qua ego sæuiente fortuna multos iam mēses periclitor. Quantulū enim interest, an tibi usum pedum, an mihi manuum ademerit. Certè si Democrito credimus, eo manuum maior est iactura, quo præcipuum ac necessariū magis hoc est hominis instrumentum, à natura datū, ut se posset certius rationale animal testari. Atq; hinc facile potes colligere, cur ego te pridem neq; conuenerim neq; propius salutauerim. Accedit enim hoc ad reliquas utriusq; nostrum molestias, ut in eadem urbe, in eodem ambitu ac propè uicinia habitantes, nō minus nos uicissim desideremus, quàm si multorum dierum iter alterum alteri subduxisset. Et sanè ita comparatū est natura, ut nos impēsius eorum desiderium incessat, quæ putamus facilius posse obtineri. Nam & spectatores isti naturæ censent aliquanto maiore impetu ea permoueri, quæ iam propè ad finem atq; exitum perducta sunt. Redeo ad declamationē. Neq; enim illud possum præterire, eam mihi solito minus displicuisse, laudatam scilicet abs te laudato uiro. Potest etiam placere, nisi haberē compertum, te tuę in me beneuolentiæ plus indulsisse quàm iudicio. Sed illud planè ridiculū, quòd meæ nugæ te deterruerint, ne tuas cōmentationes depromeres, earumq; mihi copiam faceres: quasi uero ego nescia, te & Romæ & Mirandulæ cum felicissimis illis ingenijs contendisse. quorum pulcherrimi fœtus tantū aberat ut te deterrerent, ut etiā ultrò sæpius prouocauerint. Quid uero causę est, ut quom Manardo uiro tantæ celebritatis nihil rerum tuarum ignotum esse patiare, cum tuo tamen Cælio agas religiosius, & terrorem prætendas. Quòd si fortè putas me non fore earum satis idoneum laudatorē, ero admirator: & quod nō potero prædicatione, id honesto silentio adsequar: ut omnes intelligant, me ingenio tuo fasces summittere, & tuis me laudibus imparē fateri. Alioqui habeo perspectū, gemmas & pretiosam supellectilem in sanctuarijs adseruari, & raro & cunctanter

ſpectatoribus exponi. Quòd ſi uera fateri lubet, hanc uel unam uel certè optimatem cauſam puto, quę te remoratur, ne tuam iſtam Helenam mihi rudi admodum formarum ſpectatori aperias, quòd exactum artificiũ non niſi in exacti artificis oculos debet incurrere. Quòd uero me à ficto argumento ad ſeriã materiam reuocas, agnoſco tuam in me beneuolentiã, qui amicum amice admoneas. Sed in conſultatione non illud ſolum ſpectandum eſt, quid deceat, quid expediat: ſed illud uel imprimis, quatenus ſe porrigat facultas. An tu exiſtimas Pyrrhichũ cognomento rhyparographum quom in exprimendis aſellis ac tonſtrinis aliiſq; leuioribus operis præſtaret: ſi quis eum inuitaſſet, ut Veneris è mari emergẽtis imaginẽ uel inchoaret uel abſolueret, conditionem fuiſſe accepturum? Non ſanè, niſi mea me fallit opinio. Prudentem enim artificem oportet ſuas imprimis uires metiri, & tum demum intra præſcriptos fines ſe continere. Quòd ſi hoc à pictore petimus, quid ab eo requiras, quem tu tot laudibus ornandum duxiſti? Ego ille tamen meæ conſcius ſupellectilis experiar aliquando, quid hac parte poſsim, ut tua apud me autoritas plurimũ ponderis habuiſſe uideatur. Nam utcunq; res ceſſerit, honeſtum mihi fuerit amici & prudentis hominis conſilio paruiſſe. Bene uale.

CÆLIVS CAL. IOANNI BAPTISTÆ EGNATIO S.

LAVTE omnino ac magnificè Hercules dux Ferrarienſis nuperrime ſalutatus, Venetos oratores excepit, ut principes uiros à liberali principe excipi par fuit, qui præſertim nouum principatum nomine inclyti principis & ampliſsimi ſenatus gratulatũ ueniſſent. Nolim tamen exiſtimes eos lautius aut amãtius exceptos eſſe, quàm ego tuum oratorẽ exceperim: qui licet neq; apparitores haberet, neq; in purpura neq; in holoſericis ueſtibus procederet, neq; peregrinas pelles oſtentaret, natiuo tamen illo cultu ſuo tantum dignitatis præſe ferebat, ut protinus familiarem & uernaculum Egnatij agnoſcerim. Quare ego illum obuijs & expoſitis ulnis ſuſcepi: uenientiq; oſculũ impreſsi. Quid enim mihi iucundius & optatius euenire potuit, quàm ut is orator ad me profiſciſceretur, qui apud Egnatium illum meũ facile literatorũ noſtri ſeculi principem, mei memoriã uiuere ac uigere teſtaretur? Is uero adeo me tenuit ſua eloquentia, ut præter titulum in eo Syri nihil animaduerterim. Probam ſanè & ingenuã frontem ita prę ferebat, ut nulla fiſtuca prętoria opus eſſe uideretur. Sicut enim qui in palatiũ cooptati ſunt, à principe protinus natalibus reſtituuntur, & ius annulorũ adſequuntur: ita qui ſemel in albũ Muſarum tranſcriptus eſt, omnẽ labem natalium exuit, & iure gentilitatis perfruitur. Quare ego illum non modo liberaliter accipiendum duxi, ſed & in proximum orcheſtrę locum aduocaui, & in prima claſſe cenſeri uoluit: id quod facile cenſoribus ipſis approbantibus impetraui. Hinc colligis quanti faciam tuos oratores, & quàm honorifice illis faueã. Neq; enim iam unus uel alter mihi prę ſto eſt, ſed propè iuſtus numerus forulos implet & ſubſellia. Quòd uero alios etiam te ſubmiſſurũ polliceris, & gratiã habeo, & uelim tibi eſſe perſuaſum, me nuſquam tuæ liberalitati defuturũ: ea tamen conditione, ut citra tuam iacturã & ſaluo pudore meo id fieri poſsit. Proinde operam dabo, ut orator Ferrarienſis tantum mancipiorum repræſentet, quantum tu te erogaſſe dixeris. Neq; enim parũ ego Egnatio meo debebo, ſi in hoc mangonio ſuam mihi diligentiã accõmodauerit. Arquati noſtri prognoſticon ad te mitto, ut tuæ uoluntati obſequar potius, quàm quòd eã rem te dignam putem. Puer ego admodum hominẽ uidiſſe memini pallidum, impexa coma, demiſſo ſemper uultu, & planè μετέωρον. Hunc imprimis præceptores mei admirabãtur: prædicabantq; unum poſt natos homines Eudoxi rationem tenere: quam ille mortalibus hęreditarium cælum reliquit, anticipata in ſuam ætatem poſteritate, rerum etiam prædictiones approbantibus ſeculis. Puero qui tuas mihi literas reddidit, operam & opem meam obtuli, & ſi qua in re uſui fuiſſet liberaliter præſtitiſſem. ſed ille, ut uideo, cõmendatione tua quàm opera mea uti maluit. Bene uale optime ac doctiſsime Egnati: & quom tua tibi uirtus multos pridem amatores excitauerit, certum habeto tuo Cælio amantiorem conſtantioremq; eſſe neminem.

Cælius

CÆLIVS CAL. LAZARO BONAMICO S.

E TSI Stratius noſter, quoquò proficiſcit, magnas ac iuſtas cõmẽdationes ſecum ipſe cõuehat, egregiam ſcilicet literaturã, promptam ac expeditam orationẽ, incredibilem ingenij & morum elegantiam: illud tamen planè fuit admirabile, quantũ illi tuarum literarũ teſtimonio commẽdationis acceſſerit. Tu enim is es, cui propter perſpectam probitatẽ ſumma fides, propter excellentem prudentiã exacta iudicandi facultas, tribuantur: ita ut neq; periculum ſit ne quenquã fallas, neúe à quoquam fallare. Accepi itaq; hominem pridem multa mihi & propè familiari beneuolentia coniunctũ liberali fronte atq; obuio amplexu: nullaq; in re defui uiro tam benemerẽti, & abs te tam diligenter cõmendato. quod ergo optabat, ei feliciter obtigit. Nam eas uirtutes quas non ſatis pro dignitate exornatas ad nos attulit, multo iam illuſtriores & noua laurea redimitus, & aureis annulis donatus, & in doctorum decurias adlectus ad ſuos refert. Quom uero publicè illi habenda eſſet oratio, Di boni quàm σφαλωλικῶς Stratius noſter ſe geſſit, quantum aſſurrexit, quanto ore prudentiã iuris prouexit. Hoc denique magno totius conſeſſus plauſu adſequutus eſt, ut quam de ſe expectationẽ concitarat, toto propè ſtadio ſuperauerit. Vide igitur quãtus ueterator ſit Stratius noſter, qui tam belle rationem iniuerit, ut quam nobis gratiã debebat, expungeret: nos contrà illi plurimũ deberemus. effecit enim ſplendore ſuę actionis, ut quę tu literis, ego preſenti oratione, prædicaueramus, non ſolum fidem acciperent, ſed multo etiã pleniora uiderentur. Bene uale uir eminentiſsime, & me ama.

CÆLIVS CAL. ANDREÆ ALCIATO S.

E TSI perſuaſum ſit mihi, te omnibus qui ad felicitatẽ ingenij acceptam à natura bonarum etiã artium cultum adiunxerũt, te facilem ac perbenignum præbere: quom tamen Ioannes Ronchagallus iuuenis magni profectus in literis, mihiq; multis de cauſis chariſsimus ad te cõmearet, ea imprimis cauſa ut te coràm ſalutaret, tuaq; autoritate ſuã dignitatem nonnullorũ iniuria periclitantẽ tueretur: exiſtimaui mea intereſſe, nõ modo eũ tibi ex meliore nota (ut aiũt) cõmendare, ſed illud etiã teſtari, me quicquid illi iudicio ac ſuffragio tuo accõmodaueris, ita eſſe accepturum, quaſi illud omne & exiſtimationi & ornamentis meis accreuerit: ut tibi iam certum atq; exploratũ eſſe debeat, uno te beneficio duos homines tui ſtudioſos tuarumq; uirtutũ admiratores poſſe obſtringere. Quod eo etiam libẽtius facere debes, quòd hic tuæ militiæ ita ſe pridem addixit, ut neq; præceptorũ neq; amicorũ obiurgatiõe deterreri potuerit, ut hoc ſacramentũ abiuraret. Neq; enim pauci ſunt qui iuris prudentiã cum eloquentia non aliter diſſidere arbitrantur, quàm ea quæ oppoſitis frontibus repugnant. Qua opinione multi præſtãti ingenio iuuenes rapti, & in tranſuerſum abducti, bonis literis abdicatis nõ ad iuris prudentiã, ſed ad perpetuam inſcitiã graſſantur: quæ res hoc plus habet periculi, quòd ſua hac ignauia ſe compendia quærere profitentur, quibus ocyſsime & quæſtũ faciant, & honores ac magiſtratus aggrediant. A quorũ hæreſi quom Ronchagallus meus lõge abſit, tuiſq; unius ueſtigijs nitat, & te quaſi Tireſiã illũ Homericũ ſolũ inter umbras ſapere arbitretur: neq; enim quenq; uideo præter te cui hæc laurea iure debeatur: puto eum uiciſsim dignũ eſſe quem in fidem recipias, & receptum omni officio ac beneficio proſequare: ut intelligat te eum eſſe, qui non modo literis in quibus es eminentiſsimus poſsis in te animos hominũ conuertere, ſed humanitate etiam ac liberalitate retinere. Bene uale, & me ama tibi addictiſsimum.

CÆLIVS CAL. ALEXANDRO CARDINALI Brunduſino S.

E TSI mihi perſuaſum ſit Paulum Naſellum in urbem uenientẽ minime apud te pater ampliſsime aliena cõmendatiõe indigere, quom largam cõmendationum ſegetẽ ſecum ipſe ferat: tum memoriã optimi parentis, qui

tis, qui unus semper dum uixit supra omnes mortales celebritatẽ tuarũ uirtutũ religiose coluit: tum summã erga te obseruantiã, cuius nõ minus q̃ paternæ pecuniæ se hæredem profitetur: quom tamen pridem perspectum habeat quantus ego sim semperq̃ fuerim admirator tuæ dignitatis & earum disciplinarum in quibus es eminentissimus, & quæ meo quidẽ iudicio sacræ purpuræ multo plus splendoris inuehunt quàm mutuentur, existimauit meas literas si non prę̃sidio certè testimonio sibi futuras eius fiduciæ, quam summã in tua unius autoritate collocauit. Declarabit ipse coràm, quo loco res suæ sitæ sint, quibus fluctibus agantur, quo uersentur in discrimine: tu uero quæ tua est bonitas, consilio atq̃ ope tua in pristinũ gradum adolescentem periclitantẽ restitue. Ea in re quom certum habeam uoluntatẽ, facultatẽ etiam spero non defuturam: neq̃ me, sed ipsum planè parentẽ ex alto tuam fidem tuumq̃ patrocinium filio implorantẽ cogito. Ego profecto quicquid Paulo accõmodaueris, omne id in rem meam cessisse arbitrabor. Bene uale.

CÆLIVS CAL. FRANCISCO BELLENCINO S.

D EPREHENDERVNT me tuæ literę multis auocamẽtis animi distractũ. Ea causa effecit, ut orationẽ tuã magno ingenio, nec minore cultu elaboratã uorauerim potiusquã legerim, id quod mature ac sedato animo facere optabam. Accessit illud quoq̃ incõmodi, q̃ uir optimus pater tuus quom se recepisset hic aliquot dies fore, protinus se abfuturum significauit. Quare ego nequid aberrarẽ à tuarum literarũ præscripto: malui me ingenij tui suauitate fraudare, q̃ tuam diutius expectationẽ extrahere. Remitto itaq̃ orationem tuam ad te, quam pergratã Pontifici futuram spero: nisi illud unum forte offendat, quòd ueterem libertatem tuetur, & potest alicui familiarius scripta uideri quàm delicatæ aures principum hac ætate ferant. Quod ad ualetudinem tuam pertinet, & ægrotasse doleo, & conualuisse gratulor. Te uero, ut optabile deorũ munus omni studio curaq̃ tueare uehementer hortor & rogo. Bene uale.

CÆLIVS CAL. COMITI ALPHONSO CALcagnino nepoti S.

T VÆ mihi literæ fuerunt periucundæ magnifice fili, quibus honestum desiderium tuum mihi declarasti: rogastiq̃, ut sæpe ea ad te scriberem, ex quibus ę̃què & cultum ingenij adsequare, & ad uitam cõmode transigendã cautior prudentiorq̃ efficiare. Profecto ego ferreus sim ac plane barbarus, si in re tam laude digna precibus tuis locũ relinquã: quin magis te his uerbis adhortari libet, quibus Apollinem aduersus Pithonẽ nauiter pugnantem Latona excitabat, Βάλλ' ὅττως ἐμοῦ τέκνου. Sic iacias mi fili. Nam si hoc feceris, & in ea sententia perstiteris, omnes facile intelligent, id quod in uita imprimis saluberrimum est, te tibi minimũ arrogare, neq̃ uana opinione turgidum aliena aspernari consilia: id quod multi solent uel ætate uel rerum humanarũ imperitia, uel inani fortunæ afflatu pellecti. Iure igitur est quod tibi gratulari possim, qui non solum tuopte ingenio polleas, sed meis etiã amantissimis admonitionibus melior ac locupletior fieri optes, ut laudẽ utramq̃ ab Hesiodo celebratã nactus uideare: qui in prima felicitatis classe eos constituit, qui per se saperent: in altera qui alienæ prudentiæ atq̃ autoritati acquiescerent. Bene uale mi fili, & lectissimã fœminam uxorem tuam meo nomine saluta.

CÆLIVS CAL. ARLENIO ARNOLDO S.

V IX unquã accipit abs te literas Barbuleius noster quin eas ad me protinus afferat. Scit enim quàm iucũda sit mihi tuarum literarum lectio. Sed quas proxime attulit omnino fuerunt iucundissimæ, utpote quæ te incolumẽ ab Vrbe & à quartana restitutũ, & libris aliquot bene iufarcinatum redijsse nuntiarunt. Chartacea autẽ supellectile nulla mihi gratior esse potest. Ob id quom ad nos cõmeaueris, id quod breui futurũ polliceris: te rogo

te rogo, ut eos tecum libros conuehas qui seorsum in pagella annotati sunt. Hoc si feceris & precium paratum inuenies, & me singulari beneficio obstringes. Bene uale, & de Cælio tuo tibi omnia liberaliter spondeas. Ferraria.

CÆLIVS CAL. ARNOLDO ARLENIO S.

S VPERIORI die tibi significaui me protinus iussisse numerari Vincẽtio librorum institutori scutatos duos sesqui, quom ille mihi & literas & libros abs te reddidisset. Hoc existimaui tibi rursus significari oportere, ne si forte literæ meæ in transuersum abijssent, tu diutius animo pendeas, & fidem meam suspectam habeas. Rogaui etiam te, ut quom primum idoneum nuntium nactus fueris, Nauigationes Petri Martyris ad me mittas. Ego uero quanti illas indicaueris, tantum tibi bona fide curabo: idq; quàm ocyssime, id est quom fidus mihi nuntius obtigerit. Bene uale, atq; interim me ama ut soles. Ferraria.

CÆLIVS CAL. ARNOLDO ARLENIO S.

N ACTVS occasionẽ uiri optimi ac summæ fidei, nihil cunctandum putaui quin ei protinus debitam tibi pecuniã crederem. Ex eo itaq; accipies librorum quos ad me dedisti pretium, hoc est libellas nouem, solidos quatuordecim ad numisma Bononiense, quæ ad priscam monetã sunt æris plus minus ducenti nonaginta. Si Plotinum, Ptolemæum, & reliquos quorum mihi desideriũ iniecisti, miseris: & me magno beneficio obstringes, & ego uicissim enitar ut quàm ocyssime pretiũ accipias: & contra Alphij fœneratoris sententiã tibi declarabo, bona nomina etiã sine interpellatione fidem seruare. Vale.

CÆLIVS CAL. PEREGRINO MORATO S.

N ON est quòd tã facile aures præbeas Paulo Nasello uir doctissime, qui ut suam excuset ignauiam, præceptorum negligentiã ac peritiã non solum in dubiũ uocat, sed aperte etiã accusat: quasi uero eius culpa ita obscura sit, ut dissimulari possit aut ulla recriminatiõe protegi. Nõ desunt præceptores qui recte instituant, mihi crede mi cõpater, desunt qui se instituì patiantur. qua in classe Paulus noster longe præcellit, qui nõ præceptoribus solum, quos uereri oportebat, sed optimo ac sanctissimo etiam parenti se ita intracta bilẽ præbuit, ut abiecta ac temerata omni paternæ pietatis religione fugã struxerit. Maluit ille scilicet solum uertere, quàm optimis ac saluberrimis admonitionibus acquiescere. Id quod tu facile subodorari potuisti, quom sine pecunia, sine comitatu, sine literis aut ulla recõmendatione ad te cõmeauerit. Nec enim puto tibi uerisimile fieri, si cum bona parẽtis uenia istuc migrasset, nullum fuisse habiturũ testimonium, si nõ à patre, ab amicis saltem, quo tibi fieret cõmendatior. Hanc igitur scenã, quòd desint Ferrarię præceptores, quòd qui adsunt, parũ idonei sint, totam fictam & commentitiam puta & ad tempus adornatam, ut eius fuga si non iustior certe excusatior iudicari possit. Neq; hanc pro præceptoribus susceptã defensionem ita accipi uelim, quasi hic aut Cratetem aut Aristarchũ inuenias. Quid enim his opus Paulo, adhuc hærenti in primo grãmaticæ limine: sed certè hi sunt, qui eum ad rhetoricæ & poeticæ uestibulum prouehere ac manu ducere potuissent. Quòd si cæteri omnes, ut ipse uideri uult, defuissent, an unquã defuturus fuit eruditissimus pater: qui multis præterea lacessitus iniurijs, sed hac proxima succensusita excanduit: ut quom ego tum ætatem tum imprudentiã parum cauti adolescentis deprecarer, liberius q; admonerem, bonum patrẽ nescire irasci uel improbo filio: ille (nec enim quicquã te cælabo) qui me semper & patienter & perhumane solet audire, inclementer ne dicam acerbe preces ac intercessiones meas reiecerit, crebro inclamitans, se nõ esse eum filium habiturũ qui ipsum patrẽ auersetur, eosq; tantum sibi filios existimaturũ qui suo sint dicto audiẽtes. Ex his facile intelligere potes quàm alte plaga hæc homini insederit, quamq; hoc hulcus sit immedicabile: ni forte unum hoc pharmacũ, nec enim aliud

uideo

uideo, adhibeatur: si Paulus inquam meliorem induēs mentē præsens ipse ad parentis clementiā confugiat, eamq; supplex imploret, actę uitæ & patrati facinoris pœnitentiā præse ferēs. Qua in re ego tametsi hactenus reiectus, nō recusarē tamen iterū atq; iterū obstinatas aures pulsare, atq; amicos cōmunes summittere: qui Iulianū & admonerent, & libere etiam contenderent, ut ab ea duricie se deduci pateretur, ac filio resipiscenti pristinā gratiam redderet. Id quod ego futurū non despero. Nam & si grauiter ac iure succensuerit: non tamen paterni amoris igniculū in hominis mitissimi pectore ita extinctū puto, ut præteriti erroris pœnitētia futuraq; obediētiæ professione reuocari ac rursum succendi non possit. Hoc si fecerit, nō dubito quin tibi Iulianus cumulatā gratiā & habeat, et tibi quęcūq; hactenus filij gratia feciſti impendia resarciat. Quòd si ille fortasse, quod minime puto, id facere recusarit: ego qui perspectū habeo sensum animi tui beneuolentissimi, teq; perhumaniter hæc omnia in nostram gratiā fecisse: spondeo, quin & si opus est meis prædijs caueo, tua tibi bonitate ac liberalitate nullam omnino iacturā allatum iri. Illud non prætermittā, quòd si Paulus rediēs patrem fortasse rectà adire subuereretur, me primū conueniat. Nam ego cætera sedulo curabo ut ex sententia procedant. Me longius quàm cōstitueram in scribendo prouexit summus amor, quo te, quo Paulum, quo parentem eius amplector: optarem enim, si fieri posset, uno uos omnes eodemq; cōmuni officio deme reri. Camillus Plegapheta tuus centum scutatos bona fide deposuit apud Iacobum Boiardum argentariū nepotem meum, qui ex tuo arbitratu transeāt in mancipium domus uectigalis. Neq; admodum despero te ipsum propediem præsentē, si ita animum induxeris, id effecturū. Sanè Alfonsus noster aduersariū tuum se religiose ait obstrinxisse omnia ad eius nutum perfecturū. Quod nisi dicto steterit, minatur quo iure quaq; iniuria promissa expressurū. Aduersarij absentia in causa fuit, ut ad hanc diem nihil confieri potuerit. Ego profecto non desinam hominē hortari, rogare, urgere, donec rem ex animi nostri sententia processisse uideam. Plegaphetæ intui gratiam & hospitium & mea omnia officia liberaliter obtuli. Is festinationem itineris causatus, gratias agere quàm beneficio uti maluit. Bene uale.

CÆLIVS CAL. PAVLO IIII. PONTIFICI MAX.

POST QVAM à felici tuæ sanctitatis congressu abscessi pater beatissime, sentio mihi propè idem euenisse, quod ijs solet euenire, qui intenti atq; adeo inconniuentes in solis lumine diu hæserunt: quibus etiā longius digressis, caligant tamen adhuc oculi, nec uim pristinā obtutus facile possunt recipere. Sic mihi longo licet regionum interuallo summoto, tui numinis, quo nullum mortalibus est præsentius, splendor obuersatur: atq; incredibile est quantus me rapiat animi excessus & quasi diuina quædam ἀναγωγή, remetientē animo tū ea quæ tu incredibili animi magnitudine & prudētia, approbante etiam fortuna perfeciſti: tum uero cū rerum gestarum gloria coniunctā humanitatem, clementiā, bonitatem, & eam quam nescio an satis latine possimus interpretari, ἀνθρωπίαν: quom scilicet ex sublimi isto fastigio descēdis, uel (ut cōmodius dicam) descēdens adsurgis, ut nos te religiose adeuntes non pro amplitudine pontificiæ maiestatis, sed pro modulo nostræ imbecillitatis excipias. Quin etiam, ut nos puto adrecta studia capessenda tuo exemplo acrius inflammes, interiores sæpe literas, & quæ ad primam philosophiam & quæ ad philologiā pertinent, tam grauiter, tam docte, tam memoriter pertractas, ut qui te Græce ac latine differentē audierit, non possit satis admirari: quomodo principi nostræ religionis, cuius humeris salus publica & tanta rerum moles incumbit, ad ea reminiscēda uel ociū suppetat uel memoria. Sed ita est profecto, non in inani hominū persuasione, sed in optimarū & pulcherrimarum artium totiusq; antiquitatis cognitione rerū prudenter ac feliciter agendarum seminaria posita sunt: & magni ac præcellentes uiri tibiq; simillimi, qui terrarum olim imperio potiti sunt, nō alijs fundamentis nitebantur, aut rerum quas moliebantur magnitudinem sustinebant. Quom igitur antea celebris illa tantū lux incomparabilis tuæ sapientiæ, quæ iam late omnia peruasit, mihi affulsisset, te pari cū cæteris religione

religione uenerabar, neq; aliud quicquã esse in te pontificia dignitate auguitius arbitrabar. At postquã propius sacrariũ istius fœcundissimi pectoris intueri licuit, res omnino accidit præter expectationẽ. Nam quod fore inuitamentum ad te liberius ac familiarius colendũ uidebatur, hoc me multo magis deterruit, cunctantioremq; reddidit. Ex quo planè intellexi uerum esse quod à Græcis dicitur: οὐκ ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ μακάριον τὸ θεῖον εἶναι, οὐδὲ βρονταῖς καὶ κεραυνοῖς ἰσχυρὸν, ἀλλὰ ὑπεστήμη καὶ φρονήσει. His ergo causis & publice & priuatim permotus, quom me numini ac maiestati tuæ dicauerim, ita ut solent quæ à sacerdotibus ἀναθήματα uocantur, quæ nulla expiatione aut exauguratione reuelli aut in usus humanos reuocari possunt: illud unum te uicissim rogo pater beatissime, ut me, & si nihil præterea nisi deuotissimum hunc erga te animum afferentẽ, tua gratia dignum ducas. Hac enim & uindex nostræ salutis Christus, cuius tu uices geris in terris, Paulum apostolum cõtentum esse iussit. Hanc ego si me nactum intellexero, in hac mea mortalitate me planè summam uoti adsecutũ putabo. Deus optimus maximus sanctitatẽ tuam seruet incolumem, eiusq; uota omnia fortunet.

CÆLIVS CAL. PAVLO III. PONTIFICI MAX.

QVOM tua sanctitas pater beatissime eas literas scribi mãdaret, quibus me modo perbenigne ac liberaliter honestauit, puto eam nihil præterea in consilio habuisse, nisi meam summã fidem ac singularem religionem, qua eam præsens absens nunquã desino uenerari. Quid enim aliud esse potuit, quod illi maiestati persuaserit, ut me hominẽ mediocris fortunæ, tenuis ac propè nullius ingenij, tam excellenti iudicio amplificaret? Qua ex re sentio magnas mihi faces iniectas esse, ut isti præstãtissimo iudicio tuo, studio saltem & conatu, quando aliter nõ possum, respondeam: & talis esse enitar, qualem tu me esse uoluisti. Nactus ergo tuæ maiestatis iudiciũ, me summũ illud meorum studiorum præmium consecutũ arbitror, quo nullum potest cõquiri aut optari maius. Cætera enim ornamenta quæ à fortuna proficiscuntur, possunt magna fortasse alijs uideri: sed mea quidem sententia, si censura summi ac sapientissimi principis careãt, tum ijs multum ueræ ac iustæ laudis deesse, & à temeritate potius quàm delectu ac ratione pendere existimari potest. Quare illi sibi iure optimo multum gratulentur licet, qui sapientissimũ tuę sanctitatis iudicium quasi diuinũ illum Mineruę calculum meruerunt, id est τὴν ἐκείνην τῆς ἀθηνᾶς ψῆφον. Siqui uero præter iudicium ea etiam sunt cõsecuti quæ iudicij testimonia appellari solent, ad eorum quidem dignitatem nihil, ad felicitatẽ uero plurimum accessisse arbitror. Di te pater beatissime in ista felici statione diu seruẽt incolumem: sic enim spes est Christiani nominis securitatem fore diuturnam.

CÆLIVS CAL. PAVLO III. PONTIFICI MAX.

ETSI iam mensibus aliquot sacris occupationibus tuę sanctitatis pepercerim, & mihi propè religiosum duxerim procurationem sacrosanctæ ecclesiæ, atq; adeo Christiani orbis qua assidue distineris, interpellare: nunquã tamen desij absens licet tuum numen mihi omni loco præsentissimũ salutare ac reuerenter uenerari. Nunc uero has literas ea imprimis causa scribẽdas existimaui, ut numini tuo testatum relinquã, me pietatem ac seruitutem erga maiestatẽ tuam semel conceptam & nunquã desituram cõstanter tueri. Illud te uicissim rogo pater beatissime, & per tuã bonitatẽ diuinitatẽq; obtestor, nequando sinas apud te deuotissimi seruuli Cælij fidem ac memoriã obsolescere. Iulius Grandis, municipalis meus, exponet sanctitati tuę quid optem ab ea impetrare. Rogo, ut se precibus meis facilem clementemq; præbere dignetur. Deus optimus faxit, ut diu ecclesiæ suæ laborantis clauum teneas, ac feliciter moderere. Pridie Idus Apriles M. D. XL. Ferraria.

CÆLII CALCAGNINI EPISTOlarum Finis.

AMPLISSIMO VIRO THOMÆ FVSCO, ILLVstrissimi Hippolyti Cardinalis Estensis primi à secretis, Cælius Calcagninus S.

QVOD tumultuario expressum opus ad te dem Thoma Fusce uir doctissime, nolim mihi abs te uitio uerti, neq; illud obijci ἄμνια θερίζεις. Desperaui scilicet me quicquam tam eleboratum instructúmue posse apparare, quod grauissimo iudicio tuo satis foret. Tum uero non minus tui uoti, quàm existimationis meæ rationẽ mihi habendam putaui. Et profecto hæc ipsa celeritas poterit aliquo pacto impolitiem operis excusare: cuius ea est imprimis indicatura, is genius, ut te breui admodũ à maximi principis negocijs auocet, & quàm ocyssime desinat displicere. Bene uale.

IVDICIVM VOCALIVM LVCIANI CAELIO CALCAGNINO INTERPRETE.

QVOM summum magistratum gereret Aristarchus Phalereus, Pyanepsiõis adhuc cõsistentis septima, id est circiter nonas Octobres, Sigma τὰν literam in iudiciũ uocauit, septem Vocalibus super ui peculatuq; uindicibus. Querebatur autem se inde perpetuò exturbari, ubi τὰν geminatum scriberetur.

QVOM nondum Vocales iudices, τὰν ista pręter omnes legum sanctiones res meas inuadens atq; usurpans me grauius lacesseret, æquo animo iacturam ferebã: & si qua in me dicebãtur obaudiebam fermè. Nostis enim optime æquitatem ac modestiã animi mei, quam semper erga uos cæterasq; syllabas seruaui. Sed postquam adeo eius intemperies atq; insania inualuit, ut nõ contenta his quibus me hactenus defraudauit amplius moliatur, iniuriamq; uberiorẽ mihi facere meditetur: operæpreciũ duxi apud uos, quibus abunde utriusq; mores sunt explorati, eam in iudiciũ uocare. Nam prorsus ingens timor me habet, ne ijs contumelijs allidar omnino, atq; opprimar. Fit enim superioribus damnis accessio, mihiq; plurimũ uerendum est ne meo loco eijciar: & si diutius silentio indulsero ac quieti, ne ex literarum albo penitus explodar: aut certè ne animo pendeam, & hoc ipsum ne accidat mihi semper erit extimescendũ. Par est igitur non uos modo, ad quas spectat iudicium, uerũ & reliquas literas huiusmodi discrimine monitas publicæ securitatis rationẽ habere. Si enim licuerit in rem alienã grassari uolentibus, uosq; illud impune tuleritis, sine quibus nihil omnino scribi potest: non uideo quo pacto ordo ille à primis olim rerum auspicijs institutus rationem ac morem suum diu tueatur: tametsi nõ potest mihi in mentẽ uenire, uos in id negligentiæ atq; incuriæ peruenturas, ut hæc iuri omni contraria sinatis inulta esse: & profecto, si etiam à uobis disceptatio huiusmodi despiceretur, mihi tamẽ ob id minimè cessandum putarem, quę adeo grauia hactenus perpessa sum. Atq; utinam sic quoq; aliarum desinat audacia, quæ ad iniurias iam nunc se accingunt, nec lambda aduersus rho πρὸς τὴν κισήρεως, id est de pumice, καὶ κεφαλαλγίας, id est de capitis dolore contenderet: nec contra cappa, gamma decertaret, & paulo minus manus consererẽt persæpe uelitantes ἐν τῷ γναφείῳ, id est in fullonia, ὑπὲρ γναφάλλων, id est pro tomentis. finem etiam faceret cõtrouersiæ contra lambda, dum nititur illi μόγις, id est uix, auferre, idq; omni conatu in rem suam uertere. utinam & reliquæ ab hac intempe

intemperie desinerent, nec rebus nouis & quotidianis depeculationibus studerent. Satius enim cuiq; intra pelliculam & fortunã suam se continere: in ea uero prouehi quæ nõ licet, trãsilientis est iura & metas, quas primus olim nobis imposuit, siue ille Cadmus insularis, seu Palamedes Nauplij: licet non desint, qui Simonidi hoc prouidentiæ tribuant. Ii uero nõ ordines solum & subsellia quibus existimatio cuiusq; decernitur, distinxere, quidue primum quid postremũ: uerũ & habitudines quibus pollemus, & uim suam omnibus præscripsere. Et uos quidem o Iudices maiori autoritate illustrarunt. nullius enim indigæ uocem facitis. post uos autẽ semiuocales honestarunt, quæ haud sanè multa ope subnixæ exaudiuntur. postrema uero conditione alias quasdã condemnarunt, quibus ne uox quidẽ adest. Et me Hercule sponte sua uocales impositas olim leges obseruant, uerum hæc τῳ̃ (nequeo enim eam deteriori nuncupatione appellare) nisi ex uestro collegio duæ alioqui insignes cõuenissent, alpha atq; hypsilon, ne audiri quidem omnino potuisset. Hæc inquã me longe præ cæteris ausa est offendere. Tentarunt enim & aliæ mihi nomina ac uerba patria interuertere, & à cõiunctionibus prępositionibusq; me detrudere. Proinde fit, ut diutius tantum iniurijarum ferre nequeam, & iam me tempus admonet, ut à quibusdam exordiar. Obuersabar aliquando in Cybelo, id uero est oppidum non insuaue, colonia (ut fertur) Athenien sium. Erat in eadem tribu & rho uicinarum optima ac modestissima: hospitabar & apud comœdiarum poetam quendam, ei nomen Lysimachus, Bœotus quidẽ (ut uidebaꝫ) genere, sed qui ob dicendi elegantiã ex media Attica dici posset. Apud hunc hospitẽ primũ arrogantiam, & peruicaciã huius τῳ̃ deprehẽdi, quę ad id tẽporis nõ sanè multa subtraxerat, πεπαράκοντα, id est quadraginta ausa dicere, & me à cognatis depellere. Suspicabar enim eam coalitarũ literarum consuetudinem. Vbi autẽ τύμφου, id est hodie, & id genus alia subducere intellexi, sibiq; priuatim arrogare, licet per quàm graue id foret auditu, non usq; adeo tamen animo indignabar. Sed posteaquam ad id prouecta est impudentiæ, ut κατίσφου appellaret, id est stannum, & κάτυμα, id est ueteramentariã plagulam, & πίτων, id est picem, & postremo βασίλιτων, id est reginam non erubuit se uocitare: nõ mediocri affecta sum indignatione, & quodammodo in irã exarsi: uerita ne procedente tẽpore & σύκα, id est ficus incipiant τύκα nuncupari. Et mihi per Iouẽ exanimatæ, atq; omni auxilio destitutæ, iure præsertim succensenti, ignoscite obsecro. Nec enim in re tenui ac mediocri periculum imminet. Mihi inquam à familiaribus & cõiunctissimis literis eiectæ κίσσαν meam, id est picam auiculam cõmode garrulam è medijs (ut sic dicam) ulnis κίτων euocauit. Subduxit etiam mihi φάσσαν, id est palumbum pariter cum νήσσαις, id est anatibus, & κοσσύφοις, id est merulis, quamuis plurimum reclamante Aristarcho. Intercepit quoq; μελισσῶν, id est apum non paucas. In Atticam etiam usq; penetrauit: & mihi ex eius medio præter omne ius ὕμηττον, id est Hymettũ uobis omnibus ac syllabis inspectantibus, ademit. Sed quid hęc pluribus? nõne ex omni θεσσαλίας, id est Thessalia me eiecit, maluitq; θετταλιῶν appellare? Quin imo mihi omnem θάλασσαν, id est mare interdixit. Ne in hortis quidem σύτλιον, id est betis pepercit. immo uero ne πάσσαλον quidem, id est pedamentum reliquit. Vos autem ipsæ locupletissimũ afferre potestis meæ comitatis atq; humanitatis testimonium: quæ aduersus zeta nunquã dicam conscripsi, & si ea smaragdum mihi suppilauerit, totamq; Smyrnam occupauerit. Nec unquam xy literæ negociũ feci, omnem inscendenti σωθήκλω, id est pactionẽ, quamuis auxiliarẽ assertoremq; Thucydidem habeat. Nam uicinæ meæ rho ægrotanti ignoscendũ puto, quę penes me ipsam myrtos insseuit: & mihi interdum atra bile percita ὦδι κόῤῥης, id est in gena plagã incussit. Et ipsa quidem hoc ingenio sum. Nunc rursus uideamus, quam hæc τῳ̃ suapte natura uiolenta atq; in cæteras contumeliosa est. Neq; enim ab alijs literis abstinuit. Verum & delta & theta & zeta & omnia propè lacessiuit elementa. Age igitur & literas omnes, quæ iniuriã accepere, huc sistas. Accipitis Vocales iudices quid delta conqueratur. Mihi quidem endelechiã abstulit, honestius rata, quod præter omnem rationẽ fuit, entelechiam dici. Auditis & theta eiulantẽ, & crines capitis laniãtem, quod φλασκώθης, id est cucurbita defraudetur. Et zeta συρίζειν, id est sibilare, &

κλαπίζειν, id est clangere, perinde ac nunquam ei liceat γρύζειν, id est conqueri. Quis rogo posset in ijs sibi diutius tẽperare? uel quæ tandẽ iudicio peracto in flagitiosissimam τοῦ pœna sufficiet? atqui nõ modo municipale collegium literarũ offendit, uerum & in genus humanũ hoc pacto iniuriã facere cõmenta est. Nec em̃ sinit eos facile & recte linguã explicare. Plurimũ autem ὁ Iudices (nam me obiter res hominum γλώσσης, id est linguæ memorẽ fecerunt) hac etiam parte me exturbauit: & glottam glossam reddidit. ὁ τοῦ uera glossæ, id est linguæ pernicies. At nũc rursus ad eum locum accedo, ubi mortalibus patrocinabar, quos illa multis iniurijs affecit. Nam quibusdam uinculis nectere & soluere ipsorum uoces tentauit, & si quis pulchrũ quid conspicatus καλὸν dicere nitatur, hæc sese obijciens τὸ καλὸν dici cogit, ubiq; sibi primas partes uendicans. Rursus alter πρὸς κλήματος, id est de uinea differebat: hæc uero prorsus τὸ κλῆμων, id est misera τὸ κλῆμα fecit esse, quod erat κλῆμα. nec solum obuios ac de populo quosq; lædit, uerum & magno regi cui terram & mare cessisse dicunt, quiq; eorum naturã immutauit, insidias molitur: & cum ei Cyrus nomẽ inditum sit, in tyrum quendam ferum animal transformare nititur. Et sic quidem quod ad uoces attinet homines offendit: re autem cur doleant, & fortunæ uices querantur, & persæpe Cadmum execrentur, quòd in elementorum seminario τοῦ locauerit, iam eloquar. Tyrannos enim ferunt ab hac exemplar petentes imitãtesq; huius artificium, tum uero eadem imagine ligna componentes, miseros mortales his affigere consueuisse. Ex hac itaq; & nefario artificio nefariam nuncupationẽ profectam cõstat. Horũ igitur omniũ causa quot cædibus τοῦ dignã existimatis? Ego profecto ita censeo, hãc unã τοῦ eo supplicio plecti debere, cuius exemplũ eius forma dedit. Et hoc quidem σαυρὸς, id est crux, ab illa effigiem, à mortalibus autem appellationẽ accepit.

MAGISTRO Athenienſiũ Ariſtarcho Phalereo, Pyanepſionis adhuc ſtantis ſeptima, id eſt circiter nonas Octobres, τοῦ reſpondit accuſationi Sigma literæ, eiuſq; argumẽta diluit, & in eam periculum omne accuſationis retorſit, ſeptẽ Vocalibus iudicio præſidentibus ad clepſydrã. Accuſationẽ Sigma Lucianus Samoſateus, Defenſionẽ τοῦ Cælius Calcagninus, literis mandarunt.

T AMETSI in iudicium inſontem innocentẽq; uocari Iudices omnino graue acerbumq; ſit, poteſt tamẽ id aliquo modo ferri. Nec enim res caret exemplo: nam & hoc tempore, & patrum noſtrorũ memoria hoc ſæpe euenisſe accepimus, ut egregie probi inuidos haberent, ac ſuæ probitatis perſecutores. Sed illud omnem contumeliam, omnemq; patientiam longe uincit, nec ſatis uideo cuius conſtantia perferri poſsit: ut qui iniuriã attulit, nulla præſertim in re unquam laceſsitus, ille alteri negocium faciat: & quod ipſe diſcrimen ſubire debuit, alteri intentet atq; præoccupet. Graue omnino atq; intolerabile audacię genus, peſsimi cuiuſq; improbitate atq; calumnia inſontes allidi: & quod ipſe flagitium admiſeris, ei qui iniuriã acceperit, impudenter irrogare. Inter inſignia improbitatis exẽpla quẽdam olim apud maiores noſtros fuisſe audiuimus hominem longe audaciſsimũ: qui quom uirum ſanctiſsimũ atq; ornatiſsimum ſuæ ciuitatis uulnere affeciſſet, illi protinus diem dixit, poſtquam comperit eum poſse uiuere. Quom uero ab eo quæreretur, quid tandẽ accuſaturus eſſet in eo, quẽ pro dignitate ne laudare quidem quiſquam ſatis cõmode poſſet: aiũt hominem, ut erat furioſus & impudẽs, reſpondiſſe, quòd non totum telum corpore recepiſſet. Propè idem mihi uideo in hoc iudicio euenisſe: cui nullum præterea crimen irrogari uideo, niſi quòd auitis fortunis, & maxima meorum bonorum parte ſpoliata, reliquum quicquam tuear: ac nõ de uita ac ſpiritu hoc, qui mihi exiguus ſupereſt: prorſus cedam, neq; planè totum iugulum hoſti execandum porrigam. Quod niſi mihi

ueſtra

ueſtra Iudices prudentia & rerum maximarũ experientia ſolatium fiduciamq; afferret: potui omnino tanta audacia cõſternari: ſubuereriq; ne aſtu aduerſarij, ſapientiſſimi cuiuſq; iudicium perſtringeretur, noſtraq; illius improbitate innocentia opprimeretur. Sed Dis gratiam magnam habeo, qui eos mihi iudices diſceptatoresq; ſtatuere, qui neq; gratia auocari, neq; ſimulatione decipi, neq; cuiuſquam fraude præuerti poſſint: ſed meos planè & aduerſarij mores cognitos habeant atq; perſpectos, & utri plus fidei adhiberi oporteat, poſſint perfacile iudicare. Sed quoniam poſſet fortaſſe alicui ueſtrum mirũ uideri, unde tanta hæc inſolentia proficiſcatur: ut more præpoſtero depeculator eum accuſet, cuius bona diripuit: & graſſator ei diem dixerit, quem ſpoliauit: ſi mihi faciles benignasq; aures præſtiteritis, dabo operam, ut omnis ex animo admiratio excutiatur: remq; ita oculis exponã, ut iam nulla poſsit latebra in huius importuniſsimæ Sigma cõſilijs deliteſcere. Rem itaq; ſic habetote. Magnam uim habere in animo cuiuſq; conſcientiæ aculeos: eosq; plurimũ uexare: qui ſe multo nocentiores intelligunt, quàm ut eorum diu tegi aut diſsimulari poſsint flagitia. Hæ ſunt ſcilicet faces illæ, ignes illi, quos poetę finxerunt Furias in animis malorum excitare. Ii die noctuq; Sigma uexãt, neq; ſinũt quieſcere uerſantem animo, quo aſtu tot furta, tot peculatus recondat: quomodo tantum iniuriarum ex noſtris animis auellat, memoriamq; adeo exulceratã ad alias cogitationes traducat. Certos habeo autores, qui ſe pro explorato habere rettulerunt, eam res nouas apparaſſe: & ſi quo modo poſſet reipublicę tranquillitatẽ ſubuertere tentaſſe: ſed tentanti omnia prouidentia ueſtra occluſa, præpedita, obſtructaq; ſe obtulerũt, omnes aditus intercepti occurrerunt. Huc igitur ſummã conſiliorũ uertit, quando illa non procedebat uia, ut præoccuparet ipſa iudicium, quod ſibi imminere cõſcientia ſua intelligebat: machinasq; omnes inſtrueret, ſiqua forte poſſet ratione ueritati fucum facere, & uobis ora ſublinere: ut quæ à me uel per furtum abduxit, uel precario abſtulit, ea ſui iuris ſuiq; mãcipij facere & domeſtico rationario adſcribere conaretur. Quod ſe commodiſsime facturam ſperauit, ſi cõmunicata cum quibuſdam popularibus ſui ſceleris cõiuratione, magno ambitu, ſed lõge maiore aſtu prior ipſa me nihil tale aut merentem aut ſperantẽ aggrederetur: tragœdiasq; illas, quas modo audiſtis, excitaret. Quod tam inſidioſe, tam diſsimulãter fecit, ut apud ignotos iudices, quiq; illius ſcenæ apparatum minus proſpicerent, nonnullam fuerit fortaſſe fidem accuſatio habitura. Eſt enim ita natura cõparatum, ut ijs neſcio quo pacto propenſius faueamus, qui priores expoſtulant, & iniurias quamuis fictas & cõmentitias priore loco deplorant: eorũq; preces eam ipſam ob cauſam aliquãto plus exiſtimationis aucupentur: quas tamen ob id ipſum multo uehementius deteſtari atq; ulciſci deinde oporteat, quom eorum machinas ſimulationesq; tempus, & ueritas ipſa temporis filia retexerit, & iam planè ratio improbitati perſonam detraxerit. Id quod in præſenti cauſa facile euenturũ confido, ſi omnia in exactam diſquiſitionẽ reuocauerimus, quę modo nobis per ſummã impudentiam obiecta ſunt. Et quoniam (ſi Dis placet) etiã de nomine ac fortunis in diſcrimen uenimus: diſpicite obſecro Iudices, quantum iure ſibi ſua cõditione Sigma placere poſsit. Et hæc licet planè intelligam ad ueram gloriam, quæ ſola uirtute nititur, minime pertinere: inuitam tamen me ac tranſuerſam huc rapit impuriſsimæ literæ audacia atq; inſolẽtia: quæ ab ipſa uſq; Veſta, id eſt à parente literaturæ, ſeu Cadmus ille Phœnix, ſeu Palamedes Nauplius, ſeu Simonides Syracuſanus fuerit, peruadere auſa eſt, & ſui furoris tela in eum uibrare: utpote quẽ non puduit inſimulare, quaſi parum recte claſſes & ſubſellia literarum digeſſerit. Cuius ingenium omnis ordo, omnis ætas ſemper admirata eſt: ut hac una in re tantum foreè accuſari mereatur: quòd huic flagitioſæ atq; ingratiſsimæ literæ nimium indulſerit, quam longe abdicari ablegariq; à ſacro collegio oportebat. Quis eſt enim qui anguinum illum ſibilum audiens non exhorreat? Certè Athenienſes Græcorũ omnium ſapientiſsimi ita eam auerſantur, ut in eius locum plerunq; ξι aſciſcant. quod enim ceu crimẽ Thucydidi autori omniũ grauiſsimo uoluit imputare, ea maxima eſt Atticorum elegantia: qui non modo eam ἐκ πάσης τῆ ξωθήκης, id eſt ex omni fœdere eiecerunt: ſed ex omnibus planè locis ac regionibus quibus ξὼ prępoſitio præfe

cta est, publica quasi clarigatione proposita exulare uoluerunt. Omne itaq; ξύνταγμα, id est ordinem amisit. & quam modo parauerat ξυνωμοσία, id est coniuratio excussa est è manibus. Totius deniq; ξυντηρήσεως, id est eius partis cõscientiæ, quæ æquum ab iniquo dijudicat, uolens iacturã fecit. ξύμβολα etiam omnia, tam quæ ad sodalitates, quàm quę ad rem militarẽ pertinent, amisit. Iidem etiam Attici, quanto eam persequerentur odio, abunde declararunt: quom ex omnibus futuris quæ à uerbis in ιζω proficiscuntur auulserint. ablegantes enim inuisam illam, futurũ circunflectunt: maluntq; ὀνειδιῶ, ῥαντιῶ, μυκτηριῶ enũtiare, quàm quod solent cæteri ὀνειδίσω, ῥαντίσω, μυκτηρίσω. Fecerũt idem Dores, gens una omnium nata ad præclaras actiones. In eius enim odium, tertias personas numeri multitudinis & secundi ordinis τῶν περισσωμένων ita auersant̃, ut pro βοῶσι, γελῶσι, pertinaciter βοῶντι, γελῶντι tueãtur, ijdẽ ὄπιθεν pro ὄπισθεν substituãt. Sed quid ego Atticos & Dores cõmemoro? ceu uero Iones eam ex omni regione in qua se geminatã ostendit non excludant, eiusq; uices ζ literæ tribuant. Quid uero Aeoles, an non ex genitiuis in ους, & uocatiuis in ες, eam eiecerunt: & σωκράτου, διομήδου, σοφοκλέου, & ὦ σώκρατε, & ὦ δημόσθενε, illa longe explosa, uoces multo suauiores exosculantur. Lubens uero adeò in hunc orationis excursum diuerti. Nam iuuat obiter ξῖ, cæterisq; sodalibus, quas mecũ indigne insimulatas accepistis patrocinari. Et earũ quidẽ haud sanè difficilis defensio. Quid enim obsecro iniuriæ est? si quando λάμβδα τὴν κισσηρίδα, id est pumicẽ, rem tantillam ad exterendos expoliendosq; libros, & id quidem per quàm raro mutuetur. Nã quod περὶ τῆς κεφαλαλγίας, id est de capitis dolore cõtendi dixit, trahentibus utrinq; eamq; adsciscentibus sibi partibus, hoc ne uerisimile quidem uideri potest. Vendicamus enim nobis ea tantum, quæ aliquando speramus profutura: at nocitura natura duce, longe auersamur. Sed ne diutius habeat expostulandi causam, per me habeat licet & cephalalgiam & alia omnia capitis incõmoda. Quod autẽ ad γναφεῖον, id est fulloniam pertinet, & ὑπὲρ γναφάλλων, id est pro tomentis, haud sanè multa opus est contentione, quando inter se γάμμα & κάππα libenter accõmodant: nec alterã alteri gratificari piget, crebroq; eidem fulloni uolentes dant operã, in ijsdemq; tomentis unanimes cubãt: multum scilicet à moribus huius Sigma dissidentes: quæ tantum abest ut cuiquam uelit accõmodare, ut ad aliena potius occupanda omnem semper animũ intenderit, serẽdisq; tantum inimicitijs ac simultatibus uacet: & dum huius aut illius partes tueri simulat, in animos omniũ odia uenenaq; instillat. Quare Iudices, si quieti ac tranquillitati publicæ studetis, si cõmunem pacem amatis: hanc longe à cõsortio uestro ablegate, & tanquã malum gramẽ ad internecionẽ frugum natum execate. Sæpe enim sæpe è neglecto ulcere intractabilem cancrenã uidimus inualuisse. Audistis ipsæ modo, nec ad huius rei probationẽ testimonio egemus alieno: quàm impudenter ordini nostro insultarit, q̃ insolenter fortunis illuserit, quàm grauiter existimationẽ labefactarit. Non alia sanè causa persæpe accepimus populum à senatu, ciues à patribus desciuisse, nisi quòd popularẽ statũ pessimo cuiq; impune licuerit per iniuriam attrectare. Quom itaq; omnem ordinẽ nostrũ, honestissimũ profecto ac uobis semper obsequentissimũ, impurissime, quasi aliud agens perstrinxisset: tanquam apis relicto aculeo, mox recta in me spicula obuertit: omnemq; impressionem fecit, & fœdissimis nuncupationibus suggillauit. Atq; illud primum crimini dedit, quòd duæ optimates amplissimi ordinis præsidio mihi adsint, salutisq; meæ ac dignitatis curã gerant. Quod tantum abest ut ego dissimulem, ut nihil soleam ambitiosius prædicare. Semper enim egregium atq; magnificũ duxi, principibus uiris placuisse, eorumq; autoritate & gratia sustineri: quas & innocentiæ meæ testes aduoco, & pro mea existimatione hodie excubare plurimum lætor: pręsertim quom inter uos Iudices dignitate plurimum polleant. est enim altera uestri ordinis princeps, altera uero augusta Pythagoręorum religione consecrata: quæ ijsdem comitijs inauguratæ, me citra externum ullum præsidium tuentur: quod profecto nõ potest non plenũ summæ laudis uideri. Quanto enim quodq; puritati simplicitatiq; uicinius est, paucioribusq; ad suam incolumitatẽ præsidijs indiget, eo solet præclarius absolutiusq; existimari. Ex eo summus Imperator, qui mari terraq; dominatur, se

αὐτοκρα-

αὐτοκράτορα inscribit: nec alia causa Phidias, siue ille Agoracritus, in Iouis Olympici pollice αὐτάρκης pro titulo impressit. At hæc literarum impurissima Sigma uix tandem multis fulcris multisq́ adiumentis sustineri potest, quod est eius uel maximum infirmitatis argumentũ. Nam quom geminę è uobis ad eam fulciẽdam accessissent, ἰῶτα scilicet atq́ ἄλφα: hæc tamen rebus suis diffidens, duas etiam è consonantibus subsidio inuocauit, ex ametabolis alteram, alteram è nostro collegio: cui tamen pro beneficio eam nuper gratiã rettulit, ut uniuersum collegium de se benemeritũ infamaret: & illi suo præiudicio uernaculam & domi natam uocẽ μόγις, id est uix, interciperet: eiusq́ γναφεῖον, id est fulloniam officinam alteri adiudicaret: eam deniq́ ἐκ γναφάλλων, tomentis scilicet matteisq́ exturbaret, quo neq́ iniquius neq́ ingratius quicquam fieri uel excogitari potuit, beneuolentem ac familiarẽ prodere: & in eam, quæ te summis officijs promeruerit, summa maleficia cõminisci. Sed quispiã fortasse dixerit, eam hac parte insolentem atq́ incõmodam, cæteris in rebus sodalibus utilem esse atq́ beneficã: sicut & nos (si uera dici oportet) sex literis suppetias imus, nulloq́ loco illis desumus: quod à me citra arrogantiam dictum uelim. quæ quoniam etiam libẽter beneficium testantur, & nobis adsunt in hoc periculo, age huc nobis & liberalitatis & munificentiæ meæ testes accedant. Audistis Iudices duas è uestro numero, ἦτα & ἰῶτα: audistis & quatuor consonantes, βῆτα, δέλτα, ζῆτα, θῆτα, gratissimo animo prædicãtes me sibi nõ modo necessitudine, sed perpetuo etiã cõtubernio coniunctam esse: neq́ sibi ullo unquã loco, ullo in periculo defuisse. At contrà siqua est, quæ huic præclarissimę Sigma uel tãtillum cõmodi acceptum ferat, iam prodeat obsecro, iam beneficium profiteatur. Inclama præco, inclama rursus. En uobis Iudices nullam prorsus è tanta frequẽtia prodire, nullam quicquam profiteri. At uidetis duas illas in postrema concione, uidetis Iudices duas illas, ad dextram alteram, alteram ad sinistram: quæ sese post turbam abdunt, quæ pallio caput operiunt, quæ longe cupiũt delitescere. Hæ duę sunt, quas fortunæ suę pudet: quodq́ cum hac nefaria cognationẽ nonnullam habeant, indigne ferunt. Mactæ animo estote ξῖ atq́ χῖ. nihil est enim quod uos pudeat, nihil est quod reformidetis. Cognationẽ enim cum flagitioso habere fortunæ est, non iudicij. Nam illud tantum uobis uitio uerti posset, si mores, si flagitia, si improbitates eius in exemplum traheretis. Sin ad modestiam ac uirtutem uestro more industriã ac diligentiã cõferatis: si (ut grauissime dicam) quantum huic cognatione hæretis, tãtum moribus dissideatis: ex huius profecto ignominia, uestra laus comparatione longe excrescet. Sed, Di boni, quid hoc monstri? quis luror in medium procedit? agnosco, agnosco inquam. hæc est optima illa, sed miserabilis cõtubernalis mea ζῆτα, quæ quom nescio quid æris cum hac sæuissima Sigma contraxisset, neq́ par soluendo foret: ab hac in nexum cõiecta hunc squallorẽ, hanc maciem, hunc lurorem contraxit. Videtis ipsæ oculis uestris, auditisq́ contracto rictu, exertis dentibus stridentẽ, & quasi Sardoniũ ridentẽ: ut iam uulgo nomen pristinum amiserit, & mortuorũ uocetur elementũ. Fortunam aũt suam deplorat, fidemq́ uestram Iudices implorat: ut aliquod tandem acceptæ iniuriæ solatium aduersus hãc impuram atq́ impiam, aliquam suæ calamitatis ultionẽ inueniat. se olim opulentam fuisse prędicat: sed omnia sibi per scelus abrepta, auulsa, asportata, et nũc paucas admodum sarcinulas & quasi uilissima tantum scruta superesse. smaragdos enim omnes suppilatos, quos à Barbaris aduectos olim innumeros possidebat, & se quoq́ Smyrna, quæ sibi auito iure debebatur, eiectam miserabiliter conqueritur. Quin & smyrnam, id est myrrham omnẽ quam ex Arabia ad se mercatores conuehebant, interceptam ingemiscit: reclamantibus adhuc seplasiarijs, qui eius nota & quidem geminata nõ desinunt ad hunc diẽ emporeticos sacculos obsignare. Nihil deniq́ iam domi superesse unde κνίζα, id est nidor sentiatur. Et nũc etiã Zacynthum oppugnari: parumq́ deesse quin è paterna insula prorsus fuerit exacta. Quod nisi prouidentia uestra mature occurratur, de se actum prorsus exclamat. Quare & huius horroris sui potissimã causam Sigma fuisse: seq́ plurimum uitij ac barbariæ ab eius consuetudine contraxisse attestatur. Horrendum enim & ipsa quiddam sibilat, quale teterrima & exibilanda prorsus Sigma sibilare solet. Et sanè ad cuiusnam fidem præter ue

ſtram perfugiat, non habet: quando etiam hæc deos atq; ipſum imprimis Iouem cer
tis quibuſdam precationibus auocare auſa eſt. Delta enim in auxiliũ adſcito, fauen-
tibus Aeolum nonnullis δσεὺς pro ζεὺς ſacris libris conata eſt inſcribere. Sicut an-
tea & ζυγὸν in δσυγὸν tentauit immutare, omnibus rei ruſticæ ſcriptoribus eius
audaciam improbantibus. Nec id mirum, quom non deſint qui tam manifeſto furto
faueant, eiusq; hoſpites non iam ξένους ſed κσένους eſſe patiantur. Quo ex ſucceſſu in
eum furorẽ atq; audaciã peruaſit, ut & πέλοψ & ἄραψ nouam nuncupationẽ inuene
rint, & duplici litera eiecta duabus in fine notis cõſcribantur. Quod ſi hæc impune
fieri licebit, profecto quod omen Di procul auertant, uereor ne breui tempore reſ-
publica literaria magnã iacturam accipiat, clariſsimosq; proceres amittat, & demum
defenſoribus uacua iniuriæ peſsimi cuiuſq; obnoxia relinquatur. Habetis igitur Iu-
dices quid de moribus & cõſuetudine huius Sigma iudicetis: quã plurimi deteſtan-
tur, laudat nemo. Sed antequam ab hac parte diſcedamus, quoniam me quaſi prole-
tariam in ære dirutas & infrequentes reiecit, operæprecium puto oſtendere: me pa-
ternas opes nulla fraude, nulla iniuria partas, ſumma fide, ſumma integritate quan-
tum in me fuit conſeruaſſe: longeq; cenſu ac fortunis illi præpollere: quibus non ad
contumeliam, ſed ad liberalitatẽ atq; innocentiam uti ſoleam. Age igitur, & cenſori-
as tabulas profer. En uobis Iudices, prędijs, latifundijs, pecore in rationẽ redacto, Si
gma in cenſu habet ducẽta talenta, computato uero familiæ peculio ſumma ad qua-
tuor & quinquaginta ſupra ducenta deducitur. Agedum & cenſum noſtrũ pronun-
tia. Prædijs, latifundijs, pecore in rationem redacto ταυ in cenſu trecẽta talenta ha
bet, computato uero familię peculio ſumma ad unũ & ſeptingenta deducitur. Agno
ſcitis igitur Iudices (quod ſine inuidia dictũ uelim) me ac familiam meã longe potio
rem, opulentiorẽ, honeſtioremq; eſſe: quam tamen indigne atq; inclementer adeò
Sigma dehoneſtare cõtendit, primas ſibi partes ubiq; uendicans. Noſtis enim & ip-
ſæ omnes quæ in republica literaria degitis, quàm hæc ſupra cæteras ſpiritus tollat:
ſpiretq; neſcio quo pacto altius. Videtis enim eam ueſtrũ nemini cedere, niſi ea con-
ditione, ut crebrius præferatur: multas etiã ex equeſtri ordine uidetis annuentes in
hoc cœtu, & quę nos dicimus, uultu, oculis, digito approbantes, quòd ſe ſcilicet hæc
Sigma ſemper pręcurrat, ſemper ſe oggerat: è primo autẽ ſubſellio cedere nunquam
uelit. Certè mihi, à me licet multis beneficijs ornata, nunquam uel in ſummis angu-
ſtijs uoluit accõmodare: quod ego tamẽ hactenus ex conſueta quadam & genuina
animi mei bonitate non ſanè multum abhorrui, in poſterum fortaſſe (quoniam iam
ſatis & ſuper ingratũ eius animum perſpexi) alios mores probatura. planè enim in-
telligo, quicqd ingrato accõmodes aut gratificeris, funditus deperire. Ob huiuſmo-
di itaq; pertinaciã atq; ambitionem iam uulgo infamis eſt: eamq; alij ἄσιμον, id eſt ig
nobilem, alij μοναδικὸν uocant, id eſt ſolitariam, atq; ob ſuperbiam aliarum conſue-
tudinem detrectantẽ. Scitis enim comitem ſolitudinis eſſe ſuperbiã. Quis neſcit, uel
autore Clearcho, eam Pindaro cui facile omnes inter lyricos primas deferũt, ita inui
ſam fuiſſe, ut odã integrã ἄσιγμον ſcripſerit: à qua non aliter deteſtabilis hæc arceba
tur, quàm profani ſoleant ab aris & focis, quibus illud ſæpe inclamari ſolet: ἕκας ἕκας
ὅστις ἄλιτρος. Fecit & Laſus Hermionenſis odam quoq;, Centauros inſcriptam: fecit
& hymnũ in Cereris laudẽ, uoluit utrinq; Sigma perpetuo exulem extorremq; eſſe.
Eius hymni principiũ uobis teſtimonio eſſe poteſt. Id ab Heraclide Põtico traditum
eſt poſteris: δήμητρα μέλπω κόραν τε κλυοιμένοιο ἄλοχον. Quin & Veteres illi noſtræ exi
ſtimatiõis autores eius ingeniũ perteſi, ac mores iam tũ exactiſsime metientes, non
modo eã auerſabãtur: ſed occurrentẽ etiam exſibilabãt, explodebantq; à reliquarũ
conſortio, alij ſibilũ, alij flatilem probroſo nomine appellantes. Proinde ſiqui ſunt,
qui mihi pluſculum faueant, & illa reiecta me ad ſe alliciant, poteſt ipſa ſecum expo-
ſtulare: mecum nequaquã poteſt. Hinc igitur illæ lachrymę: hinc illæ deplorationes
Iudices proficiſcuntur. Hoc eſt quod Lyſimachum Bœotũ, quem honoris cauſa no
mino, furtim atq; oblique perſtrinxerit: ꝙ mihi in eius hoſpitio diuerſanti blandius
arriſerit: hanc uero, uti refractariam moroſamq; decebat, ſemper contempſerit. Et
hæc licet ratio ſine controuerſia apud æquiſsimum quenq; iudicẽ ſit multum pon-
deris

deris habitura: tamen ne quisquam existimet mea me alieno magis iudicio, quàm iu
re defendere, & hoc quasi perfugio uti solere, cōgrediamur obsecro cōminus: eaq́
diligenter pensitemus, & tanquam ad æquilibrium redigamus, quæ mihi olim iure
hęreditario relicta hæc audet inuadere, & sibi uendicare non ueretur. Ne autē uobis
Iudices orationis magnitudo fastidiū pariat, neu leuissima quæq́ & quasi retrimen-
ta omnia accusationis persequi sit necesse: fastigia tantū rerum persequemur. Et im
primis illud in uniuersum à me dictum uelim, & κατ̄ίτερον, id est stannū, & κάτ̄υμα
id est plagulā ueteramētariā, & πίτ̄αν, id est picē, & πατ̄άλυς, id est paxillos, & τεύ
τλια, id est betas, atq́ id genus sordida assertore etiā Theophrasto partim in latifun
dijs meis nata, partim à me meo ęre cōparata, aut certè gratis ab alijs fuisse accepta:
quorū usurā quoniā Sigma literę omnium ingratissimæ aliquo tempore permsi, illa
audacia & temeritate sua utens, non modo clanculum occupare, sed palàm etiā uin
diciarum iudicio persequi non erubescit, ex meis spolijs existimationē sibi quærens
& gloriam. Et primum quidem intercepta sibi τετ̄αράκοντα, id est quadraginta, con
queritur: longeq́ in me apertiorē calumniā exornat, q̄ quę diu possit dissimulari. ea
em̄ mihi domi nata, domi adulta, testis fuerit fœmina grauissima eorū mater τετρα-
κτύς. quæ licet in Pythagoræorū sacello religiosissime colat̄, soleantq́ illi μὰ τὴν τε-
τρακτὺν sanctissime deierare: non inuita tamē, ipsa etiā echemythia hoc permitten
te, ad hoc iudicium descēdit, in quo & ueritatē tueatur, & me de se optime meritam
non sinat opprimi per calumniā. eius uos interea testimoniū accipite. Accepistis
puto, quo loco, qua ratione, quo tempore ea sibi apud me liberos pepererit, quos pla
nè mihi uernas domi meæ natos testata est. Sed quoniam publica mortaliū consue-
tudo solet apud plerosq́ maioris testimonij fidem habere, quis etiam nō nouit illam
symposio familiarē cantilenam? καὶ πέντε πίνε καὶ τρία πίνε, ἢ μὴ τέτ̄αρα. In qua nemi
nem hactenus audistis qui τέσσαρα uocē illepidam atq́ insuauē pronunciaret. Sed
opportune mihi symposij mentio huius perditissimæ furtum in mentem reuocauit:
quæ se clanculum in triclinium conijciens, cottabum æneum ad ludicram consputa
tionem paratum tentauit asportare: sed in manifesto furto ab atriense deprehen-
sa, relicta præda in pedes se dedit, & euasit. Nec ui tamen aut celeritate ulla pręuerti
potuit, quin ταργάνην, id est sportulam in quam scitamenta obsonator recondebat,
abstulerit. Secundo uero loco non erubuit τήμερον, id est hodie, sibi arrogare atq́ in
rem suam transcribere. ó perditam nefariæ literæ audaciā. tu ne τήμερον tibi uendi-
care audes? tu ne mea coràm tā splendido ordine tibi arrogare? nec te aspectus tam
excellentis collegij à tam insigni mendacio absterruit? Quam rem ut clarius aperti-
usq́ intelligatis, paulo altius mihi Iudices repetendum puto. Articuli præpositiui,
quos in orationis regno plurimū pollere cognoscitis, cum hypotacticis articulis diu-
turnam olim contentionē habuere. Erat eorum controuersia, quibus titulis, quibús
ue insignibus internosci deberent. Intercedente aūt Crate grammatico, demum ita
fœdus iniuere, ut præpositiuorū quidem ordini ego perpetuò præses ac præfecta es-
sem, recto uno dempto: hypotacticis uero διασεῖα perpetuo aspiraret. quam ego o-
peram libenter ea conditione suscepi, ut ipsi omnesq́ eorum posteri mea semper no
ta honestarentur. Itaq́ solennes super ea re tabulæ confectæ sunt. Lege tabulas præ-
co. En uobis rē plane, ut narraui modo. cōtigit uero ut mox τῇ articulus cū ἡμέρᾳ,
id est die, inter se iunctę τήμερον procrearēt. Peto à uobis Iudices, an ex pacto, an ex
cōditione interposita, ego dignitate ac loco meo fraudanda sim. Quòd si ualent iura,
si stipulatio, si contractus obseruari debēt, profecto non sine maxima iniuria Sigma
potest ad ea quę mihi iure possessorio, iure pactionis debentur, grassari. Grassantem
uero atq́ irrepentem nō condemnare, grauis & probrosa profecto foret iudicū in-
tēperantia. Nunc ad auiculas accedo: quas in meo auiario & natas & educatas hæc
omnibus machinis, calamis, retibus, aucupari, & cum ipso puluisculo (ut aiunt) id est
cū ipsis νεοτ̄ίαις, nidis scilicet, cōuerrere atq́ abducere conatur. Hę uero sunt κίτ̄αι,
id est picæ, φάτ̄αι, id est palumbes, νῆτ̄αι, id est anates, κότ̄ιφοι, id est merulæ: quas
& uos olim iudicio uestro mihi adiudicastis. Potestis enim meminisse quanta olim
inter consonantes lis oborta sit: quom sibi quælibet earum auitij genus omne uendi

caret

caret, & longe maior quæstio uideretur, q̃ quę iudicũ sentẽtia sedari posset: uos publicę quietis causa prudenter admodũ constituistis: ut sicuti olim Persæ fecerant, qui imperij sortem hinnienti equo cõmiserunt: ita & nos augurio, id est auiũ arbitrio totam rẽ crederemus. Itaq; omnes in publicũ naturę auiariũ conuenimus, designatoq; tẽplo consedimus: tũ uaria fuit cuiusq; pro uolucrũ cantu occẽtuq; uictoria: at κίτται, φάτται, νῆτται, κόττιφοι, ψίττακαι, τάωνες, τέττιγες, τριγόνες, nobis felicissime addixere, & uos arbitrę auspicij addixisse iudicastis. Eaq; omnia auspicia ad perpetuã rei memoriã Aristarchus, eiusq; adsectator Aristophanes, & demũ Pollux eius discipulus posteritati cõmendarũt. Mansitq; inter nos ex eo tẽpore pax & cõcordia, donec impurissima hæc Sigma cõmunem omniũ quietẽ perturbare cœpit, in nostra atq; aliorũ bona non minore insania quàm impudentia grassata. Quod uero ad Hymettum attinet, hoc uobis facile fidem fecerit Iudices, florentissimũ collem mei auiti iuris esse, quòd Hymettus heros hanc mortalitatẽ exuens amœnissimũ illud diuersoriũ ad æstiuas uoluptates mihi legarit, addita ea conditione, ut omnes qui uersarentur in eo, hymettij uocarẽtur: hymessius autem nemo admitteretur. Atq; hinc uobis subinde constare potest, apes quæ in eo pascuntur, delibantq; hymettios flores, nostri iuris esse. Nam licet illæ inter animalia fera & domestica ambiguæ incertæq; sint, atq; occupantis fiant: quom primum tamen in κύτταρον, id est cellam & loculamentũ coactæ sunt, publicæ esse desinunt, & possessori adiudicãtur. Quid uero dicam Iudices, q̃ non solũ μελιττας, id est apes ipsas abducere, uerum & κυττάρους, id est aluearia ipsa repugnante etiam Aristotele conata est reuellere, in quibus magna uis μέλιτος, id est cibus ipse τῶν μελίττων asseruabatur. neq; hanc execrandam Sigma tritum hominum adagium exterruit, pessime apes furto prouenire. Sed & è tota μολοττία nititur me omni conatu deturbare. De θετταλία autem Iudices breuissime dicã uobis: eam quoq; mihi à Thettalo testamento legatam: uerũ quom ob quædam facinora capitalia (ut potestis meminisse) Sigma esset exilio damnata, precario à me petijt, ut ei perfugium illud concederẽ: quod ego humanitate mea magis quàm aliquo eius merito facile indulsi. Nec sanè eius audaciam adhuc planè noueram, ita depopulata est fortunas omniũ, & meas imprimis opes, ut ad sarciẽdã iacturã repetundarũ iudicio opus esse uideatur. Quid? quòd delicata fœmina τῶν θαλαττίων, id est maritimarum etiam rerum studium sibi postulat, nec satis putat terrestres regiones diripuisse, nisi & piratica audacia maria etiã infestet, quom tamen ipsius impudentiæ thalassij magis quam thalattij labores conueniant. Alioq uulgo notũ est: χερσαῖος ὢν μήποτε θαλάττιος γένου. terrestris quom sis, non maritimus unquam fias. Illud uero quàm odiosum, quàm insolens, quàm tyrannidi proximum, quòd se βασίλιτταν, id est reginam salutari uoluit: & iam regnum exercet. Freta enim Ionum quorundam præsidio optimos quosq; de populo, πῖ licet meq; longe reclamantibus, τύσσα, id est uerberat: minisq; in me testes treis modo adegit. Quas quom nuper quasi parũ gratas arguerem, omnem mihi scenam calumniæ retexerunt: seq; timore compulsas, falsum aduersus me testimonium dixisse professæ sunt. Quòd si à uobis impunitatẽ securitatisq; fidem impetrarent, se totius calumniæ scenam aperturas receperunt: id quod uos indulgentia uestra facile concessistis. Et ecce quàm prompto, quàm intrepido uultu accedunt ueritatẽ asserturæ, quæ modo mendaciũ adstruxerant. Accepistis Iudices nec Δέλτα in entelechia quicq̃ iuris habere, nec sibi quicq̃ uẽdicare, nisi quantũ ego ob affinitatẽ indulsero: utpote quam Aristoteles ἐκ τοῦ ἐντελέος, id est perfecto, καὶ ἔχειν, id est habere, progenitã primus sustulit: meæq; fidei ac tutelæ commendauit, ut ad perficiendã animã aliquando par inueniretur: ex quo nonnulli eam sunt perfecti habiã interpretati. θῆτα uero filia mea suppliciter impietatis ueniã petijt. Cui ego, totũ hoc imbecillitati humanę tribuẽs, libenter ignosco. Fatetur enim ultro sibi omnino nihil esse in fortunis, quod mihi uni, quę ipsam procreaui & alui, non libenter acceptum ferat. Illa ἄνθος, id est florem, illa κολοκύνθην, id est cucurbitam, illa deniq; spiritum illum quo uiuit, à me accepisse profitetur. De ζῆτα uero nihil est quod dicam uobis Iudices, uidistis ipsæ, audistis ipsæ. At illud per quàm ridiculũ quod Sigma imprudens, tanta est scilicet uis ueritatis, sua furta detexit, & quasi sorex suo se

indicio

indicio peremit. Quòd enim ζῆτα neq; γρύζειν, id est conqueri, neq; σαλπίζειν, id est buccinari, neq; συρίζειν, id est fistula canere possit, ipsius certè unius iniuria est. Hæc enim nunc populares quasdã suas, nunc auxiliares alias concitans, facta impressione miseram ζῆτα ex omnibus bonis suis exturbat. Testis mihi Theocritus, in cuius hospitio cõfidenter nimis prolocuta hæc dicitur: ἁδὺ δὲ καὶ τὺ συρίσδεν. Quod uerbum nemo unquam Atticus approbauit. Alioqui & publicum edictum nostis, quo illi in primis uerborum positionibus uersari interdicitur. Qua in parte mihi uenit in mentẽ, quod non prætermittã, νῦ publice persæpe conquestam esse: quòd hæc Doribus quibusdam secum per factionẽ accitis, eam è primis τῶν βαρυτόνων ῥημάτων personis pluralibus elideret, λέγομεν non λέγομεν ausa pronuntiare. Ego uero quod ad me attinet Iudices, neq; κάππα unquã offendi, neq; κλῆμα in τλῆμα, neq; καλὸν in τάλον inuertere, neq; κύρον in τύρον cõmutare unquam tentaui: sed & locum meum mihi retinui, & quantũ in me fuit dignitatẽ atq; existimationẽ cuiusq; incolumẽ intactamq; seruaui. Vos ego Di deæq;, uos penates nostræ reipublicæ, & te augusta Sais & sanctissime Thoyt, uos inquã religiosissime adiuro, me neq; uoluisse unquã, neq; cogitasse ullius statum uiolare aut dignitatẽ subuertere, meq; semper intra prescriptos fines ac limites stetisse, neminiq; quantum in me fuit incõmodasse unquam. Quodq; hactenus feci, me facturam summa cura diligẽtiaq; posthac perpetuò polliceor. At contrà hæc Sigma nihil tam sanctum inuenit, quod nõ uiolauerit, nihil tam purum ac syncerum quod nõ impurissime fœdauerit. Nam & Attalum, & Artaxerxem, & Artabanũ tanquam maga ac uenefica quędam uoluit uersipelles facere, atq; in portenta quędam inaudita conuertere. Scitis itaq; Iudices, & uos scire sciunt omnes, nihil aut uerũ, aut uero proximũ quicquam Sigma in me dixisse: sed omnia per calumniam, per contumeliã effinxisse. Quin ipsam planè eius criminis damnãdam esse, cuius me arguit. Ipsam cõmunem omnium quietẽ, tranquillitatem, concordiam labefactasse. Ipsam de omni ordine, de omni conditione, pessime atq; iniquissime meruisse. Decet igitur uos cogitare, ut ea in ipsam pœna statuatur, quæ & magnitudini sceleris respõdeat, & cæteris in posterũ exẽplo esse possit: ne paria meditentur, sed omnes intra datos limites cõquiescant. Nunc postrema mihi opera superest obeunda circa formæ atq; imaginis defensionẽ. In qua & si non multum laboro (Neminem enim unquam quali forma natus esset pœnituit: quid enim hic ingenium cuiusquam aut industria requiratur? ubi neq; optio, neq; acumẽ iudicij prodesse potest. Et quidem persępe uidimus, sub degeneri forma generosum ingenium delitescere) cogit me tamẽ improbitas atq; impudentia huius Sigma in hunc locũ, ut uel intempestiuã ac parum necessariam defensionem aggrediar: uel siquid per silentiũ transmisero, bonę causæ defuisse, neq; omnes defensionis numeros impleuisse uidear. Et uera fortasse quædam Sigma existimabitur dixisse, si ego nõnulla prætermittã, quibus ordine non respondeã. Par est igitur, ut omnia diluã: omnia eius argumenta importuna licet, ac parum fortasse ad rem pertinentia, discutiam. Quare siquid uidebor parum apte, uel non suo loco dixisse, omnẽ in eam culpam reijcite: & dum hoc quantulũcunq; munus superest absoluo, quales mihi aures hactenus præstitistis, oro atq; obtestor deinceps accõmodate. Ego quidem primum Iudices mihi eam formã gratulari soleo, quæ neq; ad luxum, neq; ad iniuriam accõmodata sit, sed rectã planè ac teretem & expeditã, & qualis neq; ad ignauiam neq; ad contumeliam idonea uideatur: quam tantũ abest ut probi atq; ingenui reformident, ut ab Aegyptijs magno in cultu, magnaq; in ueneratione inter hieroglyphica sacraq; indigitamenta habita sit, & ab ijs nota salutis nũcupetur. Quin & ultro ipsa fateor crucis, qua sontes plectuntur, effigiem atq; imaginẽ ostendisse: nec piget rei tam salubri & generi hominũ tuendo tam accõmodatæ exemplum dedisse. Proprium enim semper fuit familiæ nostræ flagitiosos, & qui parum castas manus haberent, persequi, quando & mea etiã filia θῆτα nocentes ac iudicio conuictos damnare solet, & nunc in deorũ numerum relata numinis uicem implet. Quòd si nos hac causa reprehendi par est, reprehendantur eadem ratione & ciuitatum instituta, & leges quæ sceleratis flagitiosisq; ac planè literæ Sigma simillimis supplicia & pœnas statuêre. Sanè ego me tam nobili accusatione

tione insimulari malim, quàm quod audio Sigma sine fine iactantẽ, se scilicet locum comessationibus ac propudijs fuisse architectatã, ex quo quenquam sobrium aut castum aut certè frugi exisse turpe est. Qua ex re apud Sybaritas se statuã meruisse ad immortalitatem æternitatemq; nominis sui pertinere arbitratur. Sed quid ego in re præsenti atq; oculis exposita orationẽ quæro? spectate uos ipsi Iudices, spectate obsecro, huius Sigma faciem haud quaquam sibilo & contumaciæ suæ absimilem, spectate toruos oculos, promptasq; atq; erectas ad iniuriam manus, spectate ira & furore æstuantẽ & paulominus in nos impetum facientẽ: en ut se in spiram cõtorquet? ut grauiter insibilat? ut prorsus in anguino corpore anguinos spiritus agnoscatis. Cęterum ut quod cœperam πρὸς σάυρα, id est de cruce, sermonem breuissime absoluam, si rem diligenter perspexeritis Iudices, inuenietis nõ me, sed Sigma ipsam primam ex omnibus σάυρα, id est crucis, nuncupationi principiũ dedisse. Quom enim ego aliquando in cœtu clarissimorũ hominum πρὸς ταῦρα, id est de tauro animali generoso ac socio laboris humani uerba facerem: hæc protinus se obijciens & partes primas uendicans ταῦρον in σαῦρον cõmutauit. Id quod paucis antè diebus fecerat: quom ego de musicis cõcentibus loquẽs, τόνου dixissem: hæc se impudẽter actutũ oggerens, σόνου id est gemitũ & suspirium, iussit esse, qui τόνου antea fuerat ad oblectandas hominũ aures: digna se prorsus ac suis moribus cõsentanea elocuta. Quæ nisi uos iudicio defueritis, id quod ego profecto uos pro uestra cõsuetudine facturas confido, non uereor quin ἐν σάυρῳ, id est cruce, & σόνοις, id est suspirijs reliquam omnem quanta quanta supereſt, actura sit ætatem.

IOANNES HIERONYMVS MONFERRATVS DE CALcagninis Reuerendo ac magnifico equiti Hierosolymitano domino Alfonso Trotto S. P. D.

A MABAT te Alphonse Trotte eques ornatissime Cęlius Calcagninus herus meus & patronus dum in humanis ageret, plurimum, ut eius aliquot epistolæ testes sunt locupletissimæ: sed hoc imprimis testãtur officia, quę inter uos ultro citroq; multa amoris ac beneuolentiæ plena, & quę adhuc in hominũ animis uirẽt. Hinc est q; quom nuper euoluerem eius felicis memorię uiri lucubrationes, quas indefessus plurimas (ut nosti) indies in re literaria cõficiebat, ingenio & multiplici eruditione refertas, & moriens quas mihi cõmendarat: in librum incidi rerum Aegyptiarum non uulgarẽ nec protritæ literaturæ, quem ille uiuens dignationi tuæ destinauerat. Sed quom nondum ei dedicationis præfationẽ appositissẽt, quam & te & se dignã meditabatur, fato interceptus: eius ego memor uoluntatis & scriptorũ hæres his paucis ac ineptis non tibi modo cui liber hic omni iure debetur, sed & quibuscunq; in lucem editur in manus uenerit, notum esse uolui, uos inter uos inuicem amasse, & mutuam dedisse operã, meq; fidelem fuisse herilis uoluntatis executorẽ. Accipe igitur librũ si non ijs uerbis ornatũ quibus decebat, bona tamẽ uoluntate exhibitũ. Vale Equitum ornamentũ, maniumq; Cælij & mei cliẽtis memor. Ex ædibus nostris, Nonis Iunij,

M D XLII.

CAELII CALCAGNINI DE REBVS ÆGYPTIACIS COMMENTARIVS, AD MAgnificum Alfonsum Trottum equitem Hierosolymitanum.

VOM à Dis immortalibus omnia peti oporteat bona, tum maximè eam quæ de ipsis cõstat sapiẽtiã quæri oportet. Nam neq; maius quicquã à Dis dari: nec ab homine præclarius accipi potest ueritate. Ideoq; Alexander Magnus dicere solebat, multo sibi iucũdius de Dis recte senti re, quàm multis gentibus imperare. Neq; sanè diuinitas alia re magis præstat, quàm sapientia. Non auro, nõ argento locuples est: non tonitru, non fulmine formidabilis: sed sapientia ac rerũ omniũ prouidentia longe excellit. Quod nemini mirum uideri debet, quom supremũ illud numen nõ modo rerum omnium author sit: sed idem etiã cõseruator omnibus omni tẽpore omniq; loco intersit. Nã si causa illa opifex se à rebus abdicaret, eas protinus interire foret necesse. Et sanè scire optima, & optima facere multo est antiquius. Quod Homerus significauit eo uersu:

Et genus & patria similis memoratur utriq;.
Iuppiter at natu prior idem est, pluraq; nouit.

Quare ego summi numinis felicitatẽ, rerum omnium optimarũ & pulcherrimarum cognitione constare imprimis existimauerim, & ex eo quòd nõ solum præsentia sed futura ac pręterita intelligit, immortalitatẽ iure illi tribui. Et mea quidem sententia, quicunq; mortalium ad diuinitatẽ anhelant, illi maximè sapientię & ueritatis amore rapiuntur: quam ut faciliore petant indagine, castitatẽ & rerum sacrarum cultũ amplexantur. Id quod Græci omnium cõmodissime significarũt, quom Aegyptiorum deam Isin, quasi scięntiam: & eius hostem, Typhonem id est insciti am, appellarũt. Cuius deæ sacra, parcitate uictus, & quorundam ciborũ abstinentia, & ueneris continentia cæterarumq; uoluptatũ coertione celebrabant: quibus omnibus puritas mentis & acumen ingenij scientiæ causa exquirebatur. Vnde & illius sacrariũ Isæum, id est, scientiæ diuersorium appellarunt, & ipsam alij Mercurio, alij Prometheo natam dixerunt: quorum alterũ sapientia ac prouidentia, alterum grãmaticæ & musicæ inuentio illustrauit: & in Hermupoli Isin Musarum primã, eandemq; iustitiam & sapientiam uocitarunt: utpote quæ diuina aperiat ijs quos ἱεροφόρους καὶ ἱεροσόλους nuncupant. Ii uero sunt, qui rationẽ sectantur, quæ ab omni impietate ac superstitione animam eluit. Proinde splendida uestis illis attributa est, qua & mortui exuta iam mortalitate & in pristinã dignitatẽ reuocati exornantur. Nec sanè hoc dico quòd linostoliæ, id est lineæ stolæ, aut capitis abrasio Isiacum faciat: nam neq; πωγωνοτροφία, id est barbæ educatio, neq; τριβωνοφορεία, id est pallij gestatio, ut est in prouerbio, philosophum reddit. Sed tantum symbola sunt: de quibus nonnulli ita sentiunt: Abstinere siquidem eos à lanis, non secus ac ab ouium carnibus abstinent. Radere autem caput ob luctum. Ferre lineas uestes ob colorẽ, quem lini flos ætherio splendori simillimum præse fert. Sed hæc alij. uera autem ratio est, quòd (ut Plato scribit) purum ab impuro attingi piaculum est. Retrimentum autẽ cibi neq; purum neq; castum: atqui ex retrimentis pelles, uellera, capillos, ungues gigni certũ est. Ridiculum quippe fuit capillos quasi superfluos deponere, & corpus leuigare: ouillas autẽ lanas induere. Sic enim & Hesiodus quom monet:

Nec te à quinquifida siccum decet arbore ramum
Cædere splendenti ferro inter sacra deorum.

significat ut talibus muneribus perfuncti sacra adeamus: non aũt dum ijs operamur, superflua resecemus. At linum ex immortali nascitur tellure, & fructum esculentum fert, & simplicem puramq; uestem præbet, non adeo grauem, & omni tẽpori accommodatã: ex qua minime pediculi procreantur. Alioqui hi sacerdotes adeo superflua

reformidant, ut nõ modo legumina ouillasq; & suillas carnes auersentur; ceu quæ re trimenta multa inuehant: sed & salẽ à cibis in castimonijs reijciunt: tum ob alia, tum quòd ad bibendum & comedendum appetentiores reddit. Nam quod Aristagoras dicebat, ideo impurum censeri, quòd minuta animalia intercepta iugulet, plenum le uitatis est. Quin etiam & Api è peculiari puteo propinãt, atq; omnino à Nilo arcẽt: non quòd Nili aquam impurã ob crocodilum censeant, ut quidam putauere, quãdo Aegyptijs nihil Nilo honoratius: sed quòd obesiores corpulẽtioresq; faciat epotus: qua habitudine neq; Apin neq; se esse uolunt. Satius enim putant leui ac expedito corpore animũ includi, quo minus eius diuinitatis opprimatur. Cæterum in Heliopoli solẽ colentes, in templum uini nihil afferũt, ceu per diem deoq; ipso inspectante turpe sit uinum epotare: quo alij quidem, sed parce admodum utuntur. Sed prẽter hanc Aegyptij multas obseruant cæremonias abstemias, in quibus & philosophantur & diuina edocent. Quin & reges ex instituto sacrarũ literarũ mediocriter admodum bibebant, autore Hecatẽo: quom & ipsi sacerdotij dignitate censerentur. Quã consuetudinem primum Psametichi regis tempore omiserunt, quom prius neq; ipsi uinum haurirent, neq; Dis libarent ceu parum gratum, utpote quod sanguinem eorum qui cum Dis olim dimicauerant, opinarentur: ex quo profluente & terræ admisto uites natas ferũt. Quare largius ingurgitãtibus ebrietatẽ & insaniã, amentiamq; uenire: non secus ac si impiorũ bellatorum sanguine repleantur. Quæ sic à sacerdotibus affirmari Eudoxus in secũdo Ambitu testatur. A piscibus autẽ marinis omnes non tamen omnibus abstinent. Siquidem Oxyrynchitæ ab hamo interceptis: colentes enim oxyrynchon piscem, uerentur nequando hamus parum purus sit, ceu qui oxyrynchon attigerit: Syenitæ autẽ à Phagro, qui restagnationes & incremẽta Nili prænuntiare existimatur. Atq; ita sacerdotes abstinent. At reliquis Aegyptiorum nona primi mensis die assum piscem pro foribus comedentibus: sacerdotes piscem non gustant quidem, sed in limine adurunt, gemina utẽtes ratione: quarum alteram sacrã & supra captum mentis, annexamq; ijs quæ de Osiride & Typhone religiose allata sunt: attingam aliàs. Altera facilis atq; obuia est. Nam piscem non necessariũ, nec dignũ adeo cura opsonium esse uel Homerus testatur: qui neq; Phæacas homines abdomini natos, neq; Ithacẽses insulares piscibus uesci scribit. Neq; ipsi quidem Vlyssis socij in tam diuturna nauigatione antequam ad summã uenirent inopiam, unquã ad pisces uorandos animũ induxerunt: immo uero mare ex igne putãt quasi ablegatum, neq; partẽ unã rerum, aut elementũ, sed miscellaneũ quodammodo excrementum triste ac pestilẽs arbitrantur. Illud certum est, ea quæ ab Aegyptijs tam religiose obseruantur, neq; fabulosa esse, neq; à superstitione proficisci, neq; ratione carere, sed certas causas habere uel historia uel natura introductas. Quod & in cepa agnoscitur: nam in flumẽ cecidisse, atq; ita occidisse Dictyn alumnũ Isidis: quod neq; cepis manum inijcere, neq; se sustinere potuerit, durius est quàm quod persuaderi possit. Vere enim sacerdotes cepam auersant, obseruantes eam minuente luna augescere ac germinare: aliàs caste agentibus & festa celebrantibus importuna est, quòd illis sitim, his lachrymas attrectata prouocet. Scitũ est illud Biantis: qui ab Aliate rege accersitus ei rescripsit, τὰ κρόμμυα ἐδιδύ, id est cepas esse: hac ei uoce luctum imperans. Alioqui inter ea quæ appetentiã proritãt, cepa quoq; à Xenophonte censetur. Adde quòd odore illiberali à sacris longe arcenda existimatur. Nam ea de causa & ijs qui allium gustauerint interdictũ est, ne Magnæ matris tẽplum ingrediantur, teste Athenæo. Nec alia ferè de causa suem impurum animal putant, quam quòd decrescente luna plurimũ coeat: & quòd lac suillum potantibus tubera, lepra, & psoricæ asperitates innascãtur. Quòd aliàs mirum est: quom sui & crocodilo natura eam conciliauerit amicitiam, ut impune sues circa Nili ripas obuersentur, neq; à crocodilis offensam ullam patiantur. Neq; illud sanè apud Aegyptios dici potest, ad nullum usum sues genitos esse, nisi ad uentrẽ & ganeam, atq; ideo subus animã pro sale datam esse: quom ipsi postquam Nilus restagnare desierit, & in aluum fuerit reuocatus, suum opera ad proscindendos subigendosq; agros utantur, in quos semina iaciantur. Vna uero ratio est, quam sacris operantes afferant, cur semel plenilunio

suem

ſuem guſtent. Typhonem ſcilicet in plenilunio ſuem perſequentem in arcã ligneam incidiſſe, in qua Oſiridis corpus iacebat. Alij melius exiſtimauere, ueteres ita oſtendiſſe, uoracitati delicijsq; & gulæ inuitamentis nuntium mitti oportere. Quare tradunt columnam Thebis in templo poſitam, execrationes habentẽ cõtra Menidem regem, qui primus omnium Aegyptios ab inopi & frugi uictu ad pecuniarũ uſum deuocauit. Hanc poſuiſſe traditur Technatis Bacchorei pater, quem Diodorus in Bibliotheca Cnephatum Vecchoridis ſapientis patrem appellat: qui expeditionem aliquando in Arabas faciens, quom ſerius impedimenta ſubſequerentur, & obuium cibũ arripuit, & in ſtibade acquieuit: delectatusq; illa frugalitatis ſuauitate execratus eſt Menidem, & cõprobante ſacerdotũ cõſilio execrationẽ publicè propoſuit. Hoc eſt quod Heſiodus ſcripſit: ſtultos homines, quos ſcilicet tranſuerſos rapit uoluptas, ignorare quãta foret in malua & aſphodelo utilitas. Ob hanc cauſam ueteres ea obſonia auerſabantur, quæ adſcitis indigebant condimentis: & Perſarum parſimonia magna fuit in cõmendatione, quòd parabili admodum uictu uterentur, ſuo plerũq; uelcentes naſturtio. At reges ipſi ex ſacerdotibus, aut certè pugnatoribus eligebantur: quorum hi fortitudine, illi ſapientia præſtabãt. Qui uero è pugnatoribus fuerat cooptatus, ad ſacerdotes actutum ſecedens ſecretioris philoſophię & myſticarũ obſeruationum, quæ aliud fronte proferũt, aliud in receſſu pollicentur, cognitione imbuebatur. Quod nobis ſignificant ſphinges in templorum propyleis poſitæ, obſcuram & ænigmaticã theologiam demonſtrantes: quod & pauimentũ in ſacrario Palladis, quam Iſim putant, oſtendit: in eo enim hæc inſcripta ſunt. Ego ſum quicquid fuit, eſt, & erit: nec meũ peplum quiſquã mortalis unquã retexit. Amplius & quom multi ſuſpicentur proprium apud Aegyptios Iouis nomen Amun, quod nos inflectentes Hamonem dicimus, Manethus Sebẽnites ea uoce arcanũ occultationemq; ſignari putat. Hecatæus autem Abderites inuocatiuam eam Aegyptijs particulam ſcribit: qua uti ſolent, quom ignotũ hominem uocitant: quare deum illum rerũ omnium opificẽ tanquã abditum ignotũq; ſibi Amun dixere. Et Aegyptijs ſanè quòd tam pie, tam reuerenter diuinorũ ſapientiam tractent, teſtes accedunt Græcorũ ſapientiſsimi, Solon, Thales, Plato, Eudoxus, Pythagoras, & (ut nõnulli credunt) Lycurgus: qui omnes Aegyptum adiere, & cum ſacerdotibus conſuetudinẽ habuere. Eudoxus quidem Conupheũ Memphitẽ audiſſe dicitur, Solon Sonchiton Saiten, Pythagoras Oenupheũ Heliopoliten. Et hic profecto maximè omnium miratus & imitatus uidetur eorum hominũ mores ac diſciplinam, dogmati ſuo ſymbola & myſteria quædam recondita admiſcens: quæ non ſanè multum â Hieroglyphicis, id eſt ſacris Aegyptiorum literis abſunt. Quale eſt illud, in curru ne comeſto. ne ſedeto in chœnice. ne palmam plantato. ne domi ignem machæra ſcindito. Putant & ab eiſdem hominibus unitatem Apollinem uocari, binarium Dianã, Mineruam ſeptenarium, Neptunum primum cubũ. Atq; hæc nomina in templis & ſacris libris promiſcue inuenies. ſicut & regem Oſirim oculo & ſceptro ſcribũt. Quod nomẽ nonnulli multioculum interpretantur, quòd os multum, iri autẽ oculum ſignificet Aegyptijs. Cælũ aũt tanquã neſciũ ſenectutis ob perpetuitatẽ, corde cui craticula ſubiecta fuit, annotabant. Thebis imagines iudicum poſitæ erant ſine manibus, & quæ inter illas principẽ ſignificabat, oculis uiſebatur conniuentibus: quòd incorrupta, quodq; inexorabilis iuſtitia eſſe debeat. Qui uero diſciplinæ militari nauabant operam, pro ſigillo in annulo ſcarabeum ſcalpebant. ex ſcarabeis enim nullus fœmina, mares omnes, ſemenq; ſuum in pilæ formã glomerantes generationi locum parant. Quotiens itaq; audimus hæc Aegyptios fabulantes de Dis, de eorũ genitura & forma & euentibus, nihil ita prorſus debemus exiſtimare: ſed myſterium aliquod deliteſcere in ijs coniiciendum eſt, & quæ prædiximus in memoriã protinus reuocanda. Non enim Mercurium uere canẽ exiſtimant, ſed cuſtodem & peruigilem animalis naturã quæ hoſpitem ab hoſte dijudicat, ut ait Plato, deorum perſpicaciſsimo tribuunt: neq; ſolem putant ex loto editum nuper infantem, uerum ita ſolis ortum ex humidis eleuationem interpretantur. quando & fæuiſsimum formidabilemq; ſupra alios Perſarum regem Ochum, nõ ſolum multorũ parricidam, ſed & ipſius Apis occiſorẽ, quẽ

sibi ac socijs in mensam proposuit, Macherā uel ad hoc usq; tempus uocant: atq; hoc nomine in descriptione regum cognoscitur: non hominis proprietatē, sed mores exprimentes, quem instrumento parricidio accōmodato æquiperabāt. Nihil ergo Dis magis gratificari possumus, quàm superstitione omni ablegata, uera ac syncera de ipsis sentire: quare fabulam referemus scilicet sub cōpendio, et reiectis ijs quę supervacanea uidebūt, rogamus nequā diuinitati suggillationē faxit impietas. Aiūt Rheam furtim in complexum Saturni uenisse: mox & cum Sole cōgressam esse: sed quasi prægnatione damnatā neq; mensem neq; annum, quo pareret, inuenisse. Mercurij etiam amore captā cum eo concubuisse. Subinde autē cum Luna ludentem astragalis diei cuiusq; septuagesimā abstulisse: ex quibus dies quinq; confecit, eosq; trecentis ac sexaginta coniunxit: eos nunc Aegyptij ἐπαγομένας, id est superinductos uocant, & deorum natales putant. Nam prima Osirim genitum: quo nato uocem excidisse, omnium dominū in lucem prodisse. Alij Pammylen quandā celebrant: hanc Thebis è Iouis tēplo aquatum egressam audisse uocem iubentē ut exerte proclamaret, magnum regē ac benefactorē Osirim natum esse. Atq; hanc in spem Osirim ab ea fuisse educatū. In cuius memoriā & Pammyliorū festum institutū est, Phallophorijs Græcorum simillimū. Secunda Aruerin, quem alij Apollinem, alij seniorē Horum nuncupāt. Tertia Typhonem, neq; tempore neq; loco, sed è costa uulnere adacto exilijsse. Quarta Isin in panygris editam. Quinta Nephthen: quam mortē & uenerem, quidam etiā uictoriam suspicantur. Ex ijs uero Osirim & Aruerim sole genitos, Isin Mercurio, Saturno Typhonē & Nephthen. Proinde tertiā τῶν ἐπαγομένων, id est superinductarū nefastam habitam esse: qua neq; reges dijudicabāt, sed seipsos curabāt ad noctē usq;. Atqui Nephthe cum Typhone honores meruit. Isin uero & Osirim uel antequā materna aluo prodijssent, mutuo se amasse, ac simul cōcubuisse uulgatum est. Quidam & Aruerin ita genitū putant, & ab Aegyptijs seniorem Horum, à Græcis Apollinē uocitatū. At Osiris quom regnum foret adeptus, ab inopi & agresti uictu ad mitiorē cultū Aegyptios uocauit: fructus ostēdit: leges tulit: quomodo Di colendi essent præscripsit. Mox & terram mansuetiorē redditam peragrauit nō armis neq; ui, sed oratione, persuasionibus & musicis cantibus pleroscq; in lententiā trahens. Quare non pauci Græcorum eum Dionysum putauerunt. Eadem ratio persuasit Celtis ut Herculi Ogmio catenam appenderēt, quæ ex eius ore multifida ad aures auditorum producebatur. Sic enim intelligebatur Hercules non uiribus, sed eloquentia magna illa facinora perfecisse. Quare & ueteres clauam ei oleaginam tribuisse obseruamus. Dum uero ille peregre abesset, nihil rerum nouarum Typhon molitus est, quòd accurate ac diligenter ad rerum custodiā Isis excubaret. Redeunti uero insidias posuit, cum eo cōspirantibus duobus & septuaginta cōiuratis, accedente etiam auxilio reginæ Aethiopum cui Aso nomen. Clàm itaq; Osiridis corpus permensus ad eius magnitudinē arcam struxit mire fabrefactam. Hanc in conuiuium allatā, omnibusq; eius structurā admirantibus, Typhon quasi per iocum recepit se illi dono daturum esse, cuius corpus illius magnitudini exequaretur. Facientibus autem omnibus de se periculum, cum eorum nemini quadraret, in eam ingressus est Osiris: tum accurrentes coniuratos operculū iniecisse, clauisq; ualenter adactis, liquenti etiā plumbo perfudisse, & ad fluuiū deuectā per os Taniticū in mare deiecisse: quod hostium ea causa nunc etiā inuisum & detestabile nuncupatur. Et hæc quidē facta memorant septima supra decimā mensis Athir: quom sol scorpium permearet, & Osiris iam annum octauum & uigesimum regno potiretur, licet alij eum annorum numerum non regno, sed uitæ tribuāt. Quom uero Panes & satyri qui circa Chennin accolunt, omnium primi rem gestā resciuissent, & repente magnas turbas, magnosq; tumultus, qui ad hoc usq; tempus panici uocātur, excitsent: Isis hæc audiēs protinus capillos totondit, & lugubrē stolam induit. ex quo urbi Copto adhuc nomē manet, tametsi alij hoc nomine priuationē notent. Nam κόπτειν priuare significat. Tum omnium inops, omnia late pererrans, neminē prætermittere, quem de Osiride non percunctaretur. Quin & pueros etiam super arca rogitabat, quorum aliqui rei gestæ conscij, quid actum de arca aperuerunt. Ex quo tempore

Aegy

Aegyptij uim præsagiendi pueris inesse suspicati sunt: eorumq; diuinationem obser uant, dum ludunt garriuntq; in templis sine discrimine quicquid in mentẽ uenit. De abiegna etiã corona rescitum est, quam apud Nepthen Osiris reliquerat. Aliqui eti am puerum ex quo Isis rem intellexit, sub Anubis nomine coli putãt: quem natum Nephthe tradunt. Et illam quidem timore Typhonis perculsam ante maturitatem puerum eiecisse potius quàm peperisse: atq; eum ita Dis custodem additum, ceu ca nes mortalibus adhibẽtur. Intelligens ergo Isis fluctibus marinis arcam Byblon im pulsam: atq; ibi pulcherrimũ tetradicis germen forte obuium eam amplexatum esse, cuius magnitudinẽ rex admiratus id pro fulcro tecto suppositum: quæ omnia diuino quodam famę nutu rescisces Isis atq; Byblon profecta, neminẽq; allocuta sed lachry mans in fontis crepidine subsedit. Reddensq; sibi reginæ ministras beneuolas tum salutando comiter, tum comas illis ingeniose coaptando, & admirabilem quendam odorẽ afflans, his illecebris promeruit à regina accersiri: nec solum familiaritatẽ ini re, sed etiam regij pueri altricem fieri. Regi autem Maleander nomen: reginã alij A starten, alij Saisin, alij Nemanun, quod Græci Athenaida interpretantẽ, nuncupãt. Alebat autẽ puerum pro mamma digitũ in eius os infarciens. Conata est etiã noctu illius mortalitatẽ exurere, & ipsa interea hirundo facta, in columnam aduolauit. Lu gens tamen regina rem obseruans & materna pietate perculsa, inclamitansq; semiu sto infanti immortalitatẽ ademit. At Isis iam se deam professa in tectum ascendit: cæ famq; undiq; tetradicẽ auferens & linteo contegens unguentoq; aspergens regibus tradidit, & nũc tetradicis lignum apud Byblios in templo Isidis asseruatur colituրq;. Tum arcæ incubans lugere non desijt, donec iunior filiorum regis obierit. At maio rem natu secum abducens, & naui arcã imponens, Phędrum flumẽ indignata quod sub diluculo asperius fluctuaret, exiccauit. Vbi autẽ solitudinem nacta est in se redi ens, & totam mœroris scenam aperiens, defunctum Osiridis salutans amplexansq; dempto fine illachrymabat. Quod audiẽs puer regius, clàm à tergo quid ageret, ex plorabat. Id illa sentiens toruo adeo uultu sese obuertit, ut actutum puer terroris im patiens deperierit: licet alij aliter sentiant. Nam eum in mare cecidisse memorãt: eiq; in deæ gratiam honores habitos esse, & in conuiuijs ab Aegyptijs Manerotis nomi ne inuocari solere. Quidam puerum Palæstinum aut Pelusium uocant urbi cogno minem, quam deam in eius memoriã ædificasse traditur, & ipsum quidem Manero ta musicæ inuentorem celebrant. Cui opinioni reclamant alij, asserentes Manerota nullius quidem esse nomen, sed dialectum tantũ comessantibus admodum accõmo datam. præterea quom Manerota concinunt, etiã defuncti hominis simulachrũ cir cunferunt: nõ symbolũ perempti Osiridis, ut aliqui putauere, sed admonentes præ sentibus fruendum, genioq; indulgendum, non multo enim post conuiuas tales fu turos. & hæc quidem ratio multo potior. Cum uero Isis ad filium Horum qui in Bu to alebatur, profecta esset: Typhon noctu in uenationẽ exiens, per lunam corpori Osiridis occurrit: quod in partes quatuordecim discerptũ abiecit. Quod quom Isis resciuisset, ea frusta per paludes baride (sic Aegyptij nauim illam appellãt) papyra cea perquisiuit. Quare nauigantes papyraceis nauibus minime à crocodilis lædi tra dunt, uel timentibus uel colentibus deæ memoriã. Hinc & multa in Aegypto Osiri dis sepulchra celebrãtur, quòd seorsum quãq; partẽ, prout occurrerat, tumulauerit. Alij non hoc putant, sed Isidem cupientẽ illum à pluribus coli, simulachra ad illius imitationẽ facta omnibus urbibus inuulgasse: tum etiã addunt eam existimasse, non facile fore Typhoni Osiridis conditoriũ quærenti, in ea multitudine uerũ inuenire. Atqui ex omnibus Osiridis partibus solũ pudendum nusquã inuentũ tradunt: proti nusq; in fluuiũ abiectũ, à lepidoto, phagro & oxyryncho deuoratũ: qui ea causa sum mum inter pisces honorẽ meruere. Ad eius itaq; imitationem Isis phallum consecra uit, cuius festum nunc agunt Aegyptij. Quin & Osiridem ferunt aliquando ab infe ris redeuntem cũ Horo exercerí & belli munia obire consueuisse. A quo Horus ali quando interrogatus quid pulcherrimum existimaret: respondisse dicitur, parentes iniuria affectos ulcisci. Tum & illud percũctatus est Osiris, quod nam animal ad bel lum descendentibus cõmodissimum putaret. Eo uero equũ respondente: Osirim ad

miratum quòd non leonem potius quàm equum dixisset: sed Horum causam subiecisse. Leonẽ enim auxilio indigenti potiorem, ad fugandos uero deprehendendosq; hostes equum magis præstare. Quæ audiẽs Osiris oblectatus est, quòd tam paratum & promptum Horum inuenisset. Ad Horum etiã aliquãdo dicitur accessisse Thueris Typhonis pellex, quam serpens persequebatur. Sed hanc ipsam serpentem Hori ministri occiderũt. Quare & nunc funiculum in medium iacientes frustillatim comminuunt. Iusta etiã pugna Horus Typhonem superauit, quem uinctũ Isidi tradidit, sed illa solutum missum fecit: quod Horus iniquo sanè animo tulit, & matri manus iniecit, & coronam detraxit. Cuius uice Mercurius ad eam galeam è caluaria bubula attulit. Cęterum quom Typhon in Horum quasi spuriũ, iudicium intenderet: adnitẽte Mercurio legitimus à Dis iudicatus est, qui duobus subinde pręlijs Typhonem expugnauit. Ferunt etiam Isidem ab obitu cum Osiride concubuisse: & ex eo geminos sustulisse, Helitomenon, & inferioribus mẽbris luxatũ Harpocratẽ. Hæc sunt fermè fabulę capita, cæteris quæ defamatiora sunt, ablegatis: quale est, Horum mẽbratim cæsum, & de Isidis capitis supplicĩũ sumptũ. Quę si de diuinitate & incorrupta natura, ex qua maximè numẽ agnoscit, uere intelligant: despui profecto, expiariq; os opus, ut inquit Aeschylus. Et ea quidẽ fabularũ uanitas ad irrita poetarum cõmenta pertineat: qui perinde atq; araneæ huiusmodi ex seipsis, semota omni causa, ordiuntur & texunt. hæc uero nostratia non multo diuersam rationem habent ab iride, quam spectrum solis probãt Mathematici ad nubium uarios aspectus multiformem. hæc enim rationis cuiusdam spectra sunt, ad aliam sententiam reflectentia. Sic uidemus dispositiones templorum uario situ. Nam quę ad rem lugubrẽ pertinent, obscuriora sunt: quę uero ad hilaritatem, & areas & cursus subdiales habent, aliubi occulta & tenebrosa sunt, quæ inferorũ habent apparatus: qualia Thebanis sunt frequẽtia. Multi uero Isiacorum putãt uel apud Abydum uel apud Memphim, quam πολύχιον uocant, uera Osiridis membra quiescere. Quare locupletiores fortunatioresq; Aegyptiorum in Abydo tumulari expetũt, ut cõmuni loco cum Osiride sepulchrum sortiãtur. Verũ alij quom Memphi alatur Apis, qui animę Osiridis symbolum gerit, par credũt eodem loco æquè animã & corpus diuersari, & eam urbem alij portum bonorum, alij sepulchrum Osiridis interpretantur: & id in Neside statuunt alioqui omnibus imperuia, utpote ad quam neq; aues, neq; pisces possint appellere. semel tantum sacerdotes ingredientes & sacrum faciunt, & tumulum coronãt mithridis planta inumbratum omnis oleæ magnitudinẽ excedente. Eudoxus autem cõpluribus sepulchris nũcupatis, in Busiride corpus Osiridis iacere affirmat. Quod ijs argumẽtis probat: tum quòd ea fuerit Osiridis patria: tum quòd ibi Taphosirim, id est Osiridis sepulchrum ostendant. Quin & lignorũ succisio, & linorum cõminutio, & choę effusæ, multaq; id genus mystica id significãt. His adde quòd sacerdotes Aegyptij, nõ horum tantum, sed & aliorum deorum, qui ingeniti atq; incorruptibiles sunt, corpora apud se iacere & curari prædicant, quorum animæ in cælo fulgent sydera. Et ex his id quod Isidis est, à Græcis canis, ab Aegyptijs sothis appellatur. Orion autẽ Horus, illud autẽ Typhonis ursa. soli Thebaida habitantes nullum mortalem deum existimantes, unum æternũ & immortalem statuunt, quem Cnephagenetum appellant. Alij putant reges ac tyrannos potentia excellentes diuinitatis titulum sibi adsciuisse, quorum deinde graues euẽtus traduntur. Quod sanè non abest à ratione, ne quæ mortalitatis sunt, impudenter diuinitati tribuantur. Qui ergo historias condidere ijs utũtur perfugijs. Aegyptij enim memoriæ tradiderunt, Mercurĩũ corpore esse γαλεάγκωνα, id est ancũ, Typhonẽ colore ruffum, album Horũ, Osirim atrum, ceu uere homines natos. Amplius exercitus ducem Osirim, gubernatorem Canobum uocant: cuius etiã cognomine astrum dicunt. Et nauem quam Græci Argo appellant, Osiridis nauis simulachrũ propositum affirmant: & ob hoc Orionem à Cane nõ longe abesse, quòd hic Horo, hic Isidi sacer sit. uereor autẽ ne hoc sit mouere non mouenda, & à multis hominũ religionẽ auferre iamdiu erga hos deos inolitã, & impijs quasi fenestrã aperire, & Euemero Messenio astipulari, qui deos omnes in regum ducumq; descriptionẽ redegit: quasi uero ille unus omniũ mortalium

hæc in

hæc in Pachonte literis aureis descripta inuenerit, & in nescio quos nũquã genitos Panchæos & Triphylos impegerit, quos Græcorum aut Barbarorum nemo cognouerit. Atqui præclara in Assyrijs celebrant facinora Semiramios, præclara Sesostrios in Aegypto. Phryges etiã ad hoc usq; tempus splẽdida gesta admiratione digna, manica uocãt, quòd Manis unus è priscis regibus bonitate ac uirtute apud eos præstiterit, quẽ nõnulli Masdẽ nũcuparũt, at Cyrus Persarũ, Macedonũ Alexãder uicto rias ad extremũ ferè orbem produxere. Quare Antigonus senior Hermodoto quodam in poematis ipsum Solis filium ac deum appellante: Non mihi talia, inquit, lasanophorus affirmat. Lasanum enim uas ad excipienda uentris excrementa accommodatum. Bene etiã Lysippus plastes Apellem pictorẽ increpauit, quòd Alexãdri imagini in manum fulmen addidisset, quom ipse lanceã tribuisset, cuius ueram & solidam gloriam nulla ætas abolebit. Melius itaq; mea sententia, qui Osiridis, Typhonis, Isidis calamitates & aduersos euentus neq; hominibus, neq; Dis tribuendos putauerunt: sed magnorum dæmonum naturæ, quos Plato, Pythagoras, Xenagoras, & Chrysippus ueterum theologorũ sectatores, multo quidem hominibus fortiores & nostra conditione præstantiores, non tamen pura & illibata diuinitate præditos statuerunt. Hos enim naturæ animæ, & sensus corporei participes, uoluptatẽ laborẽq; & cæteros id genus affectus mutationibus obnoxios suspiciẽtes, hos quidẽ magis, illos minus putauere. Nã sicut inter homines, ita inter huiusmodi genios magna uirtutis malitiæq; solet differentia interuenire. Et profecto Gigantea illa certamina apud Græcos decãtata: & impiæ Saturni actiones, & Pythonis aduersus Apollinem insolentia, & Dionysiacæ incensiones, & Cereris errores: quid ab Osiridis & Typhonis, aliorũq; quę fabulose & mystice narrantur, actionibus distant? Audimus cerè Homerũ bonos θεοειδέας, id est deo similes, & ἀνταθέους, id est deo æquales, & deorum consilia habentes nuncupantem: dæmonum etiã denominationẽ promiscue in bonis ac malis usurpantem:

Dæmonie accedas: cur tam metuuntur Achiui? Et rursus:
At simulac quarto processit dæmonis instar. Et:
Quid Priamus primoq; sati cõmittere tantum
Dæmonia in te ausi? ut præclarum excindere prorsus
Ilion, & properes Troianam perdere gentem.

Quasi uero dæmones mistam & inæqualem naturã, animiq; inductionem habeant. Quare Plato Dis Olympijs dextra & inæqualia, cõtraria uero dæmonibus ascribit. Et Xenocrates dies nefastos, & celebritates quibus plagas, ictus, ieiunia, infamias, aut fœdas imprecationes adhibẽt, neq; deos neq; dæmones bonos decere putat: uerum esse in hoc aeris ambitu magnas & robustas quasdã naturas, calamitates & mœrores inuehentes, quæ huiusmodi solennibus gaudeant, neq; interea ad quicquã deterius conuertantur. At bonos & probos dæmonas rursus, quos Hesiodus ἁγνοὺς, id est puros nuncupat, ad hominũ custodiam excubare: opes & regna præbere. Quale genus Plato ἑρμηνευτικόν, id est interpres, & inter deos homines q; mediastinũ appellat: quòd hinc preces & uota, illinc præsidia nobis afferãt: oracula etiã & cætera bona sumministrẽt. Empedocles quoq; dęmonas quoties peccãt, dare pœnas affirmat:

Aetherium robur pontum ipsum impellit: at idem
Fundamenta quatit pontus tellurís: at ipsa
Terra laborantem solem, qui rursus Olympum
Aethereas q; mouet per certa uolumina sedes:
Ex alioq; alius rapit, & se odere uicissim:
Donec purgati & scelerata labe reposta
Naturæ mores & pristina iura resumant.

Hęc itaq; & his similia de Typhone dici possunt: quòd ob inuidiam & simultates ea passus sit, & quòd omnia perturbans terramq; & mare infestũ reddens, tandem pœnas dederit, & contrà sospitatrix Osiridis soror & coniunx Typhonis inclementiã represserit: certaminũ uero quæ passa est & cæterarum uexationũ monumenta posteris relicta sunt. Ipsa igitur & Osiris ex dæmonibus bonis in deorum numerum ob

uirtutem relati sunt. Sicut Hercules & Dionysus posteriore ætate deorum & dæmonum mistos honores habent. Adde quòd Archemachus Euboicus non alium Serapin quàm Plutonem, nec aliam Isidem quàm Proserpinã dixit. Et Heraclides Ponticus oraculũ quod in Canopo est Plutoni attribuit. Ptolemæus etiã Soter deprehendit in Sinope Plutonis colossum, quom nunquã antea uidisset, quali esset forma. Iusserat enim ille per quietẽ Alexandriam quàm primũ ferri. At ille quom ignoraret ubi locorum quęreret, amicisq; uisum cõmunicaret: Sobius quidam uir multę peregrinationis affirmauit se talem colossum Sinopæ aliquando uidisse, qualem rex cõmemorabat. Delegauit igitur huic muneri Sotelem & Dionysium: qui uix tãdem, nec sine diuino numine perduxerunt. Tum coniectores Timotheus & Manethon Sebenites, qui regi aderant, ex Cerberi & draconis imagunculis adiectis eam Plutonis imaginẽ colligentes, Ptolemęo persuaserunt, deorum nemini, sed Serapidi tribuendum esse: quando quem nos Plutonem dicimus, Aegyptus Serapin uocat, & sub hoc nomine Alexandriæ colitur. Heraclitus etiã philosophus eundem Ditẽ ac Dionysum putat, ex quo nonnulli ita interpretantur: ditẽ corpus esse in quo animæ desipiant & ebrietatem hauriãt. Quę sanè interpretatio frigida est. At multo satius Osirim & Dionysum, & rursus Osirim & Serapim eosdẽ putare: ut cõmunis omnibus Serapis sit, id quod initiati eius sacris intelligũt. Nec eñ par uidetur Phrygijs literis habere fidem: quæ illos Herculis filia, Typhonem Isæaco Herculis natum tradunt. Nec Philarchus audiendus, qui Dionysum ab Indis in Aegyptum boues duos perduxisse scribit, quorum alteri Apis, alteri Osiris nomẽ fuerit. Tum uero Serapim nomen inditum esse, quod omnia exornaret. σαίρειν enim Græcis deuerrere ac mangonissare significat. Absurda hæc prorsus Philarchi. Sed eorũ absurdiora qui Serapin deum negant, sed hac uoce Apidis sepulchrũ significari putant: in cuius rei testimonium columnas quasdã æreas in Memphi Lethes & Cocyti nomine appellatas grauiter ac tumultuose resonantes aperire solere, quoties Apim sepeliunt. Illud multo modestius, Serapim quasi uniuersi motus autorẽ uenerari. Sunt item plurimi sacerdotum qui Apin & Osirim eundem affirmãt, nos admonentes Apin imaginem ac symbolũ esse animæ Osiridis. At ego quom Serapis Aegyptiũ nomen sit, id gaudiũ & hilaritatẽ significare contenderim, ex eo coniecturã trahens quòd festa quę Græci χαρμόσυνα nos hilaria appellamus, Aegyptij σαίρειν uocant. Nam & Plato Ditem ἄδλιον quasi ἄδλιος, id est uerecundiæ filium dicit, quòd is deus modestissimus sit. Sed apud Ægyptios alia sunt etiã nomina: ceu subterraneus ille locus, in quem migrare animas à morte putãt: quem ἀμφίθλιον uocant, dantem & accipientem significantes. Quod nomen an ex Græcia antiquitus conuectum sit, alias decernemus. Nunc reliquum propositi exequamur. Osiris enim & Isis ex dæmonibus bonis in deos transierunt: Typhonis autem uis obscura & ad uexandum animũ parata, cui sacrificijs quibusdã litant. Sunt & solennia quædã quibus eum probris iniurijsq; persequuntur, homines etiam ruffos contemnentes atq; insectantes, & asinum præterea præcipitantes: quem morẽ Coptitæ obseruãt, quod ruffo & asinino colore fuisse Typhon tradatur: quam etiã ob causam Busiritæ & Lycopolitæ tubis non utuntur, quòd rude quiddam & asininum sonare uideantur. Et idcirco asinum tanquã animal impurum & execrabile Typhonicq; similẽ auersantur: & in placentis quas mensibus Payni & Phaophi parant, deformẽ asinum eumq; uinctum confingunt. Sicut & Solis sacra adeuntibus iubent nequid aureũ gestent: neue indigenti uictum præbeãt. Quin & ipsi etiam pythagorici Typhonẽ dæmonicam infensamq; uim existimantes, figuram illi solidam ex sex & quinquaginta tribuũt. At rursus uim trigoni seu triquetri Diti, Dionyso, & Marti. Tetragõi uero seu quadrati Rheę, Veneri, Cereri, Vestę ac Iunoni: eã uero quæ ex XII. angulis constat Ioui, quæ ex octo & quinquaginta Typhoni præbẽt, ut Eudoxus literis cõmendauit. Cæterũ Aegyptij putãtes Typhonẽ ruffo colore natum, ei boues fuluos immolant: hoc tam religiose obseruãtes, ut si uel seta una nigra uel candida interuenerit, eos ab aris reijciant: rati quod Dis mactatur nequaquam gratum, sed inuisum esse. Quare uictimas, ceu in eas perditorum hominũ corpora transformata sint, occidi instituerunt antiquo ritu uictimæ caput execrantes

crantes, & mox deciſum in flumẽ iacientes: quod nunc mutata cõſuetudine hoſpitibus tradunt. Atq; bouẽ, qui idoneus ſacris eligebat, ſacerdotes quos illi ſphragiſtas, nos obſignatores dicere poſſumus, ſigillo (ut Caſtor tradit) obſignabãt: cui homo in genua procidẽs, manibus retro uinctis enſem habẽs iugulo incumbentẽ erat inſcalptus. Putant alij aſinũ non tam ob colorẽ q̃ ob inſcitiã & uilitatẽ brutiſsimi animalis Typhoni conſecratũ. Quare Ochũ Perſarũ regem maximè exoſi, ceu impium ac etiã ſcelere deteſtabilẽ, aſinũ appellarũt. Qua uoce iritatus ille: Atqui aſinus hic, inqt, bouẽ ueſtrũ uorabit: atq; ita Apim immolauit, ut Dinon ſcriptũ reliquit. Nec deſunt qui Typhonẽ aſſerant ex bello profugũ ſeptẽ diebus in aſino ſeruatũ, mox Hieroſolymũ & Iudæũ filios genuiſſe: ex quo colligimus, eos Iudaicã religionẽ conari ad fabulã pertrahere. & ſic quidẽ nõnullorũ interpretationes habẽt. Alij uero alio grauiore principio atq; ad philoſophiã magis accõmodato utentes Græcos imitantur, aſſerentes κρόνον, id eſt Saturnum, eſſe χρόνον, id eſt tempus, Iunonem aerem, natalem autem Vulcani nihil aliud eſſe quàm aeris in ignem mutationẽ. Sic hi apud Aegyptios Nilum eſſe Oſirim, Iſidem terrã cum qua ille cõcubat: Typhonem mare, in quod deſcendens Nilus conſumitur atq; aboletur. Quanta uero telluris pars Nilum admittit, & cum eo admiſcetur, tantum fertilitate cõmendatur. Adde quòd Saturni cauſa (ſic enim mare uocãt) ſolennis luctus celebratur. Fluit aũt Nilus ex ſiniſtris mundi partibus, in dextris aboletur. Putãt enim Aegyptij, quà ſol oritur, mundi faciẽ eſſe: quà ſpirat boreas dextrã, quà notus ſiniſtrã. Quom itaq; Nilus ab auſtro profluat, ex parte autẽ boreæ mare intercipiatur, iure dictum putant ortum in læua, interne cionem habere in dextra: cuius ergô ſacerdotes mare auerſantur, & ſalem Typhonis ſpumam nuncupant: atq; inter eos interdictum eſt ſalem in menſam afferre. Nec homines quidẽ nauticos ſalutant, quaſi maritimos & ex mari uitã ſuſtinentes: quin etiã piſcem reijciunt, atq; odio habent: immo uero odium ipſum piſce exprimũt. Cui rei teſtimonium dare poteſt Mineruæ propyleũ his notis in Sai deſcriptum. Primo loco pædogeron, id eſt puer ſenex, poſt hunc accipiter, ſubinde piſcis, ſuper quæ omnia equus fluuialis uidebatur. Significabant autẽ hæc omnia ſymbolice, puer quidem ſenex recenter natos & defectos, accipiter deum, piſcis odium, equus fluuialis impudentiã: quòd parentem occidẽs matri permiſceatur. Quaſi uero tuita dixeris: ó ſenes pariter & iuuenes deũ odiſſe ſumma impudentia eſt. Nec illud ſanè multum à Pythagorico dogmate diſſidet, qui mare Saturni lachrymã uocant, non purũ neq; naturæ noſtræ conſentaneũ interpretantes, & hæc quidẽ obiter à nobis dicta ſunto cõmunem hiſtoriam attingentia. At qui prẽſtant ſapientia inter ſacerdotes, non modo Nilum Oſirim uocãt, aut Typhonem mare, ſed omnem uim omneq; humectum principiũ Oſirim dicũt: cauſam uidelicet generatiõis & ſeminis primogeniam: Typhonem contrà quicquid ſquallidum, igneũ, exuccum humiditati reluctatur: quamobrem & illum ruffo corpore natum fabulantur, pallidumq; affirmant: neq; admodum libenter aut auſpicato exiſtimant cũ hoc hominũ genere conuerſari, aut ijs occurrere. Oſirim rurſus nigro colore fuiſſe teſtantur, quòd id ſit aquæ ingeniũ, ut terram, ueſtes, nebulas, cæteraq; quibus admiſcetur, denigret. Quare & iuuenũ pubes ob humiditatẽ nigreſcit: atq; canicies iam defectis ætate ex ariditate albicat. Nec minus aduertimus uer ex omnibus anni partibus germinare, fertilitatẽq; ac benignitatem afferre animantibus: ex aduerſo autumnum ab humore deſtitutũ plantis infenſum atq; animãtibus inimicum. Huc accedit, quòd bos quem in Heliopoli alunt & μνεύιν uocitant, Oſiridi ſacrum, quem non pauci Apis patrem exiſtimant, atro colore oſtẽditur, & ab Api ſecũdos honores habet. Sed & ipſam Aegyptũ, quam ob fertilitatẽ ac terræ pinguedinẽ μελάγχολον, id eſt uas nigrũ dicere poſſumus, χημίαν appellãt, quam nobis pupillã oculi licet interpretari: eamq; cordi noſtro cõparant. Eſt eẽ Aegyptus calida & humida atq; in auſtralibus mũdi partibus ſita: ſicut in corpore humano natura ſiniſtra parte cor ſtatuit. Solem itẽ & lunã non curribus, ſed nauigijs circumferri tradunt, ab humido ſcilicet eorum alimentũ generationẽq; arbitrantes. Putant itaq; Homerum æquè ac Thaletem Aegyptiorum diſciplina imbutũ omnium principium aquam credidiſſe, & Oceanum Oſirim eſſe, Iſim Thetin tanquam

alentem

alentem educantemq; omnia. Nam & Græci effusionẽ seminis ἀπροσίαν, quasi absentiam: cõmistionem σωτροσίαν, & ὑὸν filium, ἀπὸ τοῦ ὕδατος, id est ab aqua & τοῦ ὗσαι, id est pluere, & Dionysum ὕλιν quasi dominum humidæ naturæ appellauere: quem non alium ab Osiride suspicantur. Quando & Hellanicus Osirim à sacerdotibus ὄσορι uocatum scribit, suarumq; aurium testimonio utitur: eoq; nomine tanquã deo peculiari ex natura & inuentione numen colitur. Sed operta sacrorum seponentes ad ea quæ manifesto fiunt accedamus. Sepeliunt enim Apis corpus sacerdotes illud rapte efferentes, quod à Bacchicis sacris sanè non multum abest: quando nebridas sibi iniicientes arripientesq; thyrsos in Dionysi orgiasmis & ululatibus & excursibus quasi deo afflati utuntur. Quare & tauriformem Dionysi effigiem multi Græcorum faciunt. Eleorum autẽ mulieres precantur, ut pede bubulo ad se ueniat. Ab Argiuis etiã Dionysus βουγενὴς, id est boue genitus colitur. Reuocant subinde ipsum tubarũ cõcentu ex aqua, in abyssum, id est profundissimã partem agnum iacientes: quasi id muneris πυλαόχῳ, id est iuniori Cerbero emissionis præmiũ demittẽtes. tubas uero thyrsis abscondũt, ut Socrates in libro sacrorũ scriptũ reliquit. Simillima quoq; sunt Titanica illa & nocturna orgia Osiridis laniationibus: regressibusq; ad uitã ac regenerationibus: nec minus parentatiões quę ad tumulũ exercent. Aegyptij em̃ multis locis thecas habẽt, in qbus positũ Osiridis corpus memorat, ut supra ostẽdimus. Sic Delphis Dionysi reliquias ex oraculo cõditas putãt: proinde in Apollinis delubro secretius quoddam sacrum perficiunt: quo tempore thyades licniten, id est cistam (utputo) supra caput extollunt. amplius quod Dionysus non solum uino, sed uniuersæ naturæ humectæ iudicio Græcorum præsit, testis mihi Pindarus, Arborum autẽ legem hilarus Dionysus auget perspicuum lumen autumni. Quare Osirim colentibus interdictum est domesticã arborem incidere, fontẽ aquæ effodere. Nec solum Nilum, sed quicquid humectũ est, Osiridis effluxũ uocãt, & pro foribus eius dei perpetuo ritu in honorẽ numinis aquale positum est. Thrio autẽ, id est ficulno folio regem australẽq; plagam describunt. Sed enim thrium propinationẽ & humoris inuectionem interpretantur: quando & particulam seminalem genitalemq; id folium imitatur: quare Pamylitiorum festum agẽtes (ut diximus) quod phallico simillimum est, simulachrum proponunt atq; circunuehunt, cui triplex testiculus inhæret: quòd deus principium sit generationis, & à generatione omnia proficiscantur: & quod ſepe fit, id ter fieri dicatur. Hinc τρισμάκαρον, id est ter beati dicti, & uincula quoq; tria annectunt, innumera uolentes ostendere: ni forte per Iouem & numerus ipse planè ternarius designetur, ut intelligas ab humida natura tanquã omnium primogenia tria prima corpora, terrã scilicet, aerem, ignẽ, prodijsse. Hinc fabula locum inuenit: quòd Osiridis testiculũ Typhon in mare abiecerit, qui ab Iside nunquã inueniri potuerit: in cuius deinde memoriã & simulachrũ & phallos gestari instituerit. Quorundã præterea Aegyptiorũ sic habet oratio: Apopin solis fratrẽ fuisse, & cõtra Iouẽ arma tulisse: quom uero Iouí Osiris suppetias uenisset, hostẽq; in fugã uertisset, à Ioue in filium adscitum ac Dionysum appellatum. Qui sermo fabulosus licet, ueritatẽ tamen naturę attingit: quandoquidem Aegyptij Iouem spiritũ uocant. huic squallens & ignea natura infensa est, quæ non ipse sol planè est, sed cum sole cognationẽ habet. Atquí humectio uim aridam exuccamq; perimit, & exhalationẽ auget atq; confirmat: exhalatione autem uentus coalescit & proflat. Hederam præterea Dionysio consecrarunt, quam Aegyptij chenosirim, id est Osiridis plantam uocitant. Illud etiam memoriæ posteritatis traditum est: Dionysum Isidis filium fuisse ab Aegyptijs non Osirim, sed Arsaphen nuncupatũ: quod nomen ab alpha inchoat, fortitudinẽq; demonstrat: quod & in primo De rebus Aegyptijs scribit Hermęus, Osirim tradẽs impetuosum interpretari. Nunc prætermitto quæ Mnaseas scripsit, Dionysum, Osirim, Serapim Epapho addens: item quæ Anticlides, Isidem Promethei filiam affirmãs, Dionyso deinde copulatam. Nam & celebritates & festa super his habita rem uel sine testibus testatiorẽ faciunt. Ex astris Isidi Sirium tribuunt, utpote aquas inuehentem. Leonem etiã colunt: hiatibusq; leoninis templorum ianuas exornant: restagnat enim Nilus sole primum leonẽ ineũte. Sicut autẽ Nilum Osiridis effluxionem putant

putant, ita & Isidis terram: nec omnẽ quidem, sed eam tantũ quam Nilus irrigauerit semina uegetãs. Ex Isidis itaq; & Osiridis cõcubitu Horum generari tradunt. Est autem Horus qui omnia alit & conseruat, id est ipsa aeris temperies. hunc in paludibus circa Butum & Latopolim educatum ferunt, & profecto ita est. Vliginosa enim & aquis redundans tellus exhalationes alit: quæ ariditates & squallores perimunt. Tum uero Nephthyn uocant oram, id est terrę marginem mare attingentem. Proinde & mortem Nephthyn, quasi uitę terminũ uocauere: quam cum Typhone iungi existimant. Quom uero superfluens exundansq; Nilus ulterius promouet, Osiridem Nephthy aiunt admiscerí: quod ex plantis germinanibus colligunt, ex quibus est melilotum. Tradũt ita Isin legitimo partu Horum, Nephthyn autẽ incerto Anubin peperisse. Atqui in successiõibus regum describitur Nephthys Typhoni nupta primo sterilis fuisse. Quod si de dea, nõ autẽ muliere scribitur, par est ita explicari: ut intelligamus ab initio terram infœcundam infructuosamq; extitisse: Typhonis uero impotentiam & tyrannidem nihil aliud fuisse quàm squalloris uim præcellentẽ, & genitabilem naturã humectationis offocantem. Et illa Aethiopum regina adiutrix non alia fuit, quàm australes spiritus ab Aethiopia uenientes, propellentesq; nubes quas Aethiopiam uersus inducunt etesiæ, unde Nilus suscipit incrementa, atq; eum augescere prohibentes: & tunc Typhon ille luridus uictorq; humentis naturæ extenuatum Nilum coarctat, cogitq; tenuem admodum ac reductum in mare descendere. Hæc est scilicet illa Osiridis in arcam coniectio conclauatioq;, id est aquæ ipsius interitus & occultatio. Proinde Osiridem mense Athyr occidisse ferũt: quo tempore deficientibus planè etesijs, Nilus in alueo redit, ac terra detegitur. Tunc rursus quom nocte intendente & crescẽtibus tenebris lux attenuatur & imminuitur, sacerdotes tum alia faciunt lugubrẽ in morẽ, tum autem bouem pulla ueste, & ea quidem byssina, induentes deę lugenti ostendunt. Bouẽ enim Osiridis imaginem, terram autem Isidis putant. Quæ omnia diebus quatuor post decimamsextã mensis sequentibus, solenniter obeunt. Quatuor enim occurrunt mœroris causæ. prima Nilus decedens: altera boreales flatus reiecti australibus incumbentibus, uictoriamq; reportantibus: tertia dies remittens noctiq; cedens: deniq; terræ denudatio & plantarũ frondes proferentium exilitas. Decima autẽ nona die, noctu stolati sacerdotes ad mare descendunt: & sacram cistam efferunt, aureã arculam intus continentẽ: in quam posculentam aquam fundunt. Interim magnus astantium clamor exoritur, tanquã Osiride inuento. mox aquæ fœcundam glebã immiscent, ingerentesq; aromata ac prætiosa suffimenta, lunæ simile simulachrum effingunt: quod stola exornãt, atq; in medium proferunt. Illos enim deos ad aquæ terræq; substantiã referunt. Iside itaq; Osiridem suscipiẽte, Horoq; nebulis & euaporationibus corroborato, uictum quidem non tamẽ occisum Typhonem. Neq; enim permisit terræ domina aduersam humectationi naturã prorsus deperire, temperiem perpetuam uolens permanere: quando integer mundi ornatus concẽtusq; nullo modo esse potuit ignea ui depereũte. Quòd nisi hæc interpretatio recipiatur, non est quòd Osiridis partes à Typhone antiquitus deuictas admittamus. Mare siquidem olim fuit, quę nunc est Aegyptus. Id testantur conchilia, quæ in metallis & subterraneis hodie montibus inueniũtur. Quin & fontes puteiq;, neq; hi pauci numero, salsam aquam amarulentamq; habẽt, tanquam huc quicquid è prisco mari relictum olim fuit defluxerit: & Pharũ, quam Homerus diei unius cursu ab Aegypto distare dixit, nunc Aegypto coniunctã uidemus. Hæc atq; alia huiusmodi à Stoicis theologice dicta audimus, qui Dionysum genitalem altricemq; uim, & spiritũ qui rebus inseratur, interpretantur: Herculem uero qui percutiendi interscindendiq; facultatem habet, Hammonẽ qui res natas excipiat, Cererem & Proserpinã eum qui terram peruagetur, & fœtus eliciat. Neptunum qui mari percurset. At qui Physica & Astronomica permiscent, Typhonẽ solarẽ effectum, Osirim lunarem arbitrantur. Lunarem quidem genitabilem, humectantẽ & rebus procreandis accõmodatum: solarem contrà ceu purum ignẽ plantarijs & germinationi infensum, magnaq; ex parte terram flammis incultam reddentẽ, & ipsi lunę inimicum. Quapropter Aegyptij Typhonem Seth, neq; unquã aliter uocant: qua uoce uiolen-

uiolentum & pertinax quid intelligũt. Quin & soli Herculem comitem addunt, qui cum eo cælestem ambitum percurrat: lunæ Mercurium. Nam quę ad lunam attinẽt, philosophiæ ac rationi: quæ ad solẽ spectant, fortitudini ac uiolentiæ cõparant. Stoici è mari solem accendi, eoq; enutriri tradunt: at lunam è fontanis palustribusq; locis pasci, ac dulcem & mitẽ euaporationẽ effundere. Atqui decima septima Osiridem perijsse fabulantur Aegyptij, in qua certum ac manifestum ostenditur plenilunium: propter quod eam diem Pythagorei ἀντιφραξιν, id est intersegmentum appellarunt: & hunc omnino numerũ abominãtur. quom enim XVI. sit τετραγωνος, id est quadratus numerus, decem autem & octo altera parte longior: quibus solis inter planos numeros contigit æquas habere cõmensiones: decimus septimus occurrens, utrũq; intersecat: distinguitq; ἐπογδοον, id est superoctonariã rationẽ & interualla inæqualia concisus. annorum uero numerum quibus Osiris regnasse memoratur, octo scilicet & uiginti: ad dies quibus luna suas uices obit, referunt. Et materiam quam in Osiridis sepulchra exornant, in lunarem secant formã: quòd luna soli propinquans lucere desinat, & oculis nostris auferatur. Tum uero in partes XIIII. Osiridem conuulsum cõminutumq; ferũt, eas referẽtes ad dierum numerũ qui inter pleniluniũ & neomeniam, id est nouã lunam intersunt. Diem uero quo se luna radijs solis subducit ulterius abiens, perfectum bonum appellant. Osirim enim tum beneficum, tum fortem, interpretantur. Quin & alterum dei nomen Omphin, ὑφηγητὴν, id est benefactorem exponit Homerus. Putant etiam Nili incrementa ad luces lunæ non care re analogia. Maximum enim incrementum quod fit circa Elephantinã cubitorum octo & uiginti, diebus quibus totum ambitum luna perfecit, cõparatur. Minimum autẽ quod circa Mẽdeta & Xoin sex cubitorum cõtigit, ad lunã δίχομοιν, id est semidimidiatã transfertur. Mediocre uero, quod & iustum est, & circa Memphin annotatur, cubitorum XIIII. plenilunio respondet. Apin etiam imaginẽ Osiridis animatam esse ferunt. Nam & gignitur, & in libidinem concitatur, quom luna firmiorem cõstantiorem q; lucem ad generationẽ nacta est. Habet idem maculas nigras immistas candidis, sicut & luna cum luce non nihil habet obscuritatis. In nouilunio etiam mensis Phamenoth festum agunt, ingressum Osiridis in lunã nuncupãt, quod principium ueris existit. Osiridis itaq; uim, & Isidis generationẽ lunæ tribuunt. Nã & lunam mundi parentẽ, & naturam habere masculofœmineã putant. Nam & sole impletur & concipit, eadem rursus in aerẽ semina & principia quædam genitalia destillat. Nec enim semper corruptio illa Typhonia euincit: quin sæpe uicta & profligata aduersus Horum rursus contendit: quando sic habet inferior hic mundus, ut alternatim corruptionẽ detrimentis compenset, nunquã noua sobole & generatione carens. Nec desunt qui ea quæ ad defectum eorum syderum pertinẽt, fabulæ accommodent. deficit siquidem luna in plenilunio aduersam soli stationẽ habens, & in umbram terræ incidens, ex quo Osirim in arcam detrusum memorant: sed ipsa rursus cum sole paria facit & quasi iacturam compensat, singulis trigesimis diebus, nõ occidens omnino solem, sicut neq; Isis Typhonẽ occidit. Quid uero? quòd enixa Nephthy Anubim, Isis subijcitur. Nempe quòd Nephthys ea est obscuritas quæ sub terra latet: Isis ea lux quæ supra terram emicat. At finitor circulus, quem horizontem uocant, utriq; cõmunis Anubis dicitur: & iure cani cõparatur. Iuxta enim die noctuq; canis uidet: & eã uidetur apud Aegyptios uim habere Anubis, quam apud Grẽcos habet Hecate, cælo scilicet terraq; pollens. Alij Anubim Saturnum existimãt, quòd ex se pariat: & ob id κύων appellatus creditur. Adde quòd antiquitus ab Aegyptijs canis maximos honores meruit: quòd occiso abiectoq; Api à Cambyse ex eo nihil omnino gustarit. Alij obumbrationẽ lunæ in quam delapsa tegitur, Typhonẽ uocauere. Quare par est ut non uni particulatim de ijs scribẽti, sed omnibus collectim fidem habeamus. Neq; enim squallorẽ, neq; uentum, neq; mare, neq; tenebras, sed omne quicquid natura noxium et tabificum est, hoc Typhonis particulam arbitremur. in corporibus siquidem anima carentibus minime par est rerum principia statui, ut Democritus & Epicurus fecit. Neq; mundum infectum opinari decet: neq; unã rationem, unámue prouidentiã materiæ opificem, omnia separantem: qualis fuit Stoi

corum

eorum opinio. Fieri enim non potest, ut ibi quicquam mali sit, ubi deus est causa omniũ: uel quicq; boni, ubi deo nihil fertur acceptũ. Alternus enim ac mutuus est mũdi concentus, sicut lyræ atq; arcus, secundum Heraclíti & Eurípidis sententiã. Neq; seorsum bona & mala consistunt, sed quædam tẽperies & quasi cinnus ex utrisq; moderatus, qui se habet cõmodissime ac pulcherrime. Quę opinio admodum prisca est à Theologis & legum latoribus in poetas ac philosophos profecta, nullum certum habens autorẽ, sed publicæ opinionis fide confirmata, moribus deinde ac sacris tam barbarorum quàm Græcorũ sancita: uniuersum hoc scilicet neq; sine mente, neq; sine ratione, aut rectore administrari: neq; unum rectorem esse, qui ceu ratio clauum teneat, & frena moderetur. Mista enim omnia sunt & cõtemperata malis ac bonis, & ut Homerus scripsit, duo in Iouis limine dolia: quorũ dispensatorem, & ueluti institorem non unum credi par est, sed duobus contrarijs principijs & repugnantibus potentijs erogari: quarũ hæc dextrorsum rectà prouehatur, sinistrorsum illa & oblique deferatur: quorum utriq; hæc uita, & hic mundus obsecundetur: nõ omnis quidem, sed inferior hic, lunæ citimus, terræ proximus, inæqualis, mutationũ & uicissitudinum capax. In qua profecto sententia plurimi sunt, atq; ijdem sapientissimi. Ex quibus nonnulli duos putant deos tanquam cõtrarios artifices, hunc bonorũ, hunc malorum opificẽ. Alij meliorem hunc deum, deteriorẽ illum dæmonem uocant: in qua hæresi est Zoroaster magus, qui annorũ quinq; milibus ante Troianum bellum uixisse traditur. Hic igitur meliorẽ illum Horomazen, deteriorẽ uero Arimanium uocitauit. Eumq; similem luci, hunc obscuritati asserebat: inter hos uero mediũ Mitram adscribebat. Quare Mitrã Persę Mesiten nuncupant: ex duobus uero illis priorem precibus & gratis sacrificijs exorari, alteri amuleta & auertentia deprecãdi gratia, sacra deniq; funesta offerri iussit. Atq; inter cætera statuit, herbam quandam ὄμωμι nomine in mortario conteri: inuocantesq; Ditem & Scotũ, id est tenebrarum numen, admiscentesq; immolati lupi sanguinẽ in locum opacum deferri, eoq; porrici. Ex plantis enim alias boni numinis, alias mali dæmonis esse putãt. Ex brutis etiam canes, aues & terrestres echinos bono, aquatiles uero malo tribuunt: eumq; qui ex illis plures occiderit, inter dæmonas, id est beatos referũt. quin & multa alia de Dis afferunt fabulis propè similia: utputa Horomazen è purissimo lumine: Arimanium è tenebris genitum, & utrunq; inuicem pugnare. Et ex priore deo sex prodijsse. primum beneuolentiæ, alterum ueritati, tertium probæ legi præfectos: è reliquis uero unum sapientiæ, alterũ opulentiæ, postremum deliciarũ suauitatumq; opificem. Aduersus quos Arimanius totidem æquato numero protulisse creditur. Deinde Horomazen ter sese attollentem tantum supra solem euectũ, quantum sol ipse à terra abscessisse: cælumq; astris exornasse, & inter astra Sirium, quasi custodem & speculatorem statuisse, mox alios quatuor & uiginti deos molitũ esse: quos omneis in ouo cõdidit. Tum Arimaniũ ex aduerso totidem procreasse: qui perforantes ouum eodem sese coniecerunt: atq; ita mala bonis immista. Secutũ postmodum fatale tempus, quo Arimanio subducto, pestilentiaq; ac fame deleta, terram æqualem solidamq; factam esse, unamq; felicium hominũ uitam & rempublicam ac dialectũ euasisse. Theopompus etiam asserit magos existimare, hos deos uicissim anno singulo quoq; ter millesimo uincere ac uinci. Ab alijs itẽ credi eos ter mille annos pugnare & cõtendere, atq; alterũ ab alterutro dissolui ac profligari. Deniq; omnia esse ad Ditem referẽda, quo tempore perpetua erit homini felicitas, neq; ullo cibo indigebit, neq; umbrã reddet. Tum demum & deus cõquiescet, & tempora desinent: ceu uero summũ numen more hominis & ocio & somno indigeat. & hæc quidem magorũ cõmenta sunt. Chaldęi quoq; inter planetas duos boni, duos item mali opifices, tres uero medios cõmunes & translatitios dixerunt. Græcorũ etiã placita abunde nota sunt: qui ita mundũ partiuntur, ut alterã partẽ Ioui olympio, alterã depellenti Plutoni tribuãt. ijdem tradunt è Venere ac Marte Harmoniã genitã esse, quorũ hic pugnax, immitis, hęc benigna & generationis adiutrix. Quin & philosophi uidentur cum ijs mirifice conuenire. Heraclitus siquidẽ appellat bellum, patrẽ et regem dominumq; uniuersorum: & Homerum accusat precantem, ut ex superis æquè & mortalibus lis aboleatur:

quasi parum intelligentem, eo modo se generationem omnium execrari: quæ ex pugna atq; antipathia, id est repugnantia, planè constat. Empedocles quoq; amorẽ atq; amicitiã bonorum opificẽ: malorum autem contentionẽ & pugnã uocat: & hæc esse rerum principia affirmat, quæ Pythagorici multis solẽt nominibus appellare. Quandoquidẽ bonum, unum, definitum, permanens, rectum, inæquale, tetragonum, dextrum, splendidum: malum uero binarium, infinitum, instabile, obliquum, æquale, oblongum, siniſtrum, obscurum nuncupãt. ceu uero hæc sint principia generationi subiecta. Anaxagoras mentẽ & infinitum: Aristoteles formã & priuationẽ: Plato itidem quasi cõtraria esse principia coniectãs, hoc ταὐτὸν, id est idipsum, hoc θάτερον, id est alterum appellauit. In legibus uero quom iam esset ætatis ingraueſcentis, nec iam per ænigmata & symbola loqueretur, sed propriis nominibus res exprimeret: non una anima mundum moueri, sed pluribus æqualiter asseruit: quæ tamẽ non essent duabus pauciores: quarum illa bonum, illa bono cõtrarium sectaretur. Addidit etiam tertiã quãdam naturam, neq; inanimatã, neq; irrationalem, neq; immobilem; sed proprio & ultroneo utentẽ motu, uel ut alij putant, ambabus illis prioribus inniti tentem, cupidam ac sectatricẽ eius quod optimum existit. Sed quòd Aegyptia philosophia huic maximè consentanea sit, iam sequentia indicabunt. nam generationem constitutionẽq; mundi huius ex contrarijs potestatibus constare arbitrantur: quæ tamen non æquam paremq; uim habent, quando melior præcellit & primatum obtinet: deterior autem prorsus deperire ac tolli de medio non potest: ceu quæ plurima corpori, plurima animę mundi congenita sit, aduersus potiorem semper decertans. In anima itaq; mens ac ratio bonorum omnium dux & moderatrix Osiris dicitur. Nec secus in terra cæloq; quicquid ordinẽ tẽperamentumq; & ornatum seruat, quicquid horas ac periodos anni tuetur, hoc ab Osiride originẽ imaginẽq; mutuari creditur. Quicquid cõtrà in anima est perturbationibus obnoxium, quicquid à prudentia & sanitate alienum, hoc Typhoni tribui solet. Sic quicquid corporis uel excessus uel defectus causa infestat, quicquid soli adimit lumẽ, quicquid lunæ detrimenta inuehit, omne ad Typhonẽ refertur. Hunc patria lingua σὴθ nuncupant, quod uiolentum atq; infestum designat. Sunt qui etiã Bebæona inter socios Typhonis annumerant, sed Manethus Typhonẽ nomine Bebonem etiã appellauit: quod nomen sufferrationem auersionemq; significat; ceu rebus successibusq; sua uia procedentibus ille sese obijciat & in aduersum auferat. quam ob causam ex domesticis animalibus el maximè indocile, asinum scilicet cõsecratum: ex agrestibus uero efferatissima duo, crocodilum scilicet & hippopotamum. Et de asino quidem abunde suprà. sed enim in Hermipoli Typhonis imaginẽ exprimentes, hippopotamum effingunt: cui accipiter insidet cum serpente depugnans. & hippopotamus quidem Typhonẽ indicat: accipiter uero uim ac potentiam illam qua coercetur ac retunditur Typhonis impetus. Quare qui sacris operantur septima die mensis τυβὶ, quam uocant aduentũ Isidis ex Phœnicia, in placentulis hippopotamum ligatum efformãt. Adde quod in urbe Apollinis sancitum est ut quisq; de crocodilo cõmedat ablegata omni exceptione: uenantesq; ac enecantes quotquot possunt è crocodilis è regione templi proponunt, asserentes quòd Typhon factus crocodilus Horum aufugerit, omnia deniq; animalia infesta, omnes affectus improbos, omnes motus pestilentes Typhoni imputantes. Osirim rursus oculo & sceptro describunt, quorum ille prouidentiã, hoc potestatem testatur. Nam & Homerus consultorem Iouẽ appellans, eius sapientiã prouidentiãq; demonstrat. Pingunt etiã hũc deũ accipitris imagine nõnunq;, tum ob uisus acumẽ, tũ ob alarũ pernicitatẽ: quẽ ferunt cadauerũ inhumatorum oculis terrã inijcere desuper uolantẽ. Descendentẽ præterea ad flumen rectis pennis deferri tradunt: quasi rursus inclinat in latus metu crocodili ad fugam paratus: quod nequãdo improuisus opprimatur, inceſſanter meditari solet. Sed cõmunis & consueta omnibus Osiridis forma ἀνθρωπόμορφος est, humana scilicet effigie & genitali erecto. Sic enim eius uim ad generationẽ educationemq; propensam ostendunt. amictus item flammeus, quo exornantur eius imagines, ad solis corpus refertur: cui uisibilem potentiã tribuunt. Quare & illos aspernari decet, qui solis sphærã Typhoni uendicant; cui splendidum

nihil

nihil, nihil salutare, nihil ordine præditum, nihil generationi aptum, nihil quod modum rationemq; habeat: sed contraria omnia, id est squallida, lurida, obsita, & obscura cõueniunt, quibus multa animantium, multa germinũ enecant: quod minime soli debet irrogari, sed exhalationibus quæ intempestiue & præter rationẽ à terra atq; aere prodeunt aut extinguuntur. Quare in sacris hymnis Osiridem inuocãt in solis ulnis latentem: & die trigesima Epephi mensis festum celebrant, quod natalem oculorum Hori nuncupant: quom sol & luna se rectà cõspiciunt. Ex quo intelligimus, eos nõ solem tantum, sed & lunã Hori oculos putare. octauo autẽ die τῷ φθινοντι φαωφι, id est abeuntis Phaophi, festum rursus agunt, quo baculos solis nasci ferunt: id post autumnale æquinoctium celebrant, sic demonstrantes solem robore ac firmamento indigere. Amplius & bouem sub solstitio hiberno septies circa templum circunducunt, quæ solennitas ζήτησις, id est inquisitio Osiridis uocatur, solem scilicet desiderante. Septies uero templum obambulant, quòd à solstitio hyemali ad solstitium æstiuum sol demum septimo mense pertranseat. Ferunt item Horum Isidis filium omnium primum quarta die consistentis mensis sacrum soli obtulisse, ut in conscriptis Hori natalibus traditum est. Singulis etiã diebus ter suffitu solem ueneran-tur. Sub ortu quidem resina, myrrha quum ad cæli medium peruenit: cyphi autem quom iam declinat ad occasum: quorum omnium mores & rationes enarrabimus: his enim solem coli ac oblectari persuasum habẽt. Sed quid opus tam multa colligere, quom nonnulli Osirim solem esse, & Sirium à Græcis dici, palàm affirment: licet articulus præpositus apud Aegyptios nomen in dubium uocauerit. Sic Isim non esse aliam à luna, simulachrum ipsius fidem facit, corniculatum ad lunæ imitationẽ. Et melanostolię, id est nigrę stolæ, occultationes inumbrationesq; significãt, quibus obducta luna desiderio solis allicitur. Quam ob causam lunã ad amatoria inuocant: sicut & Eudoxus scribit ab Iside philtra & amatoria sumministrari: in quibus nonnihil persuasione dignum est. Qui uero Typhonẽ solem esse contendunt, neutiquam audiẽdi sunt: sed iam nos aliã orationem ineamus. Isis enim ea est uis naturæ, quę fœminina est, & totius susceptrix generatiõis: propter quod ζωωνὴ, id est nutrix, & παν δοχὶς, id est susceptrix à Platone nuncupata est. A multis autẽ μυριώνυμος, id est innumeris honestata nominibus. Nã facile omnes ideas omnesq; imagines admittit: habet enim cõgenitum amorẽ erga id quod primũ ac summũ est inter omnia, quod sanè ipsum bonum est. Ad hoc rapitur, hoc optat, hoc sequitur: quod malum autem est, fugit atq; auersatur. Quom uero amborũ, id est boni ac mali, regio sit & quasi arca, ad id quod melius est semper adlectat. Et ex eo semina, effluxusq; ac similitudines in se concipit, qui lætatur: easq; exhaustas & exolescentes resarcit. Hinc non abre Osiridis animam incorruptã & sempiternã testantur: corpus uero à Typhone discerptum ac laniatũ: & Isidem errantẽ id quærere atq; in artus reuocare. Nam quod perpetuum est, id desultorio ac mutabili multo præstantius: & quas à mutabili imagines sumit, nec perennãt, nec semper eadẽ sunt: sed quasi è cæra sigilla & impressiones ueștigiaq; delentur. Quom has itaq; præter rationem admittit ac mutuatur, tunc aduersus Horum manus conseri dicitur: quem Isis ceu sensibilem intelligibilis mundi imaginẽ progenuit. Ob hoc iudicium super natalibus intentatũ à Typhone effugisse dicitur, ceu ex incesto concubitu natus foret: qualis anima quæ ex sua origine simplex sinceraq;, & ab omni affectu semota, iuncta deinde corpori ad materiam degenerat. Reliquũ est ut de uictorijs Mercurij agatur. ex quibus colligimus rationem præpollere, & quòd natura intelligibili adiuncta mundum procreauit. Quom enim adhuc Dí in Rheæ utero delitescerent, ex Iside Osiris Apollinẽ sustulit. Nam priusquam hic mundus uisibilis fieret & sub aspectum ueniret, prima generatio imperfecta adhuc facta est. Hoc est itaq; quod deum illum captũ oculis natum prodũt, & ob tenebras cæcum: quem antiquiorẽ etiam Horum nuncupant. Necdum enim mundus erat, sed mundi simulachrum & effigies quædam. Hic autẽ Horus, de quo nũc uerba facimus, perfectus atq; absolutus est: nec is quidem omnino Typhonem occidit, sed eius uires fregit conatusq; depulit. Proinde in Copto Hori simulachrum altera manu tenens Typhonis pudenda effingitur. Et Mercurium aiunt euulsos Ty-

phonis neruos pro chordis ac neruijs uti, sic innuētes quòd opifex ratio uniuersum hoc coaptans concentum fecit ex dissonis: & tabificam quidem uim non deleuit, sed repressit ac retudit: ea tamē adhuc licet admodum luxata perturbat, immutat, implicat, mirasq; rebus humanis uicissitudines offert: motusq; aridos excitans terrā quatit: in aere uero importunos spiritus euocās prestteres ac fulmina iaculatur: aquas etiam inficit, & citra lunam cuncta subuertit, pulcherrima ac fulgidissima quæq; conspurcans. sic enim rentur Aegyptij, asserentes à Typhone Hori oculum primo percussum, mox euulsum atq; deuoratum: deinceps tamē soli redditum: quoniam interdum lunam minui, interdum etiā deficere contingit. Quæ omnia detrimenta sol resarcit, quom se ab umbra telluris subduxerit. Cæterū potior natura è tribus constat, intelligibili, & materia, & eo qui ex utroq; coalescit: quē nos mundum, Græci cosmon uocant. At Plato intelligibile nunc ideam, nunc exemplar, nunc patrem: materiam uero matrem, aliàs nutricem, nonnunquam sedem & locum generationis: quod autē ex ambobus concretum est, ἔγγονον, id est progenitum, aut certè generationē solet appellare. Quis uero pro dignitate satis Aegyptios miretur, trigonorum pulcherrimum, id est orthogoniū, uniuersi naturæ comparantes: cui Plato in Republica γαμήλιον διάγραμμα, id est nuptialem figurā æquiperauit. Habet illa triangulum trium linearum ad rectitudinē, quatuor basin, quinq; angulum subdistentū ambeuntibus æquipollentē. Angulum siquidem ad rectas assimulāt mari, basin fœminæ, subdistentum ex utroq; prognato. Osirim itaq; tanquā principium, Isin quasi suscipientem, Horum ceu ab utroq; prodeuntem uenerātur. Et ternarius quidem primus est impar perfectus, ternarius autem tetragonus à latere integro binarij profectus. Quinarius alicubi patri, alicubi matri similis proditur, ex triade scilicet & dyade congenitus. Sic itaq; omnia ad quinarium redigunt. Hinc πεμπάζεσθαι, uerbum de uerbo Quinari, numerare significat: ceu tu dixeris, per quinq; numerū extendere. Reddit autē quinarius ex se tetragonum: quota est apud Aegyptios literarū multitudo: & quoto ætatis anno Apis uiuere desinit. Horum præterea Cæmin uocant, hoc est uisibilem. sensibilis enim & subiectus obtutui nostro mūdus. Isin uero modo μεθ, modo ἄθυρι, modo μεθύδρι, nuncupant: quorum nominū primum matrē, secundum Hori domum mundanam, quam Plato generationis regionē cōceptaculumq; dixit: tertiū cōpositum ex multitudine & causa significat. Ad hāc enim mundi congeriem quod bonū purumq; & ornatū est conuenit: ut non adeo fortè absimile Hesiodus dixerit, prima omnium, chaos, terrā, & tartarum amoremq; statuens: ut terra Isidi, amor Osiridi, Typhoni tartarus respondeat. Nam chaos ipsum quasi stratum & sedimentum quoddam uniuerso subijcitur. Sed hæc de quibus agimus cōmenta, iure suo fabulā quam super amoris natali Socrates in Symposio Platonis confinxit, uidētur expetere. Peniam scilicet, hoc est paupertatē, incessente filiorum desiderio, Poro opulentiæ deo dormienti accubuisse: ex eo concepisse ac peperisse Amorē natura præstantem & ad omnia factum, quod eius patri peculiare ac proprium: ceu qui bonus, sapiens, sibiq; sufficiens prędicetur. Ex matre autē, quæ iners & impotēs, & egestatis causa in alterius semper amorē rapitur, segniciem cupiditatēq; abstulit. Sed enim Porus non alius est, quàm primus ille amator, undiq; absolutus, undiq; integer, sibiq; sufficiens. Peniam uero materiā appellauit, semper indigentem ac bonum expetentem: quo etiam prægnans ac fœta nō desinit semper optare. ex hac mundus & Horus nascitur, non æternus, neq; incorruptibilis, sed cōtinue inhians, semper in generatione procinctus: qui quom innumeras uicissitudines & alternas periodos suscipiat, semper corrumpitur, neq; unquam abolescit. Fabulis itaq; sic uti debemus, non tanquam serijs, sed seria continentibus. Quom materia igitur nuncupatur, non oportet nos quorundam philosophorū opinione abduci: ut inanimatum ac rude ignauumq; corpus quoddā animo cōcipiamus. Nam & oleum unguenti materiā, aurum statuæ dicimus: non quasi inania, sed quasi sedimenta ac statumina superadiuenientis formę. Mentem autē nonnulli locum formarum duntaxat intelligibilium uocauerunt. Sic dea Isis tanquam materia, quam Peniam appellauimus, in amorem ac desiderium Osiridis semper rapitur: incurrente autem Typhone & extrema infe-

stante

ſtante, mœrere ac lugere dicitur, reliquias etiam & fragmẽta Oſiridis, modo legere, modo ſtola contegere ac recondere: quem deinde refectum reſtitutumq́ in artus oſtendat. Nam in cælo & aſtris ſpecies & effluxus dei perennes: in terra uero & mari & plantis cæteriſq́ animantibus diſſipata & latentia uidemus, quom generantur. Quam ob cauſam Typhonẽ & Nephthyn conuenire fabula traditum eſt, & Oſirim clandeſtinum concubitũ exercere: quoniam extremas materiæ partes, quas Nephthyn & Teleuten, id eſt finem uocant, corruptibilis & tabifica potentia maximè inteſtat: genitalis autẽ & ſoſpitatrix perexiguam & languidulam uim habet à Typhone proſligata: ex qua id tantum ſuperſtes manet, quod Iſis aſſumpſit & in fidem recepit. Quę oratio non omnino abſurda eſt. Nam Plato & Ariſtoteles tradunt, id quod eſt in natura generationi accõmodum & ſalutare, ad ipſum atq́ ad exiſtentiam moueri & adniti, contrà quod interneciuũ & tabificum eſt, ab ipſo & ab exiſtentia recedere & obluctari. Quare illud quidẽ Iſin πρὰ τὸ ἰέναι, id eſt ab eundo, prudentẽ ſcilicet naturæ progreſſum appellant. Nec enim barbarum nomẽ eſt: uerum ſicut deis omnibus à duabus uocibus nomẽ eſt, τὸ θεατὸν καὶ τὸ θεοντ☉, id eſt ſpectãdi & curendi ui: ſic deam illam à ſcientia ſimul & motu nuncuparũt: quam Græci Iſin, Iſin etiam Aegyptij dixerunt. Quin & Plato ὁσίαν, id eſt ſanctimoniam, quaſi ἰσίαν uocatam tradit à priſcis: & νόησιν καὶ φρόνησιν, id eſt notionẽ & prudentiã, tanquam mentis ἐμβίωσιν καὶ φοράν, id eſt prodientis & prouehentis excurſum. καὶ τὸ σωΐζεσθαι, id eſt ſcire, & boni uirtutis uis omnis in inueniendo & ſpeculando poſita eſt. Sicut ex aduerſo contraria nomina ijs impoſita ſunt, quæ diuerſam uim, inhibendi ſcilicet & impediẽdi, nacta ſunt: κακίαν uidelicet malicia, ἀκρασίαν impotẽtia, δειλίαν timiditas, ἀνίαν dolor. Oſiris autem ἐκ τοῦ ὁσίου ἱεροῦ, id eſt ex ſacroſancto nomen inuenit. Cõmunis enim hęc appellatio eſt, ijs quę in cælo, & quę ſunt apud inferos: ex quibus illa ἱερὰ, id eſt ſacra: hæc uero ὁσίαι, id eſt ſancta ueteres indigitarũt. At ratio quæ cæleſtia & ſuperiores ambitus oſtendit, Anubis dicitur. Eſt rurſus Hermanubis: ſed ad hunc inferiora, ſicut ad illum ſuperiora pertinent. Quapropter illi candidum gallum, huic croceum immolant. Nam candida ſyncera & lucis plena, at crocea miſta & uaria existimantur. Nec ſanè oportet quenquã mirari huiuſmodi nomina ex Græca ratione efficta, quando & alia innumera ex Græcia demigrarũt, & in hoc uſq́ tempus apud alios hoſpitantur: quorũ nonnulla adeo ab origine degenerarunt, ut eas linguas in quibus ſunt, ceu barbaras notauerint. In Mercurij quoq́ libris, de quibus diximus, ſcriptũ tradũt de ſacris nominibus: & quòd ordinariã ſolis potentiã in permeãdo cęlo Horus quẽ Græci Apollinẽ dicunt, ſignificat. At eam quæ ſpiritu pollet, alij Oſirin, alij Serapin, alij σωθὶ dicunt. Significat autem ea uox prægnationem uel conceptum. Proinde peruerſione nominum facta, Græcis κύων, id eſt canis nũcupatur, aſtrum quod peculiare Oſiri traditur. Sed enim minime oportet uerborum ambitu laborare, non magis quàm Serapidis & Oſiridis apud Aegyptios, quorũ illud externum, hoc Græcum eſt, utrunq́ deum unum, unamq́ poteſtatẽ ſignificãs. ijs comparia ſunt quæ tradunt ab Aegyptijs. Nam ſæpe Iſidem Mineruæ nomine appellãt: quo uerbo ſignificat, à meipſa uenì: ut ultroneã delationẽ intelligas. Typhon uero, ut dictũ eſt, & σὴθ & βεβῶρ & σμὺ nuncupatur: quibus nominibus uim quandam ad prohibendum reluctandumq́ & ſubuertendum factam indicant. Ad hæc ſideritim lapidem oſſa Hori, Typhonis autẽ ferrum uocant, ut Manethus ſcriptũ reliquit. Sicuti enim ferrum perſępe mores patitur, trahiq́ à lapide ac ſubſequi uidetur: ſed & perſæpe retro abit & in aduerſum replodítur: ſic & ſalutaris ille bonusq́ ac ratione præditus mundi excurſus conuertitur: obuiusq́ occurrens molliorẽ facit perſuaſione magis quàm ui, duriciem illam planè Typhoniam. Sed rurſus cohibitus ac retroactus in ſeipſum facultate ſua deficitur. Cæterũ Eudoxus tradit, Aegyptios de Ioue hanc fabulam adferre. Iouem ſcilicet concretis coagmentatisq́ cruribus natũ, ad ingrediendum impotem fuiſſe: quare ob pudorem ſeceſſus ac ſolitudinẽ coluiſſe. Iſis uero diſſecans diducensq́ has corporis partes, nouam ac facilem ad ingrediendum facultatem dedit. Quæ fabula hanc enarrationẽ ſuſcipit: quòd mens ac ratio diuina per ſeipſam inuiſibili atq́ ignoto loco abdita, à motu in generationẽ promoueatur.

Declarat & hoc ſiſtrum, moueri ſcilicet omnia oportere, neq; unquã animi delatio/ ne interquieſcere: ſed quodammodo excitari ac propelli ne pigreſcant, & marcore conficiantur. Aiunt enim Typhonem ſiſtris depelli & effugari: quòd corruptione ac deliquio rerum innitẽte incumbenteq; generatio naturam ſoluit, & motus præſidio uegetat. Superioris autem ambitus ſiſtri facies quatuor quæ mouẽtur, amplectitur. Siquidẽ pars mundi corruptioni & generationi obnoxia ſub lunari globo contine/ tur. In hac omnia agitantur, & uiciſſitudinẽ quatuor elementis capiunt, igne, terra, aqua, & aere. Abſidi autẽ, ſeu curuaturæ ſiſtri in faſtigio inſculpſerunt ælurum ho/ minis uultu præditum. Infra autem ea quæ moueri diſtinximus, alicubi Iſidis, alicu/ bi Nephthyos faciẽ, gemina hac facie ortum & obitum interpretantes: quando hæ ſunt elementorum cõmeantium tranſmutationes. Aelurus autẽ lunam ſignificat, ob uim uariam & in tenebris efficacem prolificamq; eius animalis. Dicitur enim unum parere, mox duo, ac deinceps tria, quatuor, & quinq;, atq; ita ab uno uſq; ad ſeptem enituntur, ut in uniuerſitate ſint octo & uiginti: quot etiã lunæ dies numerantur. Et hoc fortaſſe aliquibus fabuloſum uideatur. Illud uero uiſui patet, pupillas oculorum eius animalis impleri ampliariq; in pleniluuio, rurſus minui atq; hebetari eo aſtro mi nuente. Quòd uero humanam formã habeat ælurus, ex hoc oſtenditur intelligibile ac rationale illud quod circa obuerſiones lunæ uerſatur. Si aũt lubet rem in compen dium conferre, dicemus neq; aquam, neq; ſolem, neq; terram, neq; cælum Oſirin aut Iſin recte nuncupari: neq; Typhonẽ rurſus ignem, neq; ſqualloreẽ neq; mare: ſed quic quid eſt in iſs immodicũ & ab ordine ſeiunctum uel exceſſus uel deliquij cauſa, Ty/ phoni tribuẽtes: quod uero adornatũ & bonũ & cõmodum eſt, quaſi Iſidis opificiũ, imaginem autẽ & exemplar & rationem Oſiridis colentes ac uenerantes, neutiquã peccemus. Alioqui Eudoxum indignũ fide ſinamus ualere: utpote qui dubitet, qua ratione non Cereri rei & materiæ cura iniuncta eſt, ſed Iſidi: & Dionyſum nõ incre mentum Nilo dare neq; mortuis poſſe dominari. Vna enim cõmuni ratione hoſce deos arbitramur circa omnẽ boni portionẽ ſtudere: & quicquid bonum aut elegãs eſt in natura, ab iſs proficiſci. Hunc quidem præbentẽ initio, illam uero ſuſcipientẽ ac diſpertientẽ. Id quod ita eſſe multis & grauibus argumentis contendemus: ſiue il li deſultoriis tẽporum mutationibus uniuerſi, ſiue fructuum prouentibus, ſementi/ bus arationibusq; gaudeant. Quæ Dis iſtis tribuentes dicimus, Oſirin quidẽ huma ri, quom ſatus fructus terra abditur: rurſus autẽ reuiuiſcere & palàm prodire, quom germinationis principium eſt. Propter quod etiam dicitur, quòd Iſis ſentiens parien di tẽpus appetere, amuletũ ſeu preſeruatoriũ medicamentũ aſſumit, ſexta ſcilicet die Phaophi menſis conſiſtentis. In lucẽ autem edi Harpocratem circiter brumale ſolſti tium, & eum quidem imperfectum & iuuenẽ ob ea quæ præpropera ſunt in floren/ do ac germinando. Prioinde prmitias editæ lentis ipſi afferunt, dieſq; partionis cele brant à uerno æquinoctio. Quom enim hæc audiunt aſſentiunt, & fidem habent, ex iſs quę in promptu & cõſuetudine ſunt perſuaſionis argumentum arripientes. Neq; graue quicquam nobis uidetur: primum ſi deos cõmunes obſeruẽt, neq; peculiares Aegyptiorum faciant. Neq; uero Nilum & quam ſolam irrigat Nilus terram his no minibus appellant, neq; paludes, neq; lotos ad diuinitatẽ reuocãtes, aliis hominibus deos magnos auferunt, quibus neq; eſt Nilus, neq; Butus, neq; Memphis. Iſin præte rea & cæteros qui cum ea ſunt, deos habent, & agnoſcunt omnes: nõnullos quidem non iampridẽ Aegyptiis nominibus nuncupare cõdiſcentes, cæterũ eorum cuiuſq; uim ac facultatẽ à primis initiis intelligentes & uenerãtes. Alterum quod eſt maius, quodq; auerſandum eſt & extimeſcendum: ne fugiant nos qui uentos & fluxus, ſe/ mentes arationesq; alioſq; affectus terræ & temporum mutationes deſcribunt, ac re/ ſoluunt diuinitatẽ: ceu qui Dionyſum uinũ, Vulcanum flammã interpretantur. Per/ ſephonem autẽ uocat alicubi Cleanthes ſpiritum fructus peruadentẽ perimentẽq; quin & quidam poetarum de meſſoribus inquit:

Quom primum iuuenes Cererem per membra ſecarent.

Nihil enim hoc intereſt, an ſiquis ueli, funium, & anchoræ nomine gubernatorẽ ap pellauerit: aut per fila & tramas textorem ſignificauerit: aut ſub potionis, aut mulli, aut

aut ptisanę nomine medicum indicauerit. Sed oppidò quàm graues & impias inue
hunt opiniones, qui surdis & brutis inanimatisq; rebus, deorum nomina tribuunt.
Hæc enim deos putare non licet. Nec sanè deus quicq; est, aut exors animæ, aut ho
mini obnoxiũ. Neq; decet ullis utentes rationibus immortalitate illa honestare, alios
apud alios esse deos, seu Barbaros, seu Græcos, seu agẽtes sub australi aut Boreo car
dine. Sed sicuti sol, luna, cęlũ, terra, mare, cõmunia sunt omnibus, aliter aũt apud ali
os nuncupãtur: eadem sanè ratione quom una ubiq; prouidentia ac potestas omnia
alit, sustinet, exornat, alij tamen apud alios sunt ritus lege institutí: alia sunt indigita
menta, alia symbola, obscure quidem à primis autoribus consecrata, sed quorum in
terpretationẽ non facile neq; sine periculo quisquam disquisiuerit. Sic enim nõ pau
ci in superstitionẽ inciderunt: quam rursus alij fugiẽtes multo studio in impietatem
quasi in uoraginẽ imprudentes lapsi sunt. Quapropter oportet è media philosophia
antistitem mysteriorũ peritum & sibi cõstantem accersere, quo pie omnium ęquè di
ctorum & factorũ ratio afferatur: ne quod Theodorus de se aiebat: Quę scilicet ipse
dextra promeret, nõnullos auditorũ sinistra arripere; idẽ nobis eueniat, ut quę leges
recte circa sacrificia & celebritates constituerunt, ea nos peruerse accipientes aber
remus. Ratio enim una omnium imprimis in consilio habenda est. Enimuero nona
supra decimam primi mensis festum diẽ agentes Mercurio, melle & fico uescuntur,
hanc orationis summã facientes, γλυκὺ ἡ ἀλήθεια, dulce quid est ueritas. Sed & Isidis
Phylacteriũ, id est amuletũ, quod ipsi circumijci fabulantur, non aliud quàm ueram
uocem interpretãtur. Harpocratẽ quoq; neq; deum imperfectum & quasi puerum,
neq; aliquod leguminũ existimemus: sed deum iuuenilis adhuc atq; imperfectæ inar
ticulateq; orationis præsidem ac moderatorẽ: ex quo digitum ori admotum habet,
utpote silentij ac taciturnitatis symbolũ. huic mẽse, cui μύσται nomen est, legumina
afferẽtes aiunt: γλῶσσα τύχη, γλῶσσα δαίμων, lingua fortuna, lingua deus. Ex plantis
itaq; quæ in Aegypto nascũtur, deo imprimis perseam consecratã ferunt: quòd eius
fructus cordi, linguæ folium sit quàm simillimũ. Sic etiam ex ijs quę homini propria
sunt, nihil est oratione, de Dis præsertim, ad felicitatem accõmodatius. Hic ergo nõ
absurde, ad oraculum descendenti consulam, sancta sapere, & honesta dicere. Sed e
nim multi in sacris pompis ac celebritatibus bona uerba proclamant, de ipsis postea
Dis peruersa ac detestabilia tum dicentes, tum sentientes. siquis ergo percunctetur,
quomodo ijs sacris utendum sit, à quibus risum ablegamus, mœrorẽ autem & luctũ
afferimus: quid aliud dicam, nisi ut ea ita sinamus, prout ab initio fuerũt constituta:
neq; de Dis nouas opiniões introducamus, absurdis suspitiõibus omnia labefactan
tes. Sedenim apud Græcos multa eodem fermè tempore aguntur ijs simillima, quæ
Aegyptij in sacris operantur. Nàm & Athenis mulieres cibo abstinent in Thesmo
phoriis, atq; humi sedent. Quin & Bœoti τὰ Περὶ ἀχαΐας μέγαρα κινῆσαι, id est Cereris
ædes mouẽt: eamq; celebritatẽ ἐπαχθῆ, id est querula & adgemebunda uocitant: ceu
tunc Cerere ob raptum, & Περὶ κόρης, id est Proserpinæ, descensum in luctu agen
te. Est autem hic mensis circiter pleiadas, sementi præfinitus, Aegyptij ἀθὺρ, Pyane
psionem Athenienses, Bœoti Damatrium, quasi tu Cerealem dixeris, nuncupant.
Theopompus historia sua prodidit, ab ijs qui ad occidentem habitant, hyemem Sa
turnum, æstatem Venerem, uer Proserpinam appellari. Ex Saturno autem & Vene
re cuncta esse progenita. At Phryges existimantes deum per hiemem somno uaca
re, æstate autem euigilare: hyeme quidem κατόυνασμὸς, id est dormitiones, æstate ue
ro ἀνεγερσὶς, id est uigilias, bacchantes excurrentesq; deo celebrant. Sed Paphlago
nes deum coerceri ac uinctum esse per hyemẽ, per uer autem moueri ac resolui me
morant. Nam & ipsa temporis facies seminibus adhuc latentibus suspicionẽ affert,
σκυθρωπασμὸν, id est mœstitiam ac diritatem fieri. Atqui prisci non eos quidem deos
uocabant, sed deorum dona & necessaria & eximia ad uitam minime agrestem & se
rinam degendam. Pro temporũ itaq; uicissitudine, aut quom arbores frondes amit
terent, aut tã delapsis frondibus inhorrescerẽt, alios atq; alios ritus induxerũt: quom
uero semina terra cõmendarent, tum multa faciebant quasi tumulantes, lugentesq;,
& funeri operantes. Præterea sicuti Platonis cõmentarios comparantes, nos nobis

Platonem comparare profitemur:& eum Menandrum imitari dicimus,qui Menandri poemata ſibi proponit imitanda:iuxtà illi deorum nominibus deorum dona atq; opificia non erubeſcunt honeſtare, ab utilitate illis honorem ac ueneratione impendentes. Sed poſtera ætas hęc inerudite arripiens,& indocte peruertens,ſeminũ affectus,prouentus,abſceſſus ac detrimẽta ad deos retulit, deorũ natales & obitus non ſolum uocãs,ſed etiam exiſtimans:atq; ita ſe abſurdis, peruerſis,atq; omnino impijs opinionibus retorſit. Quę imperitia eos nõ modo in Xenophanis Colophonij reprehenſionẽ inducit,qui Aegyptios monebat,ne eos lugerent,quos deos putarent: uel certè ne deos putarent,quos lugendos exiſtimarẽt. Sed quod maiore excipiendum eſt riſu,ſimul lugent & precantur,ut fructus inſtaurent ac ſibi ipſis reparent, ut rurſus aboleant& lugeant. Sed res aliter ſe habet. Siquidẽ ob fructus lugent, deos autẽ largitores & effectores fructuum precantur,ut deperditos farciant, & alios largiantur. Quare apud philoſophos recte dictum uidetur: eos qui non recte audire nomina didicerunt, rebus etiam ipſis peruerſe uti. Sicuti Græci qui æreas & pictas & lapideas deorum imagines non diſcentes neq; aſſueſcentes ſimulachra in deorũ honorem poſita,ſed deos appellare, poſtea nõ erubeſcunt dicere Mineruã à Lachare ſpoliatam, & Apollinem aureis cincinnis excultum à Dionyſio detonſum, & Iouẽ Capitolinum tẽpore ciuilis belli cõflagraſſe & interijſſe. In quem errorẽ Aegyptij,quo ad animalia quę uenerantur,non parũ inciderunt. Nam Græci de ijs melius loquuntur atq; opinantur:columbã ſcilicet Veneri eſſe conſecratã, draconẽ Palladi, coruũ Apollini,canem Dianę. Hinc Euripides dixit,luciferæ Hecates ſimulachrum eſt canis. Plericq; autẽ Aegyptiorum bruta animalia colentes,& quaſi deos ſectantes,non modo res ſacras in riſum & illuſionẽ uocant, quæ minima improbitatis pars eſt: ſed mera & intolerabili aliorum mẽtes ſuperſtitione implicant,aliorum autẽ in ferinam & pudendam impietatẽ trahunt. Ex ijs nonnulla hoc loco perſtringere nõ adeo fuerit importunũ. Nam deos uim Typhonis reformidantes ſeſe immutare,& nũc ibiũ, nunc canum aut accipitrum corpora induere,omnes fabulas,omnia excedit portenta. Tum animas defunctorum quotquot ſuperſtites ſunt, in hæc ſola migrare ac regenerari, ab omni abhorret fide. Quarum rerum qui credibilem & urbanam quandam cauſam afferre ſtudẽt,aiunt Oſirim magnum olim exercitũ duxiſſe, eiuſq; uim ac multitudinẽ in partes multas diduxiſſe, (manipulos atq; ordines Græci uocant) ijs omnibus priuatim inſignia dediſſe belluata atq; animalibus diſtincta,quę poſtea unuſquiſq; ordo in honore habuit & religioſe coluit. Nonnulli autẽ tradunt, eos reges qui poſteriore fuerunt ſeculo,ut ſtuporẽ incuterent hoſtibus,priores ferarũ partes ipſaq; ora nunc auro nunc argento confecta in pugna geſtauiſſe. Alij rurſus memorię prodiderũt,prægrauem quendam ac ſceleratũ regem, quom didiciſſet Aegyptios natura quidem leues, & ad cõmutationes ac res nouas moliendas præcipites, cæterũ imbelles æquè atq; infrenes eſſe,ob multitudinẽ neq; ſapere neq; in medium cõſulere aſſuetos,immanẽ hanc & æternam ſuperſtitionẽ eis iniecíſſe, perpetuq; inter eos diſcordiæ ac ſimultatis cauſam:feras ſcilicet quas alias alijs colẽdas obſeruandasq; conſtituit,diſſidentes inuicem ac inimicitias gerentes: tum alijs alium cibum præfiniſſe. At illi inferentes ac reponentes iniurias, non intelligebant ſe ferarũ gratia depugnare & ſimultates exercere. Nam ſoli Aegyptiorum ad hanc diem Lycopolitæ ouem guſtant, in lupi ſcilicet gratiam,quem deum putant. Oxyrynchitæ autem noſtra ætate, quòd Cynopolitæ oxyrynchum piſcem ſibi cibum fecerint,canes arripientes atq; immolantes tanquã ſacrificium comederunt:qua ex re utriq; in bellum exarſerunt,ſeq; inuicẽ mutuis cladibus inclementer affecerunt, donec & à Romanis male multati à contentionibus deſtiterunt. Enimuero quom multi aſſerãt Typhonis animã in hæc animalia abijſſe ac diſſipatã eſſe,par eſt ut hæc fabula ad expli
cationem uocetur. omnis enim natura irrationalis atq; efferata, quaſi pars quædam à malo genio auulſa exiſtimatur. Illum itaq; demulcentes ac propiciantes, id genus animalia uenerantur & colunt. Quòd ſi grauis aliquis & immodicus ſqualor ac cæli intemperies inciderit, & exitiales morbos uel alias calamitates inſperatas atq; inexpectatas attulerit, ſacerdotes ex ijs animalibus quæ in cultu habent quædã per ſilentium

lentium & quietē in obscurum locum perducentes primo cōminantur ac perterrēt. Quòd nisi ea calamitas desierit, tum demum iugulant & sacrificant: ita se opinantes dæmonis iniuriam ulcisci, aut alioqui magnā quandam expiationē maximis necessitatibus adhibere. Siquidem & ἐν ἰδιθύας πόλει, in ciuitate Idithiæ agentes, homines cremabant, eos Typhonios uocantes: ut Manethon in historijs scriptum reliquit. eorūq; cineres dispergebant atq; abolebant: quod & palàm fiebat, & certo anni tempore, canicularibus uidelicet diebus. Sed eorum animaliū quæ religiose habent, immolatiōes arcanæ sunt: neq; statis tēporibus, sed prout rerum euentus cōmonuerint. Quare multos latent, nisi quom tumulos habent. Tunc enim in conspectu omnium alia ostendunt, alia coniectura assequuntur, hac inducti opinione: quòd ita Typhon uicissim molestia afficiatur, & uoluptatē quam male agendo acceperit, male audiendo amittat. Nam Apis & alia quædam pauca pertinere ad Osiridē, & ei sacra existimantur: at illi plurima tribuunt. Et si uerus hic sermo, puto ad Osiridē pertinere quę ex confesso cōmunes honores habent. Exempli gratia, ibis, accipiter, cynocæphalus, & hic ipse Apis & Mendes: sic enim in Mendite hircum uocant. Ad animalium autem cultum utilitas pariter & symbolum seu significatio desideratur: quorum nonnulla altero, nonnulla utroq; carent. Sanè constat bouem atq; ouem & ichneumonem utilitatis ac beneficij gratia in cultu fuisse. Sicuti Lemnij colunt corydos, id est alaudas, quòd oua locustarum scrutentur & perfringant: Thessali ciconias, ꝙ multos serpentes terra prodeuntes perimant. proinde lege constitutū, ut qui ciconiam occiderit, solum uertat. Cæterū aspidē, & galen, id est mustelam, & cantharō, id est scarabeum, imagines quasdā sibi ipsis obscuras ad deorū uim significādam ceu per solis stillicidia contemplantes proposuerunt. Galen enim, id est mustelam, multi putant & testantur auribus cōcumbere, ore partū edere: quæ imago natales sermonis ostendit. In scarabeorū autē genere non esse fœminam, sed omnes mares, atq; in rotundam sphęricamq; materiē genituram immittere, quam cessim & in contrarium impellentes conuoluant, ad solis symbolum uidetur spectare. Nam sol uidetur cælum in aduersum circumagere, ab occidente scilicet in ortum deuoluens. Aspidem autē tanquā à senecta immunē, & ad motum nullis utentē instrumētis, utpote apodem & lubrica faciliq; conuolutione se contorquentē, astro compararunt. Sed neq; crocodilus sine causa uerisimili ac plena persuasionis honorem nactus est. Ad summū enim numen quandam habet imitationē, utpote ex omnibus unus elinguis. Neq; enim sermo diuinus uoce indiget: & per mutam & silentē uiam ac iustitiam ascendens, ad uocalem iustitiā perducit mortalia. Solum autē ex ijs quæ degunt in humido, à fronte tenuē ac perspicuam quandam pelliculā deducere tradunt, & uisum obtegere: quasi non uisus uideat, quod primo numini planè congruit. Vbi uero crocodilus fœmina peperit, ibi terminum incremēti Nili futurum agnoscunt. Quom enim in humido partum edere non possint, procul autē non ausint: id seruant tēperamentū, ut exacte futurum incrementū præsentiant, & à partu neq; uicinitate offendantur, neq; ob distantiā fluminis beneficio uti nō possint, & ipsa tamē oua loco inhumecto ac sicco custodiantur. Sexaginta autē catulos pariunt, & totidem dies cessant: totidem etiā uiuunt annos qui plurimum uiuunt: quæ dimensionū prima est ijs qui cælestia speculantur. Sed iam de ijs agendum, quę propter utrunq; uenerationē sunt assequuta. Et de cane quidē superius dictū est, sed ibis perimens serpētes noxios ac letales, prima omnium edocuit spectatores naturæ usum medicæ euacuationis, sic ipsa se ipsam pelluens ac expurgans. Itaq; qui sunt ex sacerdotibus legum obseruantissimi, sese expiantes expurgatoriam aquam sumunt, unde ibis potauit. Neq; enim potat uel morbosam uel impurā aquam, sed neq; etiam permeat. Pedum autē inuicem digressu & rostro æquilaterum facit triangulum. nigrarum pręterea pinnarum circa albas uarietas & cōmistio lunam ἀμφίκυρτον, id est utrinq; exturgentem, præ se fert. Neq; uero mirādum est, quòd Aegyptij & Græci hasce adeo leues ac tenues similitudines amauerint. Nā & alij multis huiusmodi tum inscriptis tum efformatis deorum imaginibus usi sunt. Quale apud Cretas Iouis simulachrum auribus carens. Dominatorē enim & principem omnium neminē decet audire. Mineruæ

autem

autem ſimulachro Phidias draconem adiunxit, Veneri autẽ quæ in Elide colitur te-
ſtudinem: quòd uirgines cuſtodia indigeant, uiro autẽ coniunctas & domeſtica gu-
bernatio & ſilentium imprimis deceat. Neptuni autẽ tridens tertiæ regionis ſymbo
lum eſt, quam mare occupat, utpote poſt cælum atq; aerẽ coordinatæ: propter quod
etiã & Amphitritẽ & Tritones ſic appellarũt. Pythagorici autẽ numeros & figuras
deorum honeſtarunt appellationibus. Nam triangulum æquilaterũ uocauerunt Mi
neruam κορυφαγωγὸν καὶ τριγωνίαν, id eſt uertice natam, & trigoniam: quoniam à tri
bus lineis ad perpendiculum ductis ex tribus angulis diuiditur. Vnum Apollinẽ di
cunt, uel quòd unus Apollo ſit, uel quòd duplicata unitas incipiat degenerare. Si-
quidem binarium contentionẽ & audaciam uocitant, iuſticiam uero ternione ſigni
ficant: quòd iniuriã facere & iniuriam accipere, à defectu & exceſſu proficiſcatur: iu
ſtum uero quod ęqualitati debetur, in medio uerſetur. Sed qui dicitur quaternio, ma
ximum erat iuſiurandum, ut uulgatum eſt: & mundus appellatur, utpote conſtitutus
& abſolutus ex quattuor integris & exæquatis: item ex quatuor ſuperfluentibus
in idem utrinq; coaleſcentibus. Siquidem opinatiſsimi philoſophorum in rebus eti-
am anima & corpore carentibus nihil oſcitanter prætermittebant, nihil aſpernaban
tur: ſi modo in ijs uel obſcuram aliquã diuinitatis ſpeciem annotarent. Quod multo
magis fieri conſentaneum in ijs quæ ſenſu & anima prædita ſunt, quæq; affectus &
mores habent, quom in ijs certè proprietates naturæ obſeruentur. Non igitur ijs fa
uendũ qui hæc uenerantur, ſed qui modeſte opinantur, in ijs diuinitatẽ quaſi in ful-
gẽtiſsimis naturæ ſpeculis eluceſcere, & hæc eſſe ueluti inſtrumẽta ad artificia quæ-
dam late omnia exornantis dei. Nihil enim par eſt inanimatum animato aut exors
ſenſus ſenſili melius exiſtimare, uel ſi omne aurum omnisq; ſmaragdus unum in lo-
cum conuehatur. Neq; enim in coloribus, neq; in figuris, neq; in ſcalpturis diuinitas
inſita eſt. Turpe enim eſſet, ea quæ neq; uitam neq; ſenſus participant, & extrema
naturæ conditione damnata ſunt, honores cõmereri: quæ aũt uiuũt ac uident, & mo
tus principium ex ſe habent, & uim tenent ſe ac alia cognoſcendi, contemni: quom
ea defluxum ac participationẽ mutuentur ab eo ſummo numine, quod ſolum ſapit,
quo uniuerſa gubernantur, ut inquit Heraclitus. Non ergo ineptius neq; inconcin-
nius ijs quæ diximus, diuinitas exprimitur, quàm æreis ac lapideis opificijs, quæ
coloribus illinuntur, & corruptiones ſuſcipiunt, ſenſu autẽ & cognitione prorſus ca
rent. De animalibus igitur quæ in cultu habentur, hæc à nobis quæ dicta ſunt maxi
mè probantur. Stolę autẽ Iſidi uariegatæ & ex cortina uarijs infectæ coloribus iure
tribuuntur. Nam Iſidis uis circa materiẽ omnia generantem ac ſuſcipientẽ uerſatur,
lucem ſcilicet, tenebras, diem, noctem, ignem, aquam, uitam, mortẽ, principium ac
finem. Oſiridis autẽ ſtolę non habent umbrã, neq; uarietatem, ſed unum ſimplex lu
ci ſimillimũ. Simplex enim & impermiſtum eſt principiũ, quod primum eſt & intel-
lectile: unde ſemel hæc mutuantes, illud ſeponunt & cuſtodiũt inuiſile & intactile.
atqui Iſiacis utuntur frequẽter. quæ enim obnoxia ſunt ſenſibus, in crebro uſu ſunt
& quodammodo ſub manu poſita: multisq; modis ſub tactũ & aſpectũ uocantur, ali
terq; atq; aliter mutatiões & uiciſsitudines patiũtur. Eius aũt quod intellectile, quod
ſyncerum, quod ſanctum eſt, cognitio tanquã fulgetra promicans ac trãſuolans ani-
mæ, olim ſemel uidendi ac tangẽdi uim accepit. Ob id Plato & Ariſtoteles hanc phi
loſophiæ partẽ ἐποπτικὸν, id eſt ſpectatricẽ uocãt, utpote qui opinabilia & miſta, &
confuſanea hæc omnia rationi tribuãt, & hinc ad illud primum, quod ſimplex eſt &
ab omni materia ablegatum, trãſiliant: alioqui circa ipſum puram ueritatẽ attingen-
tes, in quo perfectum finem aſſequi philoſophiam opinantur. Et hoc eſt quod noſtri
tẽporis ſacerdotes è ſanctuario educẽtes & retegẽtes religioſe oſtendunt, quaſi deus
iſte regnũ & dominatum habeat in mortuos, non utiq; alius ab eo quem Ditem &
Plutonem Græci nuncupant. Quod ſi uerum eſt, multos perturbari par eſt, ſuſpican
tes in terra ac ſub terra ſacroſanctum Oſirim uere habitare: ubi eorum corpora con
duntur, qui iam uideri deſinunt. Eſt autẽ ipſe ab omni terræ contagio ſemotus, om-
nis labis immunis, purus ab omni ſubſtantia quę ſolutionem ac interitum admittat.
Dum uero mortalium animæ in hoc carcere corporis affectibus agitantur, nulla eſt

nobis

nobis cum deo cõmunio, nisi quantum præsidio philosophiæ quasi per obscurum quendam somnum attingimus: quom autẽ solutę transmigrarint animæ ad illud informe & inuisibile, & sanctum ab omni motu & affectu abdicatum: hic ipse deus seducem & regẽ offert, ex quo animæ quasi dependentes, insatiabiliter cõtemplantur & inhiant ad pulchritudinẽ, nulli mortalium neq; fando auditã, neq; oratiõe expressam. Cuius amore succensam Isin eum sectari, cum eo uersari, eo deniq; expleri quęcunq; apud nos boni pulchriq́; participant, priscorum monumẽta testantur. Et hæc quidem sic se habent, deorum sermoni planè consentanea. Si uero nobis reliquum est de ijs uerba facere, ut me facturũ recepi, quæ ad suffimenta pertinent, quæq́; diebus singulis euaporãtur: illud quoq; præfari par est, semper homines multũ studij circa salutis curã conseruationemq́; impendisse: maximè autẽ sacrificijs & castimonijs & ratione uictus non minus sanitatẽ corporis quàm sanctitatẽ animi curasse. Neq; enim bene habere existimabant, purum illud & innoxium atq; impollutum uel corporibus uel animis saniosis atq; morbosis colere. Quoniam igitur aer quo plurimum utimur, & immoramur frequenter, nõ eandem semper habet dispositionẽ ac temperiem, sed noctu densatur, & corpus premit: animamq́; in mœrorẽ & cogitatũ perducit, quasi caligine oppressam & grauem: surgentes protinus resinam succendunt, ea distinctione aerem curantes & depurgãtes, & insitum corpori spiritum languidum refouentes. Habet enim odor ille uehemens quiddam & depulsoriũ. Quom rursus meridie sentiãt multam & grauẽ euaporationem à terra ui solis euocatam, cõmiscentes aeri myrrham alia euaporatiõe tẽperant. Calefactio enim dissoluit ac proscindit quicquid est in ambeunte aere cœnosi ac perturbati. Etenim medici ad pestilentes contagiones opem afferentes, flammã multam succendunt, utpote aerem attenuantem. Multo autẽ melius attenuant, si odorata ligna comburant, cupressi scilicet, iuniperi aut pinus. Sic Acronem medicum ferunt Athenis, scilicet magna illa pestilẽtia sæuiente, ignes succendi iussisse, atq; ita non paucis ægrotantibus subsidium attulisse. Sic Aristoteles asserit unguentorum, & florum, ac pratorũ suaues & bene odoratos afflatus nõ minus ad sanitatem quàm ad uoluptatem conferre. Quom enim cerebrum sit natura frigidum & gelu concretũ, eorum calore ac lenitate sensim diffunditur & excitatur. Quin & apud Aegyptios indigenę myrrham βὰλ solent appellare: quòd ipsi patria lingua τὴν λῃρούσεως ἐκσκορπισμόν, id est dementiæ discussoriũ, interpretantur. quę interpretatio causæ, quam modo attulimus, planè testimonium reddit. Est & cyphi, cinnus & cõmistio ex sexdecim rerum minis composita: melle scilicet, uino, uua passa, cypero, id est iũco quadrato, resina, myrha, aspalatho, seseli, iunco rotũdo, odorato, bitumine, bryo, id est musco, lacaphtho, ad hæc utraq; iunipero: ex quibus hanc maiorem, illam minorẽ uocant: item cardamomo & calamo. cõmiscentur autẽ hæc nõ temere neq; promiscue, sed ordine sacris literis tradito, & seplasiarijs ad hanc ipsam compositionem præscripto. Eum uero imprimis numerum probauerunt, quòd sit è quadrato quadratus, & solus habeat numerũ circuncursantem in ambitu interiori regioni parem. Ad hoc aũt confert multorũ aromatum confusio, quibus odorata & pigmentaria uis inest, quòd leniorem spiritum reddunt, & proba euaporatione cõmendantur, qua demum aere immutato corpus etiã immutari oportet: & ad nos subinde perueniens, temperiem conciliat clementem & salutarem. Curas etiã sine periculo ebrietatis depellit, & quasi animi uincula exoluit: partemq́; imaginum & somniorũ susceptricem quasi speculum abstergit. neq; minus ad puritatẽ reuocat, quàm lyrę pulsus, quibus ante somnum Pythagorici utebantur, sic animi partem affectibus obnoxiam & à ratione auiam excantantes & tempestiue procurantes. Olfactoria enim & odorata plerunq; deficientẽ sensum reuocãt & instaurant: sæpe etiã hebetant & reprimunt, diffusis scilicet ac suspensis in corpore obleuitatem spiritibus. Sicut & nonnulli medicorum tradunt somnum fieri, quoties alimenti euaporatio leniter circa intestina obrepens quandam inducit titillationem. In usum autẽ uenit cyphi & potu & allitu: siquidem epotum quæ intus sunt depurgat, allitum autem emollit. Præterea resina opus quidem est solis, myrrha autẽ ad lunam pertinet, utpote quæ & ex plantis distillantibus ad lunã emanet. Ex ijs uero quæ ad

condien-

condiendum cyphi conueniunt, nonnulla noctu magis gaudent: ceu quæ frigido aſflatu, umbraq; & rore & humore ſuapte natura educantur. Quippe lux diei & una eſt & ſimplex: & Pindarus ait ſolem per merum & aſſum ſolitarium aerem perſpici. Atqui nocturnus aer multis luminibus multaq; ui confuſus eſt atq; permiſtus: utpote ſeminibus ex quoq; aſtro in unum cõfluentibus. Par eſt igitur illa quidẽ, ceu ſimplicia & à ſole originem mutuantia, noctu: hæc autem ceu miſta & uariis qualitatibus confuſa, ineunte nocte euaporari.

AMPLISSIMO VIRO DOMINO IOANNI LANgiaco, epiſcopo Lemouicenſi, Chriſtianiſſimi regis oratori, Cælius Calcagninus S.

E TSI ego mihi grauẽ aduerſariam conſtitutã uideam Antiſtes ampliſſime, tuam de me expectationẽ, eamq; opinionem, quam de ſtudijs meis concepiſti, cui ſatisfacere pro eius magnitudine arduum ſit ac perdifficile: facit tamẽ incredibilis mea erga te obſeruantia, ut uel cum periculo exiſtimatiõis, nihil poſsim tibi tam ſtudioſe atq; amanter petenti negare. Extant enim tot tui erga me animi teſtimonia, tot officia, ut ferreus planè ſim, omniumq; ingratiſsimus, ſi cunctanter ac parũ accurate tuo reſpondeam deſiderio. Mihi enim hoc imprimis proſpiciendum eſt: ut quo minus mihi ſuppetit facultas obeundi quæ à me poſtulaſti, hoc magis uoluntas obſequendi adfuiſſe intelligatur. Mitto igitur præfidẽtius fortaſſe quàm oporteat: in Ciceronis libros De officijs diſquiſitiones aliquot, quas in gratiã Alberti Bendedei uiri grauis & ſpectatæ prudentiæ proximis menſibus luſeram. Quod ſcribendi argumentum poſſet exiſtimari inuidioſum, ſi in eorũ manus peruenirent, qui parum candido animo aliena ſcripta metiuntur. Darent enim uitio quòd in Ciceronem auſus ſim ſtylum perſtringere, & ſacroſancta illius uolumina licẽter nimium attrectare. Graue etiam in me iudiciũ excitarent: quòd publicum latinę eloquentiæ parentẽ minus reuerenter quàm par fuerit ſalutauerim. Quibus ego facile reſpondere poſſum, ad illud faſtigium Ciceronis gloriam peruenìſſe, quò neq; inuidia neq; obtrectatio cuiuſquam graſſari poſsit: tamq; eſſe ſummi illius ingenij felicitatẽ, ut ſua ſe à telis impetentiũ maieſtate tueatur: neq; laude augeatur, neq; uituperatiõe imminuatur aliena. Ego uero is ſum, qui non ſolum ad tanti uiri fulgorẽ me fatear caligare, & religioſe ingenij faſces ſummittere: ſed me felicẽ futurum putem, ſi quando tenui & infirmo hoc meo penicillo tam elegantis tamq; admirabilis formæ umbras & lineamenta aliquot expreſſero. Et ut uerum loquar, fuit ille ipſe mihi hortator Cicero ut hęc ſcriberem: qui decertandum cum optimo quoq; omnibus ijs perſuaſit, qui ad aliquam dicendi frugem nituntur peruenire. Cicerone autem quem maiorẽ putem? quem magis admirer? cui plus laboris impendam? Pateſacit hoc meum cõſilium ipſe titulus cõmentationis, cui Diſquiſitionum nomen feci, quo ex profeſſo multa in dubitationem uocantur, nihil certò decernitur. Sed enim res bene habet, hoc omne onus defenſiõis ac patrocinij mihi tum primũ ademi, quom tuum nomen meis commentationibus præfixi: cuius auctoritate, non modo calumnijs, ſed iuſtis etiam accuſationibus locus pręcludi poteſt. Tametſi hoc ipſum quicquid eſt quod ad te mitto, tam ſancte apud te adſeruatum iri opto, ut nullius in uoculas aut manus incurrat: neue alio in ſanctuario recondatur, quàm quo ſolẽt amicorũ recondi munuſcula, quæ non ad ſpeciẽ, ſed ad ſignificationem amoris dari ſolent: ut ſint non precij ac fortunæ, ſed familiare tantum beneuolentiæ monumentum. Bene uale pater eminentiſsime, & Cælium ama tui obſeruantiſsimum. Quinto Calendas Decembris.

M. D. XXXV. Ferraria.

CIO ego q̄ difficile sit grauissimo iudicio tuo satisfacere: ut uix quic-
quam sit tam exactū, cui censura tua notā non præfigat. Quos ergo tu
S risus, Diboni, excitabis? quom me hominē mediocris literaturę in Offi
ciis Ciceronis ingenioſum esse uoluisse senties. Eris tamen aliquanto
in me fortasse æquior, si tecū cogitaueris hæc me non antea scripta uo-
luisse, quàm tu loca aliquot Ciceronis in disquisitionem uocaueris, quin & uniuer-
sum tertium de Officijs librum in ordinem redegeris. Nullo enim alio inuitamento
allici poteram ut tantū insanirem, nisi tu prior hoc mihi iter quasi præmunisses, atq̄
hanc feneſtram aperuisses. Quare aut tute mihi æquum iudicē præbebis, aut ego tu-
um in te exemplum regerā: ut uel utrunq̄ noſtrū eodem iudicio absolui, uel utrunq̄
damnari sit neceſſe. Bene uale.

DISQVISITIONES
ALIQVOT IN LIBROS OFFICIO-
RVM CICERONIS, CÆLIO CAL-
cagnino autore.

RIMO mihi titulus nō planè satisfacit, De officijs. Nam I
plenius atq̄ uberius De officio existimassem, sicuti & Pa-
nætius inscripsit, περὶ τοῦ καθήκοντος. Nec me fallit, Cice-
ronem libro XVI. Epistolarum ad Atticum ex professo
P hanc inscriptionem magis probasse, ceu pleniorem. Sed
suæ sententiæ nullam rationem affert. Quare nulla eum a-
lia causa motum ad titulum immutandum arbitror, quàm
ut à Panætio euariaret: cui palàm reclamat, quo iure, quá
ue iniuria se illi offerat occasio. Quare quom in uniuersum
de eo quod ad hominem pertinet, quodq̄ agi deceat in omni uitæ genere, his libris
pertractet Cicero: non autē ad aliquarum personarū officia & functiones se obstrin
gat: multo plenius est, multoq̄ latius propositum Ciceronis complectitur officium,
quàm officia. Sicut de situ terræ quàm terrarum libentius geographicos meos inscri
pserim. Sic de imperatoris officio rectius liber inscribatur quàm imperatorū, in quo
in uniuersum præscribatur, quid imperator agere debeat, & qua ratione imperatori-
am potestatē administret. Contrà, uitas imperatorum, & de imperatoribus cōmen-
tarios nuncupauerim, quibus non omniū, sed aliquorū gesta comprehendam. Sunt
enim nonnulla uerba, quæ in numero unitatis uberius quid significent, quàm in nu
mero multitudinis. Ad hoc exemplum titulum quoq̄ De finibus bonorū & malorū
immutauit, quē Zeno περὶ τέλους, mea quidē sententia multo cōmodius inscripserat,
ipso etiā Cicerōe assertore, qui in tertio De finibus inquit: Quom enim hoc sit ex-
tremū: sentis enim credo me iam diu quod τέλος Gręci, id dicere tū extremū tū ulti
mū tū summū: licebit em̄ finē pro extremo aut ultimo dicere. Quom ergo hoc sit ex-
tremū cōgruenter naturę cōueniēterq̄ uiuere, necessario sequit omnes sapiētes sem
per feliciter, absolute, fortunate uiuere, nulla re impediri, nulla prohiberi, nulla egere.

Idem se definiturum officiū pollicetur, quod à Panętio prætermissum fuisse mira- II
tur. Nec tamen ego uideo eum præstitisse quod pollicebatur. nam protinus officij di
uisionē, nō definitionē aggredit. Omnis, inquit, de officio duplex est quæstio. Quo
loco obseruandum est, Ciceronē ueritate coactum de officio, non autem de officijs
quæstionē proposuisse: & mox rursus ita cōscripsisse: Atq̄ etiam alia diuisio est offi
cij. Differre autē diuisionem à definitione nemo est tam ignarus dialecticæ, qui ne-
sciat, uel ipso Cicerone autore in Topicis. Nam iusta definitio è genere ac differen-
tijs cōstat, nec ad definitionē accersenda est diuisio, nisi forte in æquiuocis, ne in so-
phistarū laqueos incidamus. Nec mihi argutator aliquis obijciat, diffinitionē & defi

nitionem differre, prioreḿq illam ad diuiſionem magis, id eſt διαίρεσιν, quàm τὸν ὁρισμὸν ſpectare. Nam hanc ſibi Cicero defenſionem ademit, quom ex Platonis imitatione dixit: omnem quæ à ratione ſuſcipitur aliqua de re inſtitutio, debere à definitione proficiſci: ut intelligatur quid ſit id de quo diſputetur. Ideḿq in Topicis: Finitio eſt, inquit, quæ id quod definitur explicat, quid ſit. Cuius etiam inueſtigādæ rationem docte enarrat. In definiendo enim ille ordo ſeruandus eſt, ut quom ſumpſerimus ea, quæ ſunt rei quam definire uelimus cũ aliis cõmunia, uſq; eò perſequamur dum propriũ efficiatur, quod nullam aliã in rẽ trãsferri poſsit. Ob id ergo ſubijci debuit, officium eſſe actionẽ in omni uita cum uirtute ac ratione cõiunctã. Actio, genus eſt. In omni uita, tam eam officij partẽ complectitur, quæ ad finem bonorum, id eſt felicitatẽ adipiſcendam: quàm eam quæ præceptis conſtat. Cum uirtute, differentia. Quod quicquid à uirtute abiunctum eſt, ab officio longe abſit & ratione. Altera differentia cõmunem hanc uitam attingẽs, in qua decorum, id eſt τὸ πρέπον requiritur. Nihil enim agendum eſt, cuius probabilis ratio afferri nõ poſsit. Totus aũt hic locus à Cicerone erutus eſt ex Phædro Platonis, apud quẽ ita Socrates loquit: πρὸς παντὸς μὲν ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύσεσθαι, εἰδέναι σαφῶς, περὶ ὅ ἂν ἡ ἡ βουλή, ἢ παντὸς ἁμαρτάνειν ἀνάγκη. ὧδε γὰρ πολλοὶ λέληθον ὅσα γε ἴσασιν τὴν οὐσίαν ἑκάστου. ὡς δὲν εἰδότες, ὁμολογοῦντες γὰρ ἐν ἀρχῇ τῆς σκέψεως, προελθόντες ἧττον τὸ εἰκὸς ἐκφεύξονται, ὅτε μὲ ἔλαθον, ὅτε ἄλλοις ὁμολογοῦσιν. Iis q recte atq; ordine cõſulere uolũt, unũ eſt omniũ principiũ, cognoſcere quid illud ſit quod in conſultationẽ uenit, aliàs error accidat oportet. Nã pleriq; neſciunt ſe rei cuiuſq; propoſitæ ſubſtantiã ignorare, ſed quaſi ſciãt & perſpectam habeãt, in ipſo diſceptationis initio eam declarare nõ curant. In progreſſu igit orationis, quod par eſt, ſubſequitur: ut multa nec ſibi nec alijs conſentanea loquantur. De hoc loco nuncupatim meminit Cicero in ſecũdo De finibus. Omnis autẽ in quærendo, quæ uia quadam & ratione habetur oratio, præſcribere primum debet, ut quibuſdam in formulis ea res agat: ut inter quos diſſeretur cõueniat, quid ſit id de quo diſſeratur. Hoc poſitum in Phædro à Platone probauit Epicurus: ſenſitq;, in omni diſputatione id fieri oportere. Iureconſulti atq; oratores non temere ſe definitionibus obſtringunt, exiſtimantes eas plerunq; ſubuerti ſolere: ex quo fiat, ut quicquid ijs fuerit ſuperſtructum, protinus concidat. De qua re ita Vlpianus libro quinquageſimo Digeſtorum: Omnis definitio in iure ciuili periculoſa eſt. Rarum eſt enim ut non ſubuerti poſsit. & Quintilianus libro ſeptimo: Rariſſima enim apud oratores reperietur illa ex conſuetudine philoſophorũ dicta ſeruitus. eſt enim certa ſeruitus, ad certa ſe uerba obſtringendi. Idq; faciendum in libris Ciceronis De oratore uetat M. Antonius. Nam eſt etiam periculoſum, cum ſi uno uerbo ſit erratum tota cauſa cecidiſſe uideamur. Optimaq; eſt illa uia qua utitur Cicero pro Cecinna: ut res proponatur, uerba non periclitentur. Cato apud Ciceronem in tertio De finibus diuiſionem hanc uidetur & locupletius & luculentius enarraſſe: quam in hunc locum tranſtuliſſe, puto ad huius loci illuſtrationẽ plurimum pertinere. Sed quom quod honeſtum ſit, inquit, id ſolum bonum eſſe dicamus: conſentaneũ tamẽ eſt fungi officio, quom id officium nec in bonis ponamus, nec in malis. Eſt enim aliquid in ijs rebus probabile, & quidem ita, ut eius ratio reddi poſsit. Ergo ut etiã probabiliter acti ratio reddi poſsit. Eſt autẽ officium, quod ita factum eſt, ut eius facti probabilis ratio reddi poſsit. Ex quo intelligitur, officiũ medium quoddam eſſe, quod neq; in bonis ponatur neq; in contrarijs. Quoniamq; in his rebus, quæ neq; in uirtutibus ſunt neq; in uitijs, eſt tamen quiddã, quod uſui poſsit eſſe: tollendum id nõ eſt. Eſt autẽ eius generis actio quoq; quædam, & quidem talis, ut ratio poſtulet agere aliquid & facere eorum. Quod aũt ratiõe actum eſt, id officium appellamus. Eſt igitur officium eius generis, quod neq; in bonis ponatur, neq; in cõtrarijs. atq; perſpicuũ etiam illud eſt, in iſtis rebus medijs aliquid agere ſapientẽ. Iudicat igitur quom agit, officium illud eſſe: quod quoniam nunquam fallitur in iudicãdo, erit in medijs rebus officiũ. Quod efficitur etiam hac concluſione rationis. Quoniam enim uidemus eſſe quiddam, quod recte factum appellemus, id autem eſt perfectum officium: erit etiam inchoatum. ut ſi iuſte depoſitum reddere in recte factis ſit, in officijs ponatur depoſitum reddere. Illo enim addito

addito iuſte facit recte factum. Per ſe autem hoc ipſum reddere in officio ponitur, quoniamq; non dubium eſt, quin in ijs quæ media dicimus, ſit aliud ſumendum, aliud reijciendum: quicquid ita fit aut dicitur, omni officio cõtinetur. Ex quo intelligitur, quoniam ſe ipſos natura omneis diligãt, tam inſipientẽ quàm ſapiẽtem ſumptu rum quæ ſecundum naturã ſint, reiecturumq; cõtraria. Ita eſt quoddam cõmune offi cium ſapientis & inſipientis. Ex quo efficitur, uerſari in his quæ media dicamus. uel quom ab ijs mediis omnia proficiſcantur officia, non ſine cauſa dicitur ad ea referri omnes noſtras cogitationes, in ijs & exceſſum è uita & in uita manſionem. in quo enim plura ſunt, quæ ſecundum naturã ſunt, huius officiũ eſt in uita manere: in quo aũt aut ſunt plura contraria, aut fore uidentur, huius officiũ eſt ex uita excedere. Ex quo apparet, & officium ſapientis eſſe, aliquãdo excedere è uita quom beatus ſit: & ſtulti manere in uita quom ſit miſer. Et cætera quæ in hanc ſententiã ſubſequuntur.

Illud nõ prætermittã, aliquos fortaſſe noſtrę huic diſquiſitiõi ita poſſe occurrere, 111
ut officij definitionem non prætermiſſam contendant: quom poſt perfecti & medij officij diuiſionẽ, utriuſq; definitionem ſubiunxerit. Sic enim inquit Cicero: Hoc autem cõmune officium uocãt, atq; ſic definiunt, ut rectum quod ſit, id perfectum eſſe definiant. Medium autẽ officium id eſſe dicunt, quod cur factum ſit, ratio probabilis reddi poſsit. Quorum opinioni recte ita reſponderi poſſe arbitror. Multum ſcilicet intereſſe, an quis genus, an generis formas differẽtias ue definiat. Perfectum autem & medium officium non eſſe genus, ſed duas generis differentias. Diuiditur enim officium in perfectũ & medium: ſicut animal in rationale & irrationale. Quod ſi quis utrunq; per ſe definierit, non is in cõmune animal definiſſe exiſtimandus eſt: quando in definitione generis, puta animalis, differẽtiæ omnes ueluti rationalis & irrationalis includuntur. Tam enim rationale quàm irrationale animal eſt, ſi Platonicis credimus. At quom genus partimur, ſuæ cuiq; parti ſua differentia tribuenda eſt: quo fit ut longe diuerſa ſit generis formarumq; definitio. Genus omnes differentias complectitur, quæ deinde ſeorſum generi additæ ſingulas formas pariunt. Sic perfectum, ſic mediũ, officio adiunctum, duas ſeparatas formas efficiũt: quarũ unaquæq; ſua cõtenta eſt differentia, quom tamẽ omnes intra generis cõplexũ deliteſcãt. Quare ut ad inſtitutum redeã: permulti intereſt, an quis in uniuerſum genus, an generis formas definiat. Ex quo facile nobis conſtare poteſt, officiũ quatenus genus eſt, non eſſe definitum, cuius definitionis Cicero nobis expectationẽ concitauerat. Quòd ſi illud quoq; exactius explorare lubeat, qualis ſcilicet hæc ipſa ſit medij perfectiq; officij definitio, eam profecto parũ idoneam parumq; accõmodatam cognoſcemus ad officij naturam ſubſtantiãq; declarandam: utpote cui genus, hoc eſt caput ipſum definitionis deſit. Quid enim deſignatur, perfectum eſt id quod rectum ſit? Aut medium id eſſe dicũt, quod cur factũ ſit, ratio probabilis reddi poſsit. Sanè hoc nihil eſt, mea quidem ſententia, quàm in uitium illud incidere, quod Græci παυϑλογίαν dicere ſolẽt, quom idem ſe ipſo exprimitur. Dic enim per Muſas rogo, quid pronomen, id, eo loco tibi ſignificet. Quippe mihi officium repetit, ut ita interpretari ſit neceſſe: perfectum officium eſt id officium, quod rectum ſit. & medium officium eſt id officium, quod cur factum ſit, probabilis ratio reddi poſsit. quæ omnino abſurda & Cicerone ipſo indigna eſt repetitio, tum quæ ad officij ſubſtantiam indicandam ſit omnino ſuperuacua. Quòd niſi hanc interpretationẽ approbemus, periculum eſt ne protinus in paralogiſmũ illum ſophiſtarum incidamus, quom dicũt: officium perfectum ex definitione Ciceronis, eſt id quod rectum ſit. Sed perpendiculum eſt id quod rectum eſt. Nihil ergo repugnat, quin perpendiculum ſit officiũ. Huius argumẽti maxima propoſitio in promptu eſt: cuicunq; competit definitio, eidem competit definitum. His adde quòd perfecti officij definitio medio officio, & uiciſsim medij officij definitio perfecto, belliſsime accõmodari poteſt. Nam & perfectum officium eſt id, quod cur factum ſit, probabilis ratio reddi poſsit. Neq; enim quiſquã, puto, tam contumax eſt, qui ſine probabili ratione perfectum officium geri cõtendat, aut medium officium eſſe id quod rectum non ſit. Alioqui ſi rectum non eſt, peruerſum ac præpoſterum id eſſe fateamur oportet.

IIII Verba Ciceronis sunt. Hac diuisione, quom praeterire aliquid maximũ uitium in diuidendo sit, duo praetermissa sunt. Nec enim solum utrum honestum an turpe sit, deliberari solet, sed etiam duobus propositis honestis utrum honestius: itemq; duobus propositis utilibus, utrum utilius. At tu haec Cicero, quod tua pace dictũ sit, nimis cupide, ne dicã anxie, Panaetio obijcis. An tu uir tanti ingenij, tantusq; dogmatis Stoici professor, non meministi apud Stoicos eiusce modi gradus esse sublatos? neq; dato honesto, honestius aliud inueniri? Sed fac ut aliquando in cõmuni & uulgari uita haec in dubium reuocari uideantur, quid si non duo tantum, sed tria & quatuor uel etiam plura dubitanda occurrant: puta, pater grauiter ex morbo laborat, tu gnarus eius remedij es, quod patri salutem restituat. Eodem tẽpore amicus de fortunis, de capite, de dignitate periclitatur. Tu causarum patronus auxilio esse potes, eidemq; grati animi testimonium reddere, quom ille te aliquando fortunę indignitate oppressum subleuauerit. Eodem tẽpore ignis uicinas aedes corripuit, uerendumq; tibi ne tuae aedes tua cũ familia protinus conflagrent. Eodem tempore hostis patriam aggreditur, & propemodum intra moenia irrupit: ut uno tempore te dubitare oporteat, non iam quid utilius, quid honestius, sed quid utilissimum, quid honestissimum sit ex omnibus. Hinc patris salus te uocat, hinc amici, hinc uiciniae tuarumq; aedium periculum, hinc praesens patriae tuorumq; ciuiũ direptio ac seruitus. Sanè si huic diuisioni semel fenestram aperueris, non est ubi sistas. Nam & quid utile & quid utilius & quid utilissimũ, & si ulterius promoueri licet, ex plurimis utilissimis quid praeponderet, erit inquirendum. In quo non aliunde, quàm ab ipso Cicerone testimonium mutuabor. Is enim in praefatione secundi libri De officijs ait: Nõ solum quid utile, quid inutile, sed ex utilibus quid utilius aut quid maximè utile quaerendum esse. Quare ne ad hãc infinitatẽ descẽdere oporteat, Panaetianae obsecro diuisioni acquiescamus, praesertim quom Aristoteles libro quinto Ethicorũ ita scribat. Boni namq; rationẽ subit minus malum ad maius malum comparatum. Minus enim malum magis quàm maius est expetibile. At quod expetitur, bonum est, & quod magis maius. Ex quibus planè colligimus, diuisionẽ hanc à Cicerone allatã contra Panaetium, honesti scilicet & magis honesti, utilis & magis utilis, esse superuacaneã. Siquidem minus utile, utile esse desinit, si magis utili conferatur. Sic minus honestum, honestum esse desinit, si magis honesto conferatur. Sic affulgente sole cętera lumina hebetant, sic sub dictatore cæteræ iurisdictiones abolentur. Huius rei argumentũ inde quoq; elici potest. Quòd si cõtingat eodẽ tẽpore opitulandũ esse amico & parenti, qui parentẽ grauiter laborantẽ destituerit, amico fuerit opitulatus, improbe dicetur fecisse; quamuis certũ sit, quòd abdicata comparatiõe, amico opitulari bonum est. Sed comparatio rei conditionẽ mutat: ceu qui in altera parte trutinae ponduſculum, in altera magnum pondus posuerit. Ponduſculum enim magno ponderi collatũ nullius prope ponderis, nullius q; grauitatis existimabitur.

V Philosophi discendi studio impediti, quos tueri debent, deserunt: itaq; eos ad rempublicam ne quidem accessuros putat Plato, nisi coactos. æquius autẽ erat id uoluntate fieri. Nam hoc ipsum ita iustum est quod recte fit, si est uoluntariũ. Tu recte quidem Cicero. Nam bonarum malarumue actionũ modus ac mensura est hominis uoluntas. Sed enim ne in Platonis sententiã arguteris. Nec enim Plato debere philosophos aut posse cogi dixit ad reipublicae gubernationem, sed eos sibi sua sponte hanc necessitatem imposituros: ut quom tempus postulauerit, id est quom nullus idoneus publicae administrationi praesidebit, uel magnum aliquod periculum imminebit ciuibus, tum ipsi se à rerum cõtemplatione ἐκὸντὸν ἀκὸντὸν (ut dicunt) auellent. Et sicut nauis salaminia, ut aiebat Themistocles, non nisi ad necessaria tempora necessarias q; functiones expetebatur: ita ipsi non nisi rerum & temporum ratione impulsi, prodeunt in medium suorum ciuium cõmodis ac saluti consulturi. Certè Plato quinto libro Περὶ πολιτείας, tradit non esse munus nautarum & gubernatorũ, eos rogare qui naui uehuntur, ut se uehi sinant: sed eorum potius qui uehuntur, orare, ut gubernatores & nautae eorum curã suscipiant, atq; in portum prouehant. Pari ratione neq; philosophorũ interesse, ut rogent ipsi se ad publicam administrationẽ admitti: sed ut

rogen-

rogentur potius, ut uelint ipsi reipublicæ clauum capessere, & laborantẽ ciuitatem sua prudentia sustinere. Alioqui multa accidere possunt, quæ philosophos deterreant, ne reipublicę curam suscipiant: quod & Cicero in quadam ad Lentulum epistola attigit. Id iubet, inquit, ille Plato, quem ego autorẽ uehemẽter sequor: tantum contendere in republica, quãtum probare in tuis ciuibus possis: uim neq; parenti, neq; patriæ afferre oportere. Atq; hanc quidem ille causam sibi non attingendæ reipublicæ fuisse, quòd quom offendisset populum Athenienſem propè iam desipientem senectute, quom eum nec persuadendo nec cogendo regi posse uidisset, quom persuaderi posse dissideret, cogi fas esse non arbitraretur.

VI Sunt aũt priuata natura nulla: sed aut ueteri occupatione, ut qui quondã in uacua uenerunt: aut uictoria, ut qui bello potiti sunt: aut lege, aut pactione, conditione, sorte. Quom in diuisione præterire aliquid, maximũ uiciũ in diuidendo sit, ut paulo superius hoc libro, & in Topicis ipse testatur: quid de ijs dicemus, quæ edicto prætorio nobis addicta sunt? nam edictum prætoris à lege diuersum est. Quid de ijs quæ contractu nobis & precio ita comparauimus, ut nostri mancipij facta sint? quid de ijs quæ prædio nostro alluuione fluminis accreuerũt? quid de ijs quæ se nobis sorte fortuna obtulerũt, ut thesauri inuẽtio: ut auiũ captura, quę libero aere uagant? Quòd si quis omnia hæc ad legẽ referat, quæ quid quaq; in re obseruari oporteat, constituerit: tum uero in alterum diuisionis uitium non multo minus inciderit. Sicut enim in diuisione desiderari aliquid turpe est, ita aliquam diuisionis partem redundare turpissimũ. Nam & qui in uacua uenerunt, & qui uictoria potiti sunt, qui pactione, conditione, sorte, usucapione aliquid tenent, ij omnes promiscue se lege defendunt. Apud M. Varronem in emptiõibus dominũ legitimum sex ferè res perficiunt. Si hæreditatem iustam adijt: si, ut debuit, mancipio ab eo accepit, à quo iure ciuili potuit: aut si in iure cessit, cui cedere potuit: & id ubi oportuit, aut si usucepit, aut si è præda sub corona emit, tumúe quom in bonis sectionéue cuiusuis publice uenit.

VII Qui autem non defendit, nec obsistit si potest iniuriæ: tam est in uitio quàm si parentes aut amicos aut patriam deserat. At hoc nimis Stoice dictum est, & quod inter paradoxa referri oporteat. Quid si sontẽ defendam? si eum, qui alium prius iniuria prouocarit: si eum denicq; cuius causa & mihi & meis diuturnas offensas concitẽ? Sanè hæc ad obrussam & rigorẽ illum Zenonis metiri, durum & plenum inclementię existimauerim: præsertim quom in medio hominũ, neq; inter perfectos uiuamus. Adde quòd, ut ipse paulo post monet, multa circunspiciẽda sunt in omni officio, & cõsuetudo exercitatioq; capienda: ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus, & addendo deducendoq; uidere, quæ reliqui summa fiat, ex quo quantum cuiq; debeatur intelligas. Quid præterea si peregrinus & ignotus in periculo sit? itidẽ is, qui de te optime meritus sit. Quid si plures eodẽ tẽpore defendendi sint? quid si cõstituto in periculo opitulari nõ possis, nisi alium, puta amicũ uel necessariũ, læseris. Profecto hæ omnes circunspectiones sententiam Ciceronis infirmant. Quæ uero, malum, hæc comparatio, quàm absona, quàm ueritati refractaria. ergo ignotum ac peregrinum et forte nihili hominem destituisse iuxtà par scelus existimabis ac si parentes, quibus uitam educationemq; debeo: ac si amicos, quos eadem mihi uoluntas, idemq; studium coniunxit: ac si denicq; sanctissimam patriam, in qua omnia iura reposita sint: prodidero. Vide obsecro, ne si positionem tueri uolueris, & pietatem erga parentes, & necessitudines inter amicos, & charitatem in patriam, uili nimis loco habuisse uideare, quam publico ac late nimis profuso humanæ societatis uinculo adæquaueris.

VIII Cicero liberalitatẽ cum iustitia confundit. Habent omnino aliquã inter se uicinitatem, præsertim ea parte, quæ in erogando constat. Dat enim utraq; pro dignitate benemerenti: sed iustitia multo latius euagatur. Sanè Aristoteles duplicem iustitiæ proportionem tribuit: geometricã alteram, alteram arithmeticã. Arithmeticam uersari in contractibus, in quibus omnes homines pares esse decet. Geometricam uero unicuiq; suum dispensare, quantus est cuiusq; captus & existimatio. Hæc imperia ac magistratus præclare natis ingenijs præbet: cæteris pro suo modulo munera & mi-

niſteria partitur. Proprium eſt liberalitatis, pecuniã aſpernari, eamq; ad publica hominum commoda impartiri. Multos habere ſuo beneficio obſtrictos. Nemini quicquam imputare, à nemine uicem repoſcere. hanc philoſophi animi magnitudini ac deſpicientiæ rerum humanarum proximiorẽ quàm iuſtitiæ exiſtimauerunt. Poſſet aliquis fortaſſe ea ratione tueri Ciceronem, quòd iſtæ uirtutes coniunctæ ſint ac ita proximæ, ut mutuo uinculo teneãtur. Quod qui dixerit, incidet in Menedemi Eretrienſis ſententiam: qui omnes uirtutes unam eſſe uirtutem arbitrabatur, eamq; pro ſuis functionibus, diuerſis nominibus appellabat. Autor Plutarchus in libello De uirtute morali.

IX Et quãq; omnis uirtus nos ad ſe allicit: facitq;, ut eos diligamus in quibus ipſa ineſſe uideatur, tamen iuſtitia & liberalitas id maximè efficit. Cur hoc fiat Cicero prætermittit oſtendere, oſtendit id Ariſtoteles. quòd cæteræ ſcilicet uirtutes habenti decori ſint & emolumento: ſola iuſtitia & liberalitas nõ habenti, ſed cæteris potius mortalibus proſint, aliorumq; gratia & cõmodo exerceantur. Ob id etiã eas ἀλλοτρίας ἀρετὰς, id eſt alienas uirtutes, ueteres appellauere: quòd publicæ utilitatis gratia potius quàm priuatæ inuentæ ſint. Omnis autem uirtus, quo ſe pluribus adiutricẽ præbet, hoc eſt apud omnes charior, maioreq; in admiratione habetur. Si igitur Cicero, quom Officiorum librum ſcriberet, Ariſtotelem habuiſſet in manibus potiuſquã Panætium, non dubito quin fœcundiora uberioraq; ſuis ciuibus præcepta tradidiſſet, eaq; locupletioribus argumentis & rationibus comprobaſſet.

X Et Themiſtocles quidẽ nihil dixit in quo ipſe Areopagum adiuuerit. An parum dixit Themiſtocles, parũq; adiuuit Areopagũ: quom oraculum interpretatus: quom oſtendit ſuis ciuibus quæ forẽt lignea mœnia: quom perſuaſit, ut ſe nauibus tuerentur: quom regi uafro conſilio utile oſtendit in anguſtijs pugnare? Sed quid opus dicto fuit? quom nauiter atq; induſtrie agendo patriã ſeruauerit. Quòd niſi fortiter pugnando, ſeq; maximis periculis exponendo præpotentis regis uires fregiſſet, certè Areopago locus non ſuperfuiſſet, ſed unà cum Areopagitis ſalus & gloria Athenienſium cõcidiſſet. Poſſem hic togæ bellíq; conſilia cõparare, poſſem ciuiles caſtrenſesq; labores cõferre, eaq; expaſsis eloquẽtiæ uelis exaggerare, quæ in oratione pro L. Murena incredibili facundia Cicero proſecutus eſt: ſed in re plana atq; omnibus expoſita non adeo oportet eſſe eloquentem.

XI Prudentia apud Ariſtotelem inter uirtutes, architectonicæ locum obtinet: utpote quę cæteris imperet, & reliquas moderetur. Ob id Socrates omnes uirtutes prudentię nomine appellabat. Quam ſententiã Ariſtoteles in Moralibus arguit. Non enim omnis uirtus prudentia eſt, ſed nulla uirtutũ eſt ſine prudẽtia. Plato in Legibus, prudentiam oculum, iuſtitiam pulchritudinẽ, temperantiam ſanitatem, fortitudinẽ mánum animi uirtute inſtituti eleganter nuncupabat.

XII Duplex omnino eſt iocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum. Alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum, quo genere nõ modo Plautus noſter, & Atticorũ antiqua comœdia, ſed etiam philoſophorũ Socratici libri referti ſunt. De iocis Plautinis ſtat Horatius aduerſus Ciceronem:

At noſtri proaui Plautinos & numeros &
Laudauere ſales, nimium patienter utrunq;,
Ne dicam ſtulte, mirati, ſi modo ego & uos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto.

Si detur tamẽ mihi liber iudicandi locus, in Ciceronis malim quàm Horatij ſententiam deſcendere. Nam multũ mihi & ſalis & fellis & facetiarũ & ſcommatum habere uidetur Plautus, iocisq; & perſonis pulcherrime inſeruire: ut mirari ſubeat Horatiũ, grauiſsimi alioq; iudicij ſcriptorẽ, tã inique ſuper iocis Plautinis decidiſſe: quom ſatis cõſtet eum imitatum eſſe Siculum Epicharmũ, quem Cicero in quadam ad Atticum epiſtola uafrũ appellat. Et ſanè cõſtat Siculos homines ad ioca & dicta multũ acuminis habuiſſe: nec profecto uidetur Horatius hoc ignoraſſe, quom dixit,

Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi Dicitur.

Mouet me quoq; Varronis authoritas, qui in cẽſura comœdiarum Plautinarũ, non alio

alio ferè argumento usus est, quom eas à supposititijs secerneret: nisi quòd quæ iocis & lusibus redundarẽt, eas incunctãter omniq; abdicata dubitatione Plautinas pronuntiabat. Adde quod in hoc genere longe plus fidei Ciceroni quàm Horatio haberi par est: utpote quom Cicero fuerit mirificus iocorũ artifex, & Ciceronis iocos collegerit, & in aliquot uolumina digesserit Tyro libertus, si credimus Quintiliano.

Pulchre Aristoteles in Ethicis, & Plutarchus in cõmẽtario De uirtute morali, ostendunt inter continentẽ incontinentem, temperantẽ intemperantemq; quid differat. Continens cum affectibus colluctatur & uincit. Incontinẽs reluctatur quidem, sed uictus dolet. Cõtrà, temperans nullam habet luctã, sed pacatis affectibus utitur: ut mare tranquillũ, quod nulla impellitur unda. Intemperans uero sine lucta manus dat affectibus, seq; obsequentem ad nutum omnium uoluptatum sponte profitetur. XIII

Cicero trahit officium ab honesto, ab utili: tum quomodo pugnet honestum cum utili, quid honesto honestius, quid utili utilius explorandũ proponit. At ego à iucundo quoq; officium exquirendum puto. Tria enim sunt, ob quæ quispiam expetit, honestum, utile, iucundum: & tria rursus, ob quę refugit, turpe, inutile, atq; molestum. Et uirtutem, facultatem esse scribit in secũdo Ethicorum Aristoteles agendi res optimas circa uoluptatẽ: & Speusippus uoluptatem cõgenitã nobis attestatur: ob id nobis etiam maximè elaborandum est, ut eam moderemur. Nam medicamenta ex contrarijs cõstant. Cæterum sicut ex populari opinione utile ab honesto separamus, ita & iucundum ab honesto atq; utili iure separari potest. Quatenus ergo sequendum sit quod iucundum est, disquiri ex officio debet. Tum illud quoq; dubitari poterit, utrum iucundius, an agriculturam exercere, an ciuilem uitam agere. An contemplari, an in medio hominum degere: an uxorem ducere, an cœlibem uitam uiuere. Et ex tribus quid præstet, cultum ne agri, an uillaticam pastionẽ, an mercaturam persequi. Incurrit in hanc iucundi mentionẽ Cicero nolens, aut certè aliud agens, in fine tertij libri De officijs. Qua admonitũ miror attulisse in medium multifariã hanc atq; operosam diuisionẽ, honestum & turpe, utile & inutile, iucundũ & non iucundum, honestum cũ utili contendens, iucundum cũ honesto decertãs, iucundum cum utili depugnans: quæ sexcuplex erit diuisio, quòd si honestũ & honestius, utile & utilius, iucũdum & iucundius addamus, iam ad nouenarium usq; numerũ procedet diuisio. XIIII

Vt enim uenustas & pulchritudo corporis secerni nõ potest à ualetudine, sic hoc de quo loquimur, decorũ, illud totum quidem cũ uirtute confusum: sed mente & cogitatione distinguitur, generale quoddam decorũ in omni honestate: aliud huic subiectum quod ad singulas honestatis pertinet partes. Non negauerim esse quoddam decorum in uniuersum per uirtutes perfusum: quoddam rursus particulare ad singulos actus priuatos pertinẽs. Sed prius illud in natura absconditum est, & ratione magis quàm sensu dignosci potest: sicut omnia uniuersalia, quæ sensu percipi non possunt. Priuatum autẽ hoc alterum mihi uidetur locis, temporibus, personis, alijsq; delectibus circunscribendum esse: nõ quidem more poetarũ, apud quos turpes sententiæ laudantur, quom sunt turpibus personis attributæ, sed ciuilis cuiusdam modestię respectu. Nam hortari ad uirtutẽ intempestiue: fortitudine uti, quom parum oporteat, uel leuis causa urgeat: si in conuiuio aliquis seueritatem adhibeat: si puer de iustitia inter senes disputet, hæc omnia, & his similia, dedecẽt. Cõtrà, si loca, tempora, personę cæteriq; respectus & delectus seruentur, mirũ sanè q̃ omnia deceãt. Egregius mimus animaduertere debet, quid suæ personæ consentaneum sit. nam si paruus Hectorẽ agat, tum illud Antiochenorũ in eum quadrabit: Astyanactem uidemus, ubi reliquisti Hectorẽ? Siquis amicum ad uenationẽ exiturum, ad fortitudinem & animi magnitudinem hortetur: uel is se ipsum paret ita ac si cõtra hostes conflicturus: tum omnes clament, Paruo pedi magnum calceũ induxisti: uel, colossi ornamenta pumilo imposuisti. Atq; hoc est fortasse, quod inquit Cicero, iustitia nõ uiolat homines, uerecundia non offendit. XV

Cicero & hic & alibi multis locis dicit, nihil esse tam cõsentaneum naturæ quàm uirtutẽ. credo ex ea ratiõe, quia natura semper bonum appetit: & quãto quodq; bonum maius est, eo magis appetit. nihil aũt uirtute melius: nihil ergo à natura magis XVI

appetitur quàm uirtus. & hæc ratio quidem apud me plurimũ pollet. Sed contrà Aristoteles uirtutẽ in parte irratiõali uersari scribit, & naturalibus affectibus, uoluptati præsertim, obluctari. Eius rei argumentũ est, quòd nemo natura uirtute præditus inuenitur, sed longa omnes exercitatione proficiunt. In his enim quæ à natura proficiscuntur, non est opus exercitatione, sed protinus natura duce ea amplexamur. sic ridemus, sic ambulamus, naturæ sponte: nec ut his in rebus meditemur opus est. At in his quæ ad uirtutem spectant, longa assuetudine & crebris actionibus opus est. Hinc scilicet emanauit uetus illa & digna memoratu sententia, ἕλου βίον τὸν ἄριστον, ἡ συνήθεια δὲ ἥδιστον ποιήσει. elige optimũ genus uiuendi, suauissimum id reddet assuetudo. Deniq; cõmunis est philosophorum assertio, uirtutẽ nõ naturalem, sed nec præter naturã esse. Testimonium reddit huic opinioni Plato in Gorgia, ὡς τὰ πολλὰ γὰρ ταῦτά φησιν ἐναντία ἀλλήλοις ἐστὶν, ἥτε φύσις καὶ ὁ νόμος. ut plurimũ enim hæc (ut aiunt) contraria sunt inuicẽ, lex scilicet & natura. Ob id & B. Paulus testatus est se habere aliam legem dominantẽ membris suis, & menti suæ repugnantem.

XVII Alteram officij diuisionẽ adscribit Cicero, in perfectum seu cõmune, quod κατόρθωμα Græci appellant: & medium, cuius, cur factũ sit, ratio probabilis reddi potest. Ego perfectum illud quod uocat, si ad ęquilibriũ redigatur, lõge imperfectissimum puto. Hoc enim illud est quod flecti nescit, quod neq; locorũ neq; tẽporum neq; personarum rationẽ habere potest: quod cõniuentibus oculis & obstinatis animis medium illum rigorẽ tenet, à quo nulla ratione deduci potest. Hoc Diogenes tuebatur, hoc Timon ille μισάνθρωπος, hoc Stoici, qui homini ignoto alapã incutere & parentem iugulare par crimen putant. Hoc siquando in iudicijs uersatur, summũ ius à nostris, à Græcis ἀκριβοδίκαιον, uocatur: quod nonnulli summã crucem, alij summã iniustitiam definiuere. Huius temperamentũ æquitatem arbitramur, quæ locorũ, temporum, personarũq; delectũ habet. Hæc misereri solet, ac tum demũ parcere, nisi ad maleficium peruersa uoluntas & dolus malus accesserit. Sic perfectissimi huius officij acerbitatẽ ac duriciẽ medium alterũ officiũ, quod solum officij nomine dignũ est, moderatur. Quod ni faciat, transit ille animi rigor in mores, efficitq; homines inclementes, inexorabiles, & quales à Græcis ἀπάθεις appellabantur.

XVIII Quo loco Cicero de prudentia ac sapiẽtia agendum proponit, utrunq; uidetur ita cõmiscere, ut non facile intelligas quid prudentia sapientia differat, quódue sit utriusq; munus. Ciceronis uerba sunt. In prima parte in qua sapiẽtiam & prudentiam ponimus, inest indagatio atq; inuẽtio ueri: eiusq; uirtutis hoc munus est proprium. Vt enim quisq; maximè perspicit, quid in re quaq; uerissimum sit: quiq; & acutissime & celerrime potest & uidere & explicare rationẽ, is prudentissimus & sapientissimus rite haberi solet. Hoc primũ nego, prudentiã & sapiẽtiam eandem esse uirtutem. Nam prudentia est exacta rerũ humanarũ discretio, quę in consilijs & omnibus ijs quæ in dubitationẽ ueniunt, dominatur. Sapientia autem est rerum humanarum diuinarumq; cognitio. Hæc in ijs quæ semper eodem modo se habent, diuinis puta & æternis uersatur. Prudẽtiæ munus nõ tam uera & falsa, q̃ bona & mala, utilia & inutilia, appetenda & refugienda internoscere: super ijs cõsultamus quæ aliter atq; aliter sese habere possunt, quęq; indigẽt fortuna. Nã reluctante fortuna, prudentia suum nunquã finem adsequatur. At sapientia tam sublimi & excelso loco posita est, ut rerũ humanarum uicissitudines longe despiciat, fortunæq; ipsius imperiũ nihil ad se pertinere arbitretur. De prudentia uerba sunt Aristotelis, quem iure Plato philosophum ueritatis appellabat. Videtur itaq; prudentis esse, bene cõsulere posse circa ea quæ sibi sunt bona & prosunt: non aliqua ex parte, ut quę nã ad sanitatẽ uel uires: sed quæ ad bene uiuendum omnino cõducant. Argumento est id ita esse, eos etiam qui circa aliquid uersantur, prudẽtes dici, quom bene ad finem studiosum aliquem excogitauerint ea, quorũ nulla est ars. Quare & omnino prudens is est, qui ad cõsultandum est aptus. ex ijs facile intelligas, prudentiam nõ circa uera & falsa: hoc enim cõmune est humani animi omniũq; uirtutũ propositũ: sed circa utilia & inutilia uersari. Sed quid ego peregrinis aduocatiõibus utor, quom Cicero nõ multo posterius eodem libro aduersus se testimonium dicat, ut hic propè sui oblitus uideatur.

eius uer-

eius uerba non pigebit subscribere. Prudentia, quam Græci φρόνησιν, aliã quandam intelligimus, est rerum expetendarũ fugiendarũq; scientia. Illa autẽ sapientia, quam principem dixi, rerum est diuinarũ atq; humanarum scientia, in qua continetur deorum & hominum cõmunitas & societas inter ipsos. In hac ergo quæstione nõ aliunde aut libentius quàm à Cicerone ad Ciceronem prouocauerim.

Libro Officiorum tertio, Est etiã, inquit, ius bellicum, fidesq; iurisiurandi sæpe ho XIX sti seruanda. Quod enim iuratum est, ut mens conciperet fieri oportere: id obseruandum est. Quod aliter, id si non fecerit, nullum periurium est: ut si prædonibus pro capite precium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem id nõ feceris. Nam pirata non est ex perduellium numero definitus, sed cõmunis hostis omniũ. Cum hoc nõ fides esse debet, nõ iusiurandum cõmune. Non enim falsum iurare, peierare est: sed quod ex animi tui sententia iuraueris, sicuti uerbis concipitur, more nostro, id non facere, periurium est. Scite enim Euripides: Iurauí lingua, mentẽ iniuratam gero. Regulus uero non debuit cõditiones pactionesq; bellicas & hostiles perturbare periurio. Cum iusto enim & legitimo hoste res gerebatur, aduersus quem & totum ius feciale, & multa sunt iura. Hoc loco mihi uidetur Cicero parum cõstantiã suam seruasse: quom iurandum cuiquã arbitratur, quod mens concipiat fieri nõ oportere: præsertim quom in his libris decretis Stoicorum nomen dederit, apud quos nullus est tam grauis metus, qui in constantẽ uirum cadere possit, qui nõ malit mori quàm quicquam præter dignitatẽ aggredi. Nunc mitto quod neq; prædoni fallendam fidem, neq; gladiũ furioso abiurandum putãt. Quòd si ex seueritate illa Stoica & duricie summi & absoluti officij alio loco à nobis improbati aliquid recidendũ putamus: sanè tacito quodam hominũ iudicio constitutum est, ut prædoni & sicario fides seruetur: non quia sit ex perduelliũ numero definitus, nec ut ex suo scelere aliquid commodi lucrifaciat: sed ne uiolato hoc iureiurãdo protinus materia detur ad maius nefas, & captiui qui spe prædæ seruantur, ut aliquando incolumes emittantur, præcisa utilitatis expectatione actutum iugulum præbeant carnifici. Illud quoq; nõ uideo quomodo probari possit, falsum iurare nõ esse peierare, sed quod ex animi tui sentẽtia iuraueris. Sicut eñ oratio nõ dicentis, sed audiẽtis gratia inuẽta est: ita iusiurandum non eius qui se iuramento obstringit, sed eius cui obstringitur, causa institutum est. & profecto si iuras ut fallas, ab ipso usq; principio periurium est. Nam quid aliud periurare est, nisi perperã in alterius fraudẽ iurare? quod in ipsis fit auspicijs, quom uerbis conceptis te in iuramentũ adigis: atq; ita inducis animum ut iam tum fidem fallas, quocunq; id nomine aut titulo prætexas. Certè Plato XI. Legum libro id fieri uetat, ne quid in deos pecces: quorum maiestas uiolari putatur, si parum religiose iusiurandum seruaueris, cuius ipsi aut testes aut uindices inuocati sunt. Ob id probe ac sancte fecisse uidentur, qui nunquã subeundum iusiurandum monuerunt. Ea causa Socrates uel canem uel anserẽ, Zeno capparem adiurabat: nõ quòd in ijs aliquid numinis esse suspicarẽtur, sed nequando temere deorum numine abuterentur. Hoc præterea in disquisitionẽ uocandum puto, quod nam sit iusiurandum quod inuitus aut ex animi tui sententia susceperis. Nihil enim à quoquam inuito fieri aut dici existimandum est, cuius principiũ in nobis ipsis situm sit, ita ut id agere aut prætermittere integrũ sit nobis. Nam quæ pendent ex animi nostri sententia, ea planè nostra fieri sponte & in nostra esse potestate, uel Epicteto autore, iure dixerimus. Contrà quæ extra nos sunt, quæq; principium & impulsum habent aliunde, ita ut reluctantes repugnantesq; nos urgeant: hæc merito cogentia & uiolenta dixerimus. Cui rei indicium est, quòd dum hæc aguntur, uel acta sunt, dolemus: in superioribus autem illis nullum doloris testimoniũ accedit. Ex quo facile agnoscas, nõ esse uiolenta neq; præter animi uoluntatẽ. qui enim captus est à prædonibus, qui in uinculis retinetur apud tyrãnum, si quid peieret sui cõmodi gratia, ut se in libertatem uendicet, seq; ab ea necessitate eximat, sanè uolens & propria animi inductione hoc agit. Neq; autem dum peierat, neq; quom peierauit, angitur: sed lætatur potius se ea fraude uel prædonibus uel tyranno imposuisse, suisq; rebus consuluisse. Quod plenissime testimonium est, eum nihil coactum & præter animi sententiã fecisse. Atq; hoc peritissimi

in hac

in hac censura sentiunt. Quid uero dicam? quòd nõnulla sunt quæ animũ mordent, & permoleste habent, & tamen nostra sponte prouenisse arbitrantur. Vt si quis cruciatibus actus patriã prodiderit, si ui tẽpestatis consternatus iactũ fecerit. Nec enim uerisimile est, quenquã aut patriam prodere, aut suarum rerum iacturã facere uelle. Hæc tamen & si molestiã afferant, & si pœnitentia permoueant animos, quia ortum habent ab animi nostri sentẽtia, iccirco uoluntaria censentur. Ex ijs in confesso est, quoties quis falsum iurat, quia uolens ac sciens fallit, quia deos suæ testes fraudis uocat, quia suo scelere non afflictatur, sed potius gaudet, sibiq; gratulatur: eum periurio obstringi, nec ullo prætextu suo latebram inuenire posse facinori. Quòd si quis hac in re argutator dixerit, huius periurij principium non à libertate consilij nostri, sed uel à timore, uel à spe, uel ab alio quopiam affectu proficisci: is se nihil dixisse demum intelliget, si obseruauerit nullam esse actionẽ humanam, quæ ab aliquo humani animi motu non ortum capessat: aut amor, aut libido, aut uoluptas, aut alius quispiam affectus mortalium animos percellit: ita in functiõibus humanis nihil erit, quod uoluntarium & ultroneũ dici possit. quod quàm sit absurdum, melius agnoscẽt, qui recta opera uoluntate metiũtur, & ijs præmia deberi cõtendunt, quàm à nobis possit oratione explicari.

XX Cicero propè in fine tertij De officijs: Cõferamus igitur in pauca. nam ut utilitatem nullam esse docuimus, quæ honestati esset contraria: sic omnem uoluptatẽ dicimus honestati esse contrariam. Ego cõtrà honestate nihil melius, nihil dulcius, nihil magis uoluptificum, nihil magis naturæ consentaneum puto. Ac longe illos falli arbitror, qui uoluptatem ab honestate diremerunt, quom hæc duo sint omnium maximè animantũ generi accommoda: multosq; minus, mea sententia, uoluptas ab honestate quàm utilitas seiungi potest. Nã ratio uoluptatis multo magis per se innata est: quàm ratio utilitatis, quæ plerunq; extra nos est, & adscititia aduenit. Neq; uoluptates nũc libidines aliasq; improbitates uoco, quibus et honestati & uoluptati nihil magis cõtrariũ arbitror, nisi quatenus naturæ necessitati morigeramur: sed consentiem animi & corporis habitũ, tranquillitate & constantia perfruentem: hanc deniq; ueram uoluptatẽ existimo, quæ ab honestate nunquã abiũgi potest. Certè huius sententię nostrę Eudoxũ uirum grauissimũ, & Aristotelem philosophorũ acutissimum autores habemus. Quorum alter uoluptatẽ summũ bonũ, alter summum bonũ non constare sine uoluptate contendit: ut nemo putet uel solum Aristippũ uel solum Epicurum fuisse uoluptati patrocinatũ. Tametsi hoc inter nos atq; illos interest, quòd illi uoluptatẽ brutis cõmunem & corpori agnatam admirantur: nos cælestem illam tantum & Dis hominibusq; Dis similimis familiarẽ approbamus, quam merito Græci ἀμεταμέλητον uocauerunt.

XXI Idem ait: Mercatura autẽ si tenuis est, sordida putanda est. Sin magna & copiosa, multa undiq; apportans, multisq; sine uanitate impartiens, nõ est admodum uituperanda. Atq; etiam si satiata quæstu, uel contenta potius, ut sæpe ex alto in portũ, ex ipso portu se in agros possessionesq; cõtulerit, uidet iure optimo posse laudari. Hãc ego sententiã non uideo quomodo rationi consentaneam putem. De mercatura enim in uniuersum quęrimus, probãda an improbãda sit. si probãda est, profecto tam probari institorẽ oportet, qui cymbam onustam pipere, quàm qui ingentem onerariam nauim ultimis ex regionibus adduxerit. Non enim hic quæstio est de rei quantitate, sed de qualitate. quærimus enim uitium an uirtus in re sit: quæ qualitatẽ non quantitatẽ spectant. Si uirtus inest, planè tota laudanda est: sin uitium, tota reijcienda. ueteratoriam artem & impostricẽ totam reprobamus: siue in re exigua, sine magna impostura facta deprehendatur. tota em̃ mala est. Statuariã laude prosequimur, siue in colossis sine in chamæteris formandis industriã ostendat. Etiam ille Pyrrhicus qui Ryparographus uocatus est, ex tonstrinarum & asellorum pictura suam cõmendationẽ tulit. Potest ergo mercatura quæ in rerum magnarũ magniq; sumptus conuectionibus agitur, illustrior fortasse, non melior uideri, quàm quæ in rebus perexiguis uires intendit: quando quibus modulis quisq; suam metiatur industriã, non ab arte pendet, sed à cuiusq; facultate. Penetrent alij Euxinum, & ad ultimos nauigent

Garaman

Garamantas, quibus magnas opes fortuna indulsit, atq; inde raras & exquisitas mercès conuehant. huic qui rerum & fortunarũ difficultate premitur, sat erit ex Sicilia medimnos aliquot frumenti, aut ex Chio amphoras uini non adeo multas ferre in subsidium laborantis annonæ. Par industria, par uoluntas utriusq;, pari quoq; mihi laude uidentur prouehenda. Atq; hic forte angustæ fortunæ institor, maiorẽ uidea-
tur aliquibus gratiã emereri, quòd leuiore quæstu proposito, paria tamen maris cæ-
licq; sæuientis pericula non reformidarit. Cato enim quodam sciscitante, quid sibi de
mercatura uideretur, non mercaturã damnauit, sed magnitudinem periculorũ quæ
à mercatoribus persæpe adiri solent exhorruit. Quis enim iure mercaturã qualisqua
lis & quantulacunq; est, improbauerit? cuius ope factũ est, ut humano generi innu-
mera cõmoda proueniãt, & totus propè orbis in cõmunionẽ ueniat. Rectius Aristo
teles, qui non in quantulis rebus, sed in quibus euigilaret mercatura obseruauit. Nã
quæ distrahit ea quæ sibi profusius suppetunt, quæq; cõmodis hominum inseruit,
hanc recipiendam approbandamq; existimauit. Contrà quę uilius emit quædam ut
deinde charius uendat, & in monopolijs maximè fieri solet publicam flagellans an-
nonam, cui etiam uoce Græca, κατηγλικὼ nomen fecit, hanc prorsus explosit. Haud
multo secus & quæ instrumẽta luxuriæ suppeditat, est ciuitate iure exturbanda. Sic
Lycurgus eos qui delicias & scitamẽta gulę apparabant, exilio multauit. Sic Roma
ni eos urbe eiecerunt, qui uicto Antiocho & Asia in potestatem redacta exotica un
guenta nundinabantur.

Ciceronis uerba sunt. Ex quatuor autem locis, in quos honesti naturã, uimq; diui XXII
simus: primus ille, qui in ueri cognitione consistit, maximè naturam attingit huma-
nam, omnes enim trahimur, & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem: in
qua excellere pulchrum putamus: labi autem & errare, nescire & decipi, & malum
& turpe ducimus. Soleo ego apud familiares meos, qui mecum incredibili amore
atq; admiratione Ciceronis tenentur: persæpe testari, non aliud uolumen mihi uide-
ri negligentius à Cicerone conscriptum quàm hoc De officijs, ut propemodum ali-
ud agens hoc egisse uideatur. Quod ego inde profectum arbitror, quòd eo tempore
Ciceronis animus, sublato C. Cæsare è rebus humanis, uarijs curarum fluctibus agi
taret: atq; hinc Octauio, qui deinde Augustus appellatus est, studeret, inde Antoni-
um acerrime oppugnaret, neutri satis fideret. Quare mihi uideor animaduertere,
hęc à Cicerone in summis animi auocationibus literis mandata. Nisi enim hoc foret,
qui fieri potest, ut tam diuinum ingenium, tanta eloquẽtia illustre, tot disciplinarum
præsidijs munitum, tam oscitãter multa effuderit? neq; in his solum, quæ ad morum
cognitionem, sed & quæ ad dicendi facultatẽ pertinent. Id quod habeo persuasum
multis uisum iri admirabile: qui sententiarũ dulcedine capti, quæ hoc libro continen
tur, quibusq; uita egregie institui potest, nullum aliud uolumen huic præferendum
existimarunt: atq; illud Plinianum frequenter in ore habent, hæc uolumina non mo
do in manibus habenda, sed etiã ediscenda esse. Quod ego tamen nõ de his tantũ uo
luminibus De officijs, sed de omnibus quę felicissimo illo Ciceronis calamo cõscrip
ta sunt, à Plinio dictum arbitror. Quod uero ad dicendi rationem pertinet, siquando
aliàs desipiendi ocium dabitur, puto me id facile posse certis aliquot testimonijs ob-
tinere. At nunc quod ostendendum suscepimus, id pro uirili prosequamur. Illud
primũ uideor mihi dicturus, Ciceronẽ prudentiã scientiamq; nõ recte permiscuisse,
quom hęc duo multum inter se dissideant. Prudentia siquidem in consultatione tota
consistit: quom scilicet nobis cũ ipsi quid sequendum, quidúe fugiendum sit, perqui-
rimus. Quæ sanè dijudicatio in ijs solũ posita est, quæ aliter atq; aliter se habere pos-
sunt. Nam de certis ac exploratis non est quod quisquam consultationẽ ineat. Quare
neminem inueneris qui de capessenda homini felicitate quicquam dubitet, quando
felicitatem sibi omnes mortales pro fine statuunt: sed quibus rebus felicitas statuen-
da sit, hoc est demum quod propè omnibus seculis atq; in omnibus diatribis in dis-
quisitionem uocatum est, alijs uoluptatem, alijs uirtutem, alijs alia comprobantibus.

At scientia utpote quæ in demonstratione posita est, ex ijs pendet quæ eodem mo
do semper constant, quorumq; principia aliter se habere non possunt. Neq; enim

eorum

eorum haberi potest demonstratio, quorum principia euariant atq; inter se dissentiunt. Quod ut melius intelligi possit, sciendum est duas esse animæ rationalis partes: quarũ altera solemus ea contemplari, quorũ principia in diuersum abire nõ possunt: altera ea intuimur, quæ desultoriis & alternãtibus principiis prodeunt. In prio re scientiam, in posteriore prudentiam, statuimus. Ob id recte dictum putamus, prudentiam circa contingentia & incerta, scientiã circa certa & necessaria uersari. Prudentiam in parte opinabili intellectus, quàm δοξαστικὸν Græci uocant: scientiam in parte optimate, sedem habere. Illam de rebus humanis, hanc de rebus æternis decernere. Quom itaq; uirtutes omnes quæ ad mores pertinent, rerum agendarũ officiiq; delectum habeant, prudentia una est quæ inter eas plurimũ eminet, & apud omnes quasi architecti uice fungitur: uiãq; deliberandi aperit, & ad præscriptũ quodammodo limitem perducit. Quare in prudentia uim subducẽdi, in scientia uim cognoscendi esse dixerunt: scientiamq; nullis fluctibus agi, sed ablegato omni affectu suas implere functiones: contrà prudentiæ partes esse, uarias rationes inire, uariisq; excursibus agi, donec quid agendum, quid fugiendum sit constituerit. Iis adde quod prudẽtia circa res gestas se minime exercet, sed futura tantũ sibi proponit. At sciẽtia uersatur in his quæ neq; desierunt, neq; unquam desitura sunt. Sic philosophos, sapientes multarumq; ac maximarũ rerum capaces uocamus: prudẽtes nequaquã, utpote q in re familiari, in republica, in cõmuni deniq; uita cõniueãt, sintq; omnibus his in rebus plus nimio negligentes. Hinc Thaletẽ ab ancillula delusum accepimus, quòd cælestes ambitus explorãs in foueam cõcidisset. Vnde illud uetus: Qui quæ sunt ante pedes non uidet, cæli scrutatur plagas. Quin & belluas nonnullas prudentiam habere dicimus, seu mauis quãdam prudentiæ imaginẽ. Nam & nidulos admirabili artificio futuræ proli architectantur, quam deinde alunt incredibili solertia: in futuras etiam tempestates prospiciunt ea, quę uitæ necessaria augurantur. Contrà nulli beluarum scientiam irrogamus: quòd nulla, etiã si precariũ à Dis sermonem impetrauerit, suas actiones demõstratione probare posse uideatur. Hoc est scilicet quod nõ facile inuenias qui aberret in ijs quæ ad scientiam pertinent. Atqui in ratione subducenda & delectu rerum faciendarum prudens sæpe fallitur: & licet diligens consilium adhibeat, id tamen non potest incertũ nõ esse, quom in rebus fortuitis admoueatur: consilio uero scientia minime indiget, utpote quam breui tempore, boni operæ præceptoris adsequi possumus. Mature autẽ consulendũ est, ut iam in prouerbium abierit: moram nullam rei esse præterquam consilio salutarẽ. Illudq; uetus frequẽter usurpamus: Romani sedendo uincunt. Ob id recte dictum est à maioribus, prudentiam fortuna egere, ut summã aliquando uoti adsequatur: quom scientia sit longe supra fortunã posita, eiusq; præsidio minime egeat. Quid quòd iuuenes scientiam sibi cõparare possunt: puta geometræ & musici effici possunt, quando scientia uniuersalibus constat. Sed iuuenem prudentia præditum non facile inueneris: quando hæc à particularibus pendet, quorum notioni præfecta est experientia. atqui hanc iuuenes ob ætatem assequi nõ possunt. Hoc quoq; inter prudentem scientemq; discrimen agnoscimus, quòd prudẽs nemo est, nisi bonus idem sit, si Aristoteli credimus: sciens malis peruersisq; moribus etiam uti potest. Nam prudentiæ opposita est uersutia, scientię uel sola inscitia, uel nihil est oppositũ. Voluptas ac dolor ex confesso nullum inuehunt scientiæ uitium. Nam qui uoluptate fruitur, aut dolore torquetur, nihilominus compertũ habet, triangulo treis inesse angulos duobus rectis pares. At prudentiam dolor æquè ac uoluptas interpellat. Prudens enim persæpe manus dat affectibus, & nunc odio, nunc amore huc uel illuc rapitur. ex quo temperantia conseruatrix prudentiæ dicta est, & inde σωφροσύνη nomen nacta est apud Græcos. Deniq; non scientia sed prudentia iter illud præmunit, quod ad rectum uirtutis propositum nos aliquando perducit. Scientia ad mores parũ confert. nam si percunctetur quis, an ad gubernationẽ reipublicæ bene institutus sit Pericles, nõ scientẽ neq; sapientem, sed uel prudentẽ uel iustum uel liberalem respõdemus, uel alio quopiam uirtutis titulo eum exornamus. Prudentia præterea ad agendum pertinet, rerumq; agendarum delectum habet. nam omnis uirtutis laus in actione consistit. At scientia non

tia non in actione, sed in multarũ optimarũq; rerũ disciplinarũq; cognitione uersat̃.

Fundamentum autem iustitiæ est fides, id est dictorũ conuentorumq; cõstantia & ueritas. Mallem dixisset fidei fundamentum esse iustitiam. Fides enim ad iustitiã refertur, non iustitia ad fidem. Tolle iustitiam, non habebit quo nitatur fides, & protinus corruet. tolle fidem, erit tamen adhuc locus iustitiæ, magnaq; eius portio superstes manebit. Quòd siquis clementius cum Cicerone agere uelit, dicet fidem, siquid fides ad iustitiam fulciendam pertinet, uix unius particulæ fundamẽtum esse posse. Quom enim iustitiam duobus fastigijs metiamur, uniuersali altero, quo iustitiam interpretamur, publicam naturæ legẽ ab ipsis primum natalibus mortaliũ animis insitam, qua bonũ malumq; secernimus, uidemus quid appeti quid refugi oporteat, cuius deniq; complexu omnis uirtus clauditur: ex quo carmen illud apud Græcos effluxit, ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι. & tritum illud, Neq; hesperum neq; luciferum æquè esse admirabilem: alterum est iustitiæ fastigium, minus illud quidem uniuersale, utpote quod iustitiam unam, non reliquas etiã uirtutes complectatur. Sed & hoc quoq; biceps est. altero distributiua iustitia, quæ à Græcis διανεμετικὴ dicitur, cõtinetur, ad quã Geometricã proportionẽ referimus. Hęc ea est scilicet, quę imperia, honores, magistratus, cuiq; pro dignitate dispẽsat. altero ea iustitiæ pars includitur, quæ ἀλλακτικὴ uocatur à philosophis, & ad contractus conuentionesq; hominum refertur: in qua Arithmetica uersatur proportio, quom scilicet omnibus ex æquo quod suum est impenditur. Ad hanc sponsionũ æqualitas, ad hanc spectat iuris iurandi sanctitas. In hac una fides, id est dictorum conuentorumq; constantia, dominatur. Nam in cæteris quas diximus partibus, non uideo cui usui fides esse possit: certè in eis aut nullum, aut omnino perangustum, mea quidem sententia, locum habere potest. XXIII

Illud quoq; uidetur in disquisitionem uocari posse, quur Cicero prudentiam loco principe inter uirtutes statuerit, quam in quartam demum classem, & post ipsam iustitiam Aristoteles collocarit, quom in fronte & inter antesignanos fortitudo ordinem ducat. Vterq; sanè uidetur iustis rationibus suam tueri posse sententiam: quando Cicero uidit prudentiã unam esse, quæ se cæteris ducem uirtutibus præbeat: meritoq; apud Platonem uice oculi fungitur. Nam planè ablegata prudẽtia exoculatæ sunt omnes, suumq; munus implere nõ possunt. Iure itaq; prudentiæ princeps locus debetur. Atqui diuersa ratio Aristoteli persuasit, ut in quartum locum eam reijceret. Tres enim priores uirtutes, fortitudinẽ puta, temperantiam & iustitiã parti animæ ratione carenti tribuit, easq; tantum moralibus adnumerat. Tum demum aliam diuisionẽ init eius animæ partis, quæ rationis est compos: quom eius partem alterã contemplationi earum rerum, quę semper eodem modo se habent, præficit: quo loco scientia & sapientia imprimis præpollet. Pars uero altera præsidet cõsultationi earum rerum, quæ neq; æternæ sunt, neq; eodem modo semper se habent. Hic autẽ prudentiæ primæ partes cedunt: quę quoniã certo quodam modo inter morales intellectualesq; uirtutes ambigit, ex eo in limite utrarũq; consulto ab Aristotele constituta est, & in quartum deniq; ordinem trãscripta. Cæterum quòd fortitudinẽ ante ipsa principia coordinarit, ideo factum uidetur: quoniã neq; temperãtia neq; iustitia sine fortitudine esse potest. Nam & si mutuo quodam inter se nexu uirtutes omnes morales contineantur, fortitudo tamen una omnium maximè ad continentiam temperantiamq;, & rursus continentia & temperantia ad iustitiã pertinet. Quid enim aliud est temperantia, nisi aduersus corporis uoluptates lucta? de quibus uoluptatibus iam euictis atq; expugnatis tẽperantia propemodum trophęum statuit. Iustitia uero quomodo suũ unicuiq; tribuat, aut suas alias functiões persequatur, nisi temperantiã in comitatũ adsciuerit. Ob hæc iure optimo princeps locus fortitudini fuit tribuẽdus. XXIIII

Cicero & hic & alijs multis locis extollit exemplum illud Reguli, quasi singulare quoddam fidei testimonium. Quod puto pulchre & cõmode in examen disquisitionemq; posse pertrahi. Sed prius ad uerbum sententiam Ciceronis transcribamus. M. Attilius Regulus quom Consul iterum in Africa ex insidijs captus esset, duce Xanthippo Lacedæmonio, imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare: iura- XXV

tus missus est ad senatũ, ut nisi essent redditi Pœnis captiui nobiles quidam, rediret ipse Carthaginẽ. Is quom Romã uenisset, utilitatis speciem uidebat: sed eam, ut res declarat, falsam iudicauit. Quæ erat talis, manere in patria, esse domi cũ uxore, cum liberis, quam calamitatẽ accepisset in bello, cõmunem fortunæ bellicæ iudicantem, tenere consularis dignitatis gradum. Quis hæc neget utilia? quæ censes? magnitudo animi & fortitudo negat. an locupletiores quæris autores? harum enim est uirtutũ proprium, nihil extimescere: omnia humana despicere: nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare. Itaq; quid fecit? in senatũ uenit. mandata exposuit. Sententiã ne diceret, recusauit: quamdiu iureiurando hostium teneretur, non esse senatorem. Atq; illud etiã (ó stultum hominẽ, dixerit quispiam, & repugnantẽ utilitati suę) reddi captiuos negauit esse utile. Illos enim adolescentes & bonos duces esse, se iam confectum senectute. Cuius quom ualuisset autoritas, captiui retenti sunt, ipse Carthaginẽ rediit: neq; eũ charitas patrię retinuit, nec suorũ. Neq; uero tamẽ ignorabat, se ad crudelissimũ hostẽ & ad exquisita supplicia proficisci: sed iusiurandũ cõseruandum putabat. Itaq; tũ quom uigilãdo necabatur, erat in meliore causa, q̃ si domi senex captiuus periurus & cõsularis remãsisset. Vidit Cicero q̃ parũ sapienter hoc factum sit à Regulo: occurritq; aliquot quæstiõibus, quæ intendi potuissent. maluit tamen positionem Stoicorum tueri, quàm ex sentẽtia decedere. Ita enim Ciceronis & scriptorum plerunq; mos est, inseruire tempori, & quo iure quaq; iniuria proposito patrocinari. Illud uero mihi primum petendum duco, quid Regulo persuaserit, ut legationem susciperet ad senatũ: ut se hostibus iureiurando obstringeret, nisi impetrasset ut captiui redderentur, se reuersurum. Nam si hoc iam secum ipse prælogitarat, captiuos reddi non debere, cur frustra homo senex tantum itineris, superuacuamq; operam aggreditur? cur hosti illudendum putat? qui nõ alia causa eum mittendum iudicauit, nisi ut operam daret adniteretur q; ut captiui redderẽtur. At Regulus non modo ea parte hostem fallit, quòd de reddendis captiuis nihil agit: neq; liberum iudicium, ut par erat, senatui relinquit: sed ipse contra fidem ac iusiurandum, contra morem patrię, (neq; enim erat facultas ei sententiã dicendi in senatu: neq; ciuis neq; senator erat, sed maxima capitis diminutione perculsus, atq; interim dum erat hosti obstrictus, nulla erat spes consequendi postliminij) ille inquam contra datæ fidei sacramentum non modo nõ suadet faciundum quod suadendum susceperat, sed quantum potest, hortatur ne id fiat, cuius causa legatus aduenerat. Quid est obsecro præuaricari? si hic non præuaricatur. Quid fidem frangere? si hic fidem non frangit. At patriæ utilitatem, dicat aliquis, fide hostibus data multo antiquiorẽ habuit. Verum hostes nõ utilitatis patriæ gratia, neq; ut suorum beneficio inseruiret, ei legationem ad senatum demandarũt, sed ut rem Carthaginensium utiliter procuraret, easq; partes obiret, & quæ ad fidem tanti uiri pertinere uidebantur. Quid quòd neq; suum, neq; suorum commodum uidetur satis intellexisse: quom patriam tanto ciue, amplissimum ordinem tam eximio senatore, totam denicq; rempublicam tam forti imperatore orbauit. Atqui adolescentes & boni duces, ipse senex & propè inutilis reipublicę. Quo modo inutilis, qui tãta patriam charitate complectebatur? An tu hunc inutilem, dum uiuit, existimare audes? An inutilis Appius? qui & senio confectus & captus oculis, Pyrrhum non admittendum intra urbem censuit præclara illa ratione de qua Ennius:

Quò uobis mentes, rectæ quæ stare solebant
Antehac, dementi sese flexere ruinæ?

An Cato, qui suprema propè ætate, dum securitati posteritatis consulit, arrepta recentis fici occasione Carthaginem delendam persuasit. Nam protinus tertium bellum Punicum decretum est: quo deinde Carthago interijt, quo tempore Cato iam è uita emigrarat. Quos uero tu mihi adolescẽtes narras? quos duces obijcis? ceu uero nesciamus præclarã illam Africani sententiã, qui unum se malle ciuẽ seruare, quàm multos hostes occidere profitebatur. At tu mihi sæpius fidem, iusiurandum, promissorum constantiam ingeris: quasi uero ego aduersus hæc non possim uxoris & liberorum & totius familiæ amicorumq; beneuolentiam, tum etiã patriæ charitatem &

cætera

cętera neceſsitudinum pignora regerere. Adde amoris uinculum, quo quiſq; ſibi natura inſtinctu deuincitur. Eſt id ſanè tenaciſsimũ atq; arcte nobis impreſſum: quod quom omnibus inſitum eſſe debet, tum ijs maximè, qui de ſotietate hominũ, qui de rebus mortalium poſſunt benemereri: ut eo quiſq; impenſiorem curam ſibi ac ſaluti ſuæ impendat, quo poteſt melius ac prolixius cõmuni hominũ conſortio accommodare. Turpe enim eſt & propè impium, eum ſe non tanti facere, quanti uirtutes & ſplendor animi & rerum à ſe geſtarũ gloria poſtulat. Quare ego, pace tanti uiri, non adeo Regulum laudauerim, qui uolens ac ſciẽs in eum ſe locum coniecit, qui ſibi atrociſsima ſupplicia & exitium cum ſumma ſuorum ciuium iactura excitauit. Quid uero dicam? quòd ſæuiſsimorũ etiam hoſtium cauſam meliorem fecit: qui quom illum acerbiſsime torquerent, eum meritas ſuæ perfidię ac παραβάσεις, id eſt uiolatę legationis, pœnas luere cauſabãtur. Scio Auguſtinum alio modo factum Regulli oppugnaſſe. Sed ego oratoria ἀναισχυντίᾳ uti malui, ne quis à me Regulum inuitum in Chriſtianorum ſacrarium tractum calumniaretur.

Illa quoq; Ciceronis ſentẽtia nõ eſt per ignauiã & ſocordiam prætermittẽda. Aít ille, Nec uero illa parua uis naturæ eſt rationiſq;: quòd unum hoc animal ſentit quid ſit ordo, quid ſit quod deceat in factis dictiſq;, qui ſit modus. Itaq; eorum ipſorum, quæ aſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinẽ, uenuſtatem, conuenientiam partium ſentit. Quam ſimilitudinem natura ratioq; ab oculis ad animũ transferens, multo etiam magis pulchritudinẽ, conſtantiam, ordinẽ in conſilijs factisq; conſeruandũ putat: cauetq; nequid indecore effœminateq; faciat, & quæ deinceps ſequuntur. Quæ ſit hæc in rebus agendis exercendisq; uirtutibus pulchritudo: quæ à rebus corporeis oculoq; ſubiectis ad animum transfertur, dignum uidetur ut in diſquiſitionem ueniat, ſubtiliq; iudicio æſtimetur. Quod mihi non aptius fieri poſſe uidetur, quàm ſi prius quid in rebus corporeis pulchrum, quid deforme ſit, cognoueri mus. Quando enim translatio intelligatur, niſi prius perſpectum habeamus illud ex quo translatio ſit accepta? eſt igitur pulchritudo, cuius iudicium ad oculos pertinet, reſponſus inter ſe partium apte & cõmode cohęrentiũ. Nam ſi unius corporis membra ſeorſum multo etiã artificio faberrime facta conſtituantur: caput, puta, thorax, pedes, lacerti: quę deinde coniuncta, & in unũ locum redacta, reſponſum & concentum non habeant: ea protinus oculos offendant, & deformia putentur neceſſe eſt. Eſt enim oculorum non minus quàm auriũ ſuperbum iudiciũ. Nam quom primum ſe eò conijciunt, unde abſit analogía, quam nos proportionẽ dicimus, refugiunt atq; auerſantur: hoc eſt quòd multi hominum licet parum iudicio polleant, quom tamen in ædificium à malo architecto dimenſum, aut in corpus à natura deſtitutũ, uel certè nõ abſolutũ reſpexerint: offenſam protinus ſentiũt, inuitiq; cõtuentur. Quomq; hoc illis eueniat: non tamen cur eueniat, rationem idoneam reddere ſatis poſſunt. Quin imò ſiquis eos adigat ad ſenſum ſuum declarãdum: illisq; particulatim obijciat, membra omnia & articulos ſuam habere ſpeciem: ut puta propylęum, columnas, epiſtylium, feneſtras, atrium in ædificio: in corpore aures, frontem, oculos, os, mentum: obmuteſcant neceſſe eſt, quò crimen intendant non habentes. Sed huc demum res uergit, ut partes laude non careant, ſumma accuſationem mereatur. Hæc autẽ ratio tantam habet uim, ut perſæpe illud omnium confeſsione eueniat: ut quom ſeorſum partes uel male audiant, uel non adeo cõmendentur: ſi tamen reſponſum inter ſe teneant, ab omnibus mirifice laudibus prouehantur, ſintq; apud pleroſq; multa in admiratione. Hic ille eſt, qui à noſtris decor, à Græcis χάρις nuncupatur, alius omnino à pulchritudine. Nam rationem pulchritudinis certã aliquam reddere poſſumus, decorem magis intelligere poſſumus quàm explicare. Ob id Apelles multos adſerebat pictores ſe longe præſtãtiores: ſed pleriſq; eam deeſſe, quam Græci uocãt Charita. Sic Catulus Roſcium peruerſis quamuis oculis amabat, ſic Anacreon næuũ laudabat in puero. Huius autẽ cõtemplatio late patet, ad omniaq; humana opera propè referri ſolet. Eleganter hoc expreſsit poeta Tibullus:

Quicquid agis, quicquid tractas, quocunq; moueris,
Furtim præcedit, ſubſequiturq; decor.

XXVI

Memini ego uirum bene eruditum, quom à me percũctaretur, quid de eius carmine sentirem. erat id alioqui ab omni uitio alienum, & ob id fortasse (ut Plinius Cęcilius inquit) uitiosum: sed nihil habebat quod aurem scaberet, aut quod ad legendum iterum inuitaret. Respõdi igitur, me in eo nihil habere quod damnarẽ: minus tamen ea re placere, quòd genio careret. urgebat, ut quis genius ille foret, declararẽ. Ostendebat leporẽ & grauitatem inesse argumento: latine omnia dicta esse: Barbarismi & solœcismi labem abesse: nihil non ex autoritate ueterum prolatum esse. Quæ omnia ego fatebar ingenue ita habere. Sed amice tamen admonebã in his tam incorruptis carminibus geniũ ac uenerem à me desiderari. Stomachabatur ille, & me morosum appellabat: cui carmen nõ placeret, in quo uitij nihil deprehenderẽ: & nescio quem genium, seu mauis uenerẽ dicere, rem planè ignotam & inexplicabilẽ desiderarem. Tum ego hominẽ hortatus sum, ut multus esset in lectione ueterum: ex quo ipse per se, modo hispidam aurẽ exueret, genium & uenerẽ illam agnosceret, quam ego intelligere quidem poteram, explicare autẽ non poteram. Abijt à me subiratus. Cæterum hæc à me dicta sunt, ut omnes sciant, decorem omnibus rebus esse insitũ: qui si delitescit, iaceant omnia oportet: sin emineat, ac se proferat, mirum dictu quàm omnes allicíat ac teneat. Hunc solet Iulianus Nasellus meus florẽ pulchritudinis appellare, quasi Græcum illud interpretetur, τὸ κάλλος ἄνθος. Responsum uero illud partium ex quo emergit pulchritudo, & hanc ipsam de qua dixi uenerem, cõmode admodum & graphice Catullus uersibus illis indicauit:

Quintia formosa est multis, mihi candida, longa,
Recta est, hæc & ego singula confiteor,
Totum illud formosa nego. Nam nulla uenustas,
Nulla in tam magno corpore mica salis.

Quęrat aliquis hæc sibi exactius declarari: & quomodo ex partiũ analogia hęc pulchritudo enascat, aut ex dissidentia & anomalia deformitas, quærat. Qua in re non recusabo sententiam meam aperire, studio magis obtemperãdi tuæ uoluntati quàm inseruiendi existimationi meæ. Illud ego habeo propè exploratum, mediocritatem æquabilitatemq; omnibus in rebus maximè expeti, utpote quę ubiq; gratiæ plurimũ conciliet. cõtrà uero defectus ac redundantia odiosa est, offensamq; omnibus rebus inuehit. Sicut ergo natura in re musica ita uoces temperauit, ut ad faciendũ concentum proportionem quandam inter se tueantur: sesqualteram puta, ex qua diapente: sesquitertiam, ex qua diatessaron: duplam, ex qua diapason proportio emergit: cuius totius concentus censuram imprimis aures exercent. Quòd si paulo altius intendatur, aut pressius quàm oporteat uox deprimatur, protinus aures fastidiunt, atq; iniuriam agnoscunt. Eadem quoq; ratione oculi non modo eruditi, sed eorum qui non omnino à sensu communi & uulgari iudicio abhorrent, simulac in id spectaculum inciderunt, quod ratione ac dimensione naturę careat: tacito quodam instinctu refugiunt, ac rem propositam auersantur. Nam ut exemplo res fiat perspicua, natura omnibus probe compactis corporibus eas dimensiones adiunxit, quas diligentes deinde artifices in senas partes secreuerũt: has rursus in denas unciolas: has postremo in scrupulos iterum denos: ita ut minutæ istę particulæ ad sexcentas usq; partiunculas succrescãt, quas Græci λεπτὰ dicunt. Ex ijs omnia membra artusq; & articulos corporum dimensi sunt: quæ analogia & respectus si absit, puta quom à mento ad imas capillorum radices quæ summã frontem attingunt, unciolæ septem interesse debeant, & inde ad capitis uerticẽ unciola una superaddi: quom inter genas latitudo unciolas quatuor, & scrupulos octo capiat: nisi hæ partes ad normam respondeãt, sed uel deliquium uel excessum patiantur, protinus corpus quadratũ esse desinit, & requisita proportione destituitur. Hãc eandem similitudinem, autore puto Cicerone, cõmode ac perbelle ad animi pulchritudinem referemus, id est ad omnẽ uirtutũ cõcẽtum. Quom enim uirtus in duorũ extremorũ medio statuatur, si locum suum teneat, admirabilis profecto animis hominum occurrit, suiq; amores incredibiles excitare consucuit. Sin à medio decesserit, & uel ad redundantiæ uel ad defectus lancem inclinare cœperit, tum ex dignitate & splendore suo tantũ amiserit, ut ex uirtute in

uitij

uitij nomen iam demigret. Exempla cuiq; in promptu facile esse possunt. uirum fortem eum appellamus, qui neq; terrore rerum formidabiliũ permouetur, neq; rursus temere aut intempestiue se periculis exponit. Hanc uirtutis æquabilitatẽ dum tuebitur, maximas utiq; laudes promerebitur. Quom autẽ ijs rebus permouebitur, quæ contemnendæ sunt, uel eas imprudenter subibit, ex quibus neq; gloria neq; utilitas cuiquam affulgeat, sed ambitiosa tantum quædam temeritas ostentetur: in quorũ altero defectus, in altero excessus agnoscitur: non est quod fortitudinis, id est uirtutis, appellatio conseruari possit. Pulcherrima enim illa, & præstantissima animi analogia, quæ ad uirtutes omnes respõsum habet, turpissime deformatur. Quod idem ad reliquarum omniũ uirtutum agmẽ referri potest. Nam neq; iustitia suum decus obtinebit, nisi mediocritate seruata: ut neq; ex alieno iure quicquam cuiquam adimat, neq; plus tribuat, quàm possit quisquam sustinere. Ob id inuentus est disceptator, quem Græci μεσίτην uocant, qui altera parte pręponderantem trutinam ad æquilibrium corrigat. Nam addendo uni atq; alteri detrahẽdo, recuperatorium iudicium exercet: omnibusq; iniurijs medetur, & iustitiæ faciem, qua nulla elegantior inueniri potest, ab omni noxa seruat immunem.

DE IMITATIONE
COMMENTATIO CAELII CAL
CAGNINI FERRARIENSIS AD IOAN. Baptistam Cynthium Gyraldum.

T VÆ literæ, uir clarissime, magnam mihi profectò spem attulerunt, rem latinam, & egregia studia, facile posse aliquando reparari, postquam & uos naturæ interpretes, & abditarũ artium professores, studetis pulcherrimas disciplinas cũ eloquentia cõiungere. Quas proximo seculo patres ac præceptores nostri, ita pugnare inter se existimabant, ut nulla conditione in fœdus coire posse iudicarent. Eratq; illa sententia iam recepta, atq; approbata, Philosophiam & Oratoriã aduersis frõtibus pugnare: eosdemq; philosophos & oratores nullo pacto posse reperiri. Sed eam sententiam persacile ridebunt, qui tuas literas legerint, utputà à summo philosopho profectas: in quibus tamen omnes dicendi ueneres, omnes eloquentiæ suauitates admiremur. Bene itaq; ac feliciter res habet: & recte sapere, & commode dicere conciliauimus: & iam linguæ pectus, lingua pectori succinit. Illud uero mihi iure admirari subit: unde tibi in mentem uenerit, requirere à me imitationis rationem, & quid illud sit quod nos potissimum imitari oporteat, quom tu ipse iam tantum dicendo profeceris, ut non modo tu te ipsum imitari possis, sed alijs quoq; exemplum præscribere. Sanè si ego ad te, hominem tantæ eruditionis, tantique profectus, de imitatione scribere quicquam ausim, periculum est ne quis me improbe facere clamitet, qui Mineruam docea m, in syluas qui ligna feram: præsertim cum ex tuarum literarum testimonio intelligam, te clarissimi cuiusq; conditoris super imitatione sententiã explorasse, ac propè nil inexcussum reliquisse: ut iam mihi, uel si ingenio maximè polleam, nihil fiat reliquum, quod in medium afferre possim. Proinde si à cæteris ad satietatẽ inculcata, ad aures reuocem, actum agam: sin abeuntes in diuersum sententias, quasi disceptator, trutina expendam, neq; rem facilem aggrediar, in tanta opinionũ uarietate: neq; id sine multorum offensa efficere possim. Ne igitur ad alterũ aut alterum scopulum offendam, hæc inita est à me ratio, atq; hoc propositum est temperamentũ, ut prætermissis aliorum sententijs, quid ipse sentiam, breuissime perstringam. In confesso est,

imitationem omni ætate fuisse perneceſſariam. quom enim ars nulla, nullaq; eruditio in ſuis initijs abſoluta inueniatur, ſed omnis per ſuos gradus producatur, ſanè eũ qui cupit celeres progreſſus facere, oportet quæ ab alijs inuenta atq; obſeruata ſunt, ea ſibi in exemplum proponere. Quod ni fiat, artes omnes ſemper ad limen ſubſiſtant, neq; ultrà progrediantur neceſſe eſt. Tantũ enim ſemper promouebunt, quantum unius hominis diligentia & cura adſequetur. Quæ uero ab alijs præmeditata fuerint, & præmunita, ea in obliuionẽ abire oportebit. Hac igitur ratione ars dicendi ſuis in rudimentis ſemper manebit: & qui animũ ad ſcribendũ appulerit, ſatis exiſtimabit, ſi ex tribus muneribus, quibus fungi debet orator, unũ modo aſſequatur: & quantum dicentis audientiſq; interſit, tantum poſsit dicendo proferre. Nam delectare, & permouere, aut parum, aut certe nihil ad ſe putabit attinere. Admirabiles ergo illas opes Demoſthenis, uberrimos illos flores Iſocratis, cumulatiſsimos illos Ciceronis theſauros, nullus agnoſcet: ſed quaſi tum primũ oratoria in lucẽ prodeat, nunquam ultra infantiam promouebit. Hoc enim accidat neceſſe eſt, ſi ex rebus humanis imitationem ablegaueris. Quam quom omnium qui recte iudicarunt, cõſenſus approbauerit, tum maximè in dicendo hoc noſtro ſeculo neceſſariam opinamur: quo non ſolum eloquentia deſijt, ſed uernaculus etiam ille maiorum noſtrorum ſermo in deſuetudinẽ abijt. Cuius locum fœdiſsima barbaries, ex uariarũ gentium colluuione, quæ ſuperioribus ſeculis Italiam inuaſerunt, coalita occupauit, ut iam proprias & conſuetas patrum & auorum uoces requiramus. Quid dicam, quod huic uitio, quod par fuit omnibus machinis à nobis deturbari, ita patrocinamur, ut iam inuenti ſint, qui illud rationibus foueant, & certis regulis adiuuẽt, & ſi Dis placet ueræ ac germanæ latinitati præferant? Quæ res multa præclare nata ingenia in tranſuerſum abijcit: quippe quæ inuentis, paratisq; frugibus, glandibus tamen ueſci malint. Hoc eſt, hoc ſcilicet quod efficit, ut imitationis præſidio magis egeamus. Nam antequam maieſtas imperij Romani peſſum iret, & ſplendor Latini nominis obſoleſceret, quom cætera ad imitationem uocarentur, uerba certè cum lacte nutricis hauriebamus. neq; in ijs quærendis multus labor relinquebatur: ſponte ſiquidem intra priuatos penates occurrebant. Nunc autẽ in tam perdita tempora incidimus, ut in uerbis perquirendis etiam fruſtra laboremus: niſi ad ueteres, & receptos conditores perfugiamus, quorum autoritate innitamur, quos imitemur, quorum exempla mutuemur. Nam protritæ uoces illæ, quibus non dico uulgus, & tabernarum mancipes utuntur, ſed ipſi proceres qui rerum in Italia potiuntur, tantum abeſt ut præſidij aut cõmodi quicquam nobis ad eam rem afferre poſſent, ut multo maximè à uia nos deducãt, & tranſuerſos agant. Decepti enim uicinitate, & quaſi uocũ imagine, manifeſtos etiã ſolœciſmos barbariſmosq; incurrimus, adlecti præſertim tabellionum & exceptorum frequentia: qui omnes has ſordes in tabellas formulasq; ſuas non dicam promiſcue, ſed ambitioſe, & cum plauſu congerunt: resq; mira dictu euenit, ut quanto quiſq; corruptius dixerit, eo inter ſuos populares maiore laude prouehatur, idemq; ampliore quæſtu dignus exiſtimeẽ. Quid uerò ego in hoc cenſu tantũ tabelliões, & exceptores appello? quom iuris Romani, & ſanctiſsimæ philoſophiæ, aliarũq; pulcherrimarũ diſciplinarũ profeſſores in hoc maximè errore uerſent? Nã poſtquam artem dicẽdi à rerum cognitione excluſerunt: id eſt (ut clarius dicã quod ſentio) poſtquã antiquos ſcriptores imitari deſierũt, accidit illud, quod fuit neceſſe, ut optimas & ſplendidiſsimas cõmentationes fœdiſsime inquinauerint. Non enim iam ex fontibus & conceptaculis, ſed ex impuriſsimis lacunis uerba & totam dicendi rationem corriuant. Hi ſunt, apud quos ſol & homo hominẽ cauſantur. & qui arcanos naturæ effectus cõtemplantes, admiratione afficiuntur: quiq; quod in obligationibus præſtare debent, illud ſe manu tenturos pollicentur. tametſi ſuam cauſam tueri ſoleant ea ratione, quòd plus pectori quàm linguæ tribuãt: quodq; egregie ſentire quàm perpolite loqui, longe præſtet. Nunquam tamen illud effugient, quin iure uitio detur, eos res præſtantiſsimas, ac præcipuę æſtimationis, in ordinem redigere, ac neglectui habere. Quòd ſi, qui per deſidiam feracẽ agrum ſinebant ſterileſcere, uel equum ex publico acceptum incurioſe habebant, & ſtrigoſum eſſe patiebantur, ijs cen-

ijs censoria nota inurebat: quãto iustius dãnaueris qui admirabiles opes ingenij, qui philosophiã, tam quæ ad mores & ad naturã, ꝙ quæ ad inquirendã ueritatẽ spectat, rẽ inter omnes sanctissimã, qua nihil maius aut melius à dijs immortalibus hominũ generi datũ fatemur, despicatissimo orationis genere deformãt atq; conspurcãt: nõ secus ac perditissimi illi ganeones, qui in Dionysij Syracusani cõuiuio exquisitissimas epulas inspuebant, ut soli ipsi sine æmulo heluarentur, ac cæteros conuiuas rei fœditate ab ijsdem absterrerent. Et sanè proximæ ætatis philosophis res magna parte ex uoto processit. nã plericq; auspicato literis initiati, perterriti portentoso oratiõis genere, cognitionẽ maximarũ atq; optimarũ rerũ auersati sunt. Sed ego parcius hãc partem attingã: quòd illud genus hominũ pridem multorũ & clarissimorũ stylo explosum atq; proscissum est. Ego certè de ijs nulla alia causa mentionem feci, nisi ut omnes intelligãt, ob id eos in hanc tam iustam accusationẽ incidisse, uel quòd nescierint, uel quòd graue duxerint ueteres imitari: suoq; ingenio freti, quod in ipsis fuit, circa abstrusas ac profundas cogitationes se exercuerint: quod uero aliunde seligendum fuit, dicendi scilicet facultatem prorsus abiecerint. ex quo factum est, ut quæ natura seiungi non poterant, orationis & rationis consortia (quę ideo nobis data sunt, ut nõ modo nobis sapere, sed recte etiam alios possemus admonere) dissilire ac dissidere cœperint. Sed hæc uetus expostulatio: cui facilius obtrectare possimus, ꝙ mederi. Ex hac tamen nõ difficulter fortasse elici potest id, quod tu Cynthi à me per literas efflagitabas: Quid sit illud scilicet potissimũ qd̃ in imitationẽ ueniat. Recte eñ mihi uideor posse respõdere, in eo plurimũ esse imitationi locũ, in quo minimus est ingenio. Dicã hoc apertius, si potero: ut intelligas, me desiderio tuo, si modo facultas affuisset, nõ defuturũ fuisse. Ex ijs quę in ratione dicendi ueniunt, quædã insita sunt in re nobis proposita, quędã in nobis: quędã neq; in re, neq; in nobis, sed peregrè accersunt. Quòd si exẽplo uti lubet, quo res fiat illustrior, dicamus inuẽtionẽ in re esse. Nã dicturus de cęde Clodij, statim tibi propõis seriẽ ac rei ductũ ad ueritatẽ maximè accõmodatũ. Et quid prius, qd posterius factũ sit, quid postq; ad manus uentũ est, ꝙ potes perspicue, conaris enarrare. Non ꝙ nõ possis ingenio quædã præmollire, aut exasperare, ut Cicero fecit, Clodiũ insidiatorẽ ostendens, eumq; quantũ potuit in inuidiam uocans: contrà Milonẽ ab omni eximens suspicione: impudens tamẽ sit, qui tam longe ab historia & à re ipsa gesta euariet, ut nota inficietur, & causam prodidisse suam in ipsis statim initijs coargui possit. In nobis erit exordij apparatus, ut attentum, docilem, beneuolum auditorẽ protinus reddamus. Id facile fieri poterit, si naturam atq; ingenium hominũ, apud quos dicimus, perspexerimus. aliam enim præfationem Cato, aliã Cæsar approbauerit. Tum quomodo quis attentus, docilis, ac beneuolus effici possit, à nobis petimus. Eadẽ ratione natura nobis suppeditabit, quid prius, quid posterius, quid in medio orationis statuamus: unde elucet admirabilis illa dispositionis coordinatio: qua qui commode uti nouerit, hunc Plato dijs cœlestibus parem existimat. Ad eundem calculum uenit ea pars, quæ argumẽtis colligit & probat, aut diluit ac refelit alienas argumẽtationes: In qua si quãdo cõminus conferamus pedem, altercatio appellatur: quæ una pars omnium maximè paratũ atq; procinctum ingenium postulat. Peroratio autẽ & amplificatio, nouissimæ quidem illæ, sed omnium potentissimæ orationis partes, & si à re ipsa multum trahunt, ab oratoris tamen industria ac uehemẽtia imprimis pendent, animorum motus comitantur. Et hæ quidem omnes licet in nobis sitæ sint, suaq; in nobis habeant seminaria, à re tamen, & à subiecta materia opes & temperamentum quoddam acquirunt: & ut ita dicã, se ad argumẽti propositi imaginẽ propemodũ effingũt. Sola est memoria, quæ ita in nobis tota delitescit, ut à naturæ beneficio magis ꝙ ab ingenij facultate pendeat. Ex ijs quæ neq; in re, neq; in nobis posita sunt, sed tota peregrè aduenium, ea pars est, quæ ad dictionẽ spectat, quæ orationi supellectilem & domesticum instrumentum subministrat: & ut ita dicam, tectorium superinducit. quam unam propriã oratori existimauit Cicero: eamq; ita admiratus est, ut eius explicandæ gratia nobilẽ illum ad Brutum librũ scripserit, cui titulum Oratoris fecit. Certè apud Græcos rhetorice non aliunde nomẽ accepit. Facit enim phrasim: id est, eloquentiæ corpus ab-

ſoluit. Et quom cæteræ partes reliquis artificibus cõmunes cum oratore ſint: nam & præfari, & inuenire, & mẽbra digerere, tũ refellere & aſſeuerare, & certo fine cõcludere quę ſcripta ſunt, ſolẽt omnes, qui nomẽ literis dederũt: ſed dicere pro dignitate, & uerba inuenire rei propoſitæ accõmodata, hoc uerò proprium eſt & præſtantiſsimum magni illius eloquẽtię inſtitutoris munus: hoc illud eſt, quod nemo per ſe ſuisq; uiribus cõfiſus, uel diuturnitate temporis, uel aſsiduitate ſtudij, uel ingenij felicitate unquam adſequetur. hic regnat, hic rerum potitur imitatio. Quiſquis uero hac parte imitari faſtidit, poteſt ipſe ſibi placere fortaſſe, mihi uero planè operã fruſtrat̃: eiusq; profectus cõclamatos, ac prorſus defletos puto. Nã quom in oratione præcipua uirtus ſit perſpicuitas, qui poteſt ille plane ac latine loqui, qui neſcierit ſe proprijs uerbis id poſſe adſequi? Propria aũt uerba appellarim, quæ in loco nata ſunt ad rẽ ipſam ſignificãdã: qualia ſunt, quæ à Varrone primigenia nũcupant̃. Eius generis ſunt, quę magnus ille dialecticus in Cratylo apud Platonẽ inuenit: quę ſummus philoſophus, non ille quidẽ naturaliter facta, (ſic enim eadem eſſent apud omnes gentes) ſed hauſta ex proprietate naturæ exiſtimauit. Quòd ſi exornãdę orationi quis ſtudeat, quomodo id melius facere poteſt, quàm ſi translatis cõmode uocibus frequenter utatur? Translatæ aũt uoces ſunt, quæ ex loco in quo natæ ſunt, in alienum migrarunt: quæ quaſi ſtellę orationi interſeruntur. Omnia aũt uerba aut ſeorſum, aut in cõtextu conſiderantur: ſeorſum, ut pura ſint, uſitata, & rem ſignificantia. Quom enim oratio inſtituta ſit in auditoris maximè gratiam, quàm indigna laude ſit, ſi obſcura fuerit, & apud homines conſummatæ præſertim lectionis, egeat interprete? In contextu autem orationis uerba concinna ſunt, apte inter ſe cohærentia: quæ in ingreſſu orationis, & in exitu, maximè uoluptati aurium inſeruiant. Illud uero cum prudentia coniunctum eſt, ut qui dixerit, intelligat, ac ſecernat, in quo genere uerſetur oratio. Nam eloquẽs ille, quem ſe perſępe quæſiſſe, nunquam autẽ inueniſſe Antonius profitebatur, cognoſcet à ſe humilia ſubtiliter, magna grauiter, mediocria temperate eſſe tractanda. At hæc tam diuerſa nemo effecerit, niſi qui ſuſcepto argumento obſecundauerit, & ad genus dicendi uerba temperauerit: ex ijs innumera ſchemata, ex ijs antitheta, ex ijs epicheremata, & cætera in dicendo lumina effulgent. Quid dicam de numeris? quibus quaſi amentis contorta oratio fulgurat, tonat, & in animos hominum tyrannidem exercet: utpote quos pro arbitrio in omnem faciem tum odij tum miſericordiæ tum indignationis cõmutat. In numeroſa oratione Ariſtoteles pæana quartum omnibus præfert. Cicero, Brutus, atq; alij longe diuerſa ſentiunt. Dichorius Aſiaticis oratoribus familiaris eſt, & propemodum in delicijs habetur: & ſi uera fatemur, non eſt alius qui apertius auribus blandiatur. Quanta enim acclamatione Ciceronianum illud ex Roſciana exceptum eſt? Quid tam cõmune quàm ſpiritus uiuis? terra mortuis? mare fluctuantibus? littus eiectis? Ita uiuunt dum poſſunt, ut ducere animam de cœlo nõ queant: ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, ut nunquã alluantur: ita poſtremo eijciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui cõquieſcant. Ego uero (ut dicã quod ſentio) hunc auriũ pruritũ in ijs omnibus pedibus animaduerto, quos quatuor ſaltem ſyllabis metimur, & proximam à fine attollunt. Sit exemplo illud ex Corneliana: neq; me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi uenalitij mercatoresq; ſuperarũt. ob id pæana tertium quarto multo libẽtius prætulerim. Hinc ſe germanos Ciceronis exiſtimabant, qui hoc fine periodum clauſerãt, eſſe uideatur. Atqui hunc uerborum delectũ, hunc apparatum nemo adſequi poteſt, niſi qui ſe aſsiduæ accuratæq; lectioni dederit: qui in uoluendis ſcriptoribus, ijsq; præcipuis, ſe diu exercuerit: & quaſi cõcoxerit, ut adſcribendũ deinde ſubactam operã afferat. Vera eſt enim imitatio, quæ hac parte plurimũ polleat. hęc obſeruat, excerpit, ſeponit: quæ, quom tẽpus poſtulauerit, quaſi ex penu depromat. Hæc olim erat oratori accõmodata, quom adhuc in ipſis crepũdijs Latinę linguæ caſtitas ageret, quom in theatro uoce una parum cõmode enunciata, uniuerſus populus actorem exibilaret. Cur enim Cicero de bono oratore pronunciaturus ad populũ prouocat? Cur Demoſthenes una dictione corrupte, ſed ea conſulto prolata, αἰσχύνης μίσθωτος ὦ ἄνδρες, ἢ οὔ; acclamationem totius populi Athenienſis emeruit

fis emeruit, μιδωτος, nisi quòd protritæ ac peruulgatæ erant dictiones, quibus docti indocti promiscue utebantur? Alioqui anicula una olitrix non annotasset affectatum atticismum in Theophrasto. Ex quo nobis multo maxima illa difficultas assurgit, de qua paulò antè diximus: dediscendi scilicet uerba corruptissima, quæ alij Gotthis, alij Longobardis, alij Maurís & Vandalis accepta ferunt: ego ex omnium fece hausta contenderim. Nouissimus autem labor incumbet ediscendi atq; ebibendi, scriptorum ueterũ beneficio, non dico quæ optima sunt: (nam in hoc ueteres salua adhuc populi uictoris gentium maiestate elaborabant) sed ea quæ non sint pessima: quæ si nõ ornamentum orationi afferant, certè dignitatẽ non detrahant. In collocatione autẽ uerborum, & numerosa oratione, illud non dissimulabo, nonnullam quoq; partem naturæ deberi, quæ acutis & grauibus omnem pronunciationẽ modulata est: in imitatione tamẽ certum est partem longe maximã, & ipsam quodam modo summã esse positam. Hinc est quòd Platonem legentes, heroicam quandam amplitudinem haurimus, & afflatu propè diuino incitamur. Qui uero frequentes sunt in lectione Isocratis, hi comptam, & undiq; picturatã orationem effingunt, palæstræ quàm iustæ pugnæ multo aptiorem. Qui apud Demosthenẽ uersantur, hi bellicum quendam concentum animo concipiunt, ut paulo minus ad arma prosiliant, & iam cædẽ & sanguinẽ spirent, & uulnera afferre & accípere honestum putent. At quom M. Ciceronem adimus, Di boni, quis habitus oris? quæ animorum imago nõ se nobis ingerit? quantis ille hastas lacertis in orationibus iaculatur? quos ille clamores, quos tumultus elicit, quoties indignat? quos ille luctus, quas deplorationes animis inspirat, quom misericordiæ uela intendit? Quale illud: O me miserum, ó me infelicem. reuocare tu me in patriam Milo potuisti per hos: ego te in patria per eosdem retinere non potero? & quæ sequuntur. Quæ tantũ secum ignis cõuehunt, ut totus auditorum animus exardescat. Quid in ijs libris, quos de philosophia cõscripsit? quàm presse ingreditur? quàm luculenter enarrat? quàm fortiter redarguit? quàm constanter asseuerat? In ijs autem libris, quibus rationem dicendi prosecutus est, rem planè admirabilem præstitit: ut quom libri illi minime sint eloquentiæ capaces, is tanta tamen eloquentia illos exornarit, ut non aliunde libentius eloquentiæ rationẽ mutuẽris. Et quota hæc portio innumerabilium laudum? quas eminẽtissimus ille, & planè incõparabilis orator promeruit, lõge omni inuidia maior: quas præter Ciceronẽ nemo facile enumerauerit. Sed nos hęc pauca ea tantũ causa attigimus, ut omnes intelligant, ei qui profecturus est in dicendo, imitationem optimi cuiusq; esse necessariam, qua abiegata ac reiecta, omnes conatus iacere, ac non aliter esse destitutos oportet, quàm si nauis oneraria pacato in mari, remittentibus uẽtis, inhibentibus nautis, fluctuet tantum, neq; promoueat, neq; præstitutos portus sibi unquam polliceatur. Quòd si nemo dubitat, quin ad imitandum optimus quisq; delegendus sit: neq; id dubitabit, Ciceronem sine cõtrouersia longe omnibus esse præferendum. Nam ex cæteris una aut altera uirtus peti potest, hic unà omnia implet munia, solusq; pomœria Romanę eloquentiæ tantũ protulit, quantũ imperatorũ nemo uictricibus armis imperium propagauit: ut non iniuria Apollonius Molonis, quom Ciceronẽ Rhodi orantem audisset, ingemuerit uicem Græcorum, quibus quom Romana uirtus imperiũ abstulisset, id, quod unum reliquũ erat, eloquentiã scilicet, Cicero quasi spoliũ ex deuictis ingenijs in Romanã urbem referret. Nec à me quisquam putet hæc ideo dicta esse, quòd cæteros scriptores in ordinẽ redigam, aut suo honore fraudatos uelim. Absit enim à me hic furor. An ego Cæsarem nõ suspiciam? qui ea scripsit animi magnitudine, qua depugnauit. Certè ego, si mihi argumentũ afferatur, in quo ille uersatus est, Cæsarem quàm Ciceronẽ imitari malim. Quid Liuium? quid Salustium? utrunq; diuersa uirtute eminentẽ. quid Celsum in re medica? quid Columellã in re agresti? Certè in historia naturę C. Plinijũ facile omnibus prætulerim: in cuius descriptione, nemo mirificas illas opes feliciore penicillo expressit: nemo dulcius, nemo aptius Aristotelẽ, Theophrastum, totamq; illam doctissimã antiquitatem sub cõpendio repræsentauit. Certè me loca quædam ex Cicerone excerpta, & à Plinio repetita conferentem, ingens admiratio peruasit, quom ea cõmodius ac subtilius à Plinio enarra-

narrata(meo quidem iudicio)offendiſſem:uſq; adeò multi intereſt,cui quis materiæ deſcribendæ nomen dederit.Mirum eſt enim,quantum in eo quiſq; promoueat, ad quod à natura factus uideatur.Sed corrupta adeò ad nos Pliniana lectio peruenit,ut (quod aiunt)Samnium adhuc quæramus in Samnio. Solent hoc nõ nulli percunctari,nunquid ab eo,quẽ nobis imitandũ propoſuerimus,liceat eadem prorſus uerba,nihil immutata,nihil inuerſa,in noſtra ſcripta transferre? Anceps quæſtio,& ſuper qua neq; uerba,neq; rationes deſideres:ſeu tu hanc,aut illã partẽ propugnandã, ſeu oppugnandã ſuſceperis.Quòd ſi teſtimoniis uti malis, autoritas clariſsimorũ ſe utrinq; profert.Mitto cęteros. Sanè Vergilius, Belli ferratos rupit Saturnia poſtes; &, Vnus qui nobis cũctando reſtituit rẽ: aliaq; loca innumera tũ ab Ennio, tũ ab aliis priſci ſeculi ſcriptoribus bona fide fœneratus deprehendit. Sicut illud à Cicerone detorſit, Proximus huic longo,ſed proximus interuallo. Sed & ipſe Cicero: Timor mihi omnẽ ſapientiã expectorauit.Et illud:Arcẽ facere ex cloaca. Nónne & illud Terẽtianũ à Liuio Andronico acceptũ eſt? Tute lepus es, & pulpamentũ quæris. Cõtrà alius dixerit,imitationẽ nihil eſſe aliud niſi imaginem,ad quam ſtylum quis orationẽq; cõformet. Atqui in imagine quædã ſimilia, diſsimilia quædam ſunt; nulla ſunt eadẽ. Nam ſi eadẽ,tum uero eueniet illud ridiculũ, quod Lucianus argute illuſit in loue Tragœdo:ut tunc Demoſthenem pulchre imitati uideamur, quom Demoſthenis orationem trãſcripſerimus: & manifeſto in plagio deprehenſi, quaſi cornicula Aeſopi ſpectatoribus riſum præbeamus:uel conuicti adiudicatiq; creditoribus,nexum ineamus. Sanè huc cenſuram direxit Ariſtophanes, quom præfectus bibliothecæ Ptolemæi, adiuratiſsimos ſcriptores proſcripſit: qui tanti exiſtimarunt aliena monumenta ſuis chartis inſeruiſſe,ut ea protinus ſui mancipij facta eſſe iudicarent.Sunt etiam,qui ab aliis accepta ideo mutanda non putent, quòd priores illi optima quæq; inuaſerint:quibus peiora ſubſtituere,non modo turpe ſit,ſed etiam temeritati finitimum.Rurſus alij fortiter audendum,& cum antiquis intrepide digladiandum ſuadent. nunquam enim nobis uerba defutura, uel propria, uel translata, uel ex contrario deducta.Exemplo ſit, ea res mihi perpetuò memoriæ condita manebit,eam rem nulla ętas mihi expunget aut delebit ex memoria,ea res nulla unquã obliuiõe obſoleſcet.In priore illa ſentẽtia fuit Cicero, cuius uerba ſub perſona Craſſi enunciata ſubijciam,ut res melius intelligatur. In quotidianis autẽ cogitationibus equidem mihi adoleſcentulus proponere ſolebam illam exercitationẽ maximè, qua C. Carbonem,noſtrũ illum inimicum,ſolitũ eſſe uti ſciebam:ut aut uerſibus propoſitis quàm maximè grauibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem,quẽ memoria poſſem comprehendere, eam rem ipſam quam legiſſem, uerbis alijs quàm maximè poſſem lectis pronunciarẽ. Sed pòſt animaduerti, hoc eſſe in hoc uitij, quòd ea uerba quę maximè cuiuſq; rei propria,quęq; eſſent ornatiſsima atq; optima, occupaſſet aut Ennius, ſi ad eius uerſus me exercerem:aut Gracchus,ſi eius orationẽ mihi forte propoſuiſſem.Ita ſi ijſdẽ uerbis uterer,nihil prodeſſe:ſi alijs,etiam obeſſe,quom minus idoneis uti conſueſcerẽ. Aduerſus Ciceronem ſtat Quintilianus: & grauiſsimo oratori, cui aliàs reuerenter ſemper adſurgit, audacter repugnat. Eius quoq; uerba nõ pigebit adſcribere,ut quod præclara ingenia utrinq; attulerint, agnoſcatur.Neq; ego φιλοφρασιν eſſe interpretationẽ tantum uolo,ſed circa eoſdem ſenſus certamen atq; æmulationem:ideoq; ab illis diſſentio,qui uertere orationes latinas uetant:quia optimis occupatis,quicquid aliter dixerimus,neceſſe ſit eſſe deterius.Nam neq; ſemper eſt deſperandum, aliquid illis quæ dicta ſunt melius poſſe reperiri:neq; adeo ieiunam & pauperẽ natura fecit eloquentiã, ut una de re belle dici niſi ſemel non poſſit. Niſi fortè hiſtrionũ multa circa uoces eaſdẽ uariare geſtus poſſunt, orandi minor uis eſt,ut dicatur aliquid,præter quod in eadem materia nihil dicẽdum ſit. Sed eſto, neq; melius quod inuenimus ſit, nec par, eſt certè proximus locus. An non ipſi nobis ac ſæpius de eadem re dicimus, & quidem continuas nonnunquam ſententias? Niſi forte contendere nobiſcum poſſumus, cũ alijs non poſſumus. Nam ſi uno genere duntaxat bene dicetur, fas erit exiſtimari, præcluſam nobis à prioribus uiam in dicendo.Nunc uero innumerabiles ſunt modi,plurimæq; eódẽ uiæ ducunt:ſiue breuitatis

uitatis gratia, siue copiæ. alia tralatis uirtus, alia propriis. hoc oratio recta, illud figura declinata cõmendat: ipsa denicq; utilissima est exercitatiõi difficultas. Quid quòd autores maximi sic diligentius cognoscũtur? Nõ enim scripta lectione secura transcurrimus: sed tractamus singula, & necessario introspicimus: & quantũ uirtutis habeant, uel hoc ipso cognoscimus, quòd imitari nõ possumus. Quòd si mihi in re controuersa liberum permittatur iudicium, illud uideor sine cuiusquam iniuria posse dicere: quædã esse tam propriè, tam appositè, & ad rem explicandam accõmodate dicta, ut uix cõmutari possint, nisi in deterius. quale Cæsarianum illud: Altero cõmeatu omnes copias trans flumen exposuit. Et Plinius Cæcilius, quom lachrymas uectigales eorum appellauit, quorum hæreditati pars detrahebatur, nõ potuit efficacius rem cõmonstrare. Quom Cicero integrum discipulum uocauit, satis indicauit hominem nullis adhuc imbutum rudimentis. Neq; illud Ciceronis quisquam melius dixerit: Aut opus sartum redimere, aut operam in diem locare. Quòd si hæc usui ueniãt, nemini fraudi duxerim, iis sine ulla interpolatione uti. Quòd si quis immutare tenta uerit, me quidem iudice, non id faciet sine affectationis suspicione. Sed quom multo plura sint, quæ uariis modis dici atq; ornari possint, & (ut ita dicam) eloquentiæ capacia sint: is apud me longe potior fuerit, qui pluribus luminibus orationẽ uariauerit, & copiam in dicendo suam approbauerit. Quam rem uideo Senecam Ouidio uitio dedisse. Sed uitium hoc tam amabile est, & magnis ingeniis tam peculiare, ut nõ altero libentius uelim bene institutos adolescẽtes laborare. Illud erit in imitatione præcipuum, ut à pari, à simili, & quasi ex eadem uicinia multa cõtrahas, & quasi reponas. Exemplo sit illud. Cicero dixit, turpe esse amicitiã ad calculos reuocare. Tu hanc dicẽdi imaginẽ mille modis effinges, multiformiq; persona indues. Nam & beneficentiam nihil reuocare ad calculos, & probos in promerendo calculis nõ uti, & ingratos uocandos esse ad calculos, & neminem esse qui cum bonitate summi numinis possit calculis decidere: & legem Talionis tacito consensu antiquatam, quòd paribus calculis iniuriæ pensari non possint, cõmode pro loco & re præsente dixeris. Quærunt humanarũ artium studiosi, quis fuerit celeber & ore omniũ dictus canon Polycleti. Ego eum Doryphorũ illum uiriliter puerum fuisse arbitror, ex quo omnes omnium membrorum exemplum sumebant artifices: nõ ea quidem ratione, ut tam excellentis imaginis membra conuellerent: sed ut numeros eosdem tantũ eandemq; proportionẽ seruarẽt. Solus enim ille artem fecisse artis opera iudicatur. Illud quoq; testatum uelim, nullam esse partẽ in arte dicendi, quę diuturna lectione, solertiq; imitatione nõ multo fiat melior atq; auctior: siue illa ex re pendeat, siue ex dicentis ingenio. Nam & exordia, quæ ex re petuntur: & inuentio, quæ insita est in re: & coordinatio, quæ ingenij functio est: cætera denicq; quæ superius enumerauimus, si ad imaginem optimi & probatissimi cuiusq; referantur, infinitum est quanto cultiora absolutioraq; effici possint: sicut & reliqua naturę bona, si manu tractentur, & mangonis artificio expoliantur, supra fidem splendescũt atq; illustrantur. Me igitur iudice, primus locus sit imitationi in delectu uerborum, seu quæ ad rem examplificandam, seu quæ ad exornationẽ pertineant. In reliquis autem, secundarius & postremus subsideat. in actione incertum est, plus natura an cura ualeat: certè suauitas uocis, & literarum expressio, quam in Catulis laudauit antiquitas: quin & oris probitas, dignitas corporis, & faciles membrorũ flexus, naturæ debentur. Nec tamẽ huic omnia. alio qui Demosthenes non tantum operæ dedisset Andronico hypocritæ: nõ Augustus Phonasco: non Cicero toties cum Roscio & Aesopo contendisset: neq; idem optasset aliquot locis suum sibi oratorẽ non quidem palæstritã, sed neq; omnino ἀπάλαιστον contingere. Atqui ne illud quidem omittendum puto: hanc ipsam imitationem, quam candidatis studiorum ita cõmendatam uolumus, ut sine ea propè inanis sit omnis opera, tunc demum non solum inutilem fore, sed iacturam etiam allaturam iis, qui iam suis uiribus uti possunt, & (quod adagio tritum est) sine cortice natare. Alienis enim semper uestigiis hærere, & serperastris (ut ait Varro) eum uti, qui per ætatem stare possit, atq; ingredi, non modo turpe est, sed periculum etiam. quom non facile eorum uires coalescãt, qui alienis pedibus incedunt, alienis manibus pugnant

gnant, alienis oculis uident, aliena lingua loquuntur: sui denicq; obliti, alieno spiritu uiuunt. Quippe hoc ijs per me liceat, qui nondum in suam tutelam uenerunt: quicq; per ætatẽ præmanso adhuc cibo aluntur: quorũ adhuc membra fascijs effinguntur. At quorum adulta est ætas, & firmiores lacerti, ij iam prodeant ex umbra, iam proliant in campum, iam cum ipso lanista contendant, à quo olim solebant dictata accipere, suascq; cum eo uires expendant: nec cedant, sed contrà potius adsurgant, periculum facturi, an ipsi quoq; possint ordinem ducere, & suo Marte de gradu aduersarium dejicere. Nec sanè hoc loco mihi absurdũ uidetur eius fabulæ meminisse, cuius autorem habeo Alexandrum ex Aphrodisiade, philosophum & in Academia & in Lyceo præstantissimũ. In lucem ediderat Venus Cupidinẽ. Mirabatur dea, quòd multos post menses à natali die nihilo auctior fieret Cupido. Quæ causa eius moraretur incrementa, neq; intelligebat, neq; quid facto opus foret, aut quomodo huic mederi posset incõmodo prospiciebat. Fatidicam igitur anum Themin adit, consulit, responsum accipit: nõ ante illum iustos auctus habitũrum, quàm Venus alterum filium peperisset, in cuius æmulationẽ ille succresceret. Venus responso Themidis accepto, it in Martis complexum, filiũ alterum parit, cui nomen Anterotis imponit; ceu tu Anticupidinis dixeris. Tum uero mirum dictu, quàm repente, quàm feliciter adolescit ille. Certatim dixeris alterum in alterum cõtendere, uter pulchrius ac præstantius se porrigat. Mirantur dij cæteri, tum uero imprimis parẽtes, tam egregiam prolem exurgere. Ex ijs puto facile colligas, nulla præclara ingenia posse ingentes profectus facere, nisi habeant antagonistem (ut Græci dicunt) qui cum decertent, qui cum colluctentur. Neq; solum oportet, ut cum æqualibus, uiuentibusq; contendamus: sed cum ijs etiam, qui olim scripserunt, quos mutos magistros appellamus: alioqui futuri semper infantes.

DE IVDICIIS SEV

DE RATIONE IVDICANDI LI

BER CÆLII CALCAGNINI, IN GRATIAM Seraphini Iacobelli inceptus.

OBSEQVAR desiderio tuo Seraphine doctissime, & ad te uirum in iudicando non modo prudenter, sed etiam feliciter uersatum De ratione iudicandi scribam: non ea causa, quòd ex meis commentarijs accedere quicquam possit ad eam iudicandi peritiã, quam tu diuturnis lucubrationibus & multa exercitatiõe es assecutus: sed ut nostra legẽs, te tuosq; mores quasi ex speculo agnoscas: gratulerisq; tibi, quòd ea quæ nos uel meditando inuenimus, uel legendo excerpsimus, uel iudicado annotauimus, tu sine monitore, te ipsum tantum & ingenij tui bonitatem habens in consilio, pridem obiueris: ut intelligant omnes, tibi multo esse facilius id exequi, quod nobis scribere nõ fuit admodum difficile. Nec sanè mirum cuiquã id uideri oportet, cui ætatis tuæ rudimenta & studiorum incunabula perspecta sunt. Primũ enim natus es eo parente, qui suo tempore in foro & causarum defensione principem locum obtinuit: ut quom cæteri diu & pertinaci studio in rebus forẽsibus profecerint, tu ex primogenio semine & cum ipso lacte nutricis eam cognitionẽ hausisse uideare. Accesit deinde inter optimos præceptores primæua illa educatio non minus literis quàm moribus exculta; quam tanti fecit Plato, ut cæteros omnes profectus qui præclaris ingenijs possunt accrescere, primæ educationi deberi contenderit: quare uir sapientissimus, quom in constitutione legum præcepta recte uiuendi traderet, magnam partem eorum uoluminũ in educanda instituendaq; puerilia consumpserit. Sed postmodum optimo tibi parente subducto ex rebus humanis, quom iam ex manu præceptorũ in tuam tutelã peruenisses

uenisses, quanta cura ingenuas disciplinas & pulcherrimã philosophiæ partem arripuisti: nulla fuerit profecto portio, quæ ad eloquendi disserendiq; rationem, aut naturæ contemplationẽ, aut numerorum dimensionumq; & uocũ, ambitus deniq; cæli explicationem pertineret: quam tu non modo attigeris, sed cumulate etiam percepueris. Tot præsidijs munitus, tot opibus subnixus, grãdi passu ad Iureconsultorum scientiam & prudentũ responsa processisti: quibus in studijs breui tẽpore adeo promouisti, ut magnam spem ciuibus tuis iniecerís, te mox clarissimũ lumen patriæ nostrę accensurũ. Prouiderat hoc olim uir perspicacissimi ingenij Frãciscus Calcaneus, dum Ferrariæ prima studiorũ stipendia inires: mox Carolus Ruinus grauissimi uir iudicij, cui Bononiæ assiduam operam dabas: Ticini demum Iason ille, non Italię modo, sed exterarũ etiam gentiũ oraculum. Hos enim duces pariter & uates tuarum uirtutum habuisti, quorũ audito nomine satis magnam accessionẽ tuæ laudi factam puto. Nã si ex testimonio ueterũ, qui sub Africano aut Cęsare meruisset, abunde laudatus uidebatur: quãto hoc iustius sectatoribus clarissimorũ in literatura hominum dabitur? ex quibus cultum animi, & excelsa ingenij ornamenta mutuari possumus: quom milites ut cætera imitari possint in imperatore, fortitudinem certè & corporis robur, adde & felicitatẽ in muneribus obeundis imitari non possunt. In patriam deinde reuectus susceptisq; publice ornamentis studiorum, tam celebri omniũ plausu leges profiteri, & de iure respondere auspicatus es, ut nõ solum à tuis ciuibus magnos honores acceperis, sed & Tergestinus senatus, & procuratores Cæsaris hac fama inuitati, te sponte, idq; minime ambeuntem ad prætură & summũ in ea urbe magistratum prouexerint. Quem tu magna grauitate, sed & maiore moderatione gessisti, uiris clarissimis admirantibus in iuuene tam præcocem prudentiã, tam exactam uiuendi rationẽ uigere, ut planè te absolutam iudicandi normã tenere faterentur, ad cuius exemplũ futuri omnes post te prętores sese possent cõfirmare. Iure itaq; possit quispiã uel audaciã meã uel insciciã mirari, qui sapientiorẽ admonere, & prudẽtiori consilium ferre non erubescam. necq; sanè ego me à iusta tueri accusatione audeam, nisi tua me rogatio, tuæ preces defenderent: quibus non dicam à recusante (quid enim ego tibi recusem?) sed certè à multum diuq; excusante expressisti, id quod iure optimo potui tibi denegare, si maiorem existimationis meæ, quàm tuæ uoluntatis rationem habere uoluissem.

RES sanè ardua ac perdifficilis est iudicium: uel si eum spectes ad quẽ pertinet iudicatio, uel si eum de cuius re iudicandum est, uel si res ipsa spectetur ex qua pendet iudiciũ. Siquidem eum qui iudicãdi munus suscepit, omnibus numeris prudentiæ continentiæq; ornatũ esse oportet. Nam qui in republica gerenda diu uersatus fuerit, multorũq; hominum mores perspexerit, hunc facile circumscribi posse, nõ adeo credibile est. quando id est proprium prudentiæ munus, ex anteactis functionibus & præsentes cognoscere, & futuras colligere: si modo quisquis ille est, qui se huic iudiciorum muneri dederit, ad eam rem acumẽ ingenij, solertiam, assiduitatẽ, aliaq; huiuscemodi naturæ præsidia attulerit. Nam si quem natura socordia, ignauia, ac stupore damnauerit, frustra hunc ad basilicas aut subsellia inuites. Decet enim ut omnibus in rebus obeundis suam quisq; industriam & quasi supellectilem ante omnia excutiat, nec prius de quopiam mortaliũ pronunciet, quàm de se ipso pronunciauerit. Quod sanè fieri non potest, nisi quis eximia de se in hac fori ac ciuitatis luce exempla dederit, & quid ciues, quid amici, quid clientes sentiant, certis testimonijs compererit. Quid uero dicam? quod non aliunde certius exploratiusq; quisquam quanti sit, poterit iudicare: quàm si se ad censurã, & (ut sic dicam) aduersariorũ coticulam explorauerit. Magno enim animo, & singulari ingenio instructum ciuem sicuti amici colunt, & frequentant, & admirantur: ita inimici uerentur, ac metuunt. Hoc est scilicet quod maiores nostros illustres inimicitias exercuisse, præclarum fuit ac magnificũ. Quippe quom laudis ac

glorię deſiderium in generoſos animos multam habeat uim: tum probri atq; infamię odium & metus multo habet maximã. Scitum itaq; fuit apud ueteres peruerſis illis temporibus, quibus pleriq; auribus inſeruire maluerunt quàm ueritati, id quod hac tempeſtate noſtris hominibus peculiare propoſitum eſt: non temere quenquã ueritatis uocem audire, niſi aut raræ notæ amicum aliquẽ, aut iratum admodum inimicum offenderit. Huc ergo præ cæteris omnia dirigenda ſunt conſilia, ut qui alios iudicaturus accedit: ſeipſum imprimis dijudicet: nemo in tranſuerſum ſuo ipſius amore raptus, ea uẽdicet ſibi, quæ aut natura denegauerit, aut nondum cõparauerit induſtria. Non enim fruſtra oraculo moniti fuimus, ut in nobis ipſis cognoſcendis principem operã exhibeamus, Et hoc ipſum, ſe noſſe, omnium eſſe difficillimũ. Ob id hominẽ acri admodum ingenio ac experrecto eſſe conuenit: & qui in ſumma quaſi arce excubet, ſuasq; actiones diligenter ſpeculetur. Id quod facturus commode uidetur, ſi quod clariſsimi uiri maiores noſtri feciſſe prodũtur, ſe ad alicuius eximij ac præſtantis in republica ſenatoris imaginẽ cõformauerit, & ab eius ſimulachro morum ac uitæ liniamẽta duxerit. Sic Cotta & Sulpitius L. Craſsi, ſic Carbo Scipiõis, ſic P. Scæuolæ Cicero effigiem repreſentare conabatur. Atq; is erat honeſtiſsimus proficiendi modus, qui ab optimi & clariſsimi cuiuſq; imitatione proficiſcebatur. Sic Canonem Polycleti adibant ſtatuarij, qui abſolutę alicuius imaginis membra reddere conſtituerant. Vix enim animo concipere aliquam alicuius rei perfectã formam quiſpiam poteſt, qui multas oculis imagines nõ perluſtrauerit: quom ſenſus hic præſertim exterior interiori animo hauſta rerum ſpectra ſuppeditare ſoleat. Ex multis itaq; optimi cuiuſq; facienda eſt optio, atq; ad hãc omnis acies ingenij, omnis cura atq; diligentia obuertenda eſt. Eorum uero negligentia atq; imperitia multo maximè effugienda, qui in delectu faciendo parum ſapientes extiterunt: & quos imitandos ſibi propoſuerant, eorum uirtutes nõ ſolum ſecuti ſunt, ſed uitia etiam per ſummam ignorantiam ac ſocordiam non ſecus ac uirtutes ſibi exprimenda putauerunt. Hac parte magnũ Alexãdrum Macedonem male audiſſe accepimus, qui Leonidæ pędagogi præceptis inſtitutus uitia quædam hauſit, quæ grandiorẽ etiam ætatẽ deformarunt: & ſi ea culpa in Philippum patrem magis quàm Alexandrũ filium uidetur tranſcribenda. Fuſius quom dicendi rationẽ ſectaretur, C. Fimbriã ſibi imitandum propoſuit: eius tamẽ neruos, quos ille habuit, non eſt aſſecutus: oris prauitatẽ & uerborum latitudinẽ adſectatus eſt. Ita ille nec delígere ſciuit, cuius potiſsimũ ſimilis eſſet: & in eo ipſo, quẽ delegerat (quod impudentiſsimũ eſt) imitari & uitia uoluit. Abſit ergo ab hac impudẽtia quiſquis in hãc ſpem iudiciorũ ingeniũ alit: atq; ijs ſeſe adiungat, quorum uirtus atq; induſtria ita emineat, ut eius prudentiæ ac temperantiæ non unus alterúe actus, ſed tota uita teſtimonium reddat. Ad huius imaginẽ quaſi in ſpeculo, ut Græci dicunt, omnis animi atq; ingenij habitus, omnis color atq; uigor eſt excolendus. Huius oculi, frons, uultus explorãdi. Quom primum ad eum cauſa defertur, quid primum, quid ſecundum, quid poſtremum ſibi enarrari poſtulet. Quàm benigne litigantes admittat, quàm grauiter altercãtes patiatur, quàm cautis ac præmunitis auribus cauſarum patronis uacet, prouidens ne temere aut accenſa oratio faces admoueat, aut demiſſa lachrymas extundat: deniq; ne alterutra fucum faciat ueritati. Tum qua indagine iugulum cauſæ ſcrutetur, & deliteſcentes rerũ difficultates in lucẽ eruat. Quantum fidei laudatoribus, quantũ teſtibus, quantũ quęſtionibus præbendum arbitretur. Hãc uero partẽ quæ ad prudentiam pertinet, quàm magna ſit, ſatis intelligo: utpote quam omnibus alijs uirtutibus princeps Peripateticorum Ariſtoteles quaſi architectum præfecit, cæteras ei quaſi opifices ac miniſtros ſubiecit. Sed, mea quidẽ ſententia, non minus operæ, atq; haud ſcio an plus forte in ea adhibendum eſt, quæ ad moderandos compeſcendosq; pertinet animi affectus. Nam quom pleroſq; ego mortalium animaduertã magno magis ingenio quàm bono, hoc facit, ut maiorẽ curam impendendum cenſeã coercendis caſtigandisq; ſenſibus atq; animi illectamentis, quàm excitandis prudentię igniculis. Plures enim inuenias qui ob nequitiã & improbitatẽ peccent, quàm qui inſcitia atq; imperitia labantur. Quotus enim quiſq; eſt, qui nõ auaritia in trãſuerſum rapiat, oblataq; pecunia corrumpi

non

non posſit. Sed fac ut eius animus pecunia maior inueniatur, an nõ libido maximas ſolet animis faces admouere? Theodectes quom ſuæ cauſæ parum confideret, Phrynes cuius agebat cauſam, ſinum aperuit, iudicibuſq; inſpectandum propoſuit. res ex ſententia ſucceſsit. expugnati enim illi fœminæ pulchritudine, cauſam pro ea dedere. Quid quòd Clodiano in iudicio Cicero nobilium puellarum & aduleſcentulorum coemptas noctes, ſcriptum reliquit. hinc de nundinato conſtupratoq; iudicio perſæpe conqueritur. Quanto ergo frequentius hac parte peccatur, hoc diligentius ac accuratius hic locus præmuniendus eſt: ut non ſolum affectus, ſed & oculos ipſos, ut Craſſus Philippũ prudenter admonuit, caſtigemus atq; in officio habeamus. Sunt alij qui neq; pecuniæ neq; libidini manus dederint, ſed ita laborant ambitione, ita cupiditate honorũ inceſſunt, ut promiſſo magiſtratu, prouincia, præfectura, alio publico munere ſeu ſacerdotio adlecti, nihil ſanctum habeant, nihil impollutũ, omniaq; ſibi licere arbitrentur. Alij cognatione aut amicitia tranſuerſos urgeri ſe patiuntur: & quod neq; utilitati neq; cupiditati ceſſerint, hoc ſocietati & coniunctioni humani generis ſe debere teſtantur: & ut plerunq; homines uitijs ſpecioſa nomina prætendunt, ita hanc probitatẽ facilitatemq; interpretantur. Nõ deſunt qui dent operas inter ſe mutuas, & in eius gratiã cõniueant in iudicando, qui mox poterit pari beneficio beneficium compenſare. hoc ſcilicet ius collegij appellant. neq; ſecus ac piaculum reformidarent in eius ſtudij profeſſorem ſententiam pronunciare, non intelligentes ſublata è medio iuſtitia, neq; amicitiam, neq; neceſsitudinẽ, neq; officiorum coniunctionẽ cuiquam poſſe cõſtare. Hoc uicio magiſtratus & optimates Venetos imprimis laborare noſtra ætate fama conſtat. Poſtquã enim Veneti à maioribus ſuis, qui illud olim imperium prudentia & iuſtitia conſtituerunt, ita degenerarunt ut pro induſtria ſocordiã, pro æquitate auariciam, pro fide calliditatẽ in precio habeãt: cætera animi bona peſsum ierẽ, uirtutẽ & gloriam aut nulli, aut certè perpauci diuitijs anteferũt: quare apud eos homines de iure diſceptare ita ſtultum putatur, ut plerique malint inſignes iacturas prægraues q; iniurias perpeti, quàm poſt longi temporis impenſas, uarios q; iudiciorũ anfractus, de capite aut fortunis aut de exiſtimatione certiſsimò periclitari. Hęc atq; alia ſunt, quę animos hominũ, prout cuiq; ſua libido eſt, uehementer huc atq; illuc permouere poſsint. Sunt tamen quos inuictos uideas atq; inexpugnabiles ad omnes affectus: ut neq; ui pecuniæ, neq; illecebra uoluptatis, neq; honorum ambitu, neq; gratia cuiuſquã à recto poſsint auocari. Et ij licet perpauci fortaſſe inueniantur, inueniuntur tamen nonnulli. Atqui non facile reperias, qui nõ metu & cõminationibus deterreantur. Plus enim in animos hominũ pollet timor & conſternatio, quàm ſpes & propoſita utilitas: neutro aũt tangi eum par eſt, qui ſemel iuſtitiæ nomẽ dederit, & iuris ſacramento ſit deuinctus. Nam & Rutilium maluiſſe exulare accepimus, quàm facere quod minus honeſtũ ſibi, & reipublicę parum uideretur ſalutare. Metellus non recuſauit uincula, dum maiorẽ ſuæ exiſtimationis quàm alienę gratiæ ineundæ reſpectũ habet. Quom aũt duobus modis uis inferatur, palàm ſcilicet & ex condicto, tũ obiter & clãdeſtinò: ſanè diſſimulata iniuria & alto pectore condita multo ſolet eſſe atrocior, & quom depromitur latius euagari. Vtraq; tyrannis ſanè familiaris: ſed altera frequentius utuntur, noſtra præſertim ætate, reguli in quos diſsipatum abiuit imperiũ. Malim autem tyrannos quàm regulos appellare, quom nihil in cõmune conſulant, omniaq; referant ad propriam utilitatem. Ii ergo quom non audeant palàm mentẽ ſuam profiteri, ſiquando familia res aut beneficiarios ſuos cõmendant iudici apud quem cauſam agant, nihil ſe non æquũ ac iuſtum poſtulare teſtantur: quom tamen nihil minus in uoto habeãt, quàm ut quiſq; ius ſuum obtineat. Rogant igitur, ſed hę rogationes, ut ſcite dicebat Plato, miſtam neceſsitatẽ habent. Eius rei teſtimonium eſt, quòd niſi eorum deſiderio & cõmendationi obſequare: niſi qui fuerit ab ijs commendatus, quo iure quaq; iniuria malam etiam cauſam obtineat, protinus præſto eſt iactura atq; infortunium. Commendationes ergo tyrannorũ cauſis ita colophonem addunt, ut prouerbio locũ Cæſaris candidati fecerint: in eum qui poteſt in utranq; aurem dormire, & citra puluerẽ deſiderium aſſequi. Cęterum ingenue magis Cæſar, qui palàm prædicabat, ſe male-

ficis ac ſicarijs hominibus etiam gratiã relaturum, ſi per eos dignitatem exiſtimatio nemq; ſuam defendiſſet. Et Ageſilaus quom amicum iudici cõmendaret, nihil per ſu cum agebat: ſed aperte rogabat, ut ſi bonam cauſam tueretur, eum in iuſtitię gratiam abſolueret: ſi minus, eius deſiderio obſequeretur. Vtcunq; autẽ res cederet, eum om nino abſolueret. Porrò iudex qui ad hanc Maleã impegerit, nõ facile conſiliũ inue niet, quo ſe expediat: quando hinc urget cõſcientiæ uis, pro qua uir bonus libenter emoriatur: inde periculum ſalutis & metus agit, qui conſtantẽ etiã uirum cõmouere poſsit. In re itaq; tam ancipiti, in qua propè oraculum Aretinum agnoſcatur, nihil ſatius inuenio, quàm à ſe, qua fieri poteſt ratione, iudicium ablegare: & non liquere ſibi pronuntiare, ad aliumq; iudicem cauſam dimittere, qui tutiore loco ſit, auſitq; ſi ne ſalutis periculo iuſtitiæ obtemperare. Illud non prætermittã, proprijs ſimulta tibus nihil omnino dari oportere. fieri enim non poteſt, ut is pure ac ſancte iudicet, qui factiones atq; iniurias habeat in conſilio. Quicunq; ergo ad iudicandum acceſſe rit, imprimis eniti debet, ut amoris ęquè atq; odij, gratię atq; iniurię obliuiſcat. Quo factum exiſtimo, ut Themiſtocles Athenienſis artẽ obliuionis ſibi quàm memoriæ pręoptauerit. Cęterũ mihi opportune & Themiſtoclis nomẽ & locus hic de quo agi mus, in memoriam reuocauit ueterẽ illam ac diu inter ſapientes agitatã quæſtionẽ: an quidquã ſcilicet ab amico iudice amicitiæ indulgeri, & ſiquid indulgendum, qua tenus amicitię indulgeri oporteat. Cleon certè & Themiſtocles diuerſa ſenſiſſe pro duntur. Etenim ille magiſtratũ initurus conuocatis amicis amoris fœderi renuncia uit, & ipſam quodammodo amicitiæ teſſerã confregit: neq; enim putabat ille quen quam poſſe rectũ clauum tenere, qui amicorũ rationẽ inire uelit. Themiſtocles con trà, quom ſibi obeũdus eſſet magiſtratus, alacri uultu amicos hortatus eſt, ut eius o pera audacter uterẽtur: ſiquidem tẽpus illud aduẽtaſſe, quo ille amicitiæ teſtimoniũ dare poſsit. Neuter recte, mea quidem ſententia. neq; enim probus magiſtratus nimi um uolet apud ſe amicitiæ licere: neq; tanti ſupercilij putabit, ut res optima atq; ſua uiſsima in uita mortalium amicitia eius cauſa refringi debeat: & ſicuti omnibus in re bus, ita in hac ſaluberrimũ eſſe modum exiſtimabit. Tantũ ergo dabit amicitię, quan tum iuſtitia patietur. Certè prompto animo nullum laborem detrectabit, ut amicus ius ſuum obtineat. Quòd ſi ille infans ſit, & ad dicendum parum idoneus, dabit ope ram ne multum aduocato & patrono indigere uideatur. Quin & liti compendiũ fa ciet, & anfractus calumniarũ atq; argutationum ſummouebit: temporis etiã lapſum, & male initã actionis formulam non grauatò corrigi ſinet. Nouas etiã rationes, quæ forte præter opinionẽ emerſerint, poſt iuſtos etiam dies & tranſactam ſolennẽ cau ſæ diſquiſitionẽ, uel in ipſo pronunciandi articulo admittet: habebitq; multo maio rem ueritatis ac iuſtitiæ, quàm legitimę actionis atq; formulę rationem. Id quod in re cuiuſq; quamuis peregrini etiã factitabit, ſed cunctatius ac religioſius. Neq; enim te mere ac promiſcue nimis inſtituta à maioribus iudicandi ratio ſolui debet, ſed eam omnem religionẽ cunctationemq; amicitię ſanctitas excutiet. Illud quoq; poteſt huc accedere, quòd ſi amicus parũ iuſtam cauſam tenebit, familiariter hominem admo nebit, ut uel prudẽter deſinat, uel ut qua poteſt ratiõe, cũ aduerſario decidat. Deniq; ne pertinaciter in ea cauſa pertendat, in qua bona conſcientia deſideretur, aut ſit du bio procul ſuccubiturus: tum uero & locus ac tempus & ipſius rei ratio multam po terit occaſionem ſuppeditare, ut amicitiæ obſequi atq; inſeruire poſsit: modo id ſal ua iuſtitia, ſalua exiſtimatione proficiatur. Tantum uero abeſt, ut in amicitiæ gratiã ullo unquã tempore iuſtitiæ maieſtatẽ putẽ poſſe uiolari, ut abdicata iuſtitia neq; ip ſum ſanctiſsimũ amicitiæ nomen ſuperſtes eſſe poſſe contendam: quin ea decidat ac depereat oportet, ſi quo præcipue nititur iuſtitiæ ſubtraxeris fundamentum. Non ſum prætermiſſurus unum in tota uita atq; in omnibus actionibus exploratiſsimũ præſidium: quo uno & ſemper uti poſſumus: nec aut detractat operam, aut conſu lẽdo laſſatur: nec eſt periculum, ut falli aut corrumpi poſsit. Hoc ſcilicet poſitum eſt in multorum lectione librorum, quos mutos magiſtros appellamus: & in ipſa co gnitione hiſtoriæ: in qua quicunq; parum uerſatus eſt, is iure puer etiam ſi ad mul tam ętatem uenerit, uel Aegyptiorum teſtimonio nuncupari poteſt. In antiquitatis

ergo

ergo præteriti temporis repetitione operam diligentiamq; ponamus. nam & mores hominum, uariíq; euentus ſeſe offerent. quin & cauſæ præiudicatæ, & multa ſeges earum diſciplinarum quæ ad inſtruendam inſtituendamq; uitã pertinent: occurrẽt, unde iudicandi rationẽ locupletiorem cumulatiorẽq; reddamus. Vix illud mihi dignum uidetur quod admoneri oporteat, eum qui ſe iudicem profeſſus ſit, multũ aſſiduumq; eſſe debere in lectitando iure ciuili, quod proprium eſt populi Romani, aut certè eo iure quod ciuitati regioníue conſuetum eſt in qua iudicia exercentur. nec enim ad ſolum Seruium Sulpitiũ pertinet reprehenſio, qua in eum uſus eſt Q. Scæuola, Turpe eſſe ac probroſum patritio Romano, cauſas præſertim agẽti, ius illud in quo uerſetur, ignorare. Quom autẽ hæ leges, quæ hodie in uſu habentur, quaſi caput polypi, multa contineant, quæ ad bonam frugẽ & augendam prudentiam pertineant: multa rurſus quæ in integrũ reuocari par foret, utpote quę per ambitionẽ aut auaritiã tetras humani animi labes cõſtituta ſunt: ob id quiſquis ille eſt, cui recta iudicia animo ſunt, nõ oſcitãter, neq; per inertiã, ſed caute & uigilãter in eam lectionẽ debet incumbere: & imprimis illud meminiſſe, unam eſſe legem æternam ac perennem omnis mutationis ac uiciſſitudinis expertem: & ab hac una cæteras omnes leges quaſi à fonte profluxiſſe, et ipſas perpetuas atq; immutabiles. Illa enim cui uerus legis titulus debetur, cõſtans eſt, qualis ab initio prodijt, talis ſemper futura: neq; iuſtitia res deſultoria eſt, ſed quæ ordinem ſemel initũ ſine uicio ſemper tuatur. Atqui leges, quæ pro tempore atq; utilitate ſtatuuntur, & rurſus immutata temporũ ratione cõuelluntur: non planè leges, ſed litigandi potius artificia ſunt atq; inſtrumenta. Huius generis leges olim erant honorariæ, quas ſcilicet pro libidine prætores ferebant. Eorum enim ius annuum fuit: quod à calendis Ianuarij incipiens in Ianuarij calendas deſineret. Atq; interim quom tanta foret immutatio figendi ac refigendi, ut iam populo Romano eſſet intolerabilis: autore Flauio ſcriba ad edictum perpetuum peruentum eſt, ex quo perenni ritu ius diceretur. atq; ita licentia illa immodica finem accepit. Quanti autem ponderis ſit iudicatio apud eum ipſum, cuius de re agitur, hinc facile poteſt intelligi: quòd nullius non res in iudicium uenit, quin eiuſdem aut fortunæ, aut caput, aut exiſtimatio periculum ſubeãt: quibus, mea quidem ſententia, omnia continentur, quæ non ſolum ad bene beateq; uiuendum, ſed ad ipſam etiam uitã pertinent. Qui enim poteſt ademptis fortunis cuiquã, ut Ennius ſcripſit, uita eſſe uitalis? Omnia ſiquidem non modo uitæ ornamenta, ſed etiã præſidia his bonis conſtant, quibus fortuna dominatur, à qua etiam nomen mutuantur. Multos ſanè accepimus hæc adeo contempſiſſe, atq; in poſtremis habuiſſe: atq; hinc ſibi nomen & famam collegiſſe, quòd ea ſcilicet aſpernarentur, quæ cæteri mortales admirantur: neminem tamen ad hanc diem proditũ eſt monumentis, ſine his potuiſſe uitam ſuſtinere aut traducere. Nam quom intra nos uitalis ignis deliteſcat, qui humidum illud populetur, quo maximè corpus alitur, ſemperq; aliquid deterat & commi nuat ex iſs quæ à natura parata ſunt ad animãtium conſeruationẽ: ſanè breui animal intereat neceſſe eſt, niſi cibo potuq; farciatur id, quod momentis omnibus attenuatur. Frigora certè nõ facile defendamus ad omnẽ iniuriam expoſiti à natura, niſi ex his quæ terra depromuntur, aut quæ pecori detrahuntur, nobis adiumenta conquiramus. Quid contra reliquam cæli & tẽporum inclementiam, contra agreſtes & indomitas belluas, contra hoſtiles minas (non enim aliunde homini quàm ab homine plura damna proficiſcuntur) contra morborũ impetus aliaq; eiuſcemodi, quæ nobis plerunq; nouercã probant naturã, quid tandem perfugij atq; auxilij nobis relictum eſt: niſi ut eas opes cõparemus, quas uel natura monſtrauit, uel ars ſibi conquiſiuit. Ventos, imbres, pruinas, tectis defendimus: ſeptis teliſq; feras arcemus: hoſtes foſſis ac propugnaculis deturbamus: ſequiẽtes morbos herbis, ſuccis, pharmaciſq; expugnamus: ut facile cuiuis cõſtare poſſit, hæc omnia deorum prouidentia genita ad hominum utilitatẽ & cõſeruationem: quæ quiſquis negligit, aut uili loco habet, parum ſe gratum exhibet erga diuinã munificentiam, & ſummi numinis indulgentiã parum agnoſcit. Et hæc quidem, de quibus modo diximus, ad agriculturam, architectonicamq; & uillaticam paſtionem ſpectant. Quo uiuendi genere nullum præclarius aut

beatius ueteres existimauere. Illa enim adempta nõ uideo quomodo uitæ necessaria prospici possint. Quom autẽ alia satis sint homini, alia humanitati, ut inquit Varro, lubet hac parte auro omnium conuicijs prosciſſo patrocinari. Postquam enim permutatio gentium & rerum cõmercia desiere: quòd perraro scilicet eueniret, ut quibus ego indigerem, ea tu tibi cõmutanda existimares ijs quæ mihi superessent, eaq; res magnam difficultatẽ necessitatibus afferret humanis: cõsensus gentium auro, & ante aurum ærí argentoq; magnam existimationẽ dedit: quòd ex ijs numus excuderetur præsens sponsor egestatis humanæ. Neq; enim ego alium cõmodiorem sequestrum potuisse inueniri arbitror, qui precia rerũ æquaret, & uno ordine omnium necessitatibus responderet. Quare ego multorum improbitatẽ miror, qui parũ uidentur tam excellentem tamq; optatam uitæ cõmoditatem intellexisse: sine qua profecto uita multis magnisq; præsidijs uacaret. Quid uero dicam de mercatura, quæ ad satietatem & delicias omnia omnibus locis dispensat: & gentium nationumq; bona ita partitur, ut quæ cælũ multis denegauit, ea large omnibus cõmeantium industria suppleantur. Quid quæ hæreditario iure ad nos peruenerunt, quàm grata, quàm chara nobis existimãtur: ceu quibus & auitæ opes & monumenta maiorũ & sacra gentilitia censeantur. Nostra autẽ labore cõquisita, quanto nobis gratiora iucundioraq; sunt, utpote quæ uel ingenio uel diligentiæ nostræ debeamus. Quòd si ita cõtingat, ut hæc tanta & tam exoptata uitæ ornamenta in discrimen ueniant, & iudicio uideantur peritura, quàm hoc durum, quàm miserabile, quàm calamitosum. Quippe ijs sublatis fundamentum liberalitatis corruit, familiæ præsidia dissipantur, fides concidit, rerum denique omnium agendarum instrumenta labefactantur. Quare non temere quisquam se alterius iudicio cõmittat: sed uitam, mores, consuetudinemq; hominum intueatur. Exclamat Laberius: Per deos immortales nolite uos credere sequestro. Sequestrum enim arbitrum ac disceptatorẽ uidetur intelligere, cuius fidem sententiamq; utraq; pars sequatur. Nam sequestri atq; arbitri latius patet potestas q̃ iudicis, & si uterq; definitione iudicis cõcludatur. Quom amici Alcibiadem hortarentur, ut se iudicio populi Atheniẽsis subijceret, maluit solum uertere, quàm se uadimonio sistere, neq; ipsius parentis iudicium affirmans se sponte subiturũ: ueritus scilicet nequando per errorem albos calculos atris cõmutaret. Iure igitur maiores nostri in sortiendis iudicibus facultatẽ dabant reijciendi expungendiq; ex albo, quos sibi parum æquos fore arbitrarentur. Sex. Roscius Amerinus quom apud iniquos iudices periclitaretur, patrimonij propemodum naufragium fecerat, nisi tandem iudicijs agitatus in C. Aquilij sententia quasi in æquitatis portu conquieuisset. Cum ijs feliciter actum putamus, quibus iudicẽ eligendi oblata est facultas: id quod neq; oscitanter neq; imprudenter fieri debet, ob incertos animorũ motus uariasq; sententiarum cõmutationes. Neq; enim cuiquam licet, salua existimatione ab eius iudicio prouocare, quem sibi ultro delegerit, & quasi ducem præfecerit. Huic optioni eam formulam dicimus: ut nisi res qua de iudicandum est, ita certa sit, ac perspicua sit, ut nulla possit latebra in tabella delitescere, nemo sibi alteriũe iudicem ferat, à quo deinde, si ita expediat, neq; liceat declinare, neq; melioris iudicis auxiliũ implorare. Africanus quom aduersus tribunorum iniurias Metellum appellaret, uirum bonum, sed alioqui infensum sibi ob dissidentes in republica sententias, illud palàm profitebatur, iniquo etiam iudici se facile causam suam approbaturũ. In sponsionibus is ferè mos erat antiquis, apud præstitutum iudicem sacramẽto decertare. sic pecuniã uocabant, quæ ea cõditione apud prętorẽ deponebaẽ, ut qui iudicio succubuisset, eam amitteret, uictori autem lucro accederet. In re dubia atq; obscura hæc iudiciorum ratio effugienda est, in quibus propter rerum caliginẽ iudex uel caligare potest, uel facile aliena persuasione corrumpi. Cæterũ neq; tutum est de quopiam hominũ certi sibi quippiam polliceri. Est enim uoluntas hominis ambulatoria, & ut Plato ad Architam scripsit, quæ suapte natura uarias patiatur uicissitudines, & huc atq; illuc facile impelli possit. At ubi res tam clara tamq; illustris est, ut cum ipsa (ut Iureconsulti dicunt) meridiana luce contendat, minus est periculi, ni modo aut planè improbum aut planè stipitem delegeris. Ego nuper quom mihi foret aduersus Constantiã Rangonam con-

tentio

tentio: quòd pro agris uectigalibus, quos à gentilibus meis dono acceperat, decimam antiquo iure & quidem gentilitio debitam Magnæ uirginis sacello ita denegaret, ut me ui atq; armis à possessione exigẽdi depelleret. Aiebat illa liberã immunẽq; donationem factam esse: ego contrà uectigales agros & meo obnoxios sacerdotio negabam liberos immunesq; cuiquã dari potuisse. Tum uero me à ueteri possessione neq; iure neq; more deturbari, improbum nimis plenumq; iniuriæ asserebam. Ea res quom diu foret controuersa, multiq; multas sed iniquas conditiones offerrent: ego iure meo plano ac perspicuo confisus, illi Guidum Rangonem fratrẽ uirum fortem Dí boni ac sapientẽ, iudicem tuli: ut quod ille iudicasset, id iustum ratũq; utrinq; haberetur. Intelligebam enim multũ fauoris causæ meę accessurum, si eum iudicem delegissem quẽ nemo non suspectum habuisset: putabamq; non sine ignominia fratrem à sorore posse recusari. Quòd si in ijs rebus, quæ ad fortunam pertinent, quæq; amissæ reparabiles sunt, tanta est cautio adhibenda: quanto hoc religiosius fieri decet, quom de capite agitur, quod amissum semel irreparabile est. Adde quòd ubi de salute actũ est, omnia eodem impetu rapiuntur. Nam de ijs, qui infortunio suo superuixerint, illud Archilochi dici potest: Qui terga uortit, rursus idẽ dimicat. Iucundissima igitur omnibus est mortalibus uita, & hoc lumen cæli spirabile quod haurimus, gratissimum est: uel quòd hos amoris igniculos animi corporisq; sociatio nobis inseuerit: uel quòd huius lucis dulcedo uiuendi desiderium eblandiatur. Vtpote quom omnis nostra cognitio sensibus inhæresca: quibus ademptis nullus uidetur superesse locus aut notioni rerum aut uoluptati. Qui uero animã cum corpore interire contendunt, ij nihil reliquum faciunt homini ex hac uita abdicato, in quo spes ulla rectæ actæ uitæ resideat. Qui uero ita decidunt, ut immortalitate animarum felicitatẽ propagari censeant: ij tamen non facile uulgo persuaserint, sublatis oculis, auribus, naribus, tactu, palato, secundum obitũ homini quicquam esse posse iucundũ, quòd non alia uoluptatis instrumenta cognoscant homines belluis proximi. Sed fac esse præstantissimos, & in media Academia educatos, an uero ij patiẽtur in se capitis anquirican in summa etiã innocentia iocum putabunt, in iudicium arcessiri in quo de summa rerum, id est de salute sit statuendum. an cuilibet iudici sine discrimine se iudicandos immo iugulandos prębebunt? An hominum opinio, an publica existimatio eos nihil mouebit? ut serui pœnæ, & scelere obstricti, quasi sontes pereãt. Certè nõ tam erunt negligentes, non ita famæ contemptores, ut hoc sinant, si qui modo sunt qui se homines sentiãt, neq; ultro mortem accersant, & iudicis quasi carnificis ad id opera uti uelint: quod apud Indos & in Græcia quosdam factitasse accepimus. Socratẽ tãtum uirum nullo suo facinore sed sola iudicum inuidia & iniquitate periclitatum, proditum est monumẽtis. Qua in re nonnullam etiã summi philosophi culpam scriptores agnoscũt: quòd dum grauitatẽ seueritatemq; tueri uult, recusatq; temporibus inseruire, neq; infensos iudices reiecit, neq; ad populum prouocauit, neq; defensione uti uoluit. Quin & oblatam paratamq; à Lysia orationem despexit, non magis eam sibi quàm Sicyonios calceos conuenire testatus. Dum ergo tenorem illum uitæ sustinere nititur, dum ab instituto negat discisscere, dum sibi uictum in prytaneo deberi contendit, dum exulceratos iudicum animos iritat, prò dolor, uiro grauissimo, in quo omnium specimen uirtutum effulgebat, & patriam & orbem priuauit. Mallem hominẽ seruasset tam frugi, tam utilem iuuentuti, tam suis, dicam & nobis, necessarium. Neq; enim in suæ tantũ ætatis beneficiũ, sed totius posteritatis, quęcunq; uirtutis nomen admirabitur, philosophiam quę ad mores pertinet, deuocauit è cælo. Sed poterit fortasse Socrati & naturæ constantia & adiuratus ille uiuendi modus patrocinari: qui maluit, ut quodam loco scripsit Cicero, perdere quod uicturus erat, quàm quod uixisset. At nobis quibus magis Socratem admirari quàm imitari licet, alia quædam ratio ineũda est. Imprimis enim eniti debemus ut boni uiri simus: tum ut omnis uita nostra longe absit ab omni maleficij suspicione. Quòd si tamen fortunæ indignitas & inimicorũ inuidia nos in iudicium uocet, & quasi perduellioni dem dicat, nauiter atq; intrepide suscipienda est defensio, causa innocentiæ nostræ iudici explicanda, uitæ ratio exponenda, crimina quæcũq; intenduntur diluenda, gra-

uiter atq; ingenue ueritas asserẽda. Quin & si ita expediat, testes laudandi, tabulę, si-
gna, monumenta proferẽda, tantisper dum probitatis atq; innocẽtiæ nostræ fidẽ fa-
ciamus. Quòd si res angustius procedat, uel superãte inuidia, uel potẽtia aduersario-
rum urgente: tũ omnis lapis mouẽdus, omnis anchora iactanda, magni patroni con-
ducẽdi, quin & inuita lege Titia auctorandi, dies diffindenda, obnuntiandum etiã:
& si aliter causa obtineri nõ potest, à prætore & consilio prouocandum ad senatum,
à senatu ad populum, à populo ad principem. Denicq; nihil prętermittendum, quo fa-
ma & incolumitas nostra rebus omnibus præpõderasse intelligatur. Scio quosdam
bonos uiros atq; insontes acerbitate iudiciorũ coactos condemnationẽ paratam pe-
cunia redemisse, quorũ instituram nemo nõ uituperaret, nisi necessitas expressisset;
quamuis magni celebresq; in philosophia uiri negent in sapientẽ eundemq; absolu-
ta quadam probitate ornatum necessitatem cadere. Sed ea profecto cadit, & morta-
lia omnia suo (ut Plato inquit) turbine agit, subigit, uertit, subuertit ut lubet. Hinc
maiores nostri, in eos qui uim attulissent pœnas statuerũt, & luculenta illa L. Crassi
exclamatio extat: Eripite nos è seruitute. quę profecto non uenissent in usum dicen-
di, nisi maiores nostri iudicassent nos cogi posse & ad necessitatẽ impelli. Ea enim
quę metu mortis, quæ dignitatis & fortunarum periculo perficiuntur: ea sanè ingra-
tis & animo obluctante fieri dicũtur. Quotus enim quisq; est, quem lucis huius dul-
cedo non pelliceat? quem hominũ opinio, quem fortuna non moueat? ut non sinat
sibi multa præter decorum extorqueri potius, quàm de summa rerũ & de capite ipso
periclitari. Ob id Homerus quodam loco scripsit, Vlixem uolentẽ nolentem neces-
sitati paruisse. Et Cicero in Epistolis ad Atticũ sæpe testatur, se πυθαναγκλω ducem
sequi. Ita enim belle Græci ex persuasione & necessitate nomen confinxerunt. Hic
est scilicet excusabilis ille metus, quem uel in constantem uirum cadere legum periti
asseruerunt. Non erit igitur absurdũ, meo quidem iudicio, si quando quis ad hos sco-
pulos reflante fortuna impegerit, pecunia tyrannidem propitiare, ambire, prehen-
sare, deprecari, ad genua accidere, quocũq; licet ingenio probitati innocentiæq; iu-
dicum inclementiã aut auaritiam placare: & si aliter non licet, largitione malitiam
corrumpere. Quare mecum ipse ridere soleo protritam illam in scholis declamatio-
nem, à Seneca etiam repetitam: qua uocatur in dubium, an salutis uendicandæ gra-
tia Cicero Antonianas inuectiones debeat abolere. Ceu uero nesciamus, uitam Ci-
ceronis, & felicissimũ illud ingenium, omniumq; bonarũ artium fœcundissimũ om-
nibus orationibus fuisse præferẽdum: atq; ad eam diem Ciceronẽ tot sibi gloriæ mo-
numenta statuisse, ut parum ad æternitatẽ nominis propagandam Antonianis in-
diguisse uideatur. Illud quoq; fortasse quispiã in disquisitionẽ uocet, quatenus pro-
gredi deceat hanc licentiã opitulandi iustitiæ, & subueniendi innocentiæ: & an om-
ne audendum facinus, an omne probrũ subeundum conseruandæ salutis ergô. Sed
facilis est dijudicatio. Quippe neq; in parentes manus conijci, neq; liberos, neq; ami-
cos, neq; hospites, imò neq; hominem insontẽ enecari uelim: multo minus aut patri-
am prodi, aut deos immortales uiolari. Esto itaq; illa formula ac limes huius disce-
ptationis, ut tuendæ prorogandæq; uitæ gratia nihil faxis, quo facto indignus uita
existimere. Hactenus de fortunarum capitisq; periculo diximus, quod in iudican-
do uersatur. Nunc reliquũ est, ut de existimatione dicatur, sine qua ingrata iniucun-
daq; est uita. Cicero exclamat, Neq; dignitatis habẽdam esse rationẽ sine salute, neq;
salutis sine dignitate. ego plus addam, malle me dignitatem sine uita, quàm uitam si-
ne dignitate conseruare. hac enim amissa non uideo quomodo uita cuiquam suauis
esse possit. Quid uero ego suauis dicam, inertiaq; ista orationis utar? quom dempta
existimatione, nihil sit homine uilius aut despicatius, ut mors ipsa multo sit magis ui-
tæ præferenda. Siquidem morte horum qui ita obbrutuerunt, nomen pariter & me-
moria aboletur. uiuentes autẽ & ob oculos hominum uersantes, in opprobrium &
pœnam uitam degũt. Multo enim satius est, aut nihil unquam fuisse, aut prorsus esse
desinere: quàm ad omne dedecus in omnemq; detestationẽ superuiuere. Quòd si uel
tacito uel legitimo hominum accidat iudicio, multo tetrius est, multoq; iniquius fe-
rendum. nam si ciues, si familiares, si cognati te fœdum hominẽ dignumq; odio mor-
talium

talium iudicent, quæ mors non hac uita potior? Quòd si etiam in iudicium uocatus neq; decus, neq; famam tueri possis, capitalisq; illa litera tuo nomini affigatur: uel censoria nota inuraris, aut aliàs infamis intestabilisq; pronũtieris: ita ut ordine summouearis, aut inter Cærites adscribaris: quom scilicet ordinem tenes, sed ius amittis suffragij, interdicerisq; prærogatiua magistratus: quàm tibi hoc inhonestum, quàm tuis probrosum plenumq; indignitatis? Quòd si ad hæc etiã ciuitatẽ amittas, & tertia capitis diminutione deformeris, an nõ hoc omne genus supplicij exuperet, ut uel terræ labes tibi sit exoptanda, quæ te tam insigni eripiat infamiæ. Primũ ergo procurãdum est abs te, nequid admittas, nequid cogites, quod tibi hanc pernicíem conciliet: neue incurras hominum uoculas, aut dignus putere, qui iniuriam iudiciumq; patiare. Cato inuitum se professus est fecisse, ut L. Flaminium uirũ cõsularem è senatu eiiceret: sed notandam fuisse libidinem. Ille enim consul in Gallia, ut securi feriret aliquem eorum qui in uinculis essent, se nimis impudẽter à scorto exorari permisit, & probro priuato imperij dedecus coniunxit. Tum ita de omni hominũ genere mereare, ut tibi multi faueãt ac bene uelint: ut siquando inimicorum atrocitas in te obnitatur, tu cõtrà habeas quos eorũ conatibus obijcias. Quòd si tenui fortuna es, hoc facile officio cõsequere. sin opes affluunt, hoc tibi liberalitas præstabit & beneficentia, cæteræq; uirtutes quas alienas iccirco uocauit Aristoteles, quòd hominũ societati plus cõmodi afferant quàm possessori. In iudicijs uero fortiter obsistendũ est, anteactæ uitæ facta remetienda: maiorũ etiam cõmemoratio, ni modo nos multum ab eorũ uirtutibus degeneremus, nõnihil fauoris eblanditi solet. Quin & calamitates enarratæ, præsertim si illas aut amicorũ aut reipublicæ gratia incurrimus, insignẽq; nobis iacturã attulerũt, plurimũ solent ex inuidia diminuere, quam diuturnus felicitatis cursus solet accendere. Priuatim autem admonendi sunt rerum humanarũ, ut nequid statuant, quod ipsis aliquando præiudicio esse possit: quãdo ita natura comparatum est, ut quicquid uni hominum euenit, id aliquãdo omnibus euenire possit. Ad hæc conferenda sunt antiquitatis exempla, quæ multã uim habẽt ad persuadendum si loco suo statuantur. Quale illud, quo facile intelligi potest, quàm religiose & cunctanter patres nostri de uita ac moribus cuiusquam iudicarent. Fimbriam uirum consularem accepimus iudicẽ M. Lutatio Pythiæ equiti Romano sanè honesto fuisse aliquando, quom is sponsionẽ fecisset, ni bonus uir esset. Tum ei Fimbriã dixisse, se illam rem nunquã iudicaturum: ne scilicet aut spoliaret fama probatũ hominem, si contrà iudicasset: aut statuisse uideretur uirum bonum aliquẽ esse, quom ea res innumerabilibus officijs ac laudibus contineretur. Tria ab initio proposuimus, quæ iudicijs difficultates possent inuehere: ex ijs duo sumus prosequuti. Nã primo quibus ornamentis ingenij & naturæ iudicẽ præditum esse oporteat, ostendimus. Tũ quanto in periculo uersetur is, cuius causa in controuersiam cadit, seu de salute, seu de dignitate agatur, quàm succincte potuimus perstrinximus. Nunc tertium membrum superest: ut in re ipsa, super qua iudicium faciũdum est, quid oboriatur obscuritatis, quæ se difficultates obijciant, aperiamus. Et profecto sæpe nobis cum eo genere hostium cõfligendum est, quorũ callidítate ac uersutia ita omnia præstructa ac præmunita sunt ad crimen comprobandum, ut probitati atq; innocentiæ nõ facile detur elabi: Iudices uero quantumuis oculati & experrecti, non possint ingenij acumine eò peruenire, ut possint malitiæ inuolucra retexere, & laboranti ueritati præsidium afferre. Quom Vlixes Palameden odio capitali persequeretur, & pridẽ in eum quasi proditorẽ accusationẽ prẽmeditaretur: uir sagacis ingenij ea omnia accusationis instrumenta apparauit, quibus hominem & probitate & prudentia singulari præditũ magno hominũ consensu opprimeret. Nam & testes subornauit, & literas cõscripsit ad imitationẽ chirographi eius qui accusabat: quin & pecuniã quasi proditionis autoramentum in tentorio suffodit. Hæc atq; alia confinxit, quæ omnia criminis speciem adornarent. Die itaq; dicta & argumentis in medium prolatis, nemo fuit in Palamedem tam æquus & bonus, qui non eum dignum extremo supplicio arbitraretur, quem palàm compertum tanti criminis persuasum habebant. Quin & ipse reus deprehensus inter optimã conscientiam & pessimã causam, nõ ausus sui patrocinium

suscipere

ſuſcipere, hoſtium immanitati ſuccubuit: lapidibuſq; publice obrutus ita hominum opiniõe periit, quaſi perire meruiſſet. Recte ergo à Græcis dictum uidetur, morſum calumniatoris multo eſſe uirulentiorem quàm aſpidis. Et Apelles quom calumniã pingeret, ſuſurrationẽ, ſuſpitionemq; & metũ, inter eius anteambulones expreſsit: ceu calumnia parum per ſe polleat, niſi apparitoribus illis fuerit ſtipata. Eſt quando caſus aduerſario anſam porrigat legitimæ accuſationis, ut res non facta, ſed nata uideatur. Oderat Craterus Philotam filium Parmenionis, æmulatio & potentiæ affectatio animos accenderat. Conniuebat tamen uterq;, & ſuo interim ſtatu cõtentus acquieſcebat, quom fors fortuna Philotę calumniã cõcinnauit. Nam quom Dimnus coniurationẽ in Alexandrum Nicomacho amaſio retexiſſet, ille Cibellino fratri, Cibellinus Philotæ, ſed Philotas neglexiſſet Alexandro renuntiare: uel perſonã aſpernatus, quæ teſtimoniũ afferebat, uel quòd nollet multos ex amicis & familiaribus Alexãdri in capitis periculum uocare: ea taciturnitas hominem regi ſuſpectum fecerat, non eò tamen uſq;, ut in eum durius quicquã decerneret. at quom res in conſilium ueniſſet, Craterus arrepta occaſione graui oratione in Philotam inuectus omnia collegit argumenta, quibus eum nouis rebus ſtuduiſſe ueriſimile uidebatur: exulceratumq; animum regis ita permouit, ut datæ pridie dextræ immemor ad ſæuitiam totus obuerſus ipſe accuſationem peregerit, tortores acciuerit, quæſtionem, fidiculas, eculeos admouerit. Ergo infelix, addo & innocens iuuenis, à nullo licet coniuratorum nominatus inclementiæ fortunæ ſuccubuit, & miſerum parentem abſentem atq; inauditum alliſit: nec fuit quiſquam Græcorum aut prouincialium qui tam acerbam conditionẽ miſeraretur. Audientes enim Alexandrum tertio quoq; uerbo ſalutem ſuam militibus cõmendantem, & Philippi ſuaq; beneficia Parmenionis familiæ exprobrantẽ, perſuaſum habuerunt parentem ac filium in certo ac manifeſto crimine teneri. Hæc ſunt ea tela, quæ in iudiciis aut inimicorũ improbitas, aut fortunæ torquere ſolet immanitas: quibus tantum abeſt ut humana prudentia clypeum poſsit obiicere, ac ſe prætegere, ut plerũq; inſperãtibus nobis ſuperueniãt, noſq; aliud agentes confodiant. Præclarũ unum extat exemplum in hiſtoria Syriaca, quo memoriæ proditum eſt, ſpectatæ ſapientiæ adoleſcentẽ longe antè aduenientẽ tempeſtatem proſpexiſſe, & nequid poſſet offendere prouidiſſe. Id exemplum quoniam rarum eſt, & ad excitandos hominum animos accõmodatũ, nequando peruigilare deſinãt, & quid homini euenire poſsit præcogitare, huic loco inſerendũ putaui.

DE TALORVM AC TESSERARVM ET CALCVLORVM LVDIS EX MORE VETERVM

Cælio Calcagnino autore, in gratiam Liliĳ Gregorĳ Gyraldi.

QVOM uita hominum eo ſit condita temperamento, ut laborĩ quies, quieti labor uiciſsim ſuccedat: atq; ita utrunq; alternas uices cõmutet, ut neq; animus aſsidua meditatione, neq; corpus continuo labore frangatur: neq; rurſus utrunq; iugi deſidia torpeſcat: inde factum uidemus, ut uiri præſtantes & ad pręclaras actiones inſtituti, poſtquã diurnam operã publicis aut priuatis rebus multa cum laude impenderunt, auocamenta quædam recreandi atq; inſtaurandi animi gratia ſibi conquirant: amicorum puta, & coæqualium dulces collocutiones, mutuas inuicem argutias plenas leporis, plenas ſuauitatis: quibus profecto incredibile eſt quantũ animus noſter exhilareſcat, amiſſumq;

sumq; uigorem colligat. Quòd si aut ætas aut corporis robur id patiatur, alij se pila, alij aucupijs, uenationibus, palęstris, excursionibus, cæterisq; id genus pugnæ simu lachris exercent: ut mox aptiores ad iustas uirtutis actiones reuertantur. Quòd si ea sit ætas, aut corporis habitudo, aut temporum inclementia: ut neq; acriores exercitationes conueniant, neq; animus inquies diuturnã possit inertiam perferre: aut certè idoneus sodalis absit, qui cum iocari & animum molli affatu liceat oblectare, & graues curas diluere: tum reliqua inuitamenta, lectionis puta, uel harmoniæ quam uel canendo uel pulsando excitauerimus, in satietatẽ abierint. nulla enim res est quę magis animũ expleat, quàm eiusdem perfunctionis paulo diutius continuata series: nulla rursus magis uoluptates cõciliat, quàm temporibus & actionibus distincta uarietas. si hæc inquam nobis defuerint, inuenit sibi mortalium industria mediã quandam oblectationũ speciẽ, qua neq; corpus tabescat, neq; animus hebetetur: habeatq; laboris & quietis certum quoddam tẽperamentum, & quasi cinnũ neutrius expertem: uel ut satius dicã, utriusq; participem: ludos scilicet quos fermè sedentes exercemus, ijs iuuenes à lassitudine recreãtur: ijs senes incõmoda senectutis & longa ocia molliũt. Verba sunt Ciceronis ex secũdo De oratore: homines labori assiduo & quotidiano assueti, quom tempestatis causa opere prohibentur, ad pilam se aut ad talos aut ad tesseras conferunt: aut etiam nouum sibi ipsi aliquem excogitant in ocio ludum. Sic Palamedem & Pyrrhum accepimus castrenses quosdam ludos inuenisse: quibus dum cessarẽt à grauioribus curis, essentq; inducię à militari opere, animum familiariter laxarẽt. Sic Augustum Cæsarem, sic Q. Mutium Scęuolam accepimus: illum imperij onus, hunc laborem respondendi suis ciuibus de iure leuasse: quæ oblectatio tantum abest ut seriis actionibus obstreperet, ut multo postmodum paratiores uegetioresq; ad operosas actiones & maxima quæq; redirent negocia. Sciebant enim à se ludos exerceri: eosq; ludicre & intra modum exercebant. Quòd si ludi hac ætate apud plerosq; infamia laborant, id nõ magis ludorũ culpa euenit, quàm eorum qui ludos & immodice, & nõ tanquam ludos, uerum quasi seria meditantur. Ii sunt scilicet qui (ut prouerbio dicitur) nesciũt manum tollere de tabula, καὶ τὸ ὄργυ ὡς πάροργον, καὶ τὸ πάρεργον ὡς ὄργον ἀπεργάζονται. Non defuerunt tamen homines seuerioris uitæ professores, qui omnes promiscue ludos auersarentur. Qualis Xenophanes, qui ab Hermioneo prouocatus, ut uellet unà συγκυβεύειν, id est tesseris ludere: excusationẽ attulit asseuerans se πάνυ δειλὸν πρὸς τὰ αἰσχρὰ καὶ ἄτολμον, id est, timidum ac diffidentẽ ad ea quæ forent turpia. ceu uero in censum turpiũ ludus tesserarum esset referendus. Lydos nationem olim fortem atq; inuictam ludos inuenisse memorię proditum est: hinc deum Lydium religiose cultũ apud Veteres accepimus, quem alij Lysium à soluẽdis curis maluerũt appellare. Eos uero à Lydis ad Græcos perfluxisse legimus, mox à Græcis ad Romanos: quorũ semper ingenia ea fuerunt facultate prædita, ut seria æquè ac ioca pari studio ac laude amplecterentur.

DE TALIS

EX ludis uero, quos frequẽtes exercuit antiqtas, tres olim magno fuerũt in ambitu: talus scilicet, tessera, & calculus: quos facile sit studiosis agnoscere, & quantũ inter se differãt intelligere, si modo scriptores ueteres nõ negligẽter adeãt, neq; sinãt se aliquorũ persuasione in transuersum rapi: quãdo multos animaduertimus celebri nomine uiros ita fœde lapsos, ut talũ tesserę, & utriq; calculũ improbe nimis ac licenter cõmiscuerint. Quã nos caliginẽ detergere posse speramus, si ea quæ apud receptos conditores annotauimus, in unum quasi aceruũ conferamus. Erit ea res, nisi nos fallit æstimatio, ad uetustatis mores agnoscendos opportuna: ad eruditionem uero & clarissimorum quorundam scriptorũ obscuritates illustrandas imprimis accõmodata. Talum eum esse apud Latinos, quem Græci uocant astragalum, ita certum est, ut uix probatione indigeat. Sic certè uiri clarissimi uno consensu id uocabulum in latinitatẽ uerterunt. Plinius libro XXXIIII. ubi de Polycleto uerba facit. Fecit, inquit, & distringentẽ se, & nudum telo incessentẽ, duosq; pueros itẽ nudos talis ludentes: qui uocantur astragalizontes, & sunt in Titi impe-

imperatoris atrio, quo opere nihil absolutius pleriq; iudicant. Sed & quæ deinceps afferemus, hoc ita planũ faciẽt, ut nullus planè dubitationi locus relinquatur. Est autem talus propriè bisulcorum in suffragine pedum posteriorum ossiculum, non rotundum planè, sed rotunditatis tamẽ parte magna particeps. & si uero bisulca pleraq; talum habeant, non habent tamen omnia. Quin & nonnulla quæ minime bisulca sunt, talo tamen à natura honestantur. Nam & leoni talum tribuunt sanè tortuosum & in morem Labyrinthi conuolutum, ut Aristoteles testatur. Ad cuius imitationem talarij magistri talum lusorium effinxerunt. Ita enim ea Aristotelis uerba interpretamur: ὁ δὲ λέων οἷόν περ πλάττουσι λαβυρινθῶδες. Leo contortum habet & implicatum, qualem formant uulgo & effingunt. Sex uero sunt tali latera: & si quatuor tantũ in usu ludentiũ sint. nam duo sunt ita incurua: ut illis talus uix possit consistere: has κεραίας, id est antẽnas uidetur Aristoteles appellasse. Proinde scitum est in talo Binarium & Quinarium, qui duo numeri sunt in tesseris oppositi, desiderari. Ex reliquis quatuor tali partibus, una supina, altera prona dicitur: quę duæ ternarij & quaternarij uices obeunt. Vnitas autẽ & senio duabus reliquis partibus tribuuntur. senionẽ uero Coum, unitatem Chium uocabant. De quibus mox cõmodius & cumulatius dicemus, testimonijsq; receptissimorũ utemur, ut res omnibus certior fiat atq; testatior. Quæ omnia modo à me dicta non puto me cõmodius posse approbare: quàm si ea autoritate Aristotelis subsignauero, cuius uerba sunt ex secũdo De animalibus libro. ἀστράγαλον δὲ ὁ ἰνδικὸς ὄνος ἔχει τῶν μωνύχων μόνος. ἡ γὰρ ὗς ὥσπερ ἐλέχθη πρότερον, ἐπαμφοτερίζει. διὸ καὶ οὐκ ἔχει ἀστράγαλον. τῶν δὲ διχηλῶν πολλὰ ἔχει ἀστράγαλον, πολυσχιδὲς δὲ οὐθὲν ὦτα ἔχον ἀστράγαλον, ὥσπερ οὐδ' ἄνθρωπος. ἀλλὰ ἡ μὲν λύγξ ὅμοιον ἡμιαστραγάλω. ὁ δὲ λέων οἷόν περ πλάττουσι λαβυρινθῶδες. πάντα δὲ τὰ ἔχοντα ἀστράγαλον ἐν τοῖς ὀπισθεν ἔχει σκέλεσιν. ἔχει δὲ ὀρθὸν τὸν ἀστράγαλον ἐν τῇ καμπῇ, τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δ' ὕπτιον εἴσω. Quæ ita Plinius fermè ad uerbum interpretatur libro Naturalis historiæ XI. Talos asinus Indicus unus solidipedum habet. Nam sues ex utroq; genere existimantur: ideo fœdi earum. Hominem qui existimarunt habere facile conuicti. Lynx tantum digitos habentium simile quiddam talo habet. leo etiamnum tortuosos. talus autẽ rectus est in articulo pedis, uentre eminens, concauo in uertebra ligatus. hæc Plinius. Theodorus autem: Talum etiam asinus ille Indicus solus in solidipedum genere possidet. sus enim (ut modo dixi) ambiguus est: quo fit etiam ut talo non careat probiore. Permulta ex bissulcorum numero talum habent. At uero multifidum nullum adhuc talum eiusmodi habere, cognitum est: ut nec hominẽ certum est. sed Lynci semitalo simile quiddam, leoni autem tortuosum in anfractu est, qualem effingũt. omnia uero quibus datus est talus, cruribus eum posterioribus continent: ita ut erectus in suffragine parte sui prona foras, supina introrsum spectet. Illud notandum in his uerbis, quòd Aristoteles negat sues talum habere, quòd inter solidipeda & bisulca ambigant: quando alij pede solido alij bifido reperiantur. Plinius talos habere affirmat, sed fœdos. Quẽ locum Theodorus, nisi lectio fallit, multo turpius peruertit, cum dixit, ut talo non careat probiore: quom Aristoteles planè dicat, διὸ καὶ οὐκ ἔχει ἀστράγαλον. Apud Theodorum tamen puto negationẽ expungendam, ut sectatus Plinium uideatur. Etsi utrunq; putẽ ita posse defendi, quòd uulgata Aristotelis lectio ulcerosa hodie habeatur: eiq; uox desit, quæ in sano olim codice legebatur ad hunc sanè modum: διὸ καὶ καλὸν οὐκ ἔχει ἀστράγαλον. uel quod propius uero uideri possit, pro ἀστράγαλον, καλὸν tantum legi oportere. ut hoc sentiam mouet me, nõ solum duorum clarissimorũ uirorum autoritas, sed & ratio. Quom enim sues inter solida & bisulca ambigant, par fuit non omnino carere talo: sed talem habere, qui non utiq; talus foret, neq; omnino longe à talo abesset: sed anceps foret, neq; planè probus neq; legitimus. quod nemini sanè mirum uideri oportet, quom alioqui innumeris scateat mendis noua hæc impressio. Qualis ea quam in eorũ uerborum initio, quæ modo adscripta sunt, curauimus, ἀστράγαλον δὲ ὁ ἰνδικὸς ὄνος ἔχει τῶν μωνύχων μόνος. Quom prius legeretur, τῶν ὀνυχῶν μόνον. Hominem uero talo carere hinc certum est, quòd neq; pedes habeat posteriores: & malleoli qui humano pedi inhærẽt, non in suffragine, sed in laterum uertebra inserantur: quorum utrunq; talum habentibus

tibus ab Aristotele tributum est. Non prætermittam illud quod mihi sæpe admirationem fecit: Galenum tantæ apud me autoritatis uirum, ut nemini ueterum philosophorum uel magnitudine ingenij, uel disciplinarum omniũ cognitione inferiorem putem, in tertio eius libri uolumine quẽ περὶ χρείας τῶν ἐν ἀνθρώπου σώματι μορίων, conscripsit, cõstanter talum homini tribuere: & quod admirationẽ auget, de Aristotelis sententia nihil meminisse: cui tamẽ in eo libro solet frequenter magna cũ libertate repugnare. talum autẽ siue astragalum adscribit humani pedis suffragini, mediũ scilicet inter tibiam & calcaneum: utpote cui tibia ac fibula, quæ duo à recentioribus illiterata uoce focile maius & minus dicũtur, impacta sit: quom ipse πῆχυν, id est calcaneo incũbat: cuius finis ossi inserit, quod à Græcis σκαφοειδὲς, à nostris nauiforme dicit. Tria em̃ hęc ossa posteriori pedis parti adscribũt à Galeno, πῆχυν, ἀστράγαλον, καὶ σκαφοειδὲς. Sed neq; illud dissimulandum arbitror, hũc ipsum Galeni astragalum cum bisulcorum astragalo, quẽ unum Aristoteles probat, nihil omnino habere commune: nequis fortè suspicetur ab illius imagine nomẽ inuenisse. Ad Aristotelem redeo, qui graphice admodum & enucleate nobis situm atq; imagines talorũ depingit alio loco: πάντα δὲ τὰ ἔχοντα ἀστράγαλον, ὧν τοῖς ὀπισθίοις ἔχει σκέλεσιν. ἔχει δὲ ὀρθὸν τὸν ἀστράγαλον ἐν τῇ καμπῇ, τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δὲ ὕπτιον ἔσω. καὶ τὰ μὲν κῶλα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ ἰσχία καλούμενα ἔξω, καὶ τὰς κόραλας ἄνω. Quæ Theodorus sic interpretatus est: Omnia uero quibus datus est talus, cruribus eum posterioribus cõtinẽt: ita ut erectus in suffragine parte sui prona foras, supina intus spectet: & quæ ueneres uocantur, intus aduersæ sibi positæ sint: quæ canes foris, quæ antennæ suprà habeantur. situs talorum omnium talis est. Quem locum pariter cũ Theodori translatione non frustra uidemur suspectum habere: neq; enim satis exacte uidentur tali partes omnes enumeratę. Tum κῶλα nemo linguæ Græcę cãdidatus, ne dicã Theodorus, ueneres uerterit: ut suspicionẽ mihi aliquando fecerit, non κῶλα sed κωλιάδας legisse. Sic enim Venerem Græci dixerũt: sic Lucianus appellat in Amoribus, à templo scilicet quod in Colio Atticæ promontorio fuit, Strabone & Pausania testibus: in qua sententia uideo etiam Domitium fuisse. Sed ne perstem in ea opinione, faciũt uerba quæ subsequuntur, & qui præcedit articulus, τὰ, & ἐντὸς ἐστραμμένα, quæ omnia uocem neutram expetunt. Quis præterea patiatur Theodorũ ἰσχία canes uertere? nam περὶ τῶν κυρίων, id est de antennis neminẽ uideo aut Græcorum aut Latinorum meminisse. Quòd si Pollucẽ autorẽ sequamur, haud sanè difficile fuerit eius loci castigationẽ explorare. ait Pollux, τὸ δὲ χῆμα τὸ ἐπὶ τὸν ἀστράγαλον πῆμα τοῦ ἀεὶ μὲν δύο ἔχων. καὶ τὸ μὲν μονάδα δηλοῦν καλεῖται κύων. τὸ δὲ ἀνελκόμενον χιάς. καὶ χιὸς ὅτου ὁ βόλος. δύας δὲ καὶ πέντας ἐν ἀστραγάλοις ὥσπερ ἐν κύβοις οὐκ ἔστιν. οἱ δὲ πλείους τὸν μὲν ἑξίτλων κῶον, τὸν δὲ κυῶα χίον, καλεῖσθαι λέγουσι. Hoc est, Atqui forma casus quod ad talũ pertinet, numeri rationem habet: & qui monadem quidẽ significabat, canis uocabatur. Illi uero oppositus chias, & iactus ipse chius. nam binarius & quinarius in talis, ueluti in tesseris, nõ erat: & si plures senionẽ Coum, canẽ uero Chium uocari asserant. Ex his profecto cõmode conijci potest, apud Aristotelem non κῶλα sed κῶα: neq; ἰσχία sed χία legendum esse, ut per chia unitatem, per coa senionem intelligas. Qui duo iactus prouerbio locum dederunt de rebus inæqualibus adeo ac plurimũ inter se differẽtibus: χῖος πρὸς κῶον, Chius ad Coum: quando altero minima summa, altero maxima notabatur. Hinc etiam eorũ sententia facile refelli potest, qui apud Aristotelem ea uerba τὰ μὲν κῶλα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, ita enarrant quasi duæ forent ueneres inuicẽ oppositæ: quom mea quidem sententia Aristoteles intelligat coa & chia oppositis lateribus obniti. Hoc enim ferè apud Pollucem significat, τὸ δὲ ἀνελκόμενον χιάς. Hæc quę ab Aristotele hausimus, confirmantur maximè Eustathij Homerici interpretis testimonio: qui de his multo cumulatius uerba facit, ut pote qui iustam propè de talis cõmentationem habeat. erit autẽ ad id quod agimus per quàm accõmodatum, si ex ijs quæ sunt apud eum autorem, partẽ multo maximã in medium attulerimus: ea sunt in penultimo Iliados libro super eo uersu adscripta, νὺξ δ' οὐκ ἐθέλουσ' ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς.

Talarius ludus talis quatuor exercebatur, quorũ quisq; lapsus quatuor habebat, non

ſex, quemadmodum cubi ſeu teſſerę. Sed omnes caſus talorũ ex conſuetudine ludentiũ annumerati erãt quinq; & triginta, quorũ quidã à Dis, alij ab Heroibus, alij à claris hominibus aut à meretricibus nomẽ accipiebãt: nõnulli uero ab euentibus, qui cũ laude aut probro acciderant, denominabantur. Inter eos enim caſus quidã Steſichorius dicebatur, quippe octonariũ ſignificãs: quòd ſepulchrum Steſichori, quod erat in Himera urbe Siciliæ, octo fuerit angulorũ. Alius Euripidius, quippe quadraginta ſignificans. Nam Euripides unus fuiſſe traditur è quadraginta præfectis poſt triginta tyrannos Athenis expulſos. ex omnibus autẽ qui ſex cõtinebat, κῶϴ dicebatur, & ἓξίτης, qui latine ſenio dici ſolet. Qui uero unum, χίϴ dicebatur, & κύων, id eſt canis. ex quo prouerbiũ, χίϴ παρὰς κῶον ὐκ ἐάσω, Chius adſtans Coum nõ permittã. Vel ut Stratides comicus plenius ſcribit, χίϴ παρὰς κῶον ὐκ ἐᾷ λέγειν, At Chius adſtãs nõ ſinit Coũ loqui. De ijs ſcilicet qui quom multo inferiores ſint, eos tamẽ qui maiores ſuperioresq; ſunt, compeſcũt. Ad quod uidetur alluſiſſe Ariſtophanes ὑν Θηραμένει, de Theramene homine ambiguo, & qui in duabus ſellis ſederet, atq; ideo Cothurni cognomen adepto, loquens: quom inquit, πέπωκεν ἐξω τὴν κρηπῖδ' ἀεὶ χίϴ ἀλλὰ κεἰϴ ἢ κῶϴ. In eo enim bella eſt alluſio, quòd Theramenẽ Chiũ fuiſſe accepimus. Illud mirari ſubit, q̃ quom de miſsibus eorũq; nomenclatura ab Ariſtotele & Euſtathio atq; Polluce tam locuples habita ſit mentio, eorũ tamen nemo de celebri admodũ ac felici iactu Veneris quicquã dixerit, quom alioqui in eo frequentes & aſsidui ſint ſcriptores. Plautus in Aſinaria: Hoc uenerĩũ eſt, pueri plaudite & mihi ob iactũ cantharo mulſum date. Auguſti Epiſtolæ caput ad Tyberium extat apud Suetoniũ: Luſimus mi Tyberi χρονικῶς heri et hodie. Talis iactatis ut quiſq; canem aut ſenionẽ miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios conferebat: quos tollebat uniuerſos qui Venerẽ iecerat. Eſt & adagiũ illud antiquis frequẽs, quo Themiſtius utitur in libello De diuinatione per ſomnium ex Barbari interpretatione:

Si ſæpe iactaueris, aliquando Venerem iacies.

Sed enim dignũ ſcitu eſt, Venerẽ nõ unius talj faciẽ fuiſſe, ut canis & ſenio: id quod pleroſq; credidiſſe hactenus præter unum Nicolaum Leonicum uirum doctum & eloquentem uideo: cuius dialogi aliquot exiere, poſtquam hæc cõmentatio iam abſoluta apud nos ſanciebatur. Id quod ex Epiſtola Auguſti facile colligere potuerũt, in qua ſenio à Venere nũcupatim ſeparatur. Sed quoties tali quatuor ita excidebãt, ut diuerſa eſſet omnibus facies: qui iactus inter eos, quos quinq; & triginta Euſtathius dixit, ultimus numerabatur: tum felix ille caſus, qui Veneris nomine cẽſebatur, affulgebat. Oſtẽdit id Cicero in primo De diuinatione, ſententiã Ariſtotelis mutuatus, quam ex eius metaphraſte Themiſtio modo attulimus: Ita ne uero quicquã poteſt eſſe caſu factum, quod omnes habet in ſe numeros ueritatis? quatuor tali iacti uenerium efficiunt: num etiam centum uenerios, ſi quadringentos talos iecerĩs, caſu futuros putas? ſed Lucianus Samoſateus in eo dialogo cui ἔρωτες, id eſt Amores titulum fecit, omnẽ planè dubitationẽ diſcutit. eius uerba ſunt, τῇ ϒ πραπέζῃ πέντε ἀστραγάλους λιβυκὰς ὀρκάδι ἀπαρεμπίτας διεπέπτωκε τὴν ἐλπίδα. καὶ βαλὼν μὲν ὧν σπουδῇ, μάλιστα δ' ἔπωτε τὴν θεὸν αὐτὴν ξυβολήσῃ, μηδ' ἀφῶς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ κινδύνῳ προσεκύνει δὴ ὡς θυμίας τοὐξεῦδαι νομίζων. εἰδ' ὁποῖα θέλει, φάλως ἤδη δὲ βαπέζης ξύλινης, οἵας δ' ὧν ἐν ὀνοφημότερον ἀνασᾶσαν, ὅλῃ κνίδῳ καταρώμενος, ὡς ἐπ' ἀνηκέστῳ συμφορᾷ κἀ κατηφεῖ. κἀ δὴ ὀλίγου σωφρονίσας, ἑτέρῳ βόλῳ τὴν περὶ ἀσυχίαν ἐθράπευεν. Loquitur ſcilicet Lucianus de eo adoleſcẽte, qui in ſtatuam Veneris Cnidiæ opus Praxitelis perdito amore inſaniebat. Eumq; teſtatur frequẽter talos quatuor Libyſſæ dorcadis in ſpem uoti ſupra tabulam iactaſſe: qui pro ſententia iaciens, tum imprimis, ſi quando deam ipſam iactaſſet, nullo uidelicet talo in eandem faciem obuerſo, pronus deam adorabat: ita coniectans, ſe uoti compotẽ futurum. Quòd ſi ut plerũq; fit, peruerſe atq; infeliciter in menſam iecĩſſet, triſtemq; illi faciẽ obuertiſſent, uniuerſam Cnidum execrabatur, ceu in magnã calamitatẽ incidiſſet: & mox eoſdẽ arripiẽs altero iactu male captã coniecturã ſarcire nitebat. In hanc fermè ſententiã exijt illud Propertianũ:

Me quoq; per talos Venerem quærente ſecundos,
Semper damnoſi ſubſiliere canes.

Ex ijs

Ex ijs quæ à nobis allata sunt, nemo iam, puto, dubitabit, quæ sit sententia in eo disticho quod in Xenijs apud Martialem scriptum est, & quin planè ad iactum uenerium sit referendum.

Quom steterit nullus uultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Sed enim iactu uenerio quòd lętissimus foret, Archiposiam, id est in compotatione principatum, sortiebantur ueteres. hoc est quod Horatius dixit,

Nec regna uini sortiere talis. & alibi:
Quem Venus arbitrum dicet bibendi.

Arbitrũ enim bibendi uocat, quem prisci modiperatorẽ dicebãt. quo loco Acron interpres alioqui primi nominis, talis tesseras cõfundit. Quatuor talos consuetos in talario ludo ex Eustathij sentẽtia diximus, in quibus missus quinq; supra triginta numerabant: quatuor scilicet simplices eadẽ omnes facie, geminatos duodeuiginti, triplices XII. unum uero quadriformẽ ultimum omnium, utpote quo nullus numerosius accreuit. Vnde facile est Acronis locũ castigare, qui uenerio iactu tricenariũ numerum cõtineri tradidit, quom quinariũ & tricenariũ planè sit substituendum. Non tamen eum talorum numerũ perpetuum fuisse existimamus, siquidem pro ludorũ diuersitate numerus cõmutabatur: erantq; interdum plures paucioresúe astragali. ad quod uidetur Aristoteles allusisse in libro περὶ τοῦ οὐρανοῦ. ἐστὶ δὲ τὸ κατορθοῦν χαλεπὸν ἢ τὸ πολλὰ ἢ τὸ πολλάκις, οἷον πολλοὺς ἀστραγάλους κώους βαλεῖν ἀμήχανον, ἀλλ' ἕνα ἢ δύο ῥᾴον. Exacte agere difficile est uel multa uel frequẽter, sicut & multos talos Coos, id est seniones iacere perquàm arduum, unum aut duos facile. Quin & ipsos interdum astragalos in præmiũ cessisse uictori constat. Sic certè locum Homeri in penultimo Iliados conditores aliquot primi nominis exposuisse uideo:

εὖ τέμε τυτθὸν ἐόντα μενοίτιος ἐξ ὀπόεντος
ἤγαγεν ὑμέτερον δ' ἀνδροκτασίης ὑπὸ λυγρῆς,
ἤματι τῷ ὅτε παῖδα κατέκτανον ἀμφιδάμαντος
νήπιος οὐκ ἐθέλων ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς.

Verba sunt umbrę Patrocli per quietẽ Achillẽ appellãtis: quę sic interpretari potes:

Quom me etiam puerum ex Opoente Menœtius ad uos
Duxit funesta & crudeli cæde madentem,
Qua primum luce occidi natum Amphidamantis
Et puer & nolens, ad talos percitus ira.

Idem hoc testatur Lucianus in dialogo quodam Iouis & Ganymedis. ἔχεις κἀνταῦθα τοὶ συμπεξόμενον σοι τοῦτον ἔρωτα καὶ ἀστραγάλους μάλα πολλούς. Habes & hic Amorẽ hunc qui tecum colludet, & astragalos large multos. Idem ostendit Apollonius in tertio Argonauticôn de Cupidine & Ganymede simul talis ludentibus.

ἀμφ' ἀστραγάλοισι δὲ τώγε
χρυσείοις ἅτε κοῦροι ὁμήθεσιν ἐψιόωντο.
καὶ ῥόμεν ἤδη πάμπαν ἐννίπλεον ὦ ὑπὸ μαζῶ
μαργὸς ἔρως λαιῆς ὑπίσχανε χειρὸς ἀγορῶ
ὀρθὸς ἐφεστίως.

Aureolos ad taxillos ludebat uterq;:
Ceu ludunt iuuenes allecti moribus ijsdem.
Ipse autem plenosq; sinus plenasq; papillas
Seruabat uesanus Amor, nixusq; sinistra
Astabat rectus. Et mox de Ganymede in ludo succumbente

δοίω δ' ἔχεν ἄλλον ἔτ' αὔτως
ἄλλῳ ἐπιπροϊείς, κεχόλωτο δὲ καγχαλόωντι.
καὶ μὴν τοῦ γε πάρασσον ὑπὸ πεστέροισιν ὀλέσσας,
βῆ κενεαῖς σὺν χερσὶν ἀμήχανος.

Quomq; duo tali superessent: illum atq; illum
Ex æquo superinijciens iratus Amori
Multa cachinnanti serie deperdidit una:

Et uacuis demum manibus subtristis abibat.

Ex quo carmine agnoscimus tum multos fuisse talos, tum etiam in prẽmium cessisse uictori. Nam locutio illa ἀμφ' ἀστραγάλοισι, tam ad ludendi causam, quàm institutam referri potest. Hunc autem locum Apollonij cõmode æmulatus est, & expressit Philostratus iunior in ea pictura cui titulum fecit ἀθύροντες, id est lusores: quam non pigebit ex nostra interpretatione huc trãscribere. Ludẽtes illi in atrio Iouis, Amor puto & Ganymedes: siquidem hunc ex tiara, hunc ab arcu & pennis, cognosci licet. Atqui ludunt astragalis. & Amor quidem ad illudendum & ad fastũ pictus est, & plenum uictoriæ sinũ succutit: is uero duobus adhuc reliquis tantũ astragalis, & hunc quoq; ipsum perdidit, & illum in eandem spem iacit. hinc tristes genæ: & ille oculorum splendor, & si multum habeat suauitatis, profundum tamẽ dolorẽ præfert. Ens & deæ tres illis præsto sunt, quæ interpretatione non egent. Nam quisquis aspexerit, illam facile Palladem esse intelliget, cognata (ut aiũt poetæ) armatura indutam, & glaucis sub casside oculis: cui uirilis aspectus, oriscq; habitus, & genę rubentes. At illa rursus dulcem risum sub cesti illicio uel de pictura exprimit. At tertiã Iunonem esse tum dignitas, tũ species planè regia profitetur. Sed quid uolunt sibi? quæue huc impulit necessitas? Argo quinquaginta illos heroas uehẽs intrauit Phasidem, superauitq; Bosphorum & Symplegadas. Videñ fluuiũ ipsum profunda in arundine iacentem, truci aspectu, coma hispida atq; arrecta, horrida item barba, & oculis colore glauco perfusis? Fluminis uero exuberantia non uno ab ore erumpit, ut mos est: sed undecũq; restagnat, ut hinc facile intelligamus quantus exundet in pontum. Huius uero nauigationis præmium, puto, & tu audisti, sed ex poetis uellus illud aureum celebrantibus: qui argo etiam πασιμελὲς ἆρμ, ex Homeri cantilena nuncuparunt, ceu tũ omnicuram dixeris, quòd de ea Di omnes curam habeant. Sed argonautæ munera suo quisq; intendit, deæ uero oratum ueniunt, quærentes scilicet Medeam Aeetæ filiam ad nauigantium salutẽ sibi sociam adiungere. In cuius operę præmium mater pilam filio pollicetur, quam fuisse Iouis lusum asserit. An nõ eius artificium de pictura colligis? ipsa quidẽ aurea futura, qualis intelligi magis quàm perspici possit. caprea li cyanei in eius excursant ambitu. emissa uero lumen iaculatur, quale astrorum radios imitatur. Hæc ille audiens astragalos nihil moratur: quin ipsos in terram abijciens parentis peplo manum iniijcit, obsecrans sibi promissa prẽstari. Neq; enim tantæ in spem mercedis hoc certamẽ recusarit. hæc Philostratus. Ex ijs quæ diximus facile constare potest, talos æquè pueris ac senibus fuisse in delicijs, pueris tamen in primis. Hinc Iuno apud Lucianum in quodam cælesti dialogo exprobrat Ioui quasi graue crimen, non solum q; cũ Ganymede ludat, sed quòd ludat astragalis. Hinc Lysander Lacedæmonius iactabat, pueros astragalis, uiros iureiurãdo circumscribi oportere. Monumentis ueterum traditum est, Demetrium regem Syriæ à Phraate rege Parthorum, in cuius manus uenerat, talis aureis ignominiæ causa donatum fuisse: quòd fugiens aliquoties retractus esset ex fuga. Quintilianus clarissimi oratoris affert exemplum, qui pueris in epilogum productis talos iecit in medium: quos illi diripere cœperunt. Nec tamen in re ludicra solum, sed & in serijs etiam actionibus constat ueteres talos exercuisse. Nam in agro Burensium (ea gens est Achaica) fanum est Herculis, autore Pausania, in quo ex talis & abaco rerum agundarum captant augurium hoc modo. Consulturus deo primũ supplicat, tum precibus rite peractis, talos quatuor, quorum apud deum magna copia est, in mensam iactat: iactorumq; situm & figurã accurate perspicit: in singulis aũt talis figuræ inscriptæ certam interpretationem in ipsa habent tabella. Hinc fata coniectant. Fuit & in agro Patauino oraculum, quod Geryonis appellabant: nisi Tranquilli codex sit maculosus. Nec enim desunt codices in quibus non Geryonis, sed regionis scribitur. In quo eum morẽ fuisse accepimus, ut tali in Aponi fontem iacerentur: & pro numeri magnitudine felicitatẽ infelicitatemúe augurarentur. certè quom Tyberius super imperio oraculum scitaretur, aureosq; talos in fontẽ iactasset, euenit ut summũ numerum ab eo iacti ostenderent, & adhuc Tranquilli temporibus tali illi in fonte uidebantur.

Nonnulli produntur eximiã adeo operã huic ludo impendisse, ut & nomen nacti sint

sint apud posteros. Nam & Curium elegantius quàm oporteret talis lusisse tradidit antiquitas: de quo uersiculus ille prodijt, quem apud Pedianum legimus: Et talis Curius pereruditus. Quem puto orationibus & epistolis Ciceronis exagitatum, utpote in ludo talario sodalem Antonij: quē quotidie fortunæ aleam adijsse, nō sine morsu taxauit. Celebrat idem Cicero Titium nescio quem, pila, Brullam talis egregie ludentē libro tertio De oratore. Cęterū in uniuersum, ludere astragalis Gręci ἀστραγαλίζειν καὶ ἀστρίζειν, dixerunt. Priuatim autē dictū est ἁρπάζειν ἀστραγάλους ἐκ φορμίσκων κατὰ ῥομένους ἐν τῷ ἀρδυτηρίῳ τοὺς παῖδας, id est, pueros in spoliatorio ex sportulis rapere astragalos. Astragalos autē, quos alij ἀστρίας, Aristophanes etiā ἀστρίκους uocat, id est talos, planè rotundos negauimus, perfecta scilicet & absoluta rotunditate, sed parte sui leuiter pressa. Negamus & quadratos, quales tesseræ: id res ipsa indicat: ossiculum scilicet in posteriorū pedum articulo bisulcorum animalium plerunq; positum. est alioqui hoc nomen apud Græcos polysemum. Nam & os iuguli siue iuncturam ipsam significat Homero in XI. Odysseæ de Elpenore, qui lapsu scalarum concidit: ἐκ δέ μοι αὐχὴν ἀστραγάλων ἐάγη. At mihi lapso Fractus ad astragalos iugulus. Est & herba astragalus à semirotunda radice sic appellata, de qua Dioscorides libro quarto syluæ medicæ, & Plinius libro VI & XX Naturalis historiæ. Scriptum quoq; est in sacris literis, Balthasarem filium Nabuchodonosor in cœna recumbentē ex aduerso pariete uidisse manus humanæ astragalū scribentē hebræis literis. Quas ita Daniel interpretatus est: astragalus quē uides uiuentis dei manus est: ea scripsit regnum tuum permensum iri finēq; proximè accepturum. Id audiens Balthasar consternatus est. Nec sanè multo pòst à Dario Medorum rege expugnatus est. quem locum ex Daniele suppresso autoris nomine Suidas adduxit. Annumerat̄ & astragalus inter columnarū ornamenta à Vitruuio. Hæc tamen omnia significata deducta sunt ex eo, quòd astragalus talum pedis significat, πρὰ τὸ ἀστραβῆ καὶ ὀρθὴν φυλάττειν τὴν βάσιν. quòd muniat & rectam seruet basem corporis, id est pedes. ἢ ὁ μὴ πρὸς τὸ μένειν καὶ ἑστάναι γεγονὼς, ἀλλὰ πρὸς τὸ κινεῖσθαι, ἀστάγαλος τὶς ὤν, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ρ ἀστράγαλος. Vel quòd non ad manendum neq; standū à natura institutus, sed ad motum: quasi astagalus, & additione literæ r astragalus. Alij astragalum dici uolunt quasi astrum: quòd ita suffragini pedis insertus sit, ut astrum cælo. Philosophorū enim clarissimi astrum ceu nodum quendam cęlesti absidi affixum uoluere. Talum uero à latinis dictum contendunt, quòd τηλόθεν iaciatur: uel quasi telum, quòd posterioribus pedibus uice teli quædā talo prædita utant̄. Nam & Plinius ait, ea quæ cornigera nō sunt, ungula pro telo uti. Plautus in Curculione talos uulturios appellauit: Iace inquit parumper. Iacit uulturios quatuor: talos arripio, inuoco almā meam nutricem, Herculem iacto basilicum. Quo loco almā nutricem, Venerē puto. uulturij autē uidentur appellati, uel à rapacitate, uel à fœcunditate, quòd id animal foret naturę symbolum Aegyptijs. Ad summouendas uero aleatorū fraudes, qui subdola manu uti callent: institutum est, ut in conditorio, seu tu pyxidem mauis appellare, repositi tali promerentur in abacum: id conditorium Persius orcam sumpta ex monstro marino trāslatione appellauit. Sic & Pomponius poeta Bononiensis, Dum contemplor, inquit, orcam taxillos perdidi. Horatius Græca nuncupatione πύργον, quam Martialis turriculam. eius carmen est:

Quærit compositos manus improba mittere talos.
Si per me mittit, nil nisi uota facit.

Erat & is ludus de quo Augustus meminit, quom iacto cane aut senione quisq; in singulos talos cōferebat denarium: quos omnes auferebat qui Venerē iecerat. Sed & illud sæpe usu ueniebat, ut cui canis allatrauerat, certā summam in mediū daret: eam tolleret cui senio addixisset. Hinc poeta dextrū senionē, damnosam caniculam, uocauit. Quod si quis utrūq; pariter iactasset, fiebat compēsatio, (ut aiunt) Caius ad Caiā. ea res locū dedit prouerbio, quod paulo ante ex Eustathio attulimus, χῖος πρὰ στὰς κῶον οὐκ ἐᾶ λέγειν. Erant & aliquot alij ludi ad exercitationē talariā pertinentes, quibus Pollux testimoniū reddit, qualis ille quem ἀρτιάζειν, id est coaptare uel adæquare nuncupabant. Nam astragalorum multitudinē manibus obtegentes diuinan-

dum proponebant, pares essent an impares: quod fabis item & amygdalis, sed & argento aliisq; id genus interdum factitabant, qui talos non habebant: quod & Aristophanes testatur in Pluto. Alius fuit, quem ἐς ἄμιλλαν, id est in certamen contentionemue dixerũt. est enim ἄμιλλα, φιλονεικία, πόλεμος, ἄγων. is hoc pacto exercebatur. Circulum ducentes, talum iaciebant, coniectantes an missus in circulo hæreret, an extra prolaberetur. Qui felicius coniectura usus fuerat, victor salutabat. hoc hodie nostrates quoq; pueri uti solent, pro talo lapillum aut nummũ iacientes. Alioqui pari ferè exemplo in præscripto circulo cothurnicem statuebãt. Tum alter eam digito percutiebat: alter in aduersum nitebatur illam intra circulum cõtinere. Quod ni fecisset, cothurnicis dominus succumbebat. Ludum aliũ τρόπαν uocabant, ceu tu obuersionem dixeris. hic quoq; ut plurimũ astragalis exercebatur: quos iactantes diligenter scrobem obseruabant, qua iactati excíperentur. Ad hunc acylis, id est ilignis, aliisq; id genus glandibus frequenter uice astragalorũ utebantur. Ad hunc ludum uidetur spectasse, qui carmen illud cecinit in Idylio De nuce:

Vas quoq; sæpe cauum spatio distante locatur,
In quod missa leui nux cadat una manu.

Hi sunt fermè ludi talarij, de quibus mentionem habitam apud Veteres inueni: qui ætate nostra propè desiti sunt, quantum ego in regione nostra obseruaui, alioqui deliciarum uoluptatumq; omnium tenacissima.

DE TESSERIS

NON facile est iudicare an tali an tesseræ plus habuerint celebritatis in antiquitate: sanè de utriscq; crebra mentio est apud Veteres. Sed de talis hactenus, nunc de tesseris agendum. Tesseras inuenit Palamedes, quos Græce cubos appellari constat: eosq; quorum ille inuentor fuisse dicitur, in uetustissimo Fortunæ fano asseruatos dicatosq; ultra Nemeum Iouem scribit Pausanias in Corinthiacis. Lydos in caritate annonæ alternis diebus cibum sumere, & interim tesseris uacare, autor Plutarchus. Quid quod in sacris Romanorum indigitamentis traditum est, rege Anco Marcio, ædituum Herculis aliquãdo ociosum per ferias, deum tesseris ad ludum prouocasse: ipsumq; utriusq; munus subijsse, ea proposita conditione, ut uictus cœna scortoq; multaretur. Mox quom uictoria penes Herculem stetisset, ab ædituo Accam Larentiã nobile ea tempestate scortum ad deum perductã, non sine cœna ipso planè digna Hercule. Sed & apud externos reges tesseras magna fuisse in æstimatione, atq; à Romanis ducibus triumphatas memorabile est. Plinius libro ultimo Naturalis historiæ, ex Pompeij triumphorum actis: Pridie Calendas Octobris die natalis sui trãstulit alueum cũ tesseris lusorium è gemmis duabus latum pedes tris, longum pedes quatuor. Quin & Terentius in Adelphis uitam mortaliũ tesseris comparauit: Ita uita est, inquit, hominũ, quasi quom ludas tesseris: si illud maximè quod est opus, iactu non cadit: illud quod cecidit, id arte ut corrigas. Fecit hęc ludi celebritas atq; assiduitas, ut licet alea in uniuersum ad ludos omneis fortuitos & plenos discriminis referatur, signate tamen ac priuatim ad tesseras pertineat. Sanè latinã illam Cęsaris acclamationẽ, iacta est alea, Plutarchus Græce uertit, πᾶς ἀνερρίφθω κύβος, hoc est, iacta sit omnis tessera. Sic illud Iuuenalis: Tibi ludit alea pernox Ante Numãtinos. Quod me iudice ad tesserã referri opus est. Sic illud de Nerone accipio apud Trãquillum: Quadringẽtis in punctum HS aleã lusit. Quæ summa nostro ære quinq; & uiginti milibus aureorũ computabitur. Hoc est quod Cicero conqueritur in Antonianis, Licinium Lenticulam condemnatum de alea restitutum ab Antonio. Hęc est alea legibus interdicta, ut ait Horatius, in Saturnalibus tamen permissa. hoc est enim quod ait Martialis:

Nec timet ædilem moto spectare fritillo,
Quom uideat gelidos iam propè uerna lacus.

Cæterum tesseram eam esse quam κύβον Græci uocant, certũ est: & si Domitius uir proximo seculo doctissimus, Gellij & Sexti Pompeij autoritati obsistere ausus, tesseram

tesseram à Græcis κύβῳ dici pernegarit: quom ea tamen sit etiamnum Macrobij, Vitruuij, Varronis sentẽtia. Varronis enim uerba sunt apud Censorinũ in Die nata li relata: κύβος est figura ex omni latere quadrata: quales sunt tesseræ, quibus in alueolo luditur: ex quo ipsæ appellatæ κύβοι. Quæ Vitruuius propè ad uerbum uidetur mutuatus lib. quinto Architecturę: Cubus est corpus ex sex lateribus æquali latitudine planicierum per quadratũ. is quom est iactus, quam in partẽ incubuit, dum est intactus, immotam habet stationẽ: uti sunt etiam tesseræ, quas in alueo ludentes iaciunt; ex quo & quadrantalia etiam dicta sunt, teste Gellio. Quæ causa amphoræ quadrantalis nomen inuenit, utpote quam ueteres cubi forma exprimebant, quaternis scilicet angulis & pedali undecunq; amplitudine, ut fiat in sex latera sessilis forma. Continebat autẽ amphora octo & quadraginta sextarios rerum humidarũ, uini puta & olei: quom medimnus contrà siccis, tritico puta uel hordeo, impleretur. ex quo illud Ausonij in Gripho ternario facile agnoscas:

Est Bromij quadrantal, & est Sicana medimna.

Hæc fuit amphoræ quantitas: quæ ne facile ab ijs qui annonam flagellant corrumpi posset, ab antiquis diligẽter in capitolio asseruabatur. Hoc est scilicet quod apud Lulium Capitolinum legimus: Maximinũ imperatorem persæpe una die amphoram unam capitolinam hausisse. quam nonnulli putant fuisse cæteris capaciorem: ego iustam & suæ planè mensuræ interpretor. Tesseræ autem quadrantalis nomen indi tum puto, non quòd quadrata sit quatuor undiq; partibus inclusa: ut aliqui falsò censuerũt: sed quòd ex omni parte (sex autem partes sunt) abacum habeat tetragonum, hoc est quatuor angulis exæquatum. In tesseris autẽ sex lapsus fuisse, sic enim interpretari lubet quæ Græci πτώματα nuncupant, & nos superius diximus, & Eustathium autorem habemus: In tesseris, inquit, per septenarium numerũ contraria semper constituitur oppositio: nam utcunq; constiterit tessera, septem sibi puncta perpetuo opponuntur: sex uni, tribus quatuor, duobus quinq; opposita. Quę oppositio in solis cubis habetur, quippe superficies sex habentibus. Verũ quom ad talariam pugnam quatuor, plerunq; tali decertarent, in tesseraria duæ tresúe ad summũ tesseræ congrediebantur. De duabus meminit Martialis:

Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto.

Nam quom in altera atq; altera forẽt sex puncta, punctorũ duodecim summa reddebatur. Sanè & hodie duabus tantum utimur in eo ludo, quem sperainũ à spe iactus uocitamus. Tribus autem usos ueteres frequentius, Græcorum prouerbiũ ostendit: τρὶς ἓξ, τρεῖς κύβοι: quo nũc maxima summa, nũc minima, significari creditũ. Per tres em̃ cubos meras unitates indicãt, q minimus est in tesseris numerus: per sex maximam summã, quæ ternis constat senarijs. De hoc ita scribit Hesychius: τρὶς ἓξ, τρεῖς κύβοι, παροιμία ἐπὶ τῶν συντυγχανόντων ἢ ἀτυγχανόντων. πάλαι γὰρ τρισὶ ἐχρῶντο πρὸς τὰς παιδιὰς κύβοις, καὶ νῦν ὡς οἱ νῦν δύο. Prouerbiũ scilicet fuisse de ijs, quæ feliciter aut infeliciter euenissent. Antiquitus enim tres fuisse tesseras in usu ludentium cõstat, non duas, ut fermè nostro seculo consuetum est. Hæc eadem propè ad uerbum referuntur in prouerbijs Græcorum, ex autoritate Pherecratis. Tribus sed enim tesseris & hodie nostrates utũtur in eo ludo, quem sperainum ex eadem causa uocitãt. Quoniam itaq; duabus tribusúe tesseris, quatuor autẽ ad minimũ talis, contendebatur in acie lusoria, hinc à Martiale illud exijt:

Non sim talorum numero par tessera, dum sit
Maior quàm talis, alea sæpe mihi.

Video interim pro tesseris numeros Ouidium posuisse: ceu in secundo Artis:

Seu ludet, numerosq; manu iactabit eburnos,
Tu male iactato, tu bene iacta dato.

Et illud ex III.

Et modo tres iactet numeros, modo cogitet apte
Quam subeat partem callida, quamq; uocet.

Tesseris uero conformandis materiam fuisse ebur, ex proximo Ouidij uersiculo cognoscimus. Sed & ex eadem constitisse materia talos, illud Martialis ostendit:

Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

Adde exemplum ænigmatis, quod apud Diomedem ad talos & tesseras ambiguum est. In campo, inquit, ligneo, ubi mare concretum, humana caro ex ossibus ludebat. Nam ebur alij dentem, alij os elephantis putauerunt. Alioqui non me fugit, à Plinio libro XVI. tradi liguſtra cõmodissima tesseris: & si non desint qui ad frumentariam uel castrensem tesseram quàm ad lusoriam id referri malint. Campum autẽ in quo tesseraria pugna exercebatur, ab antiquis nunc abacum, nunc alueolum, nunc tabulam lusoriam, modo πλίνθιον, sed & fritillum appellatum uideo: reclamantibus licet grammaticis, qui ex autoritate Porphyrionis, non ad tesserarium ludum sed talarium fritillum pertinere arbitrantur: ut idem sit cum turricula instrumentum. Sed ut ego in diuersum abeã, tum alia suadent, tum illa ex Ludo Claudij carmina: seu eorum autor Seneca, ut titulus præfert, seu quisquis alius: quem sanè doctum & antiquum fuisse nemo inficiatur. Ea sunt:

Nam quoties missurus erat resonante fritillo,
Vtraq; subducto fugiebat tessera fundo.

Nam fundum, fulcrũ & solum ipsum lusoriæ tabulæ appellat, alludens scilicet ad pœnam qua filiæ Danai apud inferos exercentur: de quibus illud in uulgus adactũ est, ἄπλητον πίθον Δαναΐδων. In explebile dolium Danaidum. quòd quantũ aquæ infunderetur, tantundem subducto fundo effluueret. Et nequis forte argutari possit, quasi tesseræ etiam in turriculam iacerentur, protinus addit:

Digitosq; per ipsos
Fallax assiduo delabitur alea furto:

ut iam nemo possit ueritati fucum facere. Sed enim & Suetonius alueolum nuncupatim appellat in uita Claudij. Alea, inquit, studiosissime lusit. De cuius arte librum quoq; emisit, solitus etiã in gestatorio ludere: ita essedo alueoloq; adaptatis, ne lusus confunderetur. Sic & illud Iuuenalis enarrandum:

Si damnosa senem iuuat alea, ludit & hæres
Bullatus, paruoq; eadem mouet arma fritillo.

Tesserarius lusus hodie frequens, & propè quotidianus apud nostrates, sed tesseras seu cubos uulgaris simplicitas datos appellat, non adeo fortasse barbara aut absurda nuncupatione. Nam & Quintilianus datum pro iactu siue motu tabellarum uidetur accepisse in XI. Institutionum. Quo dato, inquit, errasset recordatus, rediit ad eum quicum luserat. sed & ueteres datatim ludere usurpabant: hoc est uicissim & alternatim facientes. Plautus in Curculione:

Tum isti qui ludunt serui scurrarum datatim in uia. Pomponius,
Quom datatim in lecto tecum lusi.

Illud non prætermiserim, cubum apud Græcos perpetuò corripi: quom apud Ausonium & Latinos adscita quinta Græcorum uocali, & coalescente diphthongo, producatur. Significabantur autem numeri in tesseris punctis uel lineis: eratq; imprimis μονάς: quæ nunc ὄνος, id est asinus, nunc cubus absolute dicebatur: ut ex prouerbio superius enarrato abunde cognitum est: ἢ βὶς ἓξ, ἢ βὰς κύβοι. Erat & in tesseris iactus qui μίδας nuncupabatur, commodus admodum iacientibus: ex quo adagium illud effluxit:

μίδας ὁ ἐν κύβοισιν βουλόπατος, id est,
Midas qui in tesseris consultor optimus.

Etsi magis probem syllabæ gratia βουλώπατος legi: ut intelligas facilem, ut qui lubrice prouoluatur. Midam enim à felicitate Midæ regis appellatũ arbitror: qui mortalium ditissimus antiquorũ monumentis traditus est. Sicut & Iouis tesseræ in prouerbium abierunt, de ijs qui autoritate pollent, quibusq; omnia feliciter procedunt.

ἀεὶ γὰρ εὐπίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι

Feliciter semper cadunt Iouis cubi. Quom Iustinianus edicto suo ludũ aleæ interdixit, puto cuborũ, seu tesserarũ ludũ interdixisse: cuius loco quinq; alios ludos introduxit, in quibus puto minus locum fraudi fore existimauit: eorum nomina ita luxata ac deformata sunt, ut neq; Romana, neq; transmarina ulla in ijs facies agnoscatur. Nã quid tibi comonouolon, comodaulomolo, regindala, cempon, reipularа, significa

significauerint uoces omnino doctis ignotæ? & si nõ nulla in ijs bene nata ingenia elaborauerint, sed (quãtum uideo) parum feliciter. Nam pro comonouolon κορυκόβολον, id est pilæ iactum: pro comodaumolo, κῶμον δίαυλον, id est lusum cursorium: pro regindulia basilinda, id est reginam, de quo Pollux meminit: pro cempon catampon, de quo Festus, uel cestum: pro reipusara ῥέπειν λυστέρας, à decursu latrũculorum seu calculorũ substituerunt: quom tamen ego nullum ex ijs ludis in usu fuisse ante Iustinianum suspicer, neq; ad gymnasticam pertinere censeam. Sunt tamen codices in quibus hęc nomina aliter legãtur: comolen scilicet, idolomenon, rhindalcha, cyron, ecpyrusam. quæ licet obscura, aliquanto tamen propius ad literaturæ indolem accedunt. Nam & comole à como seu lasciuia & luxu dicta uideri potest. Idolomenon ab effictis imaginibus. rhindalcha à distortis naribus, forte quasi rhinochalca: ut sit ludus cottabo similis, cui icunculæ duæ subijciebantur: sicut & cyron à gibboso habitu corporis. Ecpyrusa uero, in qua de pecuniæ summa agitur: ut quid proteruiæ simillimum agnoscatur. Nã & hodie ludus extat matronis fermè nostris peculiaris, cui ambustæ nomen faciunt. Et hæc licet mihi parum satisfaciant: ijs tamen tantisper contenti erimus, dum meliora offerantur. Sed & in ijs ludis Iustinianus aureum præscripsit: extra quem iactura fieri non posset, etiam ab eo qui multum diuitijs polleat. Aureus uero, si ad nostram æstimationẽ referatur, sestertium unum habet: id est numos sestertios mille: quę summa aureos nostrates quinq; & uiginti cõplectitur Illud postremo non omiserim, quod scriptũ est apud Artemidorũ Ephesium, siue ut ipse mauult Daldianum, libro ὀνειροκριτικῶν, id est De somniorum coniecturis, tertio. Gręce ille quidem, sed ad hanc propè sententiã. Siquis sibi per quietẽ uideatur ludere tesseris: id significat aduersus quempiam, quicum de argento agatur, uictoriã in uoto fore. Nam tesserę numerũ includunt, & calculi dicuntur, quibus tesseras exercentes ludunt. Atqui uincere semper auspicatum est. Quòd si quis æger se ludere calculis aut alium ludentem uidere suspicetur, præcipue autẽ si ipse sibi ludere uideatur: dolebit. quòd si tesseræ ipsæ uideantur: seditiones & simultates prænuntiant. Amissæ aũt paratas iam seditiones dirimunt: auctæ intendunt. puerum uero ludentẽ uidere tesseris uel astragalis uel calculis, non omnino inauspicatũ. Nam peculiaris est pueris lusus. uiro autẽ iam adulto & mulieri malum portendit, si ludere talis uideatur: ni forte qui somnium uiderit, speret se alicunde hæreditatẽ assecuturũ. ex functis enim corporibus tali fiunt. Sic ergo cęteris periculum, ipsi utilitas, denunciatur.

DE CALCVLIS

CALCVLORVM ludum iure tertio loco adscripserim. post talos enim & tesseras non alium uideo in cõsuetudine antiquitatis frequẽtiorem, utpote quo omnis ętas atq; ordo uteretur. Id quod in orationis excursu facile constabit: ne sit opus sæpius eadem reuocare in disquisitionẽ: & quæ partibus digerenda sunt, in aceruum cõmisceantur. Calculos fuisse lapillos ab initio, quales in ora per lusum sępe legimus: & quos spolia Oceani Claudius Cæsar uocauit, quom parata expeditione milites iussit galeas cõchis & hoc genus lapillis implere, hac ratione de Oceano triumphaturus: nomen ipsum ostendit. Certè & Græci ψήφους uocabant: quibus etiam numeros explicabant, ut ex Aristotele in primo Elenchorum cognoscitur: & suffragia ferebant. unde uox frequens uel Ciceroni ψήφισμα, pro decreto senatus. Sed & à forma (ut reor) turbinata πέσσους, dictos inuenio. Vnde medici pessulos uocauerũt, qui ad certa remedia locis mulieribus subijcerẽtur: ea scilicet specie, qua Galenus indicauit τὰ μοτὰ, id est linamenta, quæ πριαπισκωσεῖς appellari prodidit. A Theocrito λίθους appellatos existimo in Bucoliastis, quom dixit: καὶ τὸν ἀὲρ γραμμᾶς κινεῖ λίθον. Mutianus simias etiã latrunculis lusisse fictis cera prodidit. autor Plinius. Quin & latronum & canum nomine celebratos agnosco. Erant scilicet in abaco, quem & πλίνθιον uocauerunt, ceu tu laterculum dixeris: regiones, lineis distinctæ: has urbes nuncupabant: unde & in prouerbium Græcis abijt: urbes ludere, πόλεις πέζειν. quom res tenues magnis nominibus

minibus exaugemus,& (ut aiunt)ollas exornamus. Erant hæ regiones plerunq; quinq; lineolis transuersarijsq; & decussationibus alternatim dimensæ, quinq; & uiginti numero:singulis latrones quinq; insidebant, præter mediam:cui tantũ quatuor tribuebantur.excubabãt itaq; utrinq; latrones, seu canes mauis dicere,coloribus distincti, hostili animo insidiantes.Ea fuit ludi ratio: ut si unus ex hostili agmine incomitatus deprehenderetur,ita ut circumueniri posset:captiuus ex acie traheretur.Ab eo linearũ numero Sophocles uidetur πέντε πρωτόγραμμα, id est pessa quinq; lineis distincta uocitasse: ex quibus quæ media fuit, sacra dicebatur: à qua mouere calculum religio fuit,ni magna & ineuitabilis quędam urgeret necessitas.Hinc prouerbium oriundum est: κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς,hunc moueo à sacra,ut lineã subintelligas:quom extrà præsidia implorantur. Plutarchus in libello An gerendasit seni respublica, πολυπράγμων ὥσπερ τῶν ἀφ' ἱερᾶς ἐπάγεσθαι ἡμῖν τὸν γῆρας. Postremã nobis tanquam à sacra linea senectam causantur.hoc est ceu causam grauissimã afferũt.Plato in quinto Legum, καθάπερ πεττῶν ἀφ' ἱερᾶς, Tãquam à sacro calculo. De calculis meminerũt receptissimi scriptorum. Martialis:

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles & hostis erit.

Quæ paulum uidentur immutata ex illo Ouidij carmine in altero libro De arte:

Siue latrocinij sub imagine calculus ibit,
Fac pereat uitreo miles ab hoste tuus.

Quo tamen loco malim uicto quàm uitreo legere,ut intelligas ita puellę amasiæ obsecundandum esse: ut parta in eam uictoria trãsferatur : scitumq; illud apud ueteres repetat de Osculana pugna, in qua uicti uincũt. hoc est enim quod alibi monuerat:

Tu male iactato:tu bene iacta dato.

Nec tamen me præterit,gemmeos,quin & uitreos à Martiale calculos appellari.

Sic uincas Nouiumq; Publiumq;,
Mandris & uitreo latrone clusos.

Mandras enim dictas puto, quas regiones Pollux uocat & Eustathius: sed ad rem de qua agit Ouidius, conuenit magis ut uicto legatur. Quom uero distincti forẽt suis coloribus calculi,& ex ijs ille deperiret qui inter duos deprehensus facile conueniri posset,hinc ab eodem Martiale dictum putamus:

Discolor hic gemino uictus ab hoste perit.

Memorię uero proditũ est,Pyrrhũ Epirotarum regẽ,solertissimũ strategematum autorem primũ omniũ ostẽdisse,quomodo ars & disciplina militaris per calculos in tabula traderetur.Hinc est ut ludũ calculorũ eundem esse cũ eo,quẽ nunc uulgo scaporũ ab elegãtia cuiusq; segmenti,plericq; sentiant. In hoc enim & imperatores sunt, & imperatorũ laterones & equites & turriti elephãtes præcedẽte peditũ agmine. Sed ut diuersa sentiam facit,quòd ueterum nemo hunc ita effingit,ut eius exemplum ullum agnoscat.Quippe huic quatuor & L X regiões sunt nouẽ lineis inclusæ.sexdecim aũt scapi utrinq; militant.Quæ omnia in calculis diuersa sunt.nã & lineę quinq; X V I quadris,seu regiones uel urbes malis appellare,implentur.At in ludo calculario X I I.ad summũ manipulones,in duas decurias & præstites duos laterales centuriati,totam militiã exercent,in quibus tamen disciplinam explicandæ aciei possis agnoscere. Siquidem in frõte iugati sunt ordines per quinarium numerum: altitudo autem triplici acie instructa est,ut cubitos occupet X I I.Expedito enim & ordinato militi cubita quatuor tribuuntur. quom uero sarissa cubita X I I I I. portendatur,ita ut extremi ordinis uel (si lubet sic dixisse) triarij sarissa non sit inutilis, quæ cubitis duobus infesta in hostem exporrigatur.hæc est imago illa militiæ quam calculis expressam uoluere.alioqui ei qui suo loco excessisset,præsto fuit pœna, ut circunuentus in manus hostium perueniret:quod quom facile fiat, si latera agminis enudẽtur, ob id constitutum accepimus,ne quis de sacra linea,id est media decedat, cui laterales præstites præfecti sunt.ea enim prodita tum cætera acies incursionibus hostium facile patet.Iure igitur prœco inclamat: ἀφ' ἱερᾶς ψυφὸν μὴ κινεῖ. Ab eadẽ ratione militari deductum est,ut miles qui castra hostium penetrarit, & in arces euaserit, quasi

murali

murali corona donatus, uirtutis ergô late impune peruagetur: nec niſi ter circunuen tus ſuccubuiſſe iudicetur. Sic apud Maſsilienſes ſemel libertate donatus, nõ niſi ter ingrati animi conuictus in ſeruitutem relabebatur. Illud præterea hoſtimentum in utroq; agmine ſeruabat: ut quaſi collatis ſignis uir uiro implexus cõfligeret: & quorum altera parte cornu pelleretur, altera hoſtem urgeret: ut ita in tota concertatione cõmutato uictoriæ ordine paria fierent. Quæ omnia in ſcaporum certamine longe aliter obſeruantur: & operoſius dicenda forẽt, ſi quis modo id ſui feciſſet inſtituti: ceu Vida meus uir unus ad poeticam natus & doctorũ iudicio elegãtiſsimus, id luculento admodum carmine olim fecit. Nam in ſcaporum procinctu omnia neſcio quomodo Martium quiddam magis ſonãt, & impenſiore ratione exornata ſunt. Siquidem, ut cætera prætermittã, & pugnatorum numerus in ipſa uſq; elementa ſectilis eſt: ad iugandum & uerſandum aciem aptior, & diſponenda præſidia accõmodatior: utpote qui ſit δωδεκαμοδωδέκαμος, id eſt à quadrato quadratus: cuius linea ambiẽs cũ interiore ſpatio ſit æqualis, & mox in cubum excreſcẽs, campi in quo pugna conſeritur regiones emetiatur. Quæ omnia Plato, & poſt Platonem qui πεττικὰ ſcripſere, diuini tus ſunt proſecuti. Non eſt igitur quod quiſquam miretur eos fermè omnes qui de calculis mentionem intulere, de prælijs, & pugnis mentionem habuiſſe: quod iam multis teſtimonijs confeſſum eſt, & illud Ouidianum è tertio Artis planum facit:

Cautaq; non ſtulte latronum prælia ludat,
Vnus cum gemino calculus hoſte perit.

Cæterum XII. fuiſſe calculos antiquis conſuetos, tum ex alijs, tum ex illo Ciceronis agnoſcas in primo De oratore: licet iſta ratione dicamus pila bene & XX ſcrupis ludere proprium eſſe iuris ciuilis: quoniam utrunq; eorum Publius Mutius optime fecerit. Qui locus impudenter nimis ab enarratore corruptus eſt: qui pro ſcrupis ſcriptis ſubſtituit, & ad XII. tabulas referendum putauit. Sed & Ciceronem cõmode intelliget, & in noſtram ſententiã facile ibit, qui uerba Quintiliani ex libro XI Inſtitutionũ ca. De memoria, annotauerit. ea ſunt: At uero Sceuola in luſu XII ſcruporum quom prior calculum promouiſſet, eſſetq; uictus: dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato erraſſet recordatus, redijt ad eum quicum luſerat: iſq; ita factum eſſe confeſſus eſt. Ex quo illud obiter intelligas, uiros clariſsimos calculis etiam aliquando operam dediſſe. Quin & fœminarũ lectiſsimas hoc egiſſe, indicat illud ex Plinij Cæcilij epiſtolis. Quadratillam nobilẽ fœminã propè quadragenariam animũ laxaſſe pantomimis & calculorum luſu: ſed quom factura eſſet alterutrum, ſemper nepoti ſuo præcepiſſe, abiret, ſtuderetq; quod non amore eius magis facere quàm reuerentia uidebatur. Sed & proci apud Homerum ante fores ſe calculis oblectabant: non more Diodori Megalopolitæ aut Theoxeni ludum calculorum edocti, neq; ſecundum Leonis Mitylenæi Athenis oriundi inſtitutũ, qui unus omnium eo in ludo inuictus habebatur: ut teſtatur Phanias. Cæterũ Apion Alexandrinus ſe audiuiſſe profitetur à Cteſone Ithacẽſi, qualis ea foret procorũ ars in ludendo, Quom enim illi eſſent centum & octo, totidem etiam calculos inſtruebant aduerſos inuicem, pari utrinq; numero, quatuor uidelicet & quinquaginta: in quorum medio paruum reliquiſſe uacuum, & in hoc calculum unũ ſtatuiſſe, cui nomen fecerunt Penelopen. Hunc pro ſcopo habuiſſe, in quẽ alterum calculũ dirigerent. ea res ſorte agebatur. Qui ſorte potior fuerat: in eam oculo pariter & cõiectura utebatur. Quòd ſi Penelopen prorſum excuſsiſſet, in excuſſæ ac prouolutæ loco ſuum ipſius calculum ponere mos fuit, in quem rurſus ſtantem illum Penelopen iaculabatur. Tum ſi uicariũ illum calculum ita attigiſſet: ut nullum præterea attingeret, penes eum ſtetiſſe uictoriam: & multã ſpem concepiſſe, Penelopen ſibi aliquando in uxorẽ ceſſuram. Eurymachũ uero unum ex omnibus procis huiuſce ludi gratia perſæpe in magnam ſpem ueniſſe, quaſi nuptiæ Penelopes ſibi certò deberentur. Hæc Athenæus. Cybium concíſa in teſſellas pelamis, quam Theodorus lutariã interpretatur, ſic dicta, ſi Feſto credimus, à cuborũ ſimilitudine: qui cum æquè in omnes partes pateant, ad luſum accõmodati ſunt. Ita etiam piſcantes hoc genus piſcis, ueluti aleam ludant. A cybijs quæ ipſe ſua manu familiæ partiebatur, Cybiotactes rex Syriæ ſor-

didiſsi-

didissimum cognomen inuenit. Quæ à nobis in medium allata sunt, planum facere possunt, quid sibi uelit Ouidianum illud:

Est genus in totidem tenui ratione redactum
Spicula, quot menses lubricus annus habet.

Nam spicula pro ipsis spiculatoribus, quos στρατοφόρους uocãt, accipiendũ puto: ut sit Metonymia militaris. At hic qui apud ueteres olim multum uidetur æstimationis habuisse, uel qui huic proximus est, ad posteritatem quidem peruenit, sed ad populares & mediastinos tantum relegatus: sicuti & is, de quo eundem poetam meminisse animaduertimus:

Parua tabella capit ternos utrinq; lapillos:
In quo uicisse est, continuasse suos.

Nos quoq; in quodam Saturnalitio carmine aliquot huiusce generis ludos olim per ocium sumus prosecuti:

Mox numeris distincta, duplex mihi tessera pugnet:
Quo certam sedem senio certus habet.
Et duo sub prima potior locat agmina fronte,
Damnoso possit quo locus esse cani.
Ad citimosq; gradus resilit percussus ab hoste,
Mox repetit pugnam, tectaq; nota subit.
Denicq; certatim se impellit quisq;: priorq;
Qui poterit stadio cedere, uictor erit.
Quòd si tecum iterum duplici pugnauero telo,
Subsultet semper bis mihi summa minor.
Quòd si diuersis figas tentoria campis:
Et mox quæ dederit sors loca, quisq; petat:
Victor erit quisquis geminos insiderit antes,
Aut perturbarit signa inimica prior.
Sors gemino resonat iactu, ter quinq; tabellis:
Dum properat miles, ter labor ecce subit.
Scandit enim resilitq; & mox fugit, omnia raptim:
Præstabit primus qui dare terga potest.
Ter geminus facili iactu mihi cubus anhelet:
In quo uicisse est, exuperasse decem.
Alueolus triplici sonat agmine: concipe uota.
Nam nisi diuines, tu tibi uerba dabis.
At mihi Pulydamas duodenos digerat orbes:
Si uacat: ut liceat transilijsse super.
Tres adime: & serie totidem iungantur eadem:
Vnus ab hostili protinus arce cadet.
Par nisi præsidio series. tum porrige gramen
Si quis inaccessas itq; reditq; uias.
Bis septena impar tessella cohæreat apte:
Hic ubi quadratis iuncta triquetra uides.
Ex tam diuersis facies tamen una subibit:
Si taurus fiat uel calydonis aper.

Postremum tamen hunc ludum quem inter calculos reponendum indicauimus, Ausonius ostomachij nomine prodidit appellatum ab antiquis: & his uerbis commode enarrauit. Ossicula in eo sunt ad summã XIIII, figuras geometricas habentia: sunt enim æquilatera uel triquetra, extentis lineis aut rectis angulis uel obliquis. Isosceles ipsi uel isopleura uocãt, orthogonia quoq; & scalena. Harum uerticularũ uarijs coagmentis simulantur species mille formarum: elephantus belua, aut aper bestia: Anser uolans & mirmillo in armis subsidens, uenator & latrans canis: quin & turris & cãtharus, & alia huiusmodi innumerabiliũ figurarũ: quæ alius alio sciẽtius uariegat. Sed peritorũ cõcinnatio miraculũ est, imperitorũ iunctura ridiculũ. Hæc Ausonius.

Dere

DE RE NAVTICA

CAELII CALCAGNINI COMMENTATIO AD LILIVM GREgorium Gyraldum.

LVS ne cõmodi an periculi attulerit mortalibus res nautica, nemo facile dixerit. Nam si gentiũ & terrarum commercia quis animaduerterit, cõmunicatasq; regiones inter se: nõ temere quicquam utilius aut opportunius in uita repertum putauerit. quòd si deinde pericula, imminentisq; fati uicinitatẽ metiatur: & quasi mortis propagatum imperium: non est qui tam formidabili æstimatione non expauescat, & tam pernicioſæ rei inuentorẽ non execretur: cui non satis fuit hominem in terra mori, nisi alieno in elemento periret & insepultus. Profecto Cato, quom ad extremã senectutem peruenisset, se pœnitẽtia affici dixit, siquando nauigasset, quò terrestri itinere posset peruenire. Fecit ea ratio, ut minus mercaturã probaret: quæ tanto scilicet discrimine emeretur. & Græcorũ uerbum est: γυνὴ, πῦρ, θάλασσα, κακὰ βία. Tria nanq; in uita hominum mala, mulierẽ, ignem ac mare. Satis etiã testatum autoritate antiquitatis rem periculosam esse nauigationẽ, quom eos in eadem naui esse dixit, qui pari periculo tenerẽtur: & tã naufragiũ facere, qui in prora, quàm qui in puppi assedissent. Quom quidam pecuariam faceret, allectus maris tranquillitate pecua uendidit: comparatisq; caricis mercaturæ consiliũ iniit, secq; ac sua pelago credidit. Verum suborta tempestate quom amissis mercibus uix euasisset: rursusq; aliquãdo summa æquoris temperies ostenderetur: ὁ ποιήσω, inquit, σῦκα θέλω: non faciam: caricas quærit. Arguit hoc tamen ipsum quanti facienda sit nauigatio, quæ tanto periculo emitur. Alioqui Homerus φαίηκας ναυσικλύτους, id est remigatione inclytos nunquã appellasset, nisi multam laudem promereretur.

A QVIBVS RES NAVTICA INVENTA

Qua in re & Cretenses olim excelluerunt. Huius inuentionẽ non facile est uni tribuere, quando alij alio loco primi instituisse existimantur. Samothraces hoc sibi gloriæ ascisciũt: Mauri Atlantem celebrant: Cretes Neptunũ, Vsonem alij: Iudæi Noe, quem unum sacræ literæ publico mundi illuuio superstitẽ fuisse testantur. Et quom multa sint nauium genera: rates quidem, quas primum in usu fuisse constat, Erythræ regi uetustas tribuit, Mysijs ac Troianis reclamãtibus: qui sibi totum hoc decus uendicant. Græci primũ Danaum ex Aegypto ad se nauem inuexisse testantur. eam quę longa dicitur ab Iasone inuentã Philostephanus profitẽ, à Smyrna Ctesias, à Semirami Stephanus, ab Aegeone Archimachus: quom tamẽ Sesoostri regi idipsum Aegyptij adscripserint. Tum uero ut est animus hominum immodicus, nec quicquã est quod intra sui principia constiterit, Erythræi biremem, Amynocles Corinthius triremem, quadriremem Carthaginẽses, quinqueremẽ Mnesichthon Salaminius, sex ordinũ nauẽ Xenagoras Syracusanus à se inuentas dixere. Romani profecto primi omnium in apparatu primi belli Punici quinqueremẽ Italiæ ostendêre: quæ deinde augendi libido eò usq; prouecta est, ut & quinquaginta ordinũ aliquæ inuentæ sint. Sed longe tamen antea Hippias Tyrius onerariam, Cyrenenses lembum, cymbam Phœnices, celocem Rhodij, cercurum Cyprij inuenerãt. Nec ad hoc quicquam hominem impulit, quàm humani ingenij improbitas, & peculiaris quædã cura audẽdi nocitura, & ea plerunq; tentandi, quę in caput redeant. Quodq; enim eo maiore ambitu quæri solet, quo plus difficultatis habet. Nam quæ alioqui necessitas potuit hominem admonere, ut tantum iniret discriminis. Aut quid ille ex sepositis regionibus potuit appetere, quod ignoraret? atq; utinam ille aditus nunquã autorem inue-

 nisset

nisset. minus certè instrumenti haberent delicíæ, minus gula cupediarum, minus supellectilis impudentia. Fecimus certè id reclamãte atq; obstrepente natura. Hinc ille uentorum impetus, ille fluctuum fragor, illa procellarum uis. se itaq; belle ulciscitur, & à nobis curiosi animi pœnas exigit. Nã quę illuc profectis fuga supereſt, aut quid tandem relictum est? hic ergo maximus uotorum locus, ubi minimus salutis. hic crebra Neptuni accusatio: sed qui accusat, crebrius damnatur. hic querelæ & eiulatus, sed quibus Di aures obstruxerint: & quod sæpius accidit miserabile naufragiũ, ac fœdissima nostri cadaueris reiectio, ipso scilicet indignãte pelago, quod nec algas nec spongias auersatur: nec saltem miserãte, nos ab omni natura destitutos, suo sinu excipere: & quasi insaniã exprobrante quòd terrestre animal homo mare ingrediatur, & nõ mouendum (ut dicitur) moueat. Scitum est enim illud Græcorũ, χέρσαῖος ὢν μήποτε θαλάττιος γένῃ. Quom sis terestris, maritimus ne fias. Virorũ profecto constat cadauera supina fluitare, fœminarum prona, in utrisq; ita forma exigente: sed & in his pudori defunctarum parcente natura.

NAVIGATIONIS INVENTIO.

Casus quidem fœcundissimus rerum magister ostendit ligna ac trabes non mergi: sed nos remigãdi artem ex piscibus ac ranunculis mutuati sumus: qui cauda, alis, branchijs ac pedunculis pro temone & palmulis utuntur. non parum etiam miluus contulisse creditur caudæ flexibus, in cœlo monstrante natura quod opus esset in profundo. uelificationẽ certè nautilus piscis, qui ab alijs pompilus dicitur. Supinus hic in summa æquorum ita se paulatim subrigens, ut emissa omni per fistulam aqua, uelut exoneratus sentina facile nauiget: postea duo prima brachia retorquens membranam inter illa miræ subtilitatis extendit. qua uelificante in auras cæteris subremigans brachijs, media cauda ut gubernaculo se regit. Ita uadit alto, liburnicarũ gaudens imagine. Quin & inter conchas Neritæ præbentes concauam sibi partẽ, & alteram auræ opponentes per summa æquorum uelificant. Et cornigeræ testudines apud Troglodytas cornibus quasi remigio in natando utuntur. Echinos etiã saburræ rationem ostendisse ferunt. Tradunt sæuitiã maris præsagire eos, correptisq; operiri lapillis: mobilitatemq; pondere stabiliẽtes nolũt uolutatiõe spinas atterere. quod ubi uidere nautici, statim pluribus anchoris nauigia infrenãt. Attulit tamen huic rei magnum adiumentũ hominum industria. quis enim negarit? nam & Polybius grauis autor Romanos nauigationis rudes primo bello Punico se ita exercuisse scribit, dum quinqueremes parabantur: subsellijs in harena per ordinẽ dispositis, remiges insidentes ad uocẽ præcipientis, qui in medio eorũ erat, omnes unà protendere brachia ac reducere, remosq; per harenam mouere pariter docebantur: ad illius uocem simul omnes incipiebant, simul desinebant. Per hunc modum nauigandi artem edocti, & perfectis interea nauibus mare ingressi, post paucos dies uerum in undis periculum fecerunt.

MATERIES AD REM NAVALEM.

Materiem construendis nauibus cõmodam citream maximè existimauere: quoniam hæc si mari exiccetur, obdurescat: spissiorq; atq; æternior fiat. quod ipsum & castaneæ euenire putant. Solent alij citream terra condere ac cæra illinere. quin & aceruis frumenti septenis diebus imponere, totidem intermissis: atq; ita firmiorem & ad opus commodiorẽ reddi. Mirum enim quantũ ponderi detrahatur. At cedro quidem æterna materies est. Nam Vticæ tectum è cedro stetisse annos mille ducentos octo & septuaginta traditum est. sed ideo minus probatur, quòd summopere ferrum oderit, & clauos non teneat. In Aegypto tamen ac Syria reges inopia abietis cedro ad classes feruntur usi. Maxima ea in Cypro traditur ad undeciremim Demetrij structa CXXX. pedum lõgitudinis, crassitudinis uero ad trium hominum complexũ. Cupressum etiam Veteres cõmendauere, uel quòd cariem & situm non sentiat: uel quòd minime rimis fatiscat. Certè Dianæ Ephesiæ ualuæ cupresso constabant. & leges publicas Plato cupressinis tabulis incidendas putauit: quòd eas ære diuturnio res fore existimabat. Pinum etiam non ultimo loco probauere: quando hæc & bene fert ætatem: si terra præsertim condatur: sicut & alnus humoris patientissima est,

sed aerem

sed aerem ac soles non facile patitur. Larix item syluestris colore buxeo improbari non solet. Nam & aduersus tempestates firmissima est, & cariem nõ expauescit: tum uero imprimis quòd incẽdijs minime obnoxia est: & siquando hostes flammas inie cerint, non aduritur: audio tamen à plerisq; repudiari, quòd aquis marinis teredinem contrahat. Cerrum etiã & fagum non admodum probauere: quòd aduersus tempestatem imbecilles sint, nec ad uetustatem perueniant. Fagum tamen uideo in Argo naui Apolloniũ probauisse. Robur, alioqui tantæ duriciæ arbor, ut perterebrari non possit nisi madefacta, reijcitur quòd inconstans sit, & (quod omni in opere, sed in nautico maximè, periculosum est) facile rimas agat, & aqua marina corrumpatur. Habet hic alnus indicaturam: quæ quo natura siccior est, eo magis existimatur ei humor conferre ad immortalitatẽ. Abietem ante omnes alias probant: quòd procerita te & amplitudine polleat, oneribusq; reluctetur: & facile mores patiatur, directa inuictaq; permanens. Eius tamen speciem quandam apud Benacum nasci tradunt: è qua si uas feceris, ni oleo perlinas, minime uinum continet. Abietis pars terræ propior enodis est: cui quom detractus est cortex, sapinus uocatur. reliqua pars nodosa est duriorq;, & fusterna dicitur. Abies admirationis præcipuę in naui, quæ ex Aegypto Caij principis iussu obeliscum in Vaticano circo statutum, quatuorq; trũcos lapidis eiusdem ad sustinendũ eum adduxit: qua naue nil admirabilius uisum in mari certũ est. CXX. M. modij lentis pro saburra ei fuere, longitudo spatiũ obtinuit magna ex parte Hostiensis portus latere leuo. Ibi nanq; demersa est à Claudio principe cum tribus molibus turrium altitudine in ea exædificatis obiter Puteolano puluere aduecto. Quæ arboris crassitudo quatuor hominũ ulnas complectentiũ implebat. Oleam & oleastrum diuersæ causæ cõmendabilem ac respuendum faciunt: nam & graues sunt, & perquàm facile flectuntur: sed nec cariẽ sentiunt, & æterna materies est. Certè memoriæ cõmendatũ est, Megaris diu stetisse oleastrũ in foro, cui uiri fortes affixerant arma: quæ cortice ambiente, ætas longa occultauerat. Fuitq; arbor illa fatalis excidio urbis, præmonitæ oraculo, quom arbor arma peperisset: quod succisę accidit, ocreis galeisq; intus repertis. Aegyptij ad onerarias naues τὸν ἀκάνθινον, id est spinam, adhibent. Hæc loto Cyreneæ simillima est, eius lachryma gummi. Nauigiorũ structura hæc fermè, si Herodoto credimus. ex spina quæ apud eos arbor est, ligna concidunt magnitudine bicubitali, in lateritij operis morẽ, circa longos & densos clauos bicubitalia ligna appendunt, quibus ita compactis frequentia transtra extendunt: cõmissuris autem non uacant, sed intestino iunco cõpages implent. Gubernaculum unum adhibent, quod per nauim transmittitur. ex spina itidem malo utuntur: iunceis etiam seu biblinis uelis naues muniunt. hoc genus autẽ nauigia non temere aduerso amni ferantur, nisi uehementiore uento adnitente: alioqui à terra pertrahuntur. Quòd si recto amni proficisci oporteat, hanc rationẽ seruant. Ianua (ita enim à forma uocant) fit ex myrica segmentis arundinũ strata: tum leuigatus lapis additur. Ianua ita huiusmodi fune prorę annectitur: quæ ob leuitatẽ facile aquarum impetu pellitur, & barim trahit. Hoc enim nomine id genus naues censentur. At lapis à puppi pendens in claui morem nauim dirigit. Alexandri Magni comites prodiderunt, in Tylo rubri maris insula arbores esse, ex quibus naues fierent, quæ ducentis annis inuentæ sunt perduraſſe, & si mergerentur incorruptæ. Aquaticę omnes celerius intereunt. infœcundæ firmiores fertilioribus: nisi quo in genere mares ferunt, sicut cupressus & cornus.

QVANDO CÆDENDA MATERIES.

Infinitum autem refert, quo quæq; tempore materies cædatur: aut postquam cæsa est, quę illi diligentia adhibeat. melius enim pessima operi respondet, quæ tẽpestiue & accurate scindatur: quàm optima quæ negligẽter habeatur. Hesiodus XVII. die lunę ait cædi oportere: quòd tunc decrescere incipiat: & humor, qui cariem facit, imminuatur: quod tẽpus & tondendo capillo obseruasse Tyberius imperator traditur. Vegetius à XV. ad XXIII. his octo diebus. Ita enim immunis seruatur à carie. reliquis autem diebus eiusdem etiã anni interna uermium labe exesa in puluerem uertitur: quod ars ipsa & omnium architectorum quotidianus usus edocuit. Quæ causa

religionem etiam attulit, ut pro æternitate his tãtum diebus cæderetur. Inter omnes deniq; conuenit, utilissime in coitu eius sterni: quem diem alij interluniũ, alij silentis lunæ appellant. quòd si competat lunæ coitus in nouissimũ diem brumæ, illa æterna sit materies. stata etiã anni tempora obseruarunt: à primo autumno donec flare incipiat Fauonius. alij per brumam cędi flante borea: quæ uirens etiamnũ belle ac propè immunis fumo flagrat. Cato hanc rem ita exequitur: Materiem si robur sit, cędito ubi solstitium fuerit. nam ad brumã semper intempestiua est. cætera materies, quæ semen habet, quom maturum fuerit: quæ non habet, quom libuerit. quæ maturũ & unà uiride habet, tunc cædito quom semen exciderit. ulmũ uero quom cadunt folia. quidam & Canis ortũ addunt. Caueto ne per rorẽ trahas aut doles. circũcisas quoq; ad medullam alij non inutiliter relinquunt, ut omnis humor stantibus effluat. Fecit hæc cędẽdi opportunitas, ut primo punico bello classis Duillij ab arbore excisa LX die nauigarit. Contra uero Hieronem regem CCXX naues effectas diebus XLV tradit L. Piso. secundo quoq; punico bello Scipionis classis XL. die à securi nauigauit. Tantum tempestiuitas etiam in rapida celeritate pollet.

IN MATERIE OBSERVATIONES.

Illud etiam obseruatũ, quòd ex humidis & opacis deteriores, spissiores ex apricis & diuturnæ. Ideo infernas abies supernati præfertur, & in ipsis arboribus robustiores aquilonię partes. Durissima quidem existimatur abies. Hinc materies ualuarum repagulis accõmodata, quin etiam spectabilis ad omne opus ramentorũ crinibus pampinato semper orbe se uoluẽs ad incitatos runcinarũ raptus. Est enim cuiq; materiæ peculiaris naturæ indulgentia. Calidissima inter omnes tilia. probatur id quod citissime ascias retundat. E moro, lauro, hedera, fiunt igniaria: exploratorum hoc usus in castris, pastorumq; repperit, quoniam ad excutiendum ignem non semper lapidis occasio est. Teritur igitur lignum ligno: ignemq; concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis fungi uel foliorũ facilime conceptum. Nihil tamen hedera præstantius, quæ teratur lauro, laurumq; terat. Fici, salix, tilia, betula, sabucus, populus utraq;, scutis faciendis aptissimæ: quarũ plaga contrahit se protinus, clauditq; suum uulnus: & ob id contumacius transmittunt ferrum. Cornus licet propter exilitatem possit materies non uideri, radijs rotarum, cuneis, clauisq; ceu ferreis idonea, uenabulis sabucus, pictorũ tabellis larix fœmina, cardinibus assamentisq; portarum ulmus. lentore fraxinus utilis, duricia ilex. Nauium malis antennisq; propter leuitatem præfertur abies. Ab his cõmendatio est pino, quæ aut quadripartitos uenarũ cursus bifidosq; habeat, uel omnino simplices. Homerus in Telemachi naui abiegnum malum statuit.

ἴστου δ' εἰλάτινου κοίλης γῆτοθε μεσόδμης σῆσαν ἀείραντες.

Vectibus aquifolium probant. Adde quòd nec omnes inter se materiæ coassari committiúe possunt: sed nec ferè cohærẽt, nisi similia natura, ut si quis lapidem lignumq; coniungat. Robur cũ compari insotiabilis glutino est. Aesculei axes (si Vitruuio credimus) quernis minime cohærent. Robur, buxum, arida pertinacius resistunt: serrarumq; dentes replent qualitatis inertissimæ. Qua de causa alterna inclinatione egerunt scobem.

DE CLAVIS NAVIVM.

Illud quidem non prætermittã, nos minime sumptu deterreri debere, quin æreos clauos potiusquam ferreos affigamus. impẽdium enim diuturnitate compẽsandum. Nam ferreos clauos tẽpore & humore celeriter rubigo absumit, ærei fluctibus nullum patiuntur detrimentum.

DE STVPA.

Quod lini cortici proximum est, stupam uocant: hoc stupario malleo detunditur. Eoq; offarciunt trabium texturas & assium coagmenta, si quando fuerint discuneata, ne aqua influat. hinc & stipare dictum uolunt.

DE PICE.

Naualibus etiam muniendis in Europa pix liquida è picea coquitur, lignum eius cõcisum furnis undiq; igni extra circundato terra: ut primus sudor aquæ modo fluat in ca

in canali. hoc in Syria cedrium uocatur: cui tanta uis est, ut in Aegypto corpora hominum defunctorũ eo perfusa seruentur. Hoc rursus in cortinis æreis coniecto aceto spissatur: & coagulatum brutiæ nomen accepit. Sed hæc ad alia utilis: illa penicillo nauigijs adlinitur. Cuius uis est, ut tabulæ in unum maximè coalescant: neq; aquis corrumpãtur. quæ si quando nauibus maritimis deradatur, nũc radulanæ, nunc zopissæ nomen inuenit, ad plurima utilis medicamenta.

ALLITIONES NAVIVM CONTRA IGNES.

Ne facile nauibus ignis adigi possit, alij uisco, alij alumine ligna perlinunt. utrũq; ignibus cõtumax. Allinebant etiã antiquitus milto: ex quo & Homerus μιλτόπρῳρας eas uocat. est aũt miltos, quam nostri modo rubricam, modo minium interpretãtur.

NAVIVM STRVCTVRA.

Olim alnos tantum fluuij censere cauatas,
Quom primũ genus hominum se credidit undis. Hæc monoxyla quasi uno è ligno constructa nauigia appellauerunt, qualibus diu in mari Indico usi sunt, quom ex Cottonara piper Baratoa cõueheretur. Quin & cannarum internodijs & scapis eam nauigationem exercuere. mira enim est eo in loco cannarũ amplitudo. quin & qui modo Hispanicam nauigationẽ nuper inuentam describere, à se huiusmodi uisa nauigia testantur. Rudes deinde inter se trabes iunxere: quas rates nostri appellauere, & qui in ijs uersabantur ratiarios, Græci σχεδίας nominarunt: quod tamen uerbum & latini suum fecere. hoc uero nauigiũ temere factum & inconditũ significat: id etiam μεταφορικῶς ad alia parũ perspecte ac tumultuario facta transtulere: quando & Herodotus pontem, quo Darius Bosphorum iunxit, σχεδίαν uocat. Extempora ria item & inelaborata opera σχεδία dixerunt. & schedicum Lucillius apud nos, quod male conformatũ erat, appellauit. Profecit paulatim ætas: & exactiora, melius q; exasceata nauigia prodiere, iam formata aptius & distincta cõmodius. Et quidem nauiũ ratiocinatio ac symmetria ex interscalmio, quod διπηχαϊκὴ dicitur, colligi solet. Onerariæ longitudo ad latitudinẽ non minus tripla, expeditæ non amplius altera tanta. Traianus imperator quom classem ageret, prætoria ferebatur, quam naues quatuor regia signa præferentes remulco pertrahebãt. Eius longitudo fuit, quantam maxima triremis habet. Latitudinem aũt & profunditatẽ habuit, quantam holcas, & quasi amplissima Nicomedis aut Aegyptia: in ea discumbebat imperator. Hæc uero acrostolia seu fastigia efferebat: & in summo mali regium nomen aureis literis inscriptũ. Sed carinarũ imprimis ratio haberi solet, ut apte scilicet inflexæ & curuatæ sint, & cum modo conuexæ, ut facilius & promptius aquas scindant, ne usquam uitium faciãt. Ita scilicet animaduersum est, cætera animalia ideo supernatare, & in aquis solo naturæ præsidio uti, quòd carinata habeant pectora, tempestiueq; uti trinq; pedes suo fungantur officio: quod uni homini negatum uidemus. certè onerariæ quo fuerit latior carina, hoc ponderibus sustinendis accommodatior: sicuti & expeditæ quo fuerit carina arctior, eo cursui aptior existimatur. ea tamen ni saburra farciatur, minus constanter subsidebit. Instrauerunt deinde plancas, & loculamenta concamerationesq; digessere, quas stegam tristegamq; appellauere. Tum fores laxa uerunt: exin catastroma, quo nauis magna parte tegitur, induxere. Rostra ærata, coronidesq; quasi postremo loco addidere. certè ex Antiatum nauibus demptis rostris publica subsellia construxerunt Romani, ex quibus uerba facerẽt ad populum. Malos subinde addiderunt, è quibus uela suspenderent. horum longitudinẽ uniuersæ nauí comparem fieri præcipiunt.

VARIÆ NAVIVM FORMÆ ET NVNCVPATIONES.

Nauium aliæ à remorũ ordine, aliæ ab inuentoribus, aliæ ab officio, à forma aliæ sibi nomen inuenere, triremes, quadriremes, & id genus nõ à remorum numero, ut parum periti existimauere, sed ab ordine remigum nũcupantur, qui tres quatuorue aut plures nauem agunt. Sic profecto Vergilius eo carmine triremim indicauit:

Ingentemq; Gyas ingenti mole Chimeram,
Vrbis opus: triplici pubes quam Dardana uersu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

Sed iam ingeniũ ac ſedulitas humana trochleis ac funibus tractoríjs effecit, ut quanta uis remorum multitudo uel à ſingulis facile propellatur: & quod antea uix trecenti poterãt remiges, nunc ampliſsimũ nauigiũ unus homo nec admodũ robuſtus promoueat: idq; tam pari actu, tam æquali cõnixu euenit, ut totidem putes brachia conſpirare. Nam & ille in agendis maioribus nauigíjs mos obſeruatur, ut magiſter hortatorq; remigũ pertiſculo ſignum & quaſi auſpiciũ det remigantibus: quo loco neq; ceſſator admittitur, neq; ſegnities nõ caſtigatur. Rhodię naues olim magna fuerunt in exiſtimatione, Colophoniæq; adeo celebratæ ſunt, ut inde natũ prouerbiũ exiſtimetur. quoties enim ſummũ auxilium accerſitũ eſt, additum Colophona dicimus. ſed longe inter cæteras Liburnicæ præſtiterũt: ex eo tempore quo in claſſe Auguſti Liburni Dalmatiæ populi ad comparandam aduerſus Antoniũ uictoriam príncipẽ operã nauarũt: eorumq; naues & agilitate & forma longe pollere iudicatæ ſunt. Habent hæ ſingulos ordines, paulo maiores binos. idoneę menſuræ ternos uel quaternos, interdum quinos ſortiũtur remigũ gradus. Quod nemíni enorme uideri debet: cum Actiaco bello longe maiore referantur concurriſſe nauigia: ut ſenorum etiam uel ultra ordinum aliqua fuerint. Ad earum imaginẽ multas deinde naues cõſtruxere Romani, quas omnes pari nomine liburnicas appellauere. Pinum & pinaſtrum, quas per oram Italiæ ſtibulas uocant, ut pleriq; arbitrantur: licet graciles, ſuccinctiores & enodes ſint: ad liburnicarum uſus aptiſsimas exiſtimauere. Harum imaginem graphice repręſentari à piſciculo diximus: quẽ alíj nautilum, alíj pompilum uocant. Magnarum nauium uariæ nuncupationes. Aliæ onerariæ, aliæ codicariæ: nam codices caudicesúe trabes & tabulas dixerunt. Corbita grande & prægraue nauigíj genus, quod non facile uentorũ impetu prouehaẽ: de quo extat ridiculũ Luciliį carmẽ:

Multa homines portenta in Homero uerſificata,
Monſtra ferunt: quorum in primis Polyphemus ducentos
Altus pedes: & porrò huic multo maius bacillum,
Quàm malus nauis in corbita maximus ulla.

Cercurum à longitudine caudæ nomẽ adeptum accepimus, quo Aſiatici populi peculiariter utebantur. Centauros ac Bucentauros & Piſtres & Scyllas à forma nuncupatas legimus. Solent enim hæc uocabula per ſimilitudinẽ facile in alienum migrare, uel certè ab inſignibus & picturis, quæ cuiq; fuerunt impreſſę, nuncupantur: quando illud ſatis conſtat, naues certas quaſdã formas & quaſi ſymbola habuiſſe, quibus & agnoſci & diſtingui poſſent. Atq; hoc eſt prorſus, quòd Iouẽ ſub aquilæ imagine Ganymedem rapuiſſe, Europam tauri accepimus. Sic Phryxum ariete trãsfretaſſe, ſic Dædalum pennis uolaſſe legimus, quòd huiuſmodi in eorum nauibus uiſerẽtur inſignia. Proinde Libes ſua quædã nauigia κέρως καὶ πρόγως, id eſt Arietes & Hircos appellauere. Quin & deorum imagines, quibus naues erant dicatę, illis inſcribebantur. Sic Catullus gemellum Caſtora, & gemellum Caſtoris celebrat. ſic & Caſſidam Mineruã Ouidius:

Eſt mihi ſitq; precor flauæ tutela Mineruæ
Nauis: & à pictura caſside nomen habet. Et alibi:
Pictos uerberat unda deos. Summus etiam poetarum apud noſtros,
Aurato fulgebat Apolline puppis.

Eadem obſeruatio effecit, ut in Hiſpaniam aduerſus Geryonẽ Herculem olla nauigaſſe dixerit antiquitas. & à cane Iſidem in Aegyptum deductam: qua cauſa & cum ea Anubis canina facie colebatur, quem Mercurium Græci exiſtimauere. Annotauit Philoſtratus, in eorũ ſepulchris naues exprimi ſolere, qui ναυπηγίαν, id eſt nauiũ ſtructuram exercuiſſent. Ab onere ac numero eorum quæ ferre poſſunt, aliæ nuncupationem habẽt, ſicut μυριοφόρος καὶ μυριαγωγὸς ναῦς, id eſt decies mille ferens & decies mille agens nauis. Inter maiores etiam computamus Holcada Ptolemæi πεντακαιδεκήρη, id eſt quindeciremim. & Antigoni τριάκοντορον. Quin & Amphiricon & ampherin utrinq; habentem remos quaſi ambiremim. & φορτίδα & φορτηγὸν nauigium, quod & φορτικὸν Thucydides dixit: quam nos planè onerariam & ferentariam appellauimus. Parones etiam inter maiores annumerari uidemus: minores

uero

uero Myoparones, quas Piraticas appellauere. Scaphos item maioribus adscribitur, quom scapha inter minores ac tritas censeatur. Vnde illud Philippi adagium: Rudes mei milites, qui scaphã scapham nuncupant. At inter delicatiores polytelen, quam tu sumptuosam & delicatam recte dixeris, annumerant. Qualis Thalamegus: quam Seneca cubiculatã, alij thalamiphoram, alij nauithalamum maluerunt interpretari: quali Cleopatram uehi consueuisse accepimus, quæ profectura ad M. Antonium, per Cydnum Ciliciæ fluuiũ eborato nauigio uecta est. Cuius puppis erat aurea, uela purpurea funibus auratis pendebant: remi argentei ad fistulæ tibiæq; modos agitabantur. Ipsa uero regina sub tentorio aurato requiescens ad similitudinẽ Veneris ornata erat. Pueri utrinq; collocati Cupidinibus persimiles. Puellæ insignes Nereidum & Gratiarũ habitu partim gubernacula regebant, partim rudentibus innitebantur. Ancillæ autem ripas fluminis complebant uaporibus. Itaq; undiq; curre batur ad hoc spectaculum. Sic & Aulum Vitelliũ imperatorẽ Romanum delicatissimis nauigijs & uariarum coronarũ genere redimitis uectũ accepimus. Erant & Macedonum στρογγύλαι πλοῖαι, id est naues rotundæ. erant & amphiproræ, quæ scilicet utrinq; proras habebant, ne in obuertendo illas dispendium temporis facerent, id etiam rapiditate ac fluminum pernicitate, tum etiam aluei angustia cogente. A plausu ac fremitu remigantium δικροῦν nuncupauimus. ex proportione & quasi per relationem hemiolidas hemioliaq; dicta existimamus. Gaulum inter onerarias adscripserũt. Haliadas usibus maritimis designarunt: quas alij πορεῖα θαλάσσια καὶ θαλάσσια ὀχήματα appellant. σιτηγὸς ἢ σιταγωγὸς nũcupant: quæ conuehendis frumẽtis atq; annonæ accõmodatæ sunt: eas frumentarias annonarias q; interpretamur. Cassiodorus à celeritate Dromones uocat. ferendis armis ὁπλιταγωγὸς. Strategia & stratiotidas bellicis cõmeatibus addixerunt. ἱππαγωγὸς equis transportandis exornarunt: eas nunc Hippagines uocant, & à Salaminijs inuentas prædicant. Lestrida putauerunt nonnulli ab Homero πολύζυγον, id est multorum ordinum appellatam. Prætoriam autem nauem, quam augustalem alij, alij quæstoriam dixerunt: prout imperatores, quæstoresue exercitibus præsidebant: Græci nauarchida & strategida uocitarunt. Marplacidas Siculi, cnidurges Cnidij, naucraticũ Naucratitæ Aegyptij, meliacum Melij, paron celebrant Parij. Leuiorũ item nauiũ multas species apud ueteres comperimus. Nam & actuariæ, cymbæ, prosumiæ, lintres, phaselli, campanis frequentes, & mediæ phaselli inter minores annumerantur. Celocem eleganter Varro remiuagam appellauit, quam ab equestri pernicitate Græci celetem & celetium uocant: quando & celetes singulis equis currentes in certaminibus Pausanias existimauit. Ex leui impulsu epactridas appellauimus, & paulo his grauiores ex celetibus & epactridibus constructas epactroceletes. Ab angustia & quasi frugalitate euteles diximus. Cydarum etiã & cydalum dictum putant, quòd longe supra aquas efferatur, & animose tẽpestates maris exuperet. Inter leuioris generis nauigia & acatiũ computamus, cuius & formã obiter attigit Plinius: Nauigeram similitudinẽ & aliam in propontide uisam sibi prodidit Mutianus: concham esse Acatij modo carinatã, inflexa puppe, prora rostrata. In hanc condi nauplium animal sepiæ simile, ludendi societate sola. Dromadi cursus pernicitas nomen dedit. Nuctetias & cattas, utrasq; uectores, sed & has recentiores agnoscunt. Erant & quæ quasi in perpetua statione ad uiatores transuehendos excubarent, porthmia & porthmides appellatæ. A forma & structura oxias & ratiarias uocauimus. Addebantur & maioribus nauigijs prodromæ & quasi anteambulatoriæ: sicut holcadibus epholcia & epholcides: triremibus cattæ & pontones, strategidi speculatoriæ & catascopiæ. Toti deniq; classi quæ ex instructis nauibus cõstabat, scaphæ exploratoriæ: quas instituto castrensi ad fallendos hostes Veneto colore, id est ceruleo, ceruleisq; uelis atq; ita mari concolori bus illitas instructasq; esse oportebat. Remulco etiã naues trahi notius est quàm ut longa demonstratiõe indigeat, quom scilicet nauis minor maiorẽ trahit. Deductum id à musculo pisce, quem Græci hegetera uocant. Ille enim balenæ prægraui superciliorum pondere obrutis eius oculis, infestantia magnitudinẽ uada prænatans demõstrat: oculorũq; uice fungitur. Inter naues & iulopezã uerbo tenus attigit Sudas.

Quin & de piſcatorijs nauiculis crebra mẽtio apud ueteres. nam & lenunculi & lembi & horiæ & horiolæ: quas alij geſcoretas, alij proſumias appellari putant: in frequenti uſu exercebantur. eas in uniuerſum Græci haliadas uocitabant. Erant & in mari Aethiopũ plicatiles naues, ut humeris transferri poſſent. Erant & in Indico papyraceæ, qbus qui ueherentur à crocodilis nõ attingi, patria fuit ſuperſtitio: q̃ eo ſcilicet nauigio Iſis Oſiridis laniatũ à Typhone corpus tranſuexerit. Erant & uitiles, quæ uinculis & ſuturis connectebantur: quas textiles etiam quidam uocant. certè Vergilius quom ſutilem dixit, uidetur ad uitilia alluſiſſe, quæ farciri & inſtaurari poterant. Vitilia uero à uinciendo dicta nemo ignorat: quæcunq̃ ſcilicet ſic lenta ſunt, ut commode flecti poſſint: ut uitex, uitis, uimina, uiticulæ. Sic Plinio rubus ad uitilia ferítur: ſic cucurbitæ uaginas uitiles tribuit. Alioqui non me prętęrit, ſummum poetam morem Aegyptiorum indicaſſe: apud quos baride naui, quam Græci epibatram dicunt, charon (ita enim apud eos portitor uocabatur) trans Acheruſiam paludem defunctorũ corpora efferebat. Nautis præmium pro uectura debetur, naulum, uectigal, portoriũ: quod ſi fœnus accedat, heteroplum: & ſi rurſus merces reuehendas locaris, amphiteroplum addetur. Quòd ſi periculo tuo nauis ſteterit, de aduerſioni conducta agi poſſe ſtatuent lureconſulti.

SACRÆ NAVES.

Sed quo piaculo ſacra nauigia prætermittemus? quale apud Atheniẽſes Delium: quo Plato teſtatur Theſeum olim bis ſeptẽ illos ſecum tuliſſe in Cretã: eosq̃ pariter cum eo ſeruatos eſſe. Vouerat enim ut fertur Apollini: ſi ſeruarẽtur, quotannis Delium ſpectaculum quoddam miſſurũ. Quod ſanè in poſterum ſingulis ſeruatũ eſt annis. cui ſpectaculo quomprimũ datur auſpicium, ex lege interim urbem luſtrant: neminemq̃ eo tẽpore publice necant, donec nauis Delum peruenerit, rurſusq̃ ex Delo Athenas reuertatur. Id uero nonnunquã longo tempore peragitur, quom præſertim uenti obſtrepunt. Initium ſpectaculi eſt, quom primũ Apollinis ſacerdos nauis illius puppim coronauerit. Et hanc quidem nauim à nulla ſuperatam ſcribit Pauſanias: eamq̃ à tabulatis in nouẽ remiges exurrexiſſe: quom tamen nauis, quæ ad Panathenæorum pompam exornata fuerat, pridem ab alia quadam fuiſſet exuperata. Nam duæ fuerunt aliæ celebres naues apud Athenienſes, paralus ſcilicet & Salamonia: altera ab heroe Paralo, à loco altera nomen adepta. His ſe Themiſtocles cõmodiſsime conferebat: quòd ſicuti in magnis tantũ uſibus illæ exercebantur, ita ipſe ad magna tãtum negocia accerſeretur. Salaminia enim (ſi Thucydidi credimus) ad eos mittebatur excipiendos, qui in iudicium uocabãtur. Alioqui & in re bellica primas partes obibat. Qua etiam cauſa factum putãt, ut Ariſtophanes Bacchũ ἀζαλαμίνιον, id eſt imbellẽ, uocauerit. At paralus quaſi thenſa ſacris ferẽdis inſternebatur. Apud Romanos Cybeles nauigium colebatur, quo illa à Peſimonte aduecta eſt: nec minus quo deum Epidauriũ Romam translatum accepimus. Apud Aegyptios nauigiũ Iſidis in magno cultu habebatur, eiusq̃ nomine ſolennis dies agebatur: qua etiam ex cauſa deæ ſimulachro cymbiũ additũ credidere: quo monumento eam minime tranaſſe, ſed nauigaſſe agnoſcimus. Fuit autẽ id papyraceum nauigiũ, cuius etiam rei cauſam abunde ſuprà retulimus. Nec ille dies minus in faſtis Romanorũ quàm Aegyptiorum adſcriptus: licet eius originem prorſus ex Aegypto agnoſcamus: quando in Hermupoli Typhonis ſimulachrum effingebant equum fluuialem, cui accipiter inſidebat cum ſerpente decertãs. & equo quidem fluuiali Typhonẽ indicabant: accipitre uero poteſtatem & imperium, quo uiolenter uſus Typhon non reformidabat ab improbitate turbatus & turbans. Proinde & ſacrum agẽtes die ſeptima menſis τυβὶ, qui ferè in noſtrum Decembrẽ cadit (ſi Plinio credimus) quam diem ἄφιξιν ἵππου ἐκ φοινίκης, id eſt Iſidis acceſſum uocant ex Phœnice: exprimebant in placentis fluuialem equum, ſed conſternatum. Cillones à pernicitate: gerarias onerarijs perſimiles: tabellarias perferendis literis expeditas, & publico exceptas diplomate: ſamenas à ſamiorum uſu: trampin, carabumq̃, unde carabellam uulgaris ſimplicitas appellauit: quin & uagiones, & mydiũ, ex quo & parone myoparones coaluiſſe creduũt: celebrat antiquitas. Sed & Aegyptij pactonem in uſu habent, eſt hoc ſcaphæ genus

genus textile, uirgultis consertum, in quo sedentes amnes traijciunt. Et de nauium nominibus hactenus.

NAVIVM STRVCTVRA.

Quom primum nauis struēda est, lignis paxillisq; undiq; texitur, quos Plato σπόγγους appellat: & ab eis per translationē sic proœmia Aristophanes nuncupauit. His duplex solum & carina insternitur: alteram tropidem uocāt, cui phalcis annectitur: hūc lesbium, hunc chalceneten, hunc clitopodium nuncuparunt. Phalcidi altera carina inhæret. Eius terminus proram uersus proembolis: & sub hac embolum, quod fundamentū statuminationēq; recte dixeris. Inter embolū & proembolidem mediū solū ipsum, quod σέραν uocant, iacet. supra embolū delphis est. Id æreū instrumentū est: quo naues hostiū diripi possunt. eo instructas naues delphinophoras appellauere. Intra embolum & proembolidem supra carinā stolos esto: qui & πρωιρεφαλαία, id est ambicraneum nuncupatur. Quod autem prominet, acrostolium, id est stoli apex, ab alijs ptychis, id est complicatio, ab alijs oculus uocitatur: quod & nauphracton quidam putauere, unde tormēta & iacula emitterētur: quod & Græcorū prouerbio locum dedit. certè in eo nauis nomē adscribebatur. Et carinæ quidem (ut diximus) inhęret phalcis: sed interius altera parte epholcis, quam & rhinoteriā dicunt. Quod sub carina sternitur, ne illa atteratur: chelysma quasi corium & tegumentum nomen habet. Ipsum autē nauis pauimentū cytos, seu gastra, seu amphimetrium. Thalamus uero ea pars est, qua thalamīj remigant. Medias partes nauis iuga, nostri transtra uocitant: in quibus sedent iugarij, quos tu & transtrarios belle potsis appellare. Circa superius nauis pauimentum thranos, id est sella: in qua extenduntur diphtheræ & pellicea stragula. In hac sellularij, unde autem exporriguntur remi, scalmus. Hæc autem quæ sub compēdio Pollux tradit, paulo explicatius Sudas. Tres sunt, inquit, in triremi ordines. In imo thalamitæ, quos cubicularios transferri licet: qui quom breuioribus remis utantur, minus mercedis accipiūt. Supra hos Zygitæ, id est transtrarij: qui medium locum habent. In summo thranitæ, quos sellularios sedentariosúe interpretati sumus: quibus longissimi remi sunt, ceu qui in loco ab aquis remotissimo sua munera obeant. Inter scalmos interualla interscalmia nuncuparunt: cui uero scalmi adnectantur, tropoter. is lorarius paxillus est. sub scalmo episcalmis subijcitur. Quod remigibus subiacet, hypiresium. hunc eum putant, quem tertiarium remum hodie uocant. Remorum discrimina atq; interualla trimata appellantur: pellis quæ scalmo assuitur, ascoma. Circa eos, quos sellularios, sedētariosúe appellauimus, uia πάροδος, id est transitus, & parathranos, hoc est, ad sellium dicitur. quæ circa carinam utrinq; intenduntur lora, primū ac secūdum quod & thalamū uocatur, ab ordine nuncupationem trahūt. nam primus & secundus βῶλος, atq; ita deinceps appellatur. potes & parietē sinistrum & dextrum, & asserē & latus, potes & iugum dicitare. quin & cleida, id est assamentū iuncturāq;, & selma, id est tabulatū nuncupabis. At quæ sunt ex altera parte proræ, & παρέαι, id est gena, & παρὰ, id est pinnæ uocitantē. est & proraticū ἐπώλιον, id est basis: quasi fulcrū, cui assidet. At circa puppim ligna prominentia πρωτόναια, quasi circumtenta dixeris. Ibidem scena ceu taberna culum stratego & trierarcho, id est præfecto astruitur. Pars summa claui, quod πηδάλιον Græci dicunt, οἴαξ. Apud quosdam tamen œax pro uniuerso temone capitur. Cuius medium φθεὶρ uel rhiza, id est radix, uel hypozoma, id est præcinctum appellatur. Suprema uero pars πτερύγιον, id est pinnaculum est. Reliquum αὐχῶα, id est collum dixere. Quo autē loco accumbit gubernator, enclima, id est inclinatoriū seu accubitorium uocant. Puppis medituliū asandium, cuius interior pars ὑπόθεμιον, qui uero ab eo dependet ὦτα σέων. Puppis autē fastigia, aphlasta: intra quæ rectum lignū adigitur, quod συλίδα uocitant. è cuius medio dependens cingulū, tænia dicitur. At remus qua parte capitur enchiridion, medius ἔρεσσος, postremus pinna & remi tarsos. Est autē tarsos summa pars & quasi dorsum pedis humani. Tum uero quæ pars malum excipit, λωπὰς ceu torcular (ut puto) dictū. quod uero illi adaptatur, calcaneum. Postremū uero uersus cornua κλακάτη, id est colus, thoraciū, carchesium: supra cornua uero atractos, id est fusus: cui & epiſionta, quasi minitabulum dixeris, seor-

sum

ſum appendunt. Magnum uero & iuſtum uelum acation uocant. Poſt quod epidromus, quo uerbo accurſorium intelligis: & minor, cui nomen dolon. Antennæ uero quas κεραίας Græci dicunt. Media pars roſtrum uerſus ambola & ſymbola dicitur. At quæ utrinq; continent, ancylæ, id eſt iacula. Extrema uero ἀκροκέραια, quam tu ſummam antemnã potes appellare. quod ſi obſeptũ & (quod aiunt Græci) cataphractum nauigium fuerit, pyrguchi, id eſt turrium fulcra illi adaptantur: & in his turriculæ duæ, dextra ſcilicet ac ſiniſtra: quarum medium cataſtroma. At ligna in quibus aſſeres adacti ſunt, nunc canonia, nunc ſtathmidas uocant. Quod autem ſuperius utrunq; parietem continet περιτόναιον dicitur. & remorum receptacula copoteria uocantur. Mox περιξειρέσια, ἔμβολον, antlon, id eſt ſentina. unde hyperantlum. Nauigij autẽ feneſtella, per quam aqua exhauritur, εὐδίαιος quaſi ſerenitatẽ admittens nuncupatur. Libuit hæc à Græcis mutuari, quòd in his deſcribendis noſtri præparci admodũ fuerint. alioqui & Græcis nominibus noſtri autores ſuo iure utuntur. Sic ſtega Plauto nauis tabulatum eſt. Vnde & triſtega tabulatum triplex, & quaſi tergemina concameratio. Sic cataſtroma opertoriũ nauis uocant, & emphracta undiq; tecta nauigia. Sicut è diuerſo aperta intectaq́, aphracta. atq; hoc eſt quod M. Tullius de aphractis Rhodiorum meminit. Carcheſium Apuleio ſumma pars mali uerſatilis, ſicut inferior patera, media trachelum. A carcheſij forma poculum dictum eſt procerum, anſatum, & circa mediam partem compreſſum: quo Pherecydes à Ioue donatam Alcmenã dixit, licet paterã Plautus appellarit. Artemo troclea eſt in naui, qua funes ductarios & cætera nauis armamenta explicant: quam noſtri iuxta & Græci epagonta nuncupant. Quin & de ceruchis apud Latinos crebra mentio: hi uero uelatarum antennarum ſunt cornua. De quibus poeta:

Tranſtraq́ nautarum, ſummiq́ arſere ceruchi.

Dolonibus utitur Liuius, nec minus eo uerbo minora uela, quàm malum à quo uela ſuſpenduntur, intelligimus. Quin & carbaſa à Græcis trahuntur, quæ & lintea & uela & uelaria & plagæ & ſtragula dicuntur. Quorum loco alicubi ſcirpis utebantur: quod & nos perſæpe in olitorijs piſcatorijsq́ cymbis in Hadriatico freto ſpectauimus. loculamentũ etiã & quaſi theſaurũ remorũ idem Plautus caſteriam appellauit.

SVPELLEX NAVTICA.

Inſtrumenta atq; organa nautica, quę iure ſupellectilem naualem dixeris, pari uerbo græci ὅπλα, noſtri arma dixere. Inter hæc Iureconſulti decreuerunt minime malum contineri, minusq́ ἰστοδόκην καὶ ἰστοπέδην, id eſt mali cõceptaculum: quòd ſine eo non modo inermis, ſed luxata & manca prorſus nauis ſit, neq; à naui ſine maximo detrimento auelli poſsit. Quo loco etiã uela habenda puto, quando malus ad uela fulcienda tantum paratus ſit. & profecto ſine uelo oneri potius eſt naui quàm adiumento: & ſi alioqui ad pertrahendas naues helciarij mali utantur cõmoditate, eiusq́ faſtigio ligneæ ſpeculæ, quas uulgo caueas uocant, ſuſpendantur: unde uel ſpeculatores longe proſpiciãt maris cõuexa ſuperantes, uel bellatores tanq̃ è propugnaculis decertent. è malo autẽ funes & funiculi, quos ueteres napuros, Gręci σχοινία, quaſi iuncea & καλώδια & πρωτόνους uocant, trahebantur. Quòd ſi à terra ducebãtur, ἀπόγαια: ſi terræ incumbebant ἐπίγαια: quæ ſicut equus uacerræ, ita prymneſio, id eſt palo paxilloúe adligabantur. quod & tonſillam noſtra nuncupatione dicimus. Hæc omnis linea, ſtupeaúe & canabina ſupellex è ſparto Hiſpano texi & complicari ſolebat. Quam ob cauſam nonnulli falſo exiſtimauerunt, Varrone reclamante, ab Homero σπάρτα nuncupata, quom tamen σπάρτον Homeri temporibus minime in uſu foret: ſed Liburni naues pleraſq; loris ſuerent, Græci magis canabo & ſtuppa cæterisq́ ſatiuis rebus, à quibus σπάρτα appellabant. Hęc lora item retinacula atq; habenas poetæ uocant. Quibus profecto illud conſuetum eſt, à re equeſtri ad nauticam, & à nautica rurſus ad equeſtrem iucundas facere translationes: ut planè illud Homericum agnoſcatur, qui mentionẽ faciens νηῶν ὠκυπόρων, ſubiungit αἶθ' ἁλὸς ἵπποι ἀνδράσι γίνονται. Quod belle imitatũ Plautũ uidemus in Rudente: it equus, inquit, ligneus peruias ceruleas. In armamentis nauium eſt & anchora: cuius inuentorem Midam celebrant: & quam ille primũ reperit, diu in Iouis delubro pependiſſe memorant. Seleucidarum

cidarum profecto nota fuit anchora: quã in totius familię fœmore regeneratam tradunt. Habuit & inter elogia anchoram Vespasianus, cui se delphin implicabat: ut ex huius pernicitate & illius mora Græcũ illud indicaret Augusti, σπεῦδε βραδέως, tarde scilicet festina. quod uno uerbo nostri maturare dicũt. Est & inter anchoras sacra anchora Neptuno dicata, qua summis tantũ in periculis utebantur. & ad anchoralia Plinius suber aptissimũ scribit. Tũ amphiboli, quę utrinq; iaci possunt instrumẽta: & amphistomi, & heterostomi, quæ scilicet altera tantum parte innecti possunt. Erant & funariæ scalæ, è funibus scilicet contextæ: quibus ἀναβάθρα & καταβάθρα nomen fuit. In his agiles admodum petauristæ uersantur: quos Græci ἀκροβάτας, & χοινοβάτας, nostri funambulos uel funerepos appellauere: quales homines etiam in urbibus olim habitos in admiratione & nunc haberi animaduertimus. Ad frigorũ atq; imbrium defensionẽ habentur etiam in nauibus pelles, uestes pelliceę, deres, dipthere, rhenones, bardocuculli, stragula nautica ex hircorũ uellere, qui apud Cyniphios & Cilices cõmendantur. Quin & delicatiores in nauibus canusinati, id est uellere canusino induti penulatiq; uisebantur. Nam & grãmaticorum & discursantiũ per imbres indumẽtum erat penula. Habentur & tapetes & amphitapetes & centones, & polymita densioris texturę, & amphimalla, id est utrinq; uillosa. Erant & ingenuorũ amphimaschala, quæ ab utraq; parte uillis tegebantur: quom ea quæ altera tantum parte tegerentur, heteromaschala seruitijs dicata forent: qualia etiam mallotes & heteromalla quasi altrinsecus lanata uocauere. Hodie plurimo in usu sunt uellera igne atq; aqua densata, ualenterq; statuminata. Alioqui uulgaris nautarum habitus cerauleus & thalassicus, quem & uenetum, & ferrugineũ dicunt. Quin & ipsi nautæ præcincti ac leuo expapillato exertoq; brachio incedebant: causeo, id est capitis uelamento, intecti. Distinguebantur autẽ funes circis, ansis, ansulis, cyclis. Ita enim Vergilius circulos appellat. Iis adde cricos, scilicet uelares annulos, quos optimos fieri constat ex Aegyptia arbore, quam Plinius cuci, Theophrastus cuciophoram uocãt. Quibus similes chamæleontis oculos describit Aristoteles. Inter eadem armamenta & remi potissimã partem habent: quos nostri tonsas & palmulas uocitãt. Eorum latitudinem Plateæ dicuntur inuenisse. & explorandæ aquarum altitudini conti, perticæ, parasangæ, quas à quantitate nunc decempedas, nunc dodrantales, nunc trientales dicebant. Quod & perpendiculis plumbeis, quos molorthes uocãt, dioptrisq; ac regulis quibusdam experiebantur, indubitata fermè semper ratione & (ut ille ait) scrupulari differentia. Erãt & obliqui quidam lapsus deducendis, subducendisq; nauibus. Erant & trãsuersa ligna quasi fulcra, quibus naues à carie asserebantur. Hæc hermata appellabãt, quæq; illis incumbebãt naues hermatismenæ dicebanẽ: quæ uero sine ijs omittebantur, ἀνέρματοι nuncupari solebant. Adhibebantur & funibus deducẽdis, contrahendis, portendendis, cõplicandis machinę, machinulę, fibulæ, suculæ cũ uectibus, quibus ad hauriẽdos puteos, euehẽdosq; põtes hodie utimur. Adhibebantur & peculiares emporeticis euocãdisq; oneribus trocleæ, quas epagontas Græci, nostri artemones, Vitruuius ergatas, uernacula simplicitas argana uocat. Insignis ille & dignus memoratu modus impositi obelisci in maximã illam ac prægrandem Caij nauem: quam multos annos aduersatã, omnibusq; quę unquam in mari uisæ sunt mirabiliorẽ, turribus Puteolis è puluere exędificatis perductã Hostiam portus gratia mersit. Hanc enim harena plenam pressamq; onere ripis æquã fecere, ita ut facile obeliscũ excíperet: quẽ exonerata sustulit, facileq; è Nilo in Tyberim prouexit. Quo experimento palàm fuit non minus aquarũ huic amni quàm Nilo esse.

Est & in naui cellarium, seu tu penũ mauis appellare, in quo duo præ cæteris asseruari solent: panis scilicet bis ignem passus, quẽ Græci dipyron, seu paxamida, Marcellinus buccellatũ, & bis coctum uulgo nuncupant: nonnulli coptam Rhodiacam putant. Curandum autem est diligenter, ut hic recte excoquatur: ne forte nobis eueniat, quod olim in classe Bellissarij contigit: in qua Ioannes annonæ præfectus quo parcius ligna pistoribus sumministraret, nõ sat excoqui permisit. Quo factum est ut facile solueretur, ac putresceret, magnisq; interim morbi ab exercitu contraherentur.

Secundo loco dulcis aqua ac posculenta præparanda est: certè regibus Persarum, quoties

quoties peregre irẽt, ex Euleo amne magna ſemper religiõe afferebatur. Nec alium de licebat epotare. ea uero in nauibus amphoris uitreis in imo depoſitis, quo minime ſol admitti poſsit, cõmodiſsime adſeruatur: quæ ſi te forte defecerit, poteris & in mari inuenire. Conſtat enim & dulcẽ humorem in mari contineri: quẽ ſi ex cæra uas tenui latere finxeris, idq; adnexa linea in mare demittas inane, die ac nocte una copioſe colliges. Noſtri profecto nautæ feliciores, qui in tabella regiones, oras, inſulas, ſcopulos, promontoria, portus, faciem denique omnẽ maris circunferunt. Habent & magnetem in pyxidecula uitro intecta, in hac rotula tenuiſsimo ac perquàm leui gato acuminatoq; in acus ſimilitudinẽ æreo paxillo incumbit, atq; circũagitur: neq; antea ſiſtit, quàm rotulę radius, qui ſcilicet è magnete conſtat, in arcton procumbat. Vna enim ſemper magnetis pars, natura ita cogente, in arcton: altera in auſtrum, niſi forte quippiam obſtrepat, perpetuò ſpectat, atq; deuergit. Ad huius propè exemplum apud Plautum uerſoriã agnoſcimus inſtrumentum nauticum: ex quo ſoluturi cognoſcebant, unde flarent uenti, & an mare admitteret nauigantes. Illius tam ingenioſi commenti autores Amalphij in ora Calabriæ ſiti celebrantur. Ingruant igitur quantumlibet uentorum turbines, mariaq; ab imo ſubuertantur, tum uero & noctis caligo & nocte nocentior tempeſtas rebus lucem & colorem auferat: inuenit tamen humani animi acumen, qua ratione uiam exploret, ſeq; fluctibus ac erroribus uendicet, atq; in tutiora recipiat: & quaſi oculos ſibi fecit in tenebris, ac periculis ſuis audaciam dedit.

QVÆ SINT AD PROCINCTAM CLASSEM PARANDA.

Quòd ſi ad iuſtam cruentamq; naumachiã: uel certè imaginariã temporariamq;, qualis ad populi oblectationẽ in euripis & manufactis lacubus exercebatur, naues, triremes, longæ, celeres, cataphractæ inſtruendæ ſint: ante omnia pelles comparandæ ſunt, ſub quibus æſtiuare, hibernareue poſsit exercitus: roſtraq; ad aríetandum concurſandumq; ærata, qualia Græci χαλκέμβολα dicunt: à quibus & chalcembolæ, id eſt roſtratæ triremes ſunt appellatæ. Tum uero & remigibus parãdi thoraces, clypei, ocreæ, galeæ, enſes, lanceæ, haſtilia, conti, tridentes, falces, manus ferreæ, unci, uncini, harpagones, pyroboli, ollæ igniuomæ. Atq; ut lubrica fiant nauigia, atq; ita hoſtes facile cõcidant, Mattiacæ pilæ liquẽtes: & ad hoſtiles ignes retundendos coria, ſcorteæ, byrſæ, cilicia, & id genus amuleta ſpondis lateribusq; nauium affigenda. Quin & larice & ferreis laminis incruſtãda nauigia, uiſcoq; & alumine illinenda, ut alibi admonuimus. Quin & Phalarica in haſtæ modum ualido ferro præfigitur, intra eius tubum ſulphur, reſina, bitumen, ſtuppa inuoluitur: eaq; omnia oleo incendiario perfundũtur. ualido poſtmodum nixu contorta nauí machinæue inhæret: incendioq; abſumit quicquid attigerit. Sed iam ætas ad perniciem profecit, æreosq; tubos nitroſo ac ſulphurato puluere implet: quorum exitus ferrea aut certè ſaxea pila ualide obſtruitur. Tum tenui admodũ ſpiraculo ignis inijcitur: qui raptim cognatã materiam populatus, uacuum ſcilicet auerſante natura, incredibili impetu pilas proturbat, ac longe iaculatur fulmineo ac prorſus metuendo impulſu: cui nõ turres, nõ mœnia, non obijces ulli queant obſiſtere: ſexcentos homines & amplius, ſi ad lineam ſteterint, facile omnes uno excurſu exanimet. Debemus hoc malum Germanię, caſu rerum ferè omnium magiſtro autore. Nam quom ex ijs, qui ſe Democritios chymiſtas profitẽtur, quidam in diſquiſitione philoſophici lapidis cõmiſtionem nitri, ſulphuris, & attriti carbonis atq; id genus aliorum fomitũ feciſſet: quanta eorum uis foret, ex attactu ignis intellexit: quom nullis uinculis, nullis cancellis incendiariæ materiæ impetus ſuffrenari potuiſſet. Sic autem inſtructas & procinctas ac ſtipatas naues, εὐδοκίμους, id eſt probas ac probe ornatas dicũt. Quas Lyſias ἀσφαλφόρους, quaſi edaces nuncupat: quòd in his multum ſumptus adhibeatur. Quæ autẽ leuiter mediocriterq; ſe habẽt, qualia ἁπλόῳπα καὶ ἡμιπλόῳπα uocantur, hæ quidem πλοῖα, ille uero ἄπλοοι dicuntur.

VICTORIA NAVALIS.

Victori autem corona, & quidem roſtrata debebatur: quiq; munus illud imperatorium quàm celeriter obijſſet, id præmij aſſequebatur. Quod tempus omne magiſtratus De-

tus Demosthenes trierarchema uocitabat: quo etiam titulo orationem unam inscripsit. M Agrippa quòd nauiter & feliciter rem militarem in mari administrasset, magnos honores promeruit. Extant aliquot numismata apud me uetustæ elegantiæ eius nomine excusa, in quorum parte aduersa trides impressus uictoriæ maritimæ notam præse fert. Cætera omnia, quæ in terrestribus copijs exercebantur, fermè in classe exerceri solebant. Nam & milites signa seruabant: & aquilas penes nauim prætoriam, quasi in principijs cum imaginibus Cæsarum more Romano custodiebant: & tessera per classem ibat, & symphoniaci ad pugnã hortabantur, aut pugnantes reuocabant, receptui canentes, uel classiarijs modum remigationis dabant. & mirũ cõcentu, id quod in classe Veneta obseruari etiã hac tempestate uideo, auditores tenent. Quin & milites ad uigilias tubicine excitabantur, aut à uigilijs desinebant: quem nautica uoce nunc πρῳρώλλω aut κελεύσλω nuncupabant.

QVI REM NAVTICAM EXERCERENT IN classeq; uersarentur.

In nauibus autem uersabantur nautæ, nauitæ, remiges, ploteres, qui & nauigantes: gubernator, proreta seu prorarius. De proreta Plautus meminit. Si tu proreta, inquit, huic nauí es, ego gubernator ero. πρόκωπος, ἐπίκωπος, anteretes: quẽ obremigem interpretari potes. Mercator qui ἔμπορος. unde chartæ emporeticæ, quibus segestria fiunt & inuolucra mercibus. Vectores, nauicularij, nauiculatores, urinator. Natator qui hyphydros & hyphalos & colymbetes. Exerceẽ aũt natatio uel solo nixu corporis, uel utre consuto seu corio, quod & culeum & ascoperã uocant: uel cortice, uel subere, uel arefacta exenterataq; cucurbita. Sed quod nos arte proficimus, id Thibiorũ genus in Ponto à natura habet, ut neq; ueste degrauati mergi possint. Sed & eschareos quoq;, quasi focarios dixeris, inter seruitia nautica agnoscimus. Mesonauta uero quasi mediastinus ad omniũ nutus in media naui excubat. Horũ omniũ præfectus est nauarchus. clamor aũt uniuersæ classis celeusma dicitẽ. Vnde proceleusmaticus poeticus pes summę pernicitatis factus est. Quòd si classis in procinctu sit, classici & classiarij et epibatę & nautici certatores, quasi in proceſtrio depugnãt. His adsunt prefecti, trierarchi, pentecõtarchi, decuriões, & tribuni classis, & tœcharchi quasi spõdarum principes. Quin & epistoleus nauarcho absente eius uices obibat: eratq; illi quodãmodo succedaneus & uicarius. Classem enim stolũ uocãt. At imperator ipse classis paludamẽto ceruleo utebatur: & signum ceruleũ proferebatur, quo etiã equites in terrestri militia cõuocabantur. Ad nutum aũt imperatoris classico ad pugnã classiarij accendebãtur. Nec classico minus tubæ signum q; tubam ipsam & buccinũ intelligimus. cuius thecã & loculamentũ classendicẽ dicimus. Certè ad id præbendũ nõ modo tubicines ac liticines buccinatoresq; adhibebãtur, sed & pueri symphoniaci, ut dixi: quos abductos à prefecto quodã Antonij per iniuriã cõqueritur Cicero. In Argo nauí cithara datũ signũ remigibus memoriæ mandatũ accepimus.

APPARATVS PISCATORIVS.

At in alios usus piscatores, quos hamiotas & hamitrahones nostri, Gręci halieas, & ichthiulcos, id est piscitrahos & maris prædatores uocant, sibi retia, uerricula, plagas, lineas, arundines, uirgas, hamos, tridentes, calamos, lina, equinas setas, subera, plumbabula, griphos, annulos, ansas parant. Nassas strigmento Polypi illinunt. huius enim odore pisces imprimis alliciuntur. Anthias piscículos domesticos reddũt, qui cæteros subinde inuitẽt: appiũ afferunt aspergũtq;, quo pisces plurimũ recreantur. tithymalum affundunt, ad quã multo ambitu cõcursant pisces. Ex uario autẽ piscationis genere uarias etiam nũcupationes suscipiunt. Nam sunt & purpurarij qui à nostris murileges uocantur. & spongotheræ quasi spongiarum uenatores, & alij plurimi id genus. Certè in piscatione silentium & tesqua loca minimeq; insolata eligũtur. Nam pisces umbrosos secessus sectantur. Sunt enim alsiosi, quos Græci ψυχρόφυγας uocant: ut Vitruuiana illa ratio non adeo forte aspernabilis uideatur, qui pisces calidos esse contendit, multoq; igne compactos: alioqui in tam humido elemento non diu fuisse uicturos. Illud nautis, classiarijs, piscatoribusq; cõmune, pyrites scilicet & silex in parato, ex quo calybe alioúe excussorio ignis euoceẽ, sulphure,

arído fomite, fungóue aut exusto iunco excipiẽdus. Quæ si desint, chalybeo specu-
lo soli obiecto in stuppam aliudúe id genus fomentum flamma educitur: quando ea
uis est chalybis, ut certa ratione curatus si ad solem obliquetur, opponaturq; suis mo
dulis, quocunq; materiem radio repercusserit, eam igne uel procul succendat.

CÆLI ET AQVARVM RATIONES spectandæ nauigantibus.

Pudet pigetq; classem instruxisse, quæ mox aut imperitia nauigãdi, aut uentorum
syderumq; ignoratione in scopulos adigenda sit & naufragium factura. Quorsum
enim tãtam operam sumpsimus? ut faceremus peritura. Satius profecto fuerat labo-
ri parcere, quàm frustra tantũ operis prodigere. Ergo huic adsit nauigationi aut Ty-
phis aliquis argonautarũ, quem egregie Pallas instituerit: aut Phrontis Agamemno
nis gubernator præficiatur, qui rite nauigationẽ initurus aras in littore statuat, tau-
rumq; Neptuno mactet & Apollini, nigram hyemi pecudem, zephyris felicibus al-
bam: exta demum in salsos fluctus porriciat, nec ante exoratum numẽ soluat. Cuius
rei testimonium oscinis aut præpetis cantus sanciat, imprimisq; cygnus in augurijs
nautis gratissimus ales: quòd hic unus omnium scilicet undis nunquã mergatur, &
lubricis pennis adiantum, qui à nostris capillus ueneris dicitur, imitetur. Tum uero
& uentos teneat exactissime, noritq; quatuor ex quatuor orbis partibus principes:
ab ortu eurum, ab occasu zephyrum, à meridie notum, huic aduersum spirare apar-
ctiam. Extremos duos statos esse perpetuosq; ab eadẽ statione. Duos uero priores
pro motu solis æstiuo aut brumali aut dies noctesq; exæquante: quod Græci ἰσημε-
ρίαν, nostri æquinoctium dixere: finitimũ & quasi lateronem unum utrinq; habere.
Euro quidem ad læuam uulturnum, ad dextram boreã: zephyro ad læuam africum,
ad dextram caurum spirare. Nec me præterit ab alijs alia uentorum segmenta desi-
gnata esse. quæ omnia nos minime hic attingenda existimauimus, quòd ab alijs ma
gna subtilitate exquisita sint: & ne actum (ut dicitur) agamus, quom Plinius, Vitru-
uius, Aristoteles, & alij penè innumeri uentorum rationem accurate admodum ex-
plorauerint: licet ea quæ apud Plinium leguntur, & inuersa & incastigata multis locis
deprehendantur, ut cõmodiore loco annotauimus. Nũc satis feciſſe suscepto mune-
ri existimauimus, si quæ potissima erant genera ostendimus: qualia & Andronicus
Cyrrestes in marmorea columna octagono, quam Athenis statuit: supra cuius metã
æneũ tritonẽ locauerat uersatilem, prętenta uirga eum uentũ indicantẽ, qui pro tem
pore spirabat. In singulo enim angulorum columnæ unus erat annotatus ex uentis,
quos superius sumus executi. De qua re Vitruuius in primo Architectonicæ cumu-
late dixit. Hæc itaq; omnia debet habere gubernator in numerato. Turpe est enim
quidquam quod ad uitã salutemq; hominis pertineat ignorare. Nec modo publicos
illos tenere debet, sed & peculiares regiõibus & temporibus, circium Galliæ, libem
Africæ, iapigem atq; atabulum Apuliæ. Canicularibus diebus etesiam & cæciã &
quos prodromos uocant. Agnoscendi & dies alcionij, fœtificãt enim alcyones bru-
ma, & his quidem diebus alijs partibus pelagus mitius est, Siculum utiq; tractabile.
Faciunt autem septem ante brumã diebus è spuma maris & spinis piscium nidulos, to-
tidem sequentibus pariunt. Nec minus astrorum ac syderum emersus atq; occasus,

Pleiadasq;, hyadas, claramq; Lycaonis arcton.

En infensum Orionem, & hymbrium ac tempestatum fœdissimarũ autores arctu
rum & hœdos Olenios, qui ad nonas octobris maria subuertunt: sicut post nouem-
brem uergiliarum occasus. ex die tertio profecto iduum nouembris usq; ad diem se-
xtum iduum martij maria clauduntur. Nam lux minima, noxq; prolixa, nubiũ den-
sitas, aeris obscuritas, uentorũ, imbrium, niuiumq; geminata sęuitia, non solum clas-
ses à pelago, sed etiam cõmeantes à terrestri itinere deturbat. Post natalem uero (ut
ita dicã) nauigationis, qui solemni certamine publico spectaculo multarũ gentiũ cele
bratur, plurimorũ syderum, ipsiusq; tẽporis ratione usq; in idus maias periculose ma
ria tentantur. Adde his decrementa atq; incrementa lunæ: cuius mutatio magnas
uicissitudines facit. Accedant eiusdem sideris & solis deliquia. Qua in re olim uenefi
cia arguebat mortalitas, & crepitu dissono opitulari nitebatur. Quo pauore ignarus
causæ

cauſæ Nicias Atheniẽſium imperator ueritus claſſem portu educere, opes eorũ affli xit. Caniculæ item ortu omnia maria ſubuerti teſtatur Ariſtoteles: & algas piſcesq; inuerſos natare. Phocus Samius profecto aſtrologiam nauticam priuato uolumine dicitur proſecutus. & Thales primus fertur urſæ ambitũ notaſſe, ad quam Tyrij nauigationem dirigant. Explorandæ etiam pelagi reciprocationes, quę non eiſdem ubiq; momentis euenire ſolent. Tum & uadorum profunditas, & fluminum natura: ſicut Nili, qui nullis perflatur auris, atq; hinc ἄνωρος dictus. Eius quoq; incrementa ſtata ſunt: poſt ſolſtitium incipiunt, in uirgine reſident: omnino reuocantur intra ri pas in libra. Quom creſcit, reges, aut prælectos nauigare in eo religio eſt. Quin & in eo malefica animalia crocodili neminem dicũtur attingere diebus ijs, quos Apis na tales habet. Excreſcit & Padus noſter ad Canis ortus liquatis niuibus, agris quàm nauigijs torrẽtior. Scribit Arrianus, amnes Indorũ circa æſtiuũ ſolſtitium plenos & turbulentos fluere ac citiſsimos ferri. Quo tempore & creberrimos imbres cælitus cadere, et Caucaſi niues ęſtu ſolutas flumina augere. Hyeme cõtrà & minores & pu riores agi: omnesq; uado tranſmeabiles fieri præter Indum & Gangem. Nec minus ſitus & altitudo portuum metienda: ne forte illud in nos iaciatur, In portu naufragium fecit. Et, In quinto actu ſubuertit fabulam. neúe & nos aliquando ad Nauplij ſco pulos ſpecie decepti allidamus. Multũ præterea intereſt portus naturales ſint an co thones. ita enim manufactos uocant. Explorandæ itidem phari, id eſt turres pro tendentes noctu nauigantibus lumina. Qualis in portu Alexandriæ ſita fuit: cuius ſtructuram D C C C. talentis ſtetiſſe tradunt: magno animo Ptolemæi regis, qui in ea permiſerit Soſtrati architecti nomen inſcribi. Hunc enim præferebat titulum. σώ στρατος κνίδιος ἀξιφάνες θεοῖς σωτῆρσι ὑπὲρ τῶν πλωϊζομένων. Soſtratus Cnidius Dexiphanis Dis ſeruatoribus in gratiam nauigantiũ. Vſus eius fuit nocturno nautarum curſu ignes oſtendere ad prænuncianda uada portusq; introitum: quales & pluribus alijs locis antiquitus præfulſerunt, Miſeni, Puteolis, Rhauennæ, Potneæ. Quibus locis ignes ea accendebantur craſsitudine, ne ſydera exiſtimari poſſent: quando è longinquo ſimilis flammarũ aſpectus eſt. & populus quidem Romanus duo maxima habebat naualia, duasq; procinctas claſſes in Italia, ubi aliquot legiões pro tutela imperij excubarent: Rhauennę alteram, alteram apud Miſenum: & quom ratio poſtulabat, ſine mora aut uiarum diſpendio ad omnes mundi partes præſidia ſubmittebant. Nam Miſenenſis claſsis, Galliam, Hiſpanias, Mauritaniam, Africam, Aegyptum, Sardiniã, atq; Siciliam habebat in proximo. Claſsis autem Rhauennatium, Epirum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Ponton, Orientem, petere directa nauigatione conſueuerat. In rebus enim bellicis celeritas plerunq; plus ſolet prodeſſe quàm uirtus. Traditum eſt monumẽtis Pireum ab initio Athenienſem populum fuiſſe: ſic enim ἄστυ interpretantur. At primus omnium Themiſtocles ſuſcepta republica, id nauale fecit: nam Phalero, qua parte mare ab urbe quàm minimũ diſtat, pro nauali utebãtur. Hinc Mneſtheum fama eſt in Troianos ſoluiſſe, multoq; antea Theſeum ob Androgei Minois filij necem pœnas daturũ. Sed Themiſtocles quom animaduertiſſet Pireum nauigantibus fore cõmodiorem, tres in eo portus pro uno Phalero conſtruxit: in quorum maximo ipſius Themiſtoclis tumulus uiſebatur. Sic Hermodori nauale ad famã peruenit apud Athenienſes, non minus ſanè quàm Phi lonis architecti armamentariũ, aut Niſea Megarenſium item nauale. Suum etiã nauale habuerunt Lacedęmonij in Gythio, quod Tolmides Athenienſium imperator exuſsit. Nõ ſum prætermiſſurus Cleonis inſtitutũ, qui chalazophylacas, id eſt ſpeculatores futuræ grandinis parauerat. Hi quom ſignum dediſſent, affore grandinẽ, homines nec ad penulas, nec ad ſcorteas diſcurrebant: ſed pro ſe quiſq; agnum aut pullum immolabat. Cui agnus aut pullus deerat, bene acuto graphio digitum perſtringebat, atq; illo ſanguine litabat. Ita ſcilicet ſuſpicabantur in ipſo ſanguine uim quandam eſſe auertendæ nubis ac repellendæ. At ſi hæc mortales ad arcendam frugi aut uineæ noxam obſeruant: quanto ea honeſtius ac iuſtius nautæ proſequantur, ubi de capite ac fortunis pariter diſcrimen obuerſatur. Nos ex ijs quæ obſeruari conſueuere, pauca è multis ſeligemus.

TEMPESTATVM PRÆSAGIA.

Purus oriens sol atq; non feruens serenam diem nuntiat: at hibernã pallidus grandinem. Si & occidit pridie serenus & oritur, tanto certior serenitatis fides. concauus oriens pluuias prædicit. Item uentos, quom ante exorientẽ eum nubes erubescunt. Quòd si & nigræ rubentibus interueniẽt, & pluuias. Quom orientis atq; occidentis radij rubent: coire pluuias. Si circa occidentẽ rubescunt nubes: serenitatẽ futurę diei spondent. Si in exortu spargentur partim ad austrum, partim ad aquilonẽ, pura circa eum serenitas sit licet, pluuiã tamen uentosq; significabunt. Si in ortu aut in occasu contracti cernẽtur radij, imbrem: si in occasu eius pluet, aut radij se in nubem trahent: asperam in proximũ diem significabunt tempestatem. quom oriente radij non illustres eminebunt, quamuis circundati nube non sint, pluuiam portendent. Si ante exortum nubis globabuntur, hyemem asperam denuntiabũt. Si ab exortu repellentur & in occasum abibunt: serenitatem. Si nubes solem circuncludent: quanto minus luminis relinquent, tanto turbidior tempestas erit. Si uero etiã duplex orbis fuerit, eo atrocior. Quòd si in exortu fiet, ita ut rubescãt nubes: maxima ostenditur tempestas. si non abibunt, sed incumbent: à quocunq; uento fuerint, eum portendent. si à meridie, & imbrẽ. Si oriens cingitur orbe siue area, quæ à Græcis ἅλως dicitur, ex qua parte is se aperit, expectetur uentus: Si totus defluxerit æqualiter, serenitatẽ dabit. Si in exortũ longe radios per nubes porriget, & medius erit inanis, pluuiam significabit. si ante ortũ radij se ostendent: aquam & uentum. Si circa occidentẽ candidus circulus erit: notes leuẽ tempestatẽ. Si nebula: uehementiorẽ. si cadente sole: uentum. Si ater circulus fuerit: ex qua regione is eruperit, uentum magnum.

QVOD STVDIA SVNT

MODERANDA CAELII CALCAGNINI COMMENTATIO, AD LILIVM Gregorium Gyraldum.

ITA est uiri clarissimi, non facile ex hominum mentibus inculcata atq; inueterata longa ętate opinio reuelli potest. Adactę enim altius sunt radices, quàm ut uel manu uel sarculo possint excindi. Fallimur quippe omnes recti specie. Nam quis diuitias nõ eo meliores putat, quo sunt amplio res? quis magistratum nõ credit eo honoratiorẽ esse, quo latius ius suum administrationemq; propagat? omnes denicq; omnia quæ in bonis censent, quo maiora uberioraq; sunt, hoc magis ducũt expetenda. Nec meminerunt Chilonis illud, Modum esse optimũ omnibus in rebus. Et, Omnia quæ supra mediocritatem efferuntur, corrigi atq; intra modum coerceri oportere. Porrò quę superfluũt ac restagnant, exhauriri euacuariq; par est. Nam & opes quæ immodicæ sunt, & supra necessitatẽ euagantur, nisi in partes diduxeris, liberalitateq; concideris atq; attenuaueris, nõ modo inuidiosæ sunt: sed possessorẽ etiã non secus onerãt, atq; sanguis qui se paulo copiosius uenis infudit: quo deinde efferuescente æstuosæ febres corporibus excitantur. Ita & magistratus quibus plus potestatis attributum est quàm reipublicæ salutare sit, solent plerunq; insolescere ac tyrannidem meditari. Hinc uetus illud in uulgus adactũ est: Cui licet plus q̃ decet, plus uult quàm licet. Quod ni ita esset, nunquam Theopompus ille prudentissimus Laconũ rex animũ induxisset ut ephoros regiæ dignitati quasi frenum imponeret: palamq; profiteretur, se filio angustius quidem imperiũ sed diuturnius relicturũ. Hæc uero tam prudenter & salubriter excogitata ij solent illudere, qui non ratione ac experiẽtia rerũ scilicet magistra, sed am

sed ambitu & libidine res humanas metiũtur: ut minus mirum uideri debeat, si multi aduersus hoc nostrum institutũ parce & cum modo nauandi operam bonis discíplinis insurgunt: in eamq; sententiam, quam quotidie habemus in ore, solenniter penè declamant: quom studia amplectenda quidem censeamus, sed ea adhibita moderatione, ut nec uitæ officia, nec ualetudinis cõstantia impediatur. Nec uident ij quàm præclare ac sapienter hac sententia & studiorũ diuturnitati ac humanæ societati consulatur. Rationes uero quibus sibi admodum placẽt: quibusq; nos tota acie (ut aiũt) expugnare cõfidunt, has fermè audio. Quę bona sunt, eo meliora effici, quo plenio 1
ra sint. At studia ingenuarũ artiũ nõ modo bona esse cõstat, sed alios etiã bonos reddere: quo ergo uehemẽtiora sunt ac magis assidua, hoc etiam magis comprobanda.

Tum uero minime modum ulli rei adhibendum esse, in qua quod satis est nunquã 2
inuenias. Subijciunt deinde: te in eam reprehensionem incurrere, quam Neoptole 3
mo Neuiano Cicero obiecit: asserenti philosophãdum esse, sed paucis. nam omnino nõ placere. Qui enim fieri posse, ut quom in tota uita quid expetendũ, quidq; fugiendum sit hominẽ meditari deceat, quis unquã philosophari desinat: nisi tum demum, quom homo esse desierit. Atqui philosophia in liberaliũ studijs maximè agnoscitur & exercetur. Adde, quòd nisi omnia perleganť, nisi omnes, ut ille ait, seriæ relinan 4
tur, non est ut quid optimũ quidũe maximum seligendum in tanta rerum multitudine facile quis possit intelligere. Quare iugi studio inuigilandum, ut quasi in cõdictis epulis, id quod potissimũ est arripiatur: quod sanè facere nemo poterit, nisi omnem literariam supellectilem excusserit. Id uero sine iugi & infinito penè studio in tantula ætate quis fecerit? Nõ desunt etiã, qui (si Dis placet) infinitũ hoc indefessumq; studium cum rerum publicarũ æquè ac priuatarum actione cõiungant, nec ab eo integram cõstantemq; ualetudinẽ abdicent: ad certam scilicet uiuendi rationẽ reuocantes, & finitos cancellos è quibus pes efferri non possit, præscribentes, certa etiã tempora negocijs partientes. nec ipsi uident quàm inconstanter dicã an imprudenter agant, qui dum sententiã suam tueri uolunt, in nostrã (tãta est uis ueritatis) prolabuntur. Quidam etiam dum omnibus telis pugnant, dum omnem lapidem mouent, ex ueterum quorundam autoritate præsidium quærunt: quorũ alij perire omne tẽpus quod studijs non impenderetur dixerunt: alij certa sibi enchiridia proposuerunt, à quibus neq; manus neq; animus unquam abesset: Alexander Homerum, Hieronymus Psalmodiam, atq; hoc ne unquã mens studiosi hominis à studio literario abscederet. Quorum argumenta ut cõmodius uel approbari uel diluí possint, illud imprimis discutiendum puto, quid ipsi, quid nos studium appellemus. Hoc enim exploratо facile erit dijudicare, utrum eorũ an nostra opinio propensius sit excipiẽda. Nam si studium intentionẽ animi ad res obeundas appellamus, non ita rudes & imperiti rerum sumus, ut hanc diligentiã animaduersionemq; improbemus: quãdo, ut Chrysippus pulchre aiebat, uita hominis lucta est. hinc semper aduersus fortunæ collucta tionem excubare par est: animoq; ita intento esse, ut ictus omnes excipiat, declinet, repellat. Hoc est illud literarum genus, quod Cæsar Syllam professus est ignorasse: quom reclamante rerum experientia, historiaq; uetustatis discipula repugnante, se uolens dictatura abdicasset: alioqui Syllam eruditũ fuisse, atq; historiã scripsisse, nemo paulo humanior ignorat. At si studium lucubrationes cõuersionesq; librorũ appellemus, ut animus à lectione uix unquam respiret, semperq; ea in re immarcescat, ut uideo hos studiorum patronos existimare: nõ habeo quomodo eorum sententiã possim approbare. Nam quid stultius est quàm ita sui quenq; obliuisci, ut cur natus sit non recordetur: atq; omne id tẽpus quod pietati, quod parentibus, liberis, cognatis, amicis, patrię, humano denique generi, imò uero & ipsi sibi impendi debet: id ocio ac latebris impartiatur. Nam quod aiunt studia literarum bona esse, & si hoc negare possim, quom eum apud quẽ sunt non bonum sed peritum doctumq; ac rerũ multarum cognitorem reddere possint. quòd si bene quis studijs utatur: bona esse nõ negarim. sed quotus quisq; est, qui non ad quæstum, ad ambitionẽ, ad gratiam studijs utatur? Quare quom nõ in bonis studia, sed in his quę media & promiscua sunt censeri debeãt: mea tamen liberalitate sibi à me datũ ut bona sint tantisper arbitrentur,

dum intelligant, nõ omnia quæ bona sunt, eo meliora effici quo pleniora uberioraq;
1 sunt. Tantũ enim abest ut plenitudo atq; ubertas illa perficiat bonarũ rerum conditionem, ut plerunq; noxia sit, atq; in uitium detorqueat. Bonum est, inquit ille, reli gentem esse: religiosum non placet. religio enim bona est, quis neget? sed quo fit auctior, eo propius in superstitionẽ declinat. hanc uero nemo probat. Virtutes illas optimates quis non in bonis annumerat? atq; hæ tamen quo magis augescũt, hoc minuũtur deteruntur q; magis, ut non sine causa Hesiodi illud Plato fuerit admiratus, Dimidium esse plus toto. Nã ita planè est, & uirtus omnis in mediocritate subsistit, omne uitium immodicũ est. Quis iustitiæ nõ assurgit? quis sequitiam non detestatur? liberalitati omnes fauent, prodigentiã infamãt. Constantiam lætis animis amplexamur, pertinaciam nemo non auersatur. De studijs etiam si bona fateamur, idem iure dixerimus. Nã proba cõmodaq; esse existimamus si cũ mediocritate exerceant. At quæ immodica sunt, iam studia esse desinunt: iam uitij nomen subeunt, ut uel pertinaciæ uel insaniæ, uel si mauis solitudinis inhumanitatisq; crimine postulari mere-
2 antur. Illud nõ potui sine risu præterire, quòd in studijs neq; metam neq; modum statuunt, ceu uero quicquam in rebus humanis interminum possit inueniri. Illi uero sic nos plurimũ urgere posse existimant: quom percunctantur, quatenus studijs indulgendum sit: ceu nunquã cessandum arbitrentur. Quibus responderi facile potest, id quod Cicero ad M. filiũ scripsit: Eo usq; studijs incumbendũ, donec quantũ proficeris non pœniteat. Hunc ergo modum huic rei assignemus, ut citra pœnitentiam quisq; studia cõsectetur. Eum uero nunquã studiorum subibit pœnitentia, qui ita literis incumbet, ut nulla pars uitæ officio uacet, nullum conseruandæ salutis munus prætermittatur. Nam quòd ipsi hanc studiorum infinitatẽ aliter interpretãtur, nihil ad præsentem rem omnino facit. Nec enim propterea mihi immensus irrequietusq; labor suscipiendus est, quòd hic ambitus in quo enitendum est fine careat. Sciunt enim periti agitatores quoties ad metam cõuertendæ sint quadrigæ, quoties circumcursandum: postquam uero iustos circuitus impleuerũt, tum currum sistunt, suas uices peregisse cõtenti. Nec ideo sibi perpetuo excursandum putant, quòd nullo obstace impetus coerceatur. Non secus studijs adhibenda moderatio est: & si ea inexhausta sint, & disciplinæ ipsæ Cyclicæ nuncupanť, quarũ etiã cõgeries & ambitus ἐγκυκλοπαιδίαι à Græcis dici solet. circulũ uero inde incipere, quò desinat, imò uero nusq; incipere, nusquã desinere, ita oculis & sensu notũ est, ut probatione nõ egeat. Quòd si libero iudicio agendum est, næ hoc ipsum argumentum, quod in nos moliuntur, iustius in eos retorqueatur. Nam uiri sapientissimi agite: id ne mihi sequẽdum putatis quod aliquando assequi possim? an quod nec quisq; assecutus est, neq; humani animi captus assequi potest? Si id quidem quod assequi possim, bene est: uerũ propositum argumentũ laborat, quãdo studijs & disciplinis omnem ademistis terminum. At si me id sectari iubetis, quod optare magis quàm nanciscí possim: tũ ego uos malos consultores merito abominer, qui me operam ludere & uentos captare (ut aiũt)
3 retibus adhortemini. Illud uero nihil simile habet Neuianæ sententiæ quam Cicero reprehensione dignam putauit, & quidem iure. Quom enim philosophia sit uitæ magistra, uitiorũ expultrix, felicitatis conciliatrix, cui bonorũ omniũ cumulũ accepti ferri par sit: quom in tota uita seu quid publice agas, seu priuatim mediteris, nulla pars ab honestate seiũcta esse debeat: quãtũ peccauit is qui philosophiæ studiũ intermittendũ aliquando præcepit: ut minime mirari oporteat, eũ in stilum Ciceronis incidisse. quippe uere ac subtiliter Aristoteles aliquãdo ita argumẽtũ collegerat: aut philosophandũ esse, aut nõ philosophandũ. Si quidẽ philosophandũ est, nauiter & impune philosophemur. At si minime philosophandũ est, hoc tamẽ ipsum philosophemur, id est in hoc honeste nos exerceamus, perquirẽtes cur nõ debeamus philosophari. Vtcũq; igit̃ res cedat, philosophãdũ est. atq; nõ uerbis solũ, sed rebus ac uita philosophiã exerceri oportet. Proinde qui à philosophia cessandũ interdũ putauit, idem à bene uiuẽdo cessandũ interdũ putasse existimãdus est. At nos nõ de philosophię aut bene uiuendi studio nunc agimus, à quo nunq; discisci nec uolumus nec debemus: sed de eo quod in literis & disciplinis ac librorũ lectione uersat̃. Quod profecto

fecto à uita nõ excludimus, ſed ad mediocritatẽ tantũ uocamus. Huic enim (ut præmonuimus) niſi modus adſit, certũ eſt nõ modo benignitatẽ, pietatẽ, gratitudinem, urbanitatem, prudentiam, æquanimitatẽ, iuſtitiamq; deturbari: uerumetiã his contraria uitia inuehi, duriciem ſcilicet, deorum contemptũ, ingratitudinẽ, impuritatẽ, ſecordiam, inconſtantiam, immanitatem. Illud quoq; non uideo quàm cõſtanter 4
tueri poſsint, qui ſtudijs iccirco aſsidue incumbendum putant, quòd omnia excutienda ſunt, omnia euoluenda, ut aliquando quod optimum eſt excerni poſsit. Addunt enim, id quod uerum eſt, infinitam exhauſtamq; eſſe hanc librorum & diſciplinarum ſegetem: uitam autẽ mortalium eſſe uel quàm breuiſsimã; ut ſi alterius infinitas cum alterius anguſtia cõponatur, proportioni parilitatiq; locus non relinquatur. Quod ſi ita eſt, ut non ſolum nos fatemur, ſed & ueritas fateri cogit: hi ſibi multũ repugnant, qui nos audere hortantur, quod adipiſci non poſſumus. Nimium uel hallucinantur, uel traducunt nos: qui quod fieri non poteſt, faciundum proponunt: quod aſſequi nemo poteſt, ſequendum offerunt. At quis eſt qui tantam librorum ſupellectilem, tantum autorũ cumulum, tantam ſcriptorum ſyluam legere aut iudicare poſsit, aut meminiſſe, uel ſi Neſtoris illius Pylij ſecula à Dis precario mutuet. Ipſi ij ſtudiorum aſſertores inter potiora profeſsionis ſuæ axiomata id imprimis ſectatoribus obijciunt: Multum non multa legenda eſſe. quippe memoriæ, qua nihil homini penè à natura datum eſt fluxius, imprimis conſulendum putauerũt. Quod enim denicq; operęprecium ſtudiorum eſt, ſi qcqd animo diſciplinarũ infarſeris, id quaſi per uas Danaidum effluat. cui incõmodo mederi potes, non multa inculcando, ſed quæ legeris accurate relegendo, ac meditando ſæpius quæ animo conceperis. Quid uero dixerim hãc ipſam lectionis aſsiduitatẽ obeſſe ſemper, prodeſſe nunquam. Nam quom animi noſtri promptuaria ita expedita ſint, uel à natura uel à deo naturæ opifice, ut alia pars excipiendis imaginibus, alia iudicio, alia retinendis reſeruandisq; ijs quæ accepta ſunt, attribuat: quoties tanta eſt imaginũ frequentia & aggeratio, ut altera alteri occurſet, & quaſi unda ſuperueniẽte unda propellatur, tunc omnẽ laborẽ irritũ ſuperuacuũq; fieri neceſſe eſt: ita ut cõfidenter affirmare poſsimus, ſtudijs atq; adeo ijs qui plurimũ proficere cupiũt, aſsiduitate atq; intentione perpetua pernitius nihil. At quãto ij uegetius atq; hilarius ad ſtudia aggrediunt, quanto promptius atq; animoſius diſciplinas complectuntur ac retinent: qui ceu per interualla ea ipſa remetiuntur. Solet enim ijs fermè contingere qui ſtudia nunquam remittunt, quod ſine intermiſsione colluctantibus concertantibusq; uſui uenit, ut non modo aduerſarij uiribus, ſed ſuopte conatu atterantur. At qui refoti recreatiq; reuertuntur, reparatis iam uiribus ingenij, & ſquallore illo longi incubatus deterſo ueluti repubeſcentes, nihil non arduum licet & operoſum audent atq; perficiunt. Nec quenquam moueat Muſonij philoſophi ſententia, exiſtimantis animum & ſtudia quoties remittuntur omitti. Vir enim philoſophus de ijs ſtudijs intellexit quæ ad philoſophiam ſpectant, id eſt rationem bene ac beate uiuendi: quæ ſi quando remiſeris, periculum eſt ne per negligentiam in uitiorũ laqueos præceps prolabaris. Quando ita eſt planè. dempta enim & ablegata uirtute in eius locum uitia ſuccedere ac ſuboleſcere neceſſe eſt, ceu uidendi facultate extincta cęcitatem ſuboriri. Hoc nequando eueniret uir cautiſsimus nunquã ab hoc ſtudio ceſſandum pronuntiauit: præſertim quom uirtus ita in medio conſiſtat, ab extremis æquè ſeiuncta, ut quom huc uel illuc paulum inclinaueris, tum primum (ut eſt in prouerbio) à linea ſit aberrãdum. Sed iam illas clitellas equus perferre non poteſt, quòd non ſatis exiſtimantes ſtudiorũ aſsiduitatem comprobaſſe, etiam publicarũ & priuatarum rerum molem huic aſsiduo inijciũt: & quod difficilius eſt, nihil illi ex integra ualetudine adimũt, quam ſine exercitatione corporis & motu nequaquã poſſe cõſeruari habemus exploratum. Quare aqua hæret (ut dicitur) repugnantiaq; & collidentia loquuntur. Nam quem ſemper literis addixerunt, quem iubent nunquam manum tollere de tabula: eundem tamen in forũ, in regiã, in agrum, ad cętera demum officia accerſunt: quæ quantũ temporis ſubducant, utinam cæteri magis ſcirẽt quàm ego meo periculo didicerim. Eundem quoq; ualetudini ſtudere, atq; animo & ingenio ſatisfacere pręcipiunt: quod certè ſine lite-

rarum intermissione, non uideo qui fieri possit. At uero Plinium unum quidē hominum & sanè excellentē nobis obijciūt: quem omnia complexum omnibusq; parem fuisse proclamant: & hunc quidem arbitratum omne tempus perire, quod studijs nō impartiretur: eundem somni parcissimi, semper aliquid audisse aut dictasse, eidem semper notarium ad latus cum libro & pugillaribus fuisse, cuius manus hyeme manicis muniebantur, ut ne cæli quidem asperitas ullum studijs tempus eriperet: qua causa Romæ quoq; sella uehebatur. Nec tamen iccirco ei fraudi fuisse aiunt aut impedimento, quòd ante lucem iret ad Vespasianū imperatorē, qui noctibus utebatur. Inde ad delegatum sibi officium. erat enim Classis Misenēsis præfectus. & hoc quidem Secundi Cæcilij testimonio ita sibi plaudunt, ita oblectantur, ut rem factā & uictoriam planè sibi partam glorientur: contrà uero hiscere planè piaculum putent. At quanto ego iustius & causatius aduersus hoc testimonium alio utar testimonio, ut puto, neq; minoris fidei neq; autoritatis, ipsius scilicet auunculi: qui & se hominē occupatum officijs, succisiuisq; temporibus, id est nocturnis studia curasse profitetur. Dies enim imperatoribus impendisse, cū somno ualitudinē computasse. Quod sanè testimonium studiosissimi hominis, ad imperatorē præsertim scribentis, qui & rei conscius foret & mēdacem coarguere potuisset: tanti est apud me, imò uero in iure ciuili, ut nemo sit qui cum eo audeat sacramento decertare. Quod uero me rogant, quomodo tot uolumina tanti laboris aut legerit aut absoluerit, ut aliud nihil egisse tota uita uideatur: in percunctātes rursus Cæcilianum illud reijcio, Erat acre ingenium, incredibile studiū, summa uigilantia. Incredibile enim studium appellauit, quòd tanta mole negociorum interpellari interscindiq; non poterat. Sed age hunc ipsum Cæcilium quem patronū sibi aduersarij cooptarunt, audiamus: an Plinijū inter eos quos improbamus, id est qui uitam solijs studijs manciparunt, recenseat. Lege Cæcilij testimonium, Soleo ridere quom me quidam studiosum uocant, qui si comparer illi, sim desidiosissimus. Ego aūt tantum, quem partim publica partim officia amicorum distringunt: quis ex istis qui tota uita literis assident, collatus illi nō quasi somno & inertiæ deditus erubescat? Audistis non sine morsu eos taxari, qui tota uita literis assident. Quare Plinium, quo maximè nos urgebant, iam à nobis stare cognouimus: utpote qui in studijs eam temperiem, idq; moderamētum sectaretur, ut diei principi ac reipublicæ, noctes uero, id est tempus ignauum & succisiuum minimeq; obeundis negocijs tempestiuū, lucubrationi literariæ impartiretur. Nam quòd omne tempus perire opinabatur, quod studijs adimeretur, dicā illud uetus: alia Leuconis asinus: aliud mēs, aliud lingua loquitur. Quale hominū genus inuisum sibi magis Homerus scripsit, quàm nigri ianua Ditis. Sed absit ut de uiro tantæ fidei tantæq; præstantiæ hoc existimē nefas. At ille utiq; studia, quæ ad recte uiuēdum, ad præclare aliquid cōmentandum in uita pertinent, intellexit. Nam qui per iocum lusq; inertes, qui per lasciuiam tempus absumunt, ij merito male audiunt, ceu qui bonas horas male collocare coarguuntur. Ad hoc scilicet pertinent illa enchiridia, illiq; pugiunculi quos circūferre nobiscū solemus: nō ut his omne tēpus atteramus, sed ut quom aliud agi potest, ne nihil agamus, agamus hoc ipsum: & à seruulo libellum accipientes, uel sinu educentes, momenta illa ociosa lucrifaciamus. Sunt autem ea plerunq; enchiridia, quasi commentarij ad bonam frugem bonis ingenijs paranDam uel confirmandam accōmodati: nec in his principem operam, sed succisiuam adhibemus. Ad agrestes operas pertinet, inarare, occare, sementē facere, nouellare, inserere, & id genus alia maioris operę, in quibus desudent, quom licet. At si uel noctes, uel imber, aut statæ indictæue feriæ domi contineant: habent & ipsi agricolæ sua enchiridia, gladiolum, terebellam, falcē sirpariam, uitilia. Interim uel quallos terunt, uel ridicas exacuunt, uel ferramēta exasperant, uel supellectilem uillaticā recognoscunt, ne quod tēpus effluat per inertiā. Sic bona ingenia ubiq; in numerato habent ubi sese exerceant. Sic Catonem, sic Carbonē accepimus, illum in Græcostasi, hūc sub fornice dum senatus cogeretur, aliqd uel cōmentari uel lectitare solitos. Sic ad Atticum scribēs Cicero, alicubi se in senatu profitetur scriptitasse. Nam egregie ab antiquis dictum est, nō negocij tātum, uerum etiā ocij, rationem reddi oportere. & le-

& lepidus Q. Enníj uerſiculus circunfertur aiẽtis, Plus eſſe negocíj in ocioſo ocio, quàm quom eſt negocium in negocio. Sed illud iam uideamus, quare inſtitutum ſtudium putent, qui ſe maximè ſtudioſos gloriantur. Nónne is tandem finis, ut quomodo uiuendum ſit agnoſcamus? Quẽ autem maiorem uitæ fructum habere poſſumus, quàm ea parare nobis præſidia quæ ad gloriam & felicitatẽ uiam muniant? ea porrò ſunt, nocere nemini, quàm plurimis prodeſſe. nihil facere in uita pœnitẽdum. Quòd ſi uerum eſt, eos minime citra ſuſpicionẽ iniurię uiuere, qui quom poſſent iniuriã prohibere, maluerunt quieſcere: qua demũ in claſſe íj cenſendi ſunt, qui pręclaro alioqui ingenio nati, quom reipublicæ, quom patriæ, parentibus, amicis, ciuibus, miſeris & calamitoſis opem ferre poſſent, præſtare putauerunt operã in ſtudijs conſumere, & beneficia quæ deorum beneficentia acceperunt, ſupprimere: homines planè qui præter umbras & fuliginẽ nihil habent quo ſe uixiſſe teſtentur. Nam quòd ſe monumẽta iactant inſtruere poſteritatis, plenum ſanè arrogantia, de ſe tantum polliceri, ut quod paucis contigit, æternitatẽ præſumant. ſed hoc habẽt uitium ingenia, quæ ſe nemini comparant, quæ nunquam in ſolem & puluerẽ exeunt: ut pro modeſtia, perſuaſione: pro humanitate, pertinacia imbuantur. Nec intelligunt ſe dum poſteris prodeſſe cupiunt, præſentibus, patriæ, & ſuorum neceſsitatibus deeſſe: dum futuram uitam affectãt, neq; tunc quom uiuunt, uiuere. Sed ut aliquid proſint, quantula deniq; ea eſt utilitas quæ ab íjs proficiſci poteſt in poſteros, carmen cantillare, declamationẽ neſcio quam imaginari, quadratum circulo adæquare, cubum duplicare, & alia id genus inania elaborare, in quibus multo ætatis impendio, nullũ uel cer te minimum operæprecium eſt: niſi forte alia addantur uitæ emolumenta, quorum acceſsione inanes illę meditationes liceant. Quòd niſi hac in luce hominũ uiuamus, niſi multorum mores, actiones, inſtituta, decretaq; audiamus, inſpiciamus: nõ uideo quomodo illa uſq; adeo decantata nobis monumenta, non ſint inania, ieiuna, exanguia, præpoſtera, ſordida etiam, neq; nobis, neq; poſteris profutura. Non enim frustra dictum eſt, à ſenſibus maximam cognitionis noſtræ partem pendere: neq; omnia ex mutis magiſtris eſſe mutuanda. hoc eſt ſcilicet quod eorum pleriq; qui adeo ſtudijs immarceſcunt, ut nõ immorari, ſed íjs immori penè uideantur, hebetes, inertes, ſtolidi, capti ſenſibus, abſq; iudicio, ab omnibus ferè iudicãt. Quid? quòd ſe omnibus ridiculos præbent, ſiue agant, ſiue cõtrahant, ſeu ioca ſeu ſeria moliantur. Sint non ſint æquè ſciunt ac pueri bimuli, ut ille ait. neq; ſe neq; ſuos, neq; fortunas neq; exiſtimationẽ, ſatis tueri queũt. In cõſeſſu hominum elingues: in prouidendis euentibus, diſcernendiſq; íjs quę fugienda ſunt aut expetenda, planè ſine ſenſu illo quem cõmunem uocant. Neq; id mirum, quom neq; ipſæ noctuæ ac ueſpertiliones lucem, & ceterarũ auium conſpectum perferre poſsint. Eſt tamen bella quædam ratio, qua ſolent ſibi patrocinari. Nam dum magna illa & ſublimia inueſtigant, dum ſe humo extollunt, & longe ſupra hominum conditionẽ euehunt: uilia hæc quæ in rebus humanis uerſantur, nihil ad ſe pertinere exiſtimant. Aiunt enim, ſi quanti lactuca indicetur, ignoro: at quãtus eſt cæli ambitus, qualis aſtrorum agitatio, expedire poſſum. ſi quõ amicum defendam apud iudicẽ nõ habeo, habeo quomodo diuinitatẽ, prouidentiam, maieſtatẽq; ſummi numinis probem. Quibus in rebus, quom alia ita ardua ſint, ut à nemine ſatis certe tradi poſsint: alia tam perſpicua, ut neq; probatione egeant: alia tam obſcura, ut fide magis quàm teſtimonio concipienda ſint: iuxtà mihi dicere uidentur, ac ſi profiteantur: ſe malle in noctu quàm luce uerſari, auras captare quàm in ſolida manum inijcere, incerta cõſectari quàm certa & obuia cõprehendere. In hos homines planè id conuenit, quod in Thalẽ anicula perſtrinxit, Quod eſt ante pedes non ſpectat, cæli ſcrutatur plagas. quaſi uero menſuram & indaginẽ ullius rei quis agere poſsit, qui ſui neſciat. Ex hoc ſeminario prodiuerũt uaniſsimi homines, quorum alij fata aperire mortalium pollicentur, ipſi ſuę ſortis ignari. alij theſauros promittunt, at ipſi egent interim drachma. alij honores, magiſtratus, imperia, principum gratiam prędicant poſſe alijs impartiri, in ſumma indignitate omniumq; odio conſtituti. alij manes euocant, quom ipſi iaceant atq; immortui ſint in magna obſcuri-

obscuritatis caligine. Nonnulli etiam qui se Democriteos chymistas uocant, uim afferre naturę metallacą posse immutare se iactant, ut quod modo plumbum fuerat, aurum efficiatur. Quin aliud etiam quoddam aurum meditati sunt, & id quidem poscu lentum ad propagãdum uitam mortalibus, plena omnia summæ uanitatis & probri. Videas hoc genus homines totos dies noctesq; tãquam lucernarios bubones ad si phunculos & urceolos uitreos, fuligine ebibere folliculis ignes excitantes, uel astro rum momenta cõiectantes. Qui si quando publicos consessus adeunt, pallentes, lan guidis buccis, elatis supercilijs, spe scilicet illa diuitiarum irritati meros de se risus o mnibus præbent, atq; hoc perennis studij præmium putant. Iidem non desinunt mi hi Socratem, Platonẽ, Aristotelemq; ac Ciceronẽ obijcere, magna nomina, quorum se æmulos & imitatores haberi uolunt: quod utinam non solum oratione, sed uoto ac re ipsa perficerent. nam & melius ageretur cum rebus humanis, neq; nos eorum causa hunc laborẽ suscepissemus. Atqui Socrates philosophiam, quę ad mores per tinet, è cęlo euocauit, & uirtutẽ in actione consistere cõstanter affirmauit, quid quòd res bellicas & urbanas uel grãdior ætate attigit: rem etiam uxoriã, & si ea minus be ne cesserit, non neglexit: iuuentutẽ etiam Athenienſem erudiendã suscepit, atq; hęc omnia ciuibus & patrię dedit: & quod sententiã nostram maximè uerisimilem facit, nullum monumẽtum posteritati reliquit. Plato uero ultro magnas peregrinationes suscepit, gẽtibus leges dedit, Dionysium tyrannum meliorẽ reddere conatus est. A pud eum certè amicos ita tutatus est, ut nullum periculum subire recusaret. Aristote lem autem scimus Alexandrũ erudiuisse, animalium naturas exactissime scrutatum esse. Ex qua speculatiõe clarissima illa quinquaginta uolumina De historia animali um effluxerunt: ut facile intelligas, nisi cõminus cum rebus ipsis congrediamur, nisi multarum actionum experientiã adeamus, studia exarescere, & omnes nostros co natus abire inanes. Ciceronẽ autem quis nescit ita studia tẽperasse, ut nulla eius pars uitæ ab officio uacaret, nihil prætermitteret quod ad reipublicæ & suorum ciuiũ sa lutem ac dignitatẽ tuendam pertineret. Ille amicos in periculo cõstitutos nunquam destituit, quod luculentæ eius orationes testantur. Nunquam publicis muneribus renuntiauit, nisi quom occupata ciuitate nulla iam spes libertatis superesset. Tunc e nim in ocium literariũ, quasi ad sacrum calamitatum perfugiũ, se recepit: interceptis scilicet omnibus alijs leuamentis, quibus ægritudini animi mederi posset. Quod sa nè nullo alio quàm ipsius Ciceronis testimonio comprobandum existimamus. Etsi, inquit, omnia philosophiæ præcepta referantur ad uitam, arbitramur nos & publi cis & priuatis in rebus ea præstitisse, quæ ratio & doctrina præscripserit. Sin autem quis requirat, quæ causa nos impulerit, ut hæc tam sero literis mãdaremus: nihil est quod expedire tam facile possimus. Nam quom ocio lãgueremus, & is esset reipub licæ status, ut eam unius consilio atq; cura gubernari necesse esset: primũ ipsius rei publicæ causa philosophiam nostris hominibus explicandam putaui. & mox horta ta est etiam ut me adhæc conferrem animi ægritudo, fortunæ magna & graui cõmo ta iniuria: cui si maiorẽ aliquam leuationem reperire potuissem, non ad hanc porti ssimum confugissem. Possem alijs hic uti testimonijs, hominis non modo eloquen tissimi, uerũ etiã ingenui. Sed quom duobus ijs abunde uoluntatẽ Ciceronis testatã putem, neq; mihi superfluũ laborem imponã, neq; iudices pluribus testimonijs fati gabo. Facile enim iam cuilibet cõstare potest, tum demũ Ciceronem se planè studijs philosophiæ dedisse, quom nihil haberet melius, quo patriæ laboranti opitularetur. Nunc itaq; uideant homines ocio & inertia damnati, quid habeãt cõmune cum cla rissimis uiris, quibus non dubitant se comparare: quid ipsorũ desidia cum horũ indu stria? Illi nihil non uitæ utile ac salutare meditabantur. ij nihil meditantur, non abie ctum, non inane, non superuacuum. nam si philosophi eam facultatem inutilem irri tamq; putauere, quæ nunquam in actionẽ se promit: quid de horũ hominum studijs statuamus, ex quibus tanquam ex ouis, quæ à Græcis ὠοτυπίαι uocitantur, nulli un quam fœtus, nulli prouentus proferũtur? Accepimus Alexandrũ militi qui se tam belle exercuerat in iaculando, ut uel procul absistens acu cicer infigeret, pro tam exa cta lucubratione ciceris modiũ fuisse elargitũ. Qua nos igitur mercede eos homines

pro lon

pro longo & inani ſtudiorum incubatu remunerabimur? ego ſanè iſs pro eximiis eorum laboribus, pro aſsidua eorum inertia, fuliginis aut pompholigis, aut certè cinerulæ amphorã elargiendam cenſeo: ut ea foti atq; expleti meliorẽ aliquando mentem induant, & ſapere incipiant: eoq; moderamẽto ſtudia amplexentur, quo uiri clariſsimi ſuperioribus ſeculis amplexati ſunt & ociũ, ſcilicet nullum ex iſs muneribus deſerentes quæ ad negocium pertinerent. Sic multos ætate noſtra cognouimus mactos uirtute & præſtantes ingenio, qui ſtudiorum aſsiduitati rerum gerendarũ exercitationem adiunxere. Nos contenti erimus paucorum exemplo, atq; eorum imprimis quibus cum aut familiariter uiximus, aut certo teſtimonio interiores eorum actiões cognouimus. Hippolytus Eſtenſis, qui inter purpuratos antiſtites celeberrimi nominis fuit, maximam noctium partem ſtudiis dabat: nunquam tam occupatus fuit, quin librum & librariũ præſto haberet: nunquam tam rapide iter iniit, quin ſupellectilẽ ſtudiorũ imprimis parari & ſecũ apportari mãdaret. Cæterũ hæc aſsiduitas non obfuit, quin res maximas & patriæ & ciuibus ſalutares confecerit. Ille claſſem Venetã Pado ſubuectam igni ac ferro late graſſantẽ fregit, incendit, depreſsit. Ille Maximilianũ Cæſarem expeditionẽ facientem in Euganeos ſuis copiis auxit, opera adiuuit, conſilio uictorem fecit: ſi modo Cæſar uincere non dubitaſſet. Ille ſeditiones Pannonicas oratione ac prudentia compoſuit. Regem adoleſcentem ac penè puerum ſuorum conſiliis circunuentũ præſenti periculo exemit, deſciſcentem nobilitatem & imperiũ recuſantẽ ad fidem reuocauit. Aduerſus imperatorem Turcarũ magnos iam tum apparatus in nomen Chriſtianũ facientem multa prouidit. Quantum periculum arci Albę immineret, niſi munimẽtis & nouis præſidiis firmaretur: quanta calamitas incumberet, niſi poſitis factionibus in medium conſulerent: biennio fermè antequam decederet, triennio antequam ingẽtia illa mala ſubſequerẽtur, prædixit, & quaſi ex oraculo in ſenatu regem atq; optimates præmonuit. Vtinã cætera nõ ſubſequantur, quæ ille conſtantiſsime futura affirmauit, niſi melioribus conſiliis occurreretur. Quantum uero utilitatis omniũ hominum generi pietate, bonitate, comitate qua omnes homines ſuperauit, attulerit, in eius uita cõmodius diximus.

Ionães Medices, is qui Pontifex Maximus ſalutatus faſces humani generis & nomen Leonis ſuſcepit, ab ineunte ætate antequam ab Innocẽtio VIII. in ampliſsimo rum patrum collegiũ cooptaretur, quom adhuc Politiano præceptori operã daret, maximis negociis occupatus prima quaſi actionum publicarũ rudimenta ſub Laurentio parente poſuit. Is quod de Druſo dicitur, nunquam ferias habuit, & quom in omni uita fuerit ſtudiorum retinentiſsimus, res tamen maximas tum ſuo ductu tum ſuis perfecit auſpiciis. Nam & à Iulio ſecundo Pontifice allegatus ad exercitum, incredibili prudentia diſiunctiſsimas nationes ſumma concordia coniunxit & continuit. Victoriã Gallorum tam forti animo repreſsit, ut mallet in hoſtium manus uenire quàm de fuga cogitare. In qua re illud accidit dignũ admiratiõe, quòd ſubtrahentibus ſe periculo fortiſsimis ductoribus, ille unus creditas copias neq; deſeruit, neq; indignum quicquam concepta de ſe hominum opinione patrauit: quomq; aduerſantẽ uim uincere nõ poſſet, uirtute fortunã ſuperauit. Ergo ille modo captiuus ſuperueniente Heluetiorũ ſubſidio Gallum fudit uictorẽ, togatam Galliam recepit, pulcherrimam & populoſiſsimã regionem Italię reſtituit: & eodem penè tenore Florẽtiam, unde per factionem familia Medicum fuerat exacta, recuperauit. Prouectus autem ad excelſum humanarũ rerũ faſtigium, quod tempus ſtudiis ſubduxit? quãdo litteratos homines, quibus penè ad reprehenſionẽ fauit, à ſe ablegauit? Neq; hoc tamen eius felicitatẽ interpellauit, quin peſsimos tyrannos eiecerit, quin Gallum ſupplicem & pedibus aduolutum indulgentiſsime habuerit: regnare etiam permiſerit, mox ferocientem & obuertentẽ cornua edomuerit, plura atq; ampliora facturus, niſi fatorum inuidia raptus, magnum omnibus bonis ſui deſideriũ reliquiſſet. Audio Hermolaum illum Barbarum, qui ad nobilitatẽ generis lumẽ literarũ adiunxerat, (nam per ætatem eum mihi uidere nõ contigit, ſiquidem me puero ex hac uita migrauit) ita fuiſſe ſtudioſum, ut nullum tempus ſineret præterfluere, quo non aliquid cõmentaretur, aut ad bonas literas aut ad philoſophiam locupletandam. Nec tamen ideo

ſegnius

segnius magnas legationes pro patria, pro senatu, Mediolani apud Ludouicũ Sfortiam, & in Germania apud Cæsarem Maximilianum, & Romæ apud Alexandrum sextum perfunctus est: ut quæcũq; loca adiuisset, magnum splendorẽ & ingentem gloriam Veneto nomini compararet. Eo autẽ ingenio fuit, ut de se ipse testatur, ut publica curatio instantiæ studiorũ nihil detraheret: instaretq; acrius, & pensum à se exigeret acerbius: ut quod illi uis maior auferebat, assiduitate sarciret: quantoq; plus negociorum accesserat, tãto auiditatis & alacritatis plus incutiebat. ferias itaq; illas omnes quas ualetudini priuatus homo dabat, in publica distribuebat: ita quod illi ex una causa deperibat decidebatq;, alia ratione corrogabat. Eadem ætate, sed ætate minor, par eloquentia, sed abditissimarũ disciplinarum cognitione maior Ioannes Picus Mirandula studijs sibi æternitatem nominis, moribus interminam felicitatem parauit. Nunquã tamen interim à clarissimis actionibus destitit, Galliam & celeberrima professoribus Gymnasia perlustrauit, Romę quasi in omnium mortalium specula ingenij faces exposuit. quinq; maximarum nationũ linguas profiteri: & de omnibus disciplinis quæ altissima latent caligine, & propter secretum naturæ penè destitutæ sunt, ausus disputationem inire. Sed ea ipsa assiduitas quæ tantum ei attulerat ad sapientiam, plurimum detraxit è uita, & ne cælestis ille uigor ingenij ad suam perueniret frugem interpellauit. Sed ad hanc quasi hæreditariam studiorũ famam Ioannes Franciscus meliore temperamento successit: utpote quo nemo acrius in hoc optimarũ disciplinarũ fastigiũ incumbat. Nihil est enim in omni philosophia, nihil in bonis literis, nihil in poetica, nihil in sacris speculatiõibus, quod ille nõ teneat. religionis archana quàm casto pectore amplexatur & colit: quãtum ille in utraq; lingua profecit: tantum uero ad hanc diem posteritati cõmentationum non minore celeritate quàm ingenij felicitate mandauit, quantum nõ temere alius est ociosa lectione assequutus: ut quisquis eius monumenta ad calculum uocauerit, nihil eum præterea in uita molitum esse arbitretur. Rursus si eius egregia facta plena animi, plena prudentię, plena fortitudine remetiatur, quantũ eum fortuna exercuerit, quos ludos fecerit, nunc auito regno excutiens, nunc reuocãs: quantũ ille nationum peragrauerit: quanto ingenio magnorum principum beneuolentiã & auxilia parauerit: ut Iulius secũdus Pontifex maximus allectus eius uirtute in maximarum quamuis rerum apparatu nihil prius habuerit, quàm eum nõ suis auspicijs, sed ductu, sęuiẽte hyeme quantum nunquam aliàs, in solium restitueret. A Maximiliano autem Cæsare nihil unquam frustra optauit, eius semper autoritate defensus, præsidio confirmatus, munificentia exornatus. Quòd si omnia etiam in compendium colligam, iustam historiam nasci oporteat. Tanta scilicet rerum sylua uel festinanti sese oggerit: quę singula, ne dicam uniuersa, siquis animo concipiat, fateatur necesse est, nihil ocij ad scribendũ superfuisse. Sed incredibilis illa ingenij uis omnes difficultates superauit: & quæ uix fieri posse uidebantur effecit. Quid uero ego ingeniorum fastigia & literaturæ proceres enumero: in quibus fortasse nihil admirabile uideri par est. An nõ ego homo mediocris ingenij, & nullius propè literaturę, ita studiorum meorum cupiditatem moderatus sum, qua semper à teneris usq; unguiculis mirum in modum exarsi, ut me hominem meminissem, et nihil humani à me alienum putarẽ: existimaremq; mihi uiuendum potius in hac luce hominum, quàm in tenebris delitescendum: aucupandum principum uirorum gratiã potius, quam in bonos & benemeritos refunderem, quàm eo loco desidẽdum, ubi nec mihi nec amicis quicquã possem accõmodare. Illud à me citra arrogantiam dictum uelim, me gratis semper studia exercuisse, & ingenuis disciplinis ingenuam operam dedisse: abdicataq; omni spe quæstus, sapientiæ animũ addixisse. Tum uero mihi nõ ita in delicijs segnities fuit, quin penè puer quæsturam castrensem apud principem gesserim, & bis stipẽdia fecerim difficillimo tempore: altera sub Cæsare, altera sub Iulio secundo Pontifice maximo, quom Bononiam repeteret. Bis legatus ad senatum Venetũ, semel ad eum qui pro Hispano rege res Italas administrabat. Quom Alphonsus regulus Ferrariensis Romæ capitis periculum adijsset, mox quom ad sacerdotium essem uocatus, Vaticano collegio nomine Hippolyti Cardinalis Estensis præsedi. Dehinc Germaniam superiorem

peru-

peruagatus, Pannonas & Sarmatas adĩ: & à Viſtula flumine termino Germaniæ ad ipſum uſq; Boriſthenẽ penetraui. Diſsidẽtes reges & proceres inteſtinis ſimulta tibus laborantes oratione habita, quæ in actis publicis aſſeruatur, ad id tempus com poſui. Quom duo ſupremi reges forent imperij competitores, Carolo ſeptimũ ſuffra gium, & ipſum (ut aiũt) colophona procuraui. & quom id Bohemiæ rex per ætatem dare non poſſet: quo res legitime ageretur, data eſt opera ut rex Sarmatiæ, quod æta ti deerat, autoritate & ſuo conſenſu ſarciret. In Italiam reuerſus me literis reddidi. Mox ætate iam ingraueſcẽte ducis Herculis ſecundi nomine ad Paulum tertiũ Pon tificem maximum legatione feliciter perfunctus, nõ tantũ publice profitẽdi munus continuare propoſui, quin etiam eidem principi conſuetam operam præſtare, & ſi mul amicorum rebus, quantũ licuerit, adeſſe. atq; hic ad hanc diem uitæ meæ tenor, & deinceps quantuſcunq; fuerit, talis futurus eſt.

NE QVIS SE A SVA VMBRA VINCI SINAT VEL DE PROFECTV, CÆLII CALCAGNINI cõmentatio, ad Franciſcum cogno mento Epiſcopum.

VDISTIS ne unquam uiri clariſsimi fabellam illam ſuper eo cõditam, qui cum umbra ſua inimicitias exercebat, atq; ita cum illa quaſi cũ hoſte colluctabatur? Mirifice autem eã extimeſcebat, modo in dextrã, modo in ſiniſtram declinantem, nunc prorſum occurrentẽ, nunc ſubſequentem à tergo. Huius inſidias uſq; adeo ille reformidabat, ut exerto ſæpe gladio in eam irruerit, nitens omni aſtu umbram cõficere. Quod quom fruſtra conaretur: eſt enim (ut planè noſtis omnes) acerrima corporis imitatrix umbra, omneſq; motus atq; impetus illius æmulatur & reddit: quoties itaq; ille aut gladium ſtrinxerat, aut ictum uibrabat: ſeu cæſim, ſeu punctim appeteret: illa rurſus quaſi ad præſcriptum pares uices obibat, mutuò ſequens, nunc in caput, nunc in pedes adſultans. Quare homini illi abunde perſuaſum erat, nihil eſſe umbra cautius aut infeſtius: timensq; nequando imprudens ab ea opprimeretur, oraculum adijt de ſecuritate ſua anxius. Huic uero reſponſum fuiſſe accepimus ab oraculo: Cole perſpicua. An uero uos exiſtimatis temere & de nihilo hanc fabellam effictam fuiſſe? Sanè ego id non puto, nam & Plato aliquot locis mentionem habet πρὸς τῶν σκιαμαχούντων, & in Phædone nuncupatim de timore umbræ meminit. Quin & M. Tullius Attico ſuas perſæpe σκιαμαχίας repetit. Sed & Plutarchus & Galenus & Paulus Aegineta σκιαμαχίας enumerat inter exercitamenta, quæ intenſione carent & uiolentia. Sunt enim & alia quædam, ut ipſi memorant, σωθέντα δι' ὀλίγον καὶ ταχέως. Nec ſanè uelim quiſquam putet umbrã rem eſſe adeo leuiculam aut cõtemnendam, & cuius rationem minime haberi oporteat. quippe umbræ magna ſemper fuit uis & longe maxima apud ueteres exiſtimatio: poſtquam illa cęli magnitudinem aſtrorumq; & ipſius ſolis non amplitudinem modo, ſed excurſus omnes, ſeu in dextram attollatur, ſeu in ſiniſtram deuergat, permenſa eſt: illa terrarum ab æquatore declinationes, illa ſegmẽtorum ſeu circulorum æquè diſtantium, illa analematum rationes inuenit, illa dierum noctiumq; atq; horarũ dimenſiones Mathematicis oſtendit. Nam & ſcioterici etiam nomen dedit. Huic ſcaphia, huic dioptras debemus. Obuerſa enim in ſolis umbilicum & in terræ centrũ reclinata, res admirabiles, & præcipua naturæ arcana detexit. Quid quòd rerum humanarum faciem immutat, profligataq; luce cæli

E nobis

nobis picturã & ſupremas illas imagines oſtẽtat: quin etiam ſæpe aduerſus aſtra pugnã init: auferensq; illis lumen & deficere cogens uictoriã profiteꝫ. Sed & homines quom homines eſſe deſinũt, in umbras abire produnt. Quin & regnũ Plutonis, nõ niſi umbris conſtare dicitur: ob id magi ſciomantiam inſtituêre. Cęterum & ſolennibus in conuiuijs paraſiti, honorificum olim nomen, umbræ dicebantur: idq; auctoritate Platonis comprobatur. Eadem obeliſcos & pyramides, eadem turrium faſtigia, citra funiculi aut decẽpedæ prędidiũ, ſed humani tantũ corporis imaginẽ imitata deprehẽdit in plano: ut nulla arte certius ex ipſa altitudine deprehẽdi potuiſſet. Huic architecti ſciographiam, huic pictores, opticesq; profeſſores ſuas inumbratiões acceptas ferunt. Sed &, quod uix quiſquam crediderit, ſummus orator Demoſthenes quom ſibi iudicum attentionẽ optaret: non aliunde quàm ab umbra, atq; ipſius quidem umbra aſini, præſidium implorauit. His adde quòd & capilli & uulturis umbra in prouerbium uenit apud Græcos. Quin & umbræ ſomnio Pindarus uidetur humanam conditionẽ pulcherrime expreſsiſſe. ex quibus facile aliquis ſibi umbræ encomium poſsit adornare. Hæc ſunt ſcilicet quæ me mouẽt plurimũ, ne inanem & (ut aiũt) à propoſito auerſam prorſus fabellam illam exiſtimem: immo uero illud propè mihi uerũ uideatur, omnes homines umbram ſuam hoſtem habere: quam uincere illuſtre & glorioſum, ab ea autem uinci, turpe ac plenum ignominiæ. Nam ſi apud ueteres male audiuerunt illi qui fuerunt à mulieribus ſuperati, apud Themiſcyram puto & Thermodontem, quos probroſo nomine Græci γυναικοκρατουμένους uocant: quãto hoc turpius fuerit, umbrę manus dare, & σκιοκρατουμένους appellari? Certè Homerus Vlyſſem illum teſtatur cum umbris dimicaſſe: quom eas à ſcrobe magico repelleret, & alter Homerus noſter teſtaꝫ Aeneã enſem in umbras perſtrinxiſſe:

Et ni docta comes tenues ſine corpore uitas
Admoneat uolitare cauæ ſub imagine formæ,
Irruat, & ferro fruſtra diuerberet umbras.

Ad hoc enim magi ſuos parant enſes ſanguine delibutos in umbrarum perniciem. Hi ſunt ſcilicet quos à nobis paratos & expeditos haberi oportet, non à magis quidem ſed à Minerua adornatos. His enim facile umbram expugnari licebit, quę alioqui noſtrũ cuiq; magnos ludos præbet. Alios enim tam magnos ſibi uideri iubet, ut ſeſe ad arcum Fabianum (ut inquit Cicero) reclinent, ne forte caput ad fornicem alli dant: alij tam boni, tam docti, tam excellentes ſibi uidentur, ut neminem ex mortalibus ſibi conferendum putent. Hinc ille ſe κόραννον, id eſt fulmen, ille ἀετὸν, id eſt aquilam, alius καλλίνικον, formoſum uictorẽ, alius Herculem, alius Fortunę, alius Neptuni & Iouis filium ſalutari permiſerũt. Quid q; Salmoneus & Coſdroes & alij non pauci ſe deos & deorum more coli uoluerunt. certè Caligula ſibi exquiſita etiam ſacrificia fieri mandauit: & lunam in ſuos complexus deſcendere, & cum Ioue ſecreta colloquia inire affirmabat. Quod quom amici cuiuſdam teſtimonio uellet comprobare, amicus ille pulchre os ſubleuit. An neſcis, inquit, à nobis mortalibus ueſtra, qui Di eſtis, geſta uideri non licere. Et Cotys ille rex Thracũ, quom eadẽ intemperie teneretur, ſuaq; illi umbra perſuaſiſſet, in eius cubiculum Palladem aduẽtare uoluptatis & concubitus gratia: rogaretq; miniſtrum unum & alterum: an adhuc dea aduentaſſet: negantes occidit, donec tertius infortunio ſociorum admonitus, iam diu expectare reſpondit. An uobis non uidetur ijs pulchre ſuam umbram illuſiſſe? Xerxes quom Helleſponto compedes inijceret, quom cæteri Perſarum reges ignem ſibi præferri, ſuoq; in comitatu immortales eſſe iuberent: quom ſibi pronos ciues & optimates accidere, quod illi προσκυνεῖν dicunt, imperarent: quom ſibi nihil cum cæteris mortalibus cõmune eſſe uellent, nõ aquã, quæ ex Euleo & Choaſpe uel in longam peregrinationem conuehebatur: non uinum, nam Chalybonium ſolum probabant: non triticum quod ex Aſſo Troadis afferebatur: non unguentum, labizum enim ſibi tantum ſeligebant. ſed & ſoli cydarim erectam ferebant. in eorum ſella ſediſſe capitale fuit. an non uobis uidetur de ijs pulchre ſuam umbram triumphaſſe? Quòd ſi illi homines cõditionem elementorum etiam potuiſſent immutare, nónne libẽter exiſtimatis & aliũ aerem hauſturos fuiſſe, & alium ſolem inſpecturos, quàm cæteri

cæteri mortales aut hauriant aut inspiciant? nónne alios oculos, alias aures, aliud palatũ sibi forent architectati quàm quę sibi natura indulserat? Certè quod potuerunt, alia sibi spectacula, alios cõcentus, alias dapes instruxerũt, quàm quæ sibi cæteri parare potuissent. Quin & certos ministros sibi asciuerũt, quos & aures & oculos suos appellabant: ne non qua parte poterãt, naturam ambitione superarent. Quanto fortius dicã an prudentius, Alexander Macedo tunc aduersus umbrã suam dimicauit? quom poeta nauigãti in Hydaspe amne poema obtulisset, quo regem introduxerat perfodientem elephantos, turres deijciẽtem, muros perterebrãtem: Apage (inquit) isthæc mendacia, quæ uere à nobis gesta possunt etiam in mendacij suspicionem uocare. & hæc fatus librum in Hydaspem abiecit. Lysippum idem impensius laudauit, quàm Apellem, quòd hic fulmen, is hastam in eius dextra collocasset. Quod sanè mirum uideri potest: quom propter præstantiam operis ab antiquis dictum sit, ex duobus Alexandris, Philippi scilicet & Apellis, alterum esse inuictum, alterum inimitabilem. Sed & parem in Antigono constantiam accepimus. nam quom eum quidam adulatorum, quorum non minor copia est in aula principum quàm muscarum in culina, deum appellasset: Hoc, inquit, meus negat λαϲανοφόρος. ita eum qui foricis seu excrementis purgandis præsidebat nuncupant. Ad horũ exemplum omnes quidem principes, immo & mortales par est cum umbra sua, id est cum adulatione & φιλαυτία certamen inire. Nihil em̃ periculosius quàm in hoc discrimen uenire, ut quis ipse sibi fucum & imposturam faciat. Cæteri enim adulatores aliquando possunt abscedere: at tu ipse abs te ipso nunquam secesseris. Quòd si hostis domesticus uehementer est extimescendus, quanto uehementius, qui intra pectus atq; adeo intra ipsos animi recessus semper uersatur. Decet itaq; tum omnes homines, tum maximè adolescentes, qui adhuc in hoc uitæ lubrico uersantur, nec adhuc certa uitæ instituta sibi proposuerũt, aliquando in se descendere: suamq́; supellectilem excutere, & quasi in Critolai trutina sua bona iuxtà & mala expendere: & toto animo in hãc cogitationem incumbere, nequid fraudis aut imposturæ sua sibi umbra moliatur. Hoc uero cõmode fiet, si iuxtà Aesopi fabulam, mantica quæ à tergo pendet, in pectus cõmode reuocetur: & ut ab oraculo responsum accepimus, in perspicuo habitemus. Non in his sanè locis, quæ Mathematici ἄσκια, id est sine umbra dixerũt: quòd certis anni temporibus sol ad lineam supra caput permeãs, nullum umbris locum relinquat: nec in Arcadiæ Lyceo, in quem locum ingressos nullum iacere umbram fama constat, uel quòd concretus aer nullam lucem admittat, uel quòd qui eò penetrarint male mulctati pereãt: à mortuis autẽ nullam umbram iaci scitum est Pythagoræorum. Sed in ea nobis luce uiuendum est, quæ beneficio Mineruæ, hoc est sapientię, nobis affulgeat. Huic enim si Pausaniæ credimus, lychnus ἄσβεϛος lucet, cui toto anno semel tantum oleũ instillari oportet. Hoc ut bene nata ingenia cõmode facere possint, nos opportunum duximus ijs uiam aperire, qua se ad sua uota progredi & ad optatam aliquando frugem peruenturos intelligant. Primum enim ac potissimũ proficiendi testimonium est, ita uirtutis amore succendi, ut hac nihil præstantius existimemus, ἅπας γὰρ ὁ ὑπὲρ γῆς καὶ ὑπὸ γῆν χρυσὸς οὐκ ἀντάξιος ἀρετῆς, κατὰ πλάτωνα. Quãdoquidem in hac una, absoluta felicitas posita est. Nã & Academici in primo censu bonorum hanc collocarunt: In hac Epicurus summam uoluptatẽ cõstituit, ut Torquatus in Academicis testatur apud Ciceronẽ: Stoici hac una sapientẽ contentum esse uoluerunt. Erillus in ea summum bonum reposuit. Exclamat Solon in opulentos: at nos uirtute nõ cõmutabimus uobiscum diuitias: hæc enim certa & stabilis possessio est, quæ neq; fortunæ neq; temporum inclementiæ obnoxia sit. Vestræ autem diuitiæ incertę sunt ac desultorię, atq; ad indignos plerumq; declinantes. Ob id non inepte quidam uocauit ὄλβον ἀλλοπρόϲαλλον, quo titulo Homerus uictoriam honestarat, quasi ab alio ad alium facile cõmeantem. hac fretus Diogenes, quom modo Corinthi, modo Athenis ageret, se parem regi Persarum prædicabat, qui uer Susis, Babylone hyemem, æstatem apud Medos agere consueuisset. De quo rege illud quoq; ab Agesilao dictum legimus. Quom enim ille magnus diceretur, Atqui, inquit, non me maior, nisi me quoq; iustior. Aristoteles ad Antipatrum scripsit, Alexandrum non

modo magnos ſpiritus induere debere, quòd multis dominaretur gentibus, ſed & quòd de Dis ſcite ac prudẽter ſentiret. Huic fidens Zenon quom pauci, ſed lecti ad eum auditores conuenirent, plurimi uero ad Theophraſtum, dixit: ὁ ἐκεῖνος μὲν χορὸς μείζων, ὁμὸς δὲ συμφωνότερος. Illius quidẽ chorus maior, meus uero cõcinnior. Hinc uere atq; elegãter Orpheus prodidit, μητέρα ἡρώων ἀρετὴν, uirtutem matrẽ Heroum. Hoc eſt ſcilicet aurũ illud quod Plato ſitũ in animis adoleſcentũ monebat excoli diligenter, ne præpoſterũ illud in eos diceretur, plumbeum enſem in uagina aurea eſſe collocatum: quom egregia corporis ſpecies fœditate animi deformatur. Si hic itaq; amor uirtutis ſemel animum inſederit, ſanè ſpes erit ab hoc principio ea nobis præſidia affutura, quæ umbræ impreſsiones atq; audaciam facile poſsint coercere. Sed quoniam, ut uere obtinuit prouerbium, χαλεπὰ τὰ καλά, & ad uirtutẽ arduum atq; aſperum iter à Dis propoſitum eſt, ut Heſiodus ſcripſit: ſiquidem autore Simonide τὰγαθὰ θεοὶ πόνοις πωλοῦνται: non minus tamen iccirco adnitendum eſt, atq; ea in re incumbendum, ut uirtutem qua nihil Di immortales præſtantius homini dedere, etiam ſummo labore propoſito cõſequamur. Cogitandum eſt enim tanti & felicitatem & immortalitatem parari. Nam ut Muſonius aiebat: ſi quid per uoluptatem feceris, abit uoluptas, ſupereſt labor: rurſus ſi quid per laborem feceris, labor abit, ſuperſtes eſt uoluptas. Quando & Ariſtoteles ſapienter monuit, uirtutis radices amaras eſſe, fructus uero prædulces. & Homerus Moly ſuo migram radicẽ, aureum autẽ florem, attribuit. Sic Virgilius ramum illum aureũ, ſine quo nemo poteſt inferos ſuperare, & ad Elyſios penetrare, profunda ſylua & ſumma in ilice prodidit deliteſcere. Atq; huic ſanè loco belle conuenit quod apud Platonem ſcriptũ in Phædone accepimus: Socratem quom è compedibus aliquando crura exemiſſet, & ea ex re incredibilem ſuauitatẽ perciperet, addidiſſe: quòd ſi Aeſopo aliquãdo in mentem ueniſſet, quàm labori ac dolori proxima foret uoluptas, potuiſſet hanc cõmodius fabellam cõminiſci. Deos aliquando multum elaboraſſe, ut laborem uoluptatemq; acerrimos alioqui inter ſe hoſtes unà coniungerent. Sed eam fuiſſe animorum peruicaciam, ut id aſſe qui nulla potuerint induſtria. eos itaq; excogitaſſe, quoniam unà eſſe illos rerum natura nõ patiebatur, ut ſummota quinq; pedum præſcriptione, mutuis ſaltem finibus & nexis quaſi faſtigijs ita conuenirent, ut unius finis alterius gradus efficeretur. Nihil itaq; mirum ſi abſente uoluptate protinus ſubit labor, & uiciſsim labore abeunte ſuccedit uoluptas. Hoc eſt ſcilicet quod Cleãthes nunquã labore deterritus eſt à philoſophia, quin noctu hauriendo puteos (unde illi Phreantlis cognomen acceſsit) uitam ſuſtineret, dies autem philoſophis impenderet. Et Euclides inducta ueſte mulie bri ibat ac redibat à Megaris Athenas, ut Socratis conſuetudine perfrueretur: quando aliter cum eo eſſe nõ licebat. Erat enim capitale Megarenſi ſi Athenis fuiſſet deprehenſus, ob publicas inter utrũq; populum ſimultates. Sic magni illi uiri ſe ad umbræ certamen cõgreſſumq; fortiter præmuniebant. Illud quoq; progreſſum ad uirtutem atq; adeo in umbram uictoriam pollicetur, ſi nihil omnino in uita negligatur: ſed omni ex re præſidium ad mores & ad bene cõſtituendam uitam quæratur. recte enim apud Heſiodum ſcriptum eſt.

εἰ γάρ κεν τὸ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθείῃς,
καὶ θαμὰ τοῦτ' ἔρδοις, τάχα κεν μέγα κεν ἐθέλοιτο.

Si paruum paruo addideris, ſi deniq; faxis
Sæpius hoc, magnus forſan ſuccreſcat aceruus.

Aiunt Diogenem quom primum dogmati Cynico nomen dediſſet, ſuo in dolio acquieſcentẽ audiſſe Athenienſes per urbem excurſantes, utpote qui Mineruæ operabantur, per conuiuia ac ſpectacula aliasq; publicas laſciuias dies noctesq; celebrare. Tum profeſsionis ſuæ pertæſus, Quæ, malum, ſtultitia eſt, inquit, me durum hoc & tetrum adeo uiuendi genus elegiſſe: neq; potius ex publica aliorum cõſuetudine & uoluptati & genio uacare? Atq; interim dum hæc loqueretur, animusq; ut illi ſeueritati renuntiaret hortaretur, ferũt murem prodijſſe: Diogenis ſcilicet paraſitum, qui panis micas quæ Diogeni ſorte exciderãt, abliguriret. Hoc uiſo Diogenem mutaſſe conſiliũ atq; exclamaſſe: heus generoſe, an nõ uides quàm paucis natura nos iubeat eſſe con

esse contentos? an non te satius per sobrietatem uirtutem colere, quàm per ebrietatem & impudentiam insanire? Eundem prodiderũt quom uidisset quendam aquam manibus haurientẽ, ex pera poculũ abiecisse. Sed & Brasidas homo minimè meticulosus, quom murem intra caricas compressisset, & ille manum dente perstrinxisset, Hercules, inquit, quàm nihil est tam exiguum aut minutum, quod non se suamq; salutem nauiter tueatur. naturæ enim rerum cognitio, & nos reddit cautiores: & ne umbra falsa pro ueris subijciat, solet edocere. Certè huic hominum generi qui de profectu suo bene sperant, nihil deperit ex actibus humanis, nihil ex operibus naturæ. omnia enim ad utilitatem suam trahunt: non secus ac ij qui se diuites fore animo præsumpserunt: ij siquidem ex re omni quæstũ faciunt. Nam & præsegmina & excrementa, & strigmenta ipsa parietum cõputant lucro. Quin & malum numum, ut Ausonius inquit, malunt condere, quàm abijcere. Quod nemini mirũ uideri par est, qui apud Plinium legerit, pluribus ueris denarijs adulterinũ emi, ut uerus agnoscatur. Nusquam uero maius profectus argumentum haberi potest, quàm ex antiquorum libris & monumentis: quando & Demetrius Phalereus principes ac reges admonebat, ut essent in lectione ueterum frequentes. Non enim aliunde ueritatẽ certius esse audituros. Siquidem libri neq; erubescunt, neq; gratiam aucupãtur. At eorum pleriq; qui principibus obsequuntur, uel pudore uel metu conticescunt: uel spe propriæ utilitatis corrupti dum fauorẽ emereri studẽt, mendaciũ obijciunt & supparasitantẽ. Adde illud Isocratis, ἐὰν ἦς φιλομαθὴς, ἔσῃ καὶ πολυμαθὴς. Cæterũ libri non temere, sed magna cum cautione legendi sunt. Sunt enim capiti polypi persimiles, in quibus τὸ μὲν κακὸν, τὸ δὲ ἐδώδιμόν ἐστι. non quòd fœda & probrosa non sint legenda. turpe enim est turpia ignorare. sed quòd bona seligenda sint, mala autem ita concoquenda, ut ad frugem animi transeant: sicut malos persæpe cibos natura ita edomat, ut in alimentum & sanguinem abeant. Sic lupini alioqui tanta præditi amaritie, ut ab omnibus uermiculis & teredinibus tuti sint, aqua tamen macerati mitescunt. Non secus nobis, ut beatus inquit Basilius, apeculæ imitandæ sunt: quæ ex tam uarijs & palato ingratis floribus pretiosum tamẽ ac suauissimum mel conficiunt. Falluntur enim qui libros tantum legendos putant, ut ratio dicendi agnoscatur: quando maior ex ijs utilitas excerpi potest, si ad mores ac uitæ documenta reuocentur. Sic male audiebant apud maiores nostros qui Platonem & Xenophontem sola eloquentiæ gratia allecti lectitabant: dicebanturq; non aliter aberrare: quàm si quis apud seplasiarium multa & salutaria unguenta deprehendisset: ea tamen sola sibi seponeret, quibus nares oblectaret: quæ autem ad salutẽ forẽt accõmodata, prætermitteret. Atqui non solum ex seria lectione, serijsq; actionibus proficiendi occasio nobis offerri potest: uerum etiam ex ludicris & uoluptati cõparatis. Aiũt Aeschylus quom isthmia forte spectaret, & pugil aduersarium percussisset, totum protinus theatrum acclamasse, quom tamen percussus taceret. Tum Aeschylus Ionẽ propinquum cubito propellens, en ait quanta uis est consuetudinis? percussus tacet, spectatores inclamãt. Hæc assuetudo facit ut tanta ueritati lux inuehatur, ut omnes umbræ protinus præcipites decedant. Nullum autẽ certius profectus specimen dare quis potest, quàm affectus coercere, seq; immunem continere ab omni uoluptatum contagio. Nam qui uoluptatem præfiniuit τὸ κακῶν ἀπέλειαν, id est malorum escã: is uidetur planè uoluptatis naturam intellexisse. Ob id nõ inepte dicebat Antisthenes Socraticus, μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην. intellexit enim de ea uoluptate, quã Hierocles Stoicus ijs uerbis expressit: ἡδονῆς τέλος, πόρνης δόγμα. ἀπέστω πορνεία, οὐδὲ ἡ πόρνης δόγμα. uoluptatis finem esse meretricis institutum. absit concubitus, nullum erit præterea meretricis institutũ. Recte ergo dictum est de eo qui in Delphicis ludis uictoriã sibi proposuerat: sudauit & alsit, Abstinuit Venere & Bacchо, quipythia cãtat. Neq; ad ludos olympicos admittebatur quisquã, nisi prius interrogatus, an omnia foret præmeditatus, an se ex gymnasticæ artis ratione instruxisset: quòd si negasset, adire stadium prohibebatur. Et hoc quidem quanto durius est, eo etiam præclarius. sed enim neq; futurũ est durum ac difficile, si modo in eam rem animus admittatur, ἕλοῦ βίον τὸν ἄριστον, ἡδὺ δὲ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει: elige, inquit Pythagoras, optimũ uitæ

genus:hoc facile faciet assuetudo. Scitum est illud Polycleti, eorũ opus esse difficilimum, in quorum unguibus lutum succreuerit. Superuacanea itaq; prorsus execanda sunt ac recidenda:id quod faciundum ephori apud Lacedæmonios ostenderunt, quom Phrynnis citharœdus ad septem chordas, quæ prius in lyra plectebantur, duas adiecisset. Iusserũt enim duas excindere, utras mallet, superiores scilicet an inferiores. Hinc enim hypate & parhypate, hinc nete & paranete. illarũ grauissimus est sonus, harum uero acutissimus. Hoc ab ephoris factum est, tum quòd existimauerunt septem uocibus harmoniam cõtineri, & quicquid ad has adderetur, illud omne pla nè esse superuacuũ: tum quòd antiquis foret persuasum, quod & Plato testatur, nun quam rationem musicæ sine periculo & mutatione reipublicæ esse immutatam. Id quod ætatis nostræ testimonio facile indicari potest, quom nunquam aliàs magis libido atq; impudentia animos hominũ peruaserit. Quod ego profecto tum aliis causis, tum illi imprimis imputare soleo, quòd omnis musicæ ratio corrupta est adeo, ut nunquam corruptior fuisse intelligatur. Quom enim species triplex sit, enharmonica, quę cælo & astris attribui solet: diatonica, quæ sacris & grauioribus functionibus olim adhibebatur: duabus his desitis ac longe ablegatis, ea sola uiget atq; amatur, quę chromatica nuncupatur, ad perdendos animos hominum inuenta, celeritate & crebris motibus mentem è sua sede propellens: quam Pythagorici perpetuo edicto interdictam uoluere. Sed & nõ alia de causa Timotheum Milesium magna fuisse in inuidia apud Spartiatas obseruauimus: nisi quòd multiplicem musicam reddẽs & ad genus chromaticum diuertens, puerorũ animos quos erudiendos susceperat, à modestia ad libidinem traduxisset. Admirabilem autẽ esse uim musicę non negabit, qui meminerit Pythagoram animũ incitati iuuenis, & iam furore instincti ad effringendas pudicæ mulieris fores, phrygijs modulis in spondeum cõmutatis pacasse, & mo dorum tarditate ad meliorẽ mentem reuocasse. Contrà Magnum Alexandrũ orthio nomo persæpe ita concitatum accepimus, ut à mensa prosiliret ad arma capienda. Tanti uero regis habita mẽtio opportune memoriã refricat, quòd quom multis magnisq; de causis eius nomen apud posteros cõmendationem celebritatemq; promeruerit: tum illud magnos præcones inuenerit, quòd uxorẽ & filias Darij tam pudice habuerit, ut apud parentes nõ potuerint sanctius asseruari. Quid quòd Campaspen unam ex pellicis suis, quom ob formæ præstantiã nudam iussisset ab Apelle depingi, eumq; pariter captum amore illius sensisset, eam dono dedit artifici: magnus animo, maior imperio suo, nec minor hoc facto quàm multarum uictoria gentiũ. Quippe se uicit: nec delicias tantum suas, sed & affectus Apelli donauit, ne ipsius quidem amatæ respectu motus, quòd quæ modo regis fuerat, nũc esset in pictoris futura potestate. Sunt qui Venerem anadyomenen ad illud pictam exemplar putent. Iure ergo hanc uirtutem, & à Romanis frugalitatem à frugum utilitate, & à Græcis σωφροσύνην quasi σωζοῦσαν τὴν φρόνησιν, id est prudentiæ custodem, nominatam approbamus. Siquidem & Plato hanc animæ sanitatẽ dixit: iunctamq; prudentiæ harmoniã animæ constituere existimauit, certè ita mentem oculosq; confirmat, ut locus umbræ nullus relinquatur. At ille non mediocriter profecit, qui ita uirtutẽ sibi amandam proposuit: ut nullum præterea præmium requirat, sed in conscientia bene institutæ uitæ cõquiescat. Nam & si nemo ex mortalibus sibi ipsi in uita satis esse possit: omnes præsidio indigemus alieno. Solus qppe deus is est, qui sibi ipse large suppeditat omnes æternæ atq; absolutæ felicitatis numeros. Ex quo & apud Græcos παντοκράτωρ uocatus. Hoc scilicet indicauit Agoracritus, seu magis ille Phidias fuit, qui olympici Iouis pollici inscripsit αὐτάρκης, quòd unus ipse deus sibi abunde sufficiat. is tamẽ deo proximus est, qui suas necessitates breuibus angustisq; terminis circunscripsit. Accedit ad hoc quòd neminem magis gloria comitari solet, quàm qui dedentes se uirtuti hanc parcissime appetunt. & profecto nullum iustius uirtuti præmium debetur, si Aristoteli credimus, quàm honor & peruagata cõsentiensq; de te hominum opinio. Pecunia enim sellularijs opificibus, nõ ingenuis animis debetur. honor siquidem liberales artes alit & promouet. Nec enim frustra Musis εὐφημίαν, altricem dedit antiquitas. Hæc est quæ generosos animos ad præclaras actiones accẽdit: quę multis

multis magnisq; laboribus cõpensatur. Hinc illa poetæ inclamatio ad Argonautas:

Tu sola animos mentemq; peruris
Gloria, te uiridem uidet immunemq; senectæ
Phasidis in ripa stantem, iuuenesq; uocantem.

Alexander Macedo, cuius mihi sæpe nomen propter excellentiam rerum gestarum libenter occurrit, quom nuntiũ multa cũ alacritate ad se accurrentẽ prospexisset: An tu, inquit, accedis mihi nuntiaturus Homerum reuixisse? Nihil existimabat scilicet summus imperator magnitudini rerũ gestarũ deesse, præter tãti poetæ præconium.

Mirum est autem quantũ gratiæ ac dignitatis afferat simplex & ingenua uiuendi ratio, & hic ambitionis neglectus, ut nihil non habeat τῶν χρείττω καὶ τὸ πρέπον. Papę inquit Euripides, generosis quàm pulchra sunt omnia. Apud Xenophontem legimus, Pantheã captiuam desiderio uiri incultã licet ac miserabiliter collachrymantẽ, in sui admirationẽ uehementer Araspem cõcitasse, ut Panthea nihil formosius, nihil absolutius prædicaret. Profecto qui hoc uiuendi genus sectatur, nõ est periculum ut umbræ occursu aut capiatur aut deterreatur. Cæterum qui hoc fuerit assecutus, ut sola uirtute nitatur, rectasq; actiones tantum habeat in cõsilio: is quoq; hoc leui opera consequetur, ut nihil erubescat uel in grauissimorum hominũ cœtu, utpote qui se nullo scelere prægrauari sentiet. Nam & si uerecũdia sit uirtutis custos, & ueteres rubore uirtutis colorẽ dixerint: et apud poetã ueterẽ scriptũ legatur, Modo erubescat, erubescat quantũ lubet: hæc tamen ad adolescentẽ, non etiam ad omnẽ ætatẽ sunt referenda. Quàm turpe enim sit, siquis senem rubore perfusum aspexerit? siquidem hoc malæ conscientiæ testimonium habet: & qui ea ætate pudore cõmouetur, omnino sibi parum fidere & de se male sentire existimandus est. Hoc est quod Homerus inquit, τὸ δ' ἀγαθὸν χὼς ὲ πρέπεται. Illud aũt prouidendum est, nequã uerecundiam appellamus, & cuius nomen cum plausu persæpe excipimus, in δυσωπίαν, id est immodicum inutilemq; pudorem transeat, ex quo grauissima uitia seminariũ habuisse cognoscimus. Proditum est literis Alcibiadem ad res obeundas effrontẽ atq; impudentem fuisse: nam quo minus eius lasciuia delitesceret, in clypeo Cupidinẽ præ se ferebat, fulmen perfringentẽ. Quin & in senatum cothurnices emisisse è sinu traditur: quas deinde tamdiu cum sua factione persequebatur, donec iterum comprehensas dissiet. Idem publice aut ad populum concionẽ habiturus, hæsitabat, & fugientia uerba persequebatur. Hinc illos Alcibiadis lambdacismos & iotacismos antiquitas annotauit. sanè danda est à nobis opera, ut huic simus dissimilimi. Neminem enim magis ad omnẽ seruitutẽ sua umbra depressit. Proderit hoc non ad id modo ut quisq; rectam rationem & conscientiã tueatur: sed & ut in hac luce uiuamus, opemq; & operam nostrã ciuibus nostris polliceamur: incipiatq; ciuitas de nobis bene sperare, quom nos tam celebri uia ingredi animaduerterit. Actuosa quippe est uirtus, ut inquit Cicero, ad utilitatẽ humani generis, non ad tenebras aut ad solitudinẽ compara ta. Exemplo sit nobis clarissimorum uirorũ gloria, nõ ex desidia, sed ex industria & laboribus conquisita. Ad horum imaginẽ nos effingere & conformare pro uirili nostra debemus: sic Cicero Scęuolã, sic Pompeius Syllam, sic Iulius & Sulpitius Crassum in republica assectabantur: ut eorum ratione & actione iuxta & meliores & doctiores redderentur. Exclamabat Themistocles, τὸ μιλτιάδου τρόπαιον οὐκ ἐᾶ με καθεύδειν. & sanè quisquis sibi proponit metã, ad quam feliciter ac beate considat: necesse est ut omnẽ aciem ingenij, omnes neruos animi cõtendat ad eligẽdam sibi semitam, quæ ad propositam & iam animo conceptam felicitatẽ perducat. Vix hoc sine duce quisquã assequi poterit. Nam ut Plautus inquit: uiam qui nescit qua deueniat ad mare, eum oportet amnem quærere comitẽ sibi. Sic pullus equinus, ut ait Simonides, matrem licet impari gressu subsequitur, nec ab eius uestigijs unquam secedit. Adolescentes qui in dicendo profectum quærũt, nihil habent prius quàm sibi aut Demosthenis aut Ciceronis aut optimi cuiusq; dicendi genus ad imitationem proponere: ex quo phrasin mutuentur, & stylum dicendi magistrum assequantur. Hæc uiuendi ratio non modo huc promouet, ut splendidum nobis iter affulgeat ad præclaras atq; illustres perfunctiones: & si quid lapsi fuerimus in uia, excusatiores habeamur. Ho-

nestus est enim error magnos duces sequentibus. eorum quippe uirtus & gloria ea est, ut suo lumine labeculas, si quæ forte intercurrant, præstringat. Græci ἐχιοσθήκτους eos uocauerunt, quorum uitia uirtutibus compensamus: trãslatione scilicet accepta ab ijs, qui uiperę morsu fuerint sauciati: quos nunquam deinceps à reliquis uenenatis attingi cõstans est opinio. Aiunt eos qui sibi ab occursaculis nocturnis & id genus terriculamentis metuunt, Idęorum dactylorũ, quos corybantes uocant, nomina ediscere: atq; ijs ceu præsentaneo amuleto se præmunire. Cæterũ nullus stimulus acrius currentem urget, quàm si æmulus riualisq; nobis obijciatur: qui cum nobile illud ad famam, ad gloriã, ad æternitatẽ certamẽ suscipiatur. Friget enim nescio quomodo omnis generosa actio, quæ citra contentionẽ proposita est. Mulieres quæ magnos amoris stimulos subdere amatori cupiũt, nullũ ad hoc præsentius instrumentũ habent, q̃ æmulationẽ suspicionẽq; animo animantis inijcere. Hinc illud apud Comicũ: Vbi nominauerit Phędriã, tu Pamphilã continuo. si quãdo illa dicet, Phædriã intromittamus comessatũ, tu Pamphilã cantatũ prouocemus, dic. si laudabit hęc illius formã, tu huius contrà. Deniq; par pari referto, quod eam mordeat. hoc est quod Aristophanes magnã nos plerũq; ex inimicitijs capere utilitatẽ dixit: primosq; hostes docuisse, quõ ciuitates in unũ cõueniant mœnibusq; cinganẽ, prędia cõparentur, multaq; ad nostrã securitatem præmoliamur. Hinc Plutarchus cõmentationem suã instruxit, quõ ab inimicis magnę ad nos utilitates proficiscanẽ. Sanè equi qui ad metã excursant, non tanto impetu ferrenẽ, ni certamen contentionẽq; sibi oblatam intelligerẽt. Celebre est, Claudij Cęsaris secularium Circensibus, excusso in carceribus auriga albatos equos palmam occupasse, oppositа effundentes omnia, quæ contra æmulos debuissent perito auriga insistente facientes: quom puderet hominum artes ab equis uinci: & peracto demum legitimo cursu ad metam stetisse. Quin & ætate mea in equorum decursionibus uisi sunt qui decussis adolescentulis, palmã occupauerint, alijs alios equos frustra urgentibus & calcaribus & flagello. Tanta est scilicet æmulationis uis & uictoriæ cupido. Nec tamẽ quisquam dubitarit, æmulationes & cõtentiones huiusmodi ad inimicitias & offensas frequentes spectare. Nã ut ait ille, Qui uelit ingenio cedere, nullus erit. Scimus Hadrianum imperatorẽ nõ aliãde causa magnos quosdam uiros & architectos primi nominis perdidisse, nisi hac una, quòd in ijs studijs in quibus ipse se primum esse uolebat, non poterat pati quemquam præstare. Laborauit hoc ambitu Nero, & Lucanũ tradunt non tam ab eo necatum, quòd coniurationis fuisset particeps, quàm quòd in poeticæ studijs multum sibi nomẽ uendicasset: ut nõ frustra dictũ putes à summo poeta de Miseno Aeolide,

Aemulus exceptum triton (si credere dignum est)
Inter saxa uirum spumosa immerserat unda.

Quom æmulatio itaq; res sit usq; adeo infensa, & quasi inimicitiarum seminarium, recte dictum putamus à Xenophonte, ad prudentem pertinere ex inimicitijs etiam non nihil utilitatis aucupari. Siquidẽ & ex feris animalibus multa sibi cõmoda reperit uita, & aqua maris licet minime posculenta pisces tamen nobis educat. Quom forte ignem primo inuentum Satyrus uidisset, eum amplecti atq; exosculari nitebatur. Cui falsè Prometheus, at tu hirce, inquit, barbam dolebis. Magna tamen cõmoda ex igne nobis accedere, nemo diffiteatur. sunt qui morbos corporis uertant ad officia studiorum. Zeno quom nauim suis onustam mercibus fecisse naufragiũ accepisset: bene, inquit, bene fortuna mecũ decidis, quæ ad pallium, id est philosophiam, me compellis. Sanè ciuitates illæ optimis legibus institutæ existimãtur, quæ bellis finitimis infestantur. Olim tibicines in liberalibus quom inter se decertarent, oscitanter ac negligenter id fecisse traditum est. Quòd si in alios decertandum foret, mirum est quanta se cura ad id accingerẽt. Quom deleta Carthagine, & Achæis in seruitutem redactis, quidam assueueraret, rem Romanam posthac in tuto fore. Atqui, inquit Scipio Nasica, nunc magno sumus in periculo: qui neq; quos timeamus, neq; quos ueream ur, nobis reliquimus. Non frustra itaq; Antisthenes dixit, ad ueritatẽ audiendam aut probos amicos aut iratos inimicos adhiberi oportere. Quantum commodi persæpe eliceatur ex inimicitijs, unus omnium uidetur intellexisse Onomademus, uir in

uir in administratiõe reipublicæ experiẽtissimus. is Chius fuit. Cuius factio quom aduersarios superasset, cõsuluit suis popularibus, ne omnes diuersæ factionis homines ex urbe depellerent: ne forte illis eiectis, ipsi inter se inciperent dissidere. Cleanthes & Xenocrates nõ alia re magis excitati ad philosophiam memorant̃, quàm quòd hebeti ingenio & calcaribus indigere dicerentur. At illi nequaquam huiusmodi uoculis perterriti, hoc animosius & constantius manebant in proposito. Quin & se per iocum ἄγγεια βραχύστομα καὶ πίνακας χαλκὰς, id est angusti oris uascula & æneas tabulas uocitantes, omnes difficultates & deniq; inuidiã ipsam superarunt. & profecto Diogenes amico percunctãti, quomodo belle inimicum probra iactantẽ ulcisceretur, præclare fertur respondisse. Si te, inquit, ad omnem probitatẽ, omnemq; uirtutis splendorẽ conformaueris. Illud uero tum demum erit planum ac perspicuũ profectus testimoniũ, si quis in uirtutis & gloriæ stadio riualem eodem animo complectatur, quo uirũ summa sibi beneuolentia coniunctissimũ, cuius laudi neq; inuideat neq; æstimationẽ deprimat. Ita enim comparatũ est natura, ut qui suæ confidit, alienam minime laudẽ insectetur. Sed enim inter ea quæ & dignitatẽ & multorum gratiam cõciliant, unum est silentiũ. Cuius disciplina, si peritis credimus, aliquanto difficilior est, quàm orationis & sermonis: ijs præsertim, quibus auditus non per aures, (ut inquit prouerbiũ) sed per linguã perterebratus est. Pythagoras igitur iure auditores monebat, ut Echemythiæ illi suæ imprimis initiarẽtur. Sic Aegyptus colebat Harpocratem: cui perseam arborẽ dicauerat: quòd eius frondes linguæ, fructus autem cordi, esset quàm simillimus. Sic Romani Angeronã, & quidem in templo Volupiæ, colebant: ut intelligas ex silentio uoluptatem sequi plerunq;. Recte enim ille dixit: se quòd dixisset, sæpe pœnituisse, quòd tacuisset nunquã. Neq; Spintarus putauit se cumulatius laudare posse Epaminũdam, quàm quom testatus est: se minime uidisse, qui plura sciret & pauciora loqueretur. Ex hoc indici digito salutaris nomen fecit antiquitas, quòd hoc ori admoto silentium imperarent, rem apprime mortalibus utilem ac salutarem: quod naturæ testimonio probari licet, quę linguam unam & quidem multis septam munimentis, dentibus scilicet ac labijs, ex quo Homerus nõ semel dixit ἕρκος ὀδόντων, dedit mortalibus: quom aures duas dederit, semper patulas & ad excipiendum uoces expositas. Hinc Demonax apud Lucianum interrogatus, quomodo quis bene imperaret: Cohibẽs iram, inquit, & pauca loquẽs, & multa audiẽs. Sicut probi uiri est, inquit Horatius, Nil cõscire sibi, nulla pallescere culpa: Ita bene proficientis est, nihil sibi persuadere, omnem ambitionẽ iuxtà & ambitum ex animo ablegare. Sic belle pater putatur laudasse filium in Andria: Aduersus nemini, nunquam præponẽs se alijs: ita ut facillime sine inuidia laudem inuenias & amicos pares. Modestia enim deniq; una est quæ generosum cõmendat adolescentẽ. Siquidẽ agricolæ spicas reclinatas admirantur: extantes autẽ ac prominẽtes utpote inanes despiciunt. Quisquis ergo dixit eos qui in uirtute progressum fecere, initiatis esse persimiles, uerum mihi uidetur attigisse. Quippe circa fores ac propylęa Cereris multa est frequentia, multa cõcursatio: at simulac aditus patuerũt, admirabile silentium, incredibilis stupor omniũ animos peruadit, iam sacra, iam cistas ac mysteria contemplantium. Audio Menedemũ quiddam non huic admodum absimile dicere consuetum: Multos scilicet Athenas discendi gratia & ad quæstum literarium cõmeasse. hos primo quoq; tẽpore sapientes fuisse, deinde sapientiæ studiosos, mox rhetoras, procedente demum tẽpore rerum omniũ oblitos ac ignaros euasisse. Nam quo quisq; plus bonarũ disciplinarum hausit, hoc de se parcius sentit ac modestius: & iam quãtum nesciat intelligit, qui se prius omnia scire profitebat̃. Quippe ita est, nec prius uasa admittere possunt instillatos liquores, quàm aer intus habitãs emigrauerit. Modeste igitur de se adolescentes sentiant oportet, qui profectus desiderio tenentur, neq; suæ umbræ imagine illudi uolunt: longeq; ab se adulatores abigant: qui non solum capiti puluinos accõmodant, sed ea etiam solent attrectare, quæ sub axillis delitescunt. Cõmendatur ille adolescens, cui quom nescio quis ex ea classe suppa rasitaretur, eiusq; uirtutes ad cęlum attolleret, cõmode in eum Homericum illud retorsit, οὐ θεὸς εἰμὶ ἔγω. τί μ' ἀθανάτοισιν εἴσκεις. Philippus rex multas uictorias nactus,

quom

quom dubitaret ne insolescere inciperet, hoc genere præsertim hominum acceden-
te, iussit ut ex ministris quidã crebro auri insusurraret, φίλιππε ἄνθρωπος εἶ. Nec il-
lud regis Persarum multum absimile: quem mane adiens quidam ex ijs qui cubicu-
lo excubant, his eum uerbis primũ salutabat, ἀνάστα ὦ βασιλεῦ καὶ φρόντιζε, ὧν σε φροντί-
ζειν μεσορομάσδης ἐθέλησε. Sed & Alexãder ille qui magnitudine rerũ gestarũ Magni
titulũ emeruit: quom ei multi palpũ obtruderẽt, & mox in pugna uulnus accepisset,
opportune in eos Homeri carmen reiecit: τοῦτι μὲν αἷμα οὐκ ἰχώρ, οἷος περ τε ῥέει μακά-
ρεσσιν. Sanguis hic haud cruor est, qualis cælestibus exit. Illud autẽ quod à M. Anto
nio factum memoratur, & memoria posteritatis dignum est, & pulcherrime horum
audaciã repressit. Athenienses enim quom M. Antonium suam urbẽ ingredientẽ &
uittato curru excepissent, & Liberi patris titulo salutassent, neq; hoc satis putarent,
illud quoq; addiderunt, se Mineruam suam πολιοῦχον ei uelle solenni cõiugio adiun-
gere. Placet, inquit Antonius, sed tantam deam indotatã ducere turpe foret. Quare
uobis dotis nomine mille talentũ indico. Nõ potuit profecto uir sagacis ingenij com
modius transmarinã illam adulationem ulcisci. Consentaneũ uero illud est, ut qui
persuasioni atq; ambitioni nuntiũ miserit, idẽ de se parce ac modice uerba faciat. Ni-
hil enim turpius, adde & odiosius, quàm de se quenquam intemperãter loqui, etiam
si hoc iustis de causis facias. Certè Cicero nulla alia de re grauius ab aduersarijs re-
prehensus uidetur, quàm quòd in suis laudibus recensendis foret immodicus. Extat
illud Neuij de Neuio scriptum epigramma:

Immortales mortales si foret fas flere,
Flerent diuæ Camenæ Neuium poetam:
Qui postquam est orchio traditus thesauro,
Obliti sunt Romæ lingua latina loqui.

Quod sanè carmen plenũ superbię Campanæ existimatũ est, iustumq; illud testimo
nium esse potuisse, nisi ab ipso scriptum proderetur. Quom Cato grauiter decumbe
ret, rogarentq; amici an se in sublimi loco tumulari mandaret, si quid ei humanitus
accidisset. Minime uero, inquit. Malo enim homines percuntari, curnon in sublimi
Cato, quàm cur tam sublimi loco positus? Certè in olympicis ludis quom pręcones,
quorum munus planè uocale est, inter se decertarent, uictori nõ licebat se uictorem
declarare, sed ea in re alterius opera & præconio utebatur. Et profecto qui protinus
quæcunq; ex philosophia hauserunt, in medium depromunt, & per coronas ac cœ-
tus uenditant: non magis philosophari putandi sunt, quàm qui pigmenta & medici-
nas uendunt, mederi. Qui enim fieri potest: ut cibus in alimentum & sanguinem
abeat? quem simulac hauseris, non excoctum adhuc neq; digestum eijcias. Quippe
ueteres Homericæ auiculæ exemplum improbauere, quæ cibum undequaq; perqui
situm pullis implumibus omnem infarcit, ipsa sibi nihil seponit, impastaq; ac ieiuna
macie conflictatur. Eos qui citra spem suę utilitatis alijs laborarent, antiquitas natos
quarta luna existimabat. Sed hoc illi meliore conditione, quòd quantum eorũ utili-
tati & cõmodis deperibat, tantum gloriæ & æternitati accedebat. Alioqui tritum est
illud, sapientẽ qui sibi non sapiat, nequicquam sapere. Prudenter itaq; auditores su-
os monebat Epictetus, ut generosas iuuencas imitarentur: quæ lætis in pascuis depa
stas haustasq; herbas non reuomebant, sed distento ubere & multo lacte pabuli feli
citatem approbabant. Qui uero hactenus profecerit, suosq; in hunc usq; locũ affe
ctus composuerit, ut nullus umbrę metuatur incursus: is quoq; non grauatò se argui
patietur, etiã si quid minime peccauerit. Descendet enim in se ipsum ac se diligenter
excutiet, illud Platonis secum immurmurans: an ego hoc feci, an ego hoc prætermi-
si? Siquidem turpe est quemquã acrius se ac sua intueri, quàm eum ipsum cuius de re
agatur. Quòd si se quippiam per luxum aut errorẽ fecisse compererit, corriget & o-
peram dabit, nequando aliàs ad eundem lapidem offendat. Quòd si se iniuria carpi
intellexerit, secũ ipse in sinu gaudebit, sibiq; gratulabitur, regiũ asserẽs esse, male au
dire, qui benefecerit. Quod scite Græci dicunt, εὖ ποιοῦντα κακῶς ἀκούειν. Quom Athe
nis quempiam ocij damnatũ Lacon accepisset: erat enim ociosis mulcta proposita:
rogauit ecquis tam optabilem mulctam subijsset, nihil erit tamen quod admonitori
succenseat

ſuccenſeat: ſed modeſte reſpondens, ſe hic non peccaſſe affirmabit. cæterum illi gratias profitebitur, cuius opera futurus erat melior, ſi quid hac parte deliquiſſet. nã qui ſe excuſant, & cum admonitore rixantur, incidunt in Diogenis reprehenſionẽ: qui quom adoleſcentem cõſpexiſſet, ſeſe in cauponã intrudentẽ, quòd eius cõſpectum ueritus exire erubeſceret: heus, inquit, bone adoleſcens, quo te magis ac magis no bis ſubducis, hoc te profundius in cauponã immergis. non ſecus profecto ac qui in tenaciſsimũ cœnum inciderunt. Quo enim ſe impenſius uolutant, hoc grauius inhęreſcunt. Ad hoc pertinet quod de ambitioſis dici ſolet, qui inopia circumuenti ſe tamen diuites uideri uolunt: & quo largius hoc faciũt, hoc ſe maioribus impendijs attenuant, ut ſummæ demum paupertati ſuccumbant. Recte itaq; Heſiodus alios per ſe, alios aliorum monitu, ſcripſit ſapere: eos uero poſtrema conditione cenſendos eſſe, qui neq; ipſi per ſe, nec aliorum monitu ſapere didicerũt. Nam & quibus dens aut reduuia aut id genus leuis morbus infeſtus eſt, ij ſolent medicum cõuenire, ac remedium poſtulare. Quos autem febris uexat aut alia maior quædam intemperies male habet, ij accerſitos medicos hilares excipiunt. At qui phreniti agitantur, adeo omne remedium exhorreſcunt, ut aduenientes etiã medicos conſpuãt ac depellant. Quod plerique adoleſcentes faciunt, tantiſper aures ueritati obſtruentes, dum ætate aut certè rerum euentu edocti uix tandem reſipiſcant, quom iam pœnitentia parum prodeſſe poteſt. Ob id Antiphon elegantẽ admodum apologum nobis cõfinxit: prodẽs eſſe urbem ſub ipſo mundi cardine, in qua emiſſæ hyeme uoces protinus magnitudine frigoris in glaciem obrigeſcãt: nec prius audiantur, quàm ſuperueniente æſtate reſolutæ ad aures perueniãt: haud multo aliter adoleſcẽtulis accidere. Eos enim per ineptiam & incuriam primæ ætatis bene admonentium uerba non audire, donec melioris grauioriſq; ætatis maturitas ſuperuenerit. Sed homini qui recte uitam inſtituat, nihil eſt turpius quàm non omnia animo prẽmetiri ac proſpicere: quom uita noſtra tot fortunæ, tot naturæ telis propoſita ſit. Multi enim improbati ſunt: quòd in harenam congreſsi turpiter terga uerterint: nihil præterea in excuſationẽ ſuæ pœnitentiæ afferentes, niſi hoc unum, οὐκ ᾤμην, id eſt Nõ putaram. Non intelligebam ſcilicet quantũ laboris mihi obijcereť, quot moleſtiæ, quot probra mihi forent perferenda, quantum uigilandum, quantum abſtinendum. Atqui ad hæc omnia multo ante animus offirmãdus eſt ac præmuniendus. Ea enim quæ improuiſa ſuperuenerint, ſi Cyrenaicis credimus, maximè ſolent animum conſternare. Hinc magorum eſt præceptum, ne quis quom quid recte inſtituerit, reſpiciat. Certè poetæ non alia cauſa Orpheo ablatã Eurydicen ſcripſere, quom ſeſe auertiſſet. & Plato ſapienter monuit, uitia fugienda eſſe ἀμεταστρεπτί. Hinc Pythagoræ illud ſymbolum, per eandem uiam ne reuertitor. & illud, ne crus ſiniſtrũ dextro inijcito. Sedenim quædam male à quibuſdam & infeliciter tentata magnos uiros nequaquam deterruerunt, quin fortius & conſtantius cœpto operi incumberent. Meander uictus à Philemone in certamine peruerſa iudicum ſententia: An non erubeſcis, inquit, Philemon quotiens uincis? Ariſtippus uictus à ſophiſta quodam in ſyllogiſtica cõcertatione: Atqui ego, inquit, uictus uictore multo pacatius conquieſcam. quom forte Homerus perperã carmen quoddam pronunciaſſet, non ob id deterritus eſt, quin cętera intrepido ac ſecuro animo proſequeretur: tanta ſcilicet erat uatũ principi de ſe fiducia. Id carmen Didymus numeroſæ autor hiſtoriæ illud eſſe uoluit, à quo auſpicatus eſt Iliada. μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος. In quo, ſi Dis placet, errores treis ſe annotaſſe profeſſus eſt. Nam & heptemimerim cõtra naturã produci, & in ſexto pede præter rationem ſynalœphen obſeruari, & alteram in Achille ſyllabã litera una fraudatũ iri, ut dactylo locus relinqueretur, improbauit. Hippocratẽ aiunt ſententiam de futuris capitis reuocaſſe, quòd ſe lapſum in ea cõmentatione deprehendiſſet. Homini enim ingenuo ac ſibi bene confidenti nuſquam eſt maior gloriæ ambitus, quàm ubi maximũ ueritatis patrociniũ ſuſcipiatur. Traditum eſt memoriæ, Soſigenẽ ſemel atq; iterum ea quæ de aſtris ſcripſerat, ad coticulã atq; in diſquiſitionem reuocaſſe. Nec ideo magis animũ deſpondit Parrhaſius ille cognomẽto ἀθεροβάπτου, inſignis pictor, quom inuidia iudicum uictus in Aiace faciundo grauiter ſententiam tuliſſet. Nec ob id deterritus

territus à professione destitit, contentus hac una uoce stomachũ suum significasse: Indignari scilicet se professus ac miserari fortunã Aiacis, qui bis in certamine immerenter succubuisset. Scimus Agoracritum inter raros statuarios excelluisse: ei tamen Alcamenem fuisse præpositum, Atheniensibus suo magis ciui quàm externo homini studentibus. Eam iniuriam nõ grauius tulisse ferunt Agoracritum quàm ut signũ id Nemesim appellaret, idq́ Athenis esse prohiberet. Semel itaq́ consiliorum summa ineunda est, certumq́ ad portum dirigenda sunt uela: mox contempto omni uentorum flatu ac reflatu, rectus clauus tenendus est, quatenus uires nostræ patiuntur: donec ad locum, quem animo concepimus, perueniamus: in quo neq́ oculi caligẽt, neq́ umbræ telis pars ulla corporis obijciatur. Illud uero par est animo præcipi, rem arduam esse uirtutẽ: nec facile quenquam in Euthymiæ sacrariũ posse penetrare, ni semper hoc agat, & huc omnes animi neruos intẽdat, uitia scilicet & uitiorum magistros affectus expugnet. Vita enim hæc propemodum palæstra est, in qua pancratium exerceatur, nunc aduersus naturæ inclementiã, nunc contra fortunæ impetus: ut semper nobis excubandum sit ad omnes ictus repellendos retundendosq́, ut non inepte oraculum illud, quod Cirrhæis datum accepimus, ad nos referri possit: die scilicet noctuq́ nobis esse depugnãdũ. Sicut enim uires remittentibus nautis ac remos inhibentibus remigium cessim abit & aquarum uentorũq́ impetu rapitur: ita protinus quom è præsidio cedimus aut è custodia abimus, periculum est ne transuersi rapiamur, spesq́ omnes nostræ in sinistrum abeãt. Nam & planetæ quom σηρίζειν, id est stationem facere dicuntur, retrogradi recurrentesq́ solent appellari. Iure itaq́ uirtutem Aristoteles habitum definiuit. est aũt habitus qui longa exercitatione comparatus est, & propè in naturã coaluit. Non em̃ qui semel aut iterũ actu uirtutis perfunctus sit, is etiam uirtutẽ assecutus existimari debet: neq́ se liberalem quisquam arbitretur, quòd aliquando beneficentia usus sit: neq́ iustum, quòd nonnunquam pro dignitate claros uiros promeritus sit: neq́ continentẽ, qui interdũ suos affectus suffrenauerit: ceu qui se ancillę uenditabat, quòd nescio qua leuicula re prouocatus, irã tamen & turbas compescuisset. En, inquit, ut iracundiam uici, ut clemens euasi. Nec ideo Timon μισάνθρωπος appellari desijt, quòd unum ex Atheniẽsibus Alcibiadem amare putaretur, quem pessimo publico genitum augurabatur. Nec utilitatis publicæ studiosus creditus est, quòd ficum arborẽ execturus in concionem prodierit: monueritq́ ut quoniã se multi ex ea pensiles fecissent, si quis eodem uoto teneretur, properaret induere laqueum. Nam se breui illam esse excisurũ. Quisquis ergo uirtutem affectarit, se componat oportebit, ut nunquam à præclaræ cogitationis statione decedat: & serio iocoúe quid agat, idem semper bene ac generose agendi propositum teneat. Quom Diogenes Corinthi ageret bello imminente, alijq́ alia molirentur, & turpe foret quenquam in tanto ciuitatis periculo cessare: & ipse Diogenes, ne solus segnitię argueretur, huc atq́ illuc suum illud dolium uersaret: interrogatus quid operam perderet, satagẽtibus omnibus: Nolo, inquit, ego unus cessator uideri: ne igitur nihil agam, hoc ago. Transit hæc demum bene agendi consuetudo in naturam, ut aliud etiam agentes, atq́ adeo cogitantes, hoc tamen agamus atq́ cogitemus. Sic manus longa edocta assuetudine nobis uel aliò mentẽ intendentibus, os atq́ oculos petit absq́ offensa. Sic mens bene instituta, etiam per nocturnã quietẽ, suos cum uirtute conatus exercet: ut neq́ uis illa imaginaria, quæ in nos tyrannidem exercet, si Platoni credimus, eam à proposito possit auocare. Sic Socrates discipulos explorabat. sic aiunt Stilponẽ Megarensem, quom eum Neptunus per somnũ obiurgaret, quòd parum laute sacrificasset: ille intrepide, Quid, inquit, Neptune ceu puer indignaris? quòd neq́ fœnerarim, neq́ creditori me obstrinxerim, ut nidore ciuitas cõpleretur. An non ego pro copia & sacrum feci, & quod primũ fuit, integram animum attuli. Subrisit Neptunus, & se in eius gratiam omnia large Megarẽsibus facturũ recepit.

Eò Dis bene iuuãtibus iã peruenimus, ut imago quædã nobis sit cõstituta bene ac beate uiuendi, quam Plato non iam καθαρτικὴν, ἀλλὰ πραδειγματικὴν uocabat: utpote quę iam nõ detergendis uitijs, sed prodendis de se exemplis uacaret: ad quam quisquis peruenisst, maiorẽ homine, & proximũ deo existimabat. Hic enim animo iam euectus

euectus supra mortalia, nihil admiratur. Est enim admiratio inscitia prognata, & stu
poris alumna. ea siquidē admiramur, quorū causam ignoramus. Quapropter factū
est, ut Irim Thaumantis filiā dixerint ij, qui eam cōstare flexu radiorū solis cū nubi
bus colluctantiū ignorabāt. & licet Aristoteles nō inutile dixerit, de re omni dubita
re, quo acrius in rerum indaginem ingenij aciem dirigamus: tamen neq; omni æta
ti neq; omni homini id dictum putamus. Id enim nobis persuasum esse oportet, nul
lam rem sua causa uacare, & si ea nobis ignota incertaq; sit. Nam & miracula & por
tenta suam causam habent, sed in maiestate naturæ delitescentem. Quisquis ergo ni
hil admirabitur, is iam planè absolutus philosophus poterit existimari: qui iam ni
hil cogitet, nisi ut uiuens moriatur, & in hoc corpore positus supra hanc mortalita
tem euectus ad cælum pleno passu enitatur: ut uerum intelligamus illud Platonis, ni
hil aliud esse philosophiam, nisi τοῦ θανάτου μελέτην. In hanc igitur uitiorum ex
pultricem, felicitatis opificem philosophiam, qua nihil maius aut melius nostro ge
neri deorum liberalitate cōcessum est, nauiter incumbamus: philosophandumq; no
bis omni ratione existimemus: non paucis, ut Zethus ille Pacuuianus arbitrabatur:
sed toto pectore, & quantum sese ingenij nostri uis porrigit. Nam omnino philoso
phari oportere acuto nobis dilemmate Aristoteles probauit, ἢ φιλοσοφτέον ὄν, in
quit, ἢ μὴ φιλοσοφτέον. εἰ μὲν φιλοσοφτέον ἐστι, φιλοσοφῶμεν. εἰ δὲ μὴ φιλοσοφτέον ὄν, ὅμως
φιλοσοφῶμεν δεῖ· τὸ φιλοσοφτέον οὐκ ἔστιν. πάντως δὲ φιλοσοφτέον ἐστι. Hinc enim nobis o
mnis fons & seminariū securitatis aperitur, hac imbutus non secus contumelias ad
mittet, ac quispiam illud poetæ,

Macte tua uirtute puer: sic itur ad astra.

Aiunt Pyrrhonem deprehensum tempestate, alijs omnibus cōsternatis periculi ma
gnitudine, annotasse in naui τὸ δελφάκιον, id est porculum large ac secure frugibus
uescentem. En, inquit, uobis ueram εὐθυμίας imaginem: sic enim habet animus eius
qui ueram philosophiā est assecutus. Caret enim omni uexatione, nullisq; agitur flu
ctibus, & perpetua tranquillitate perfruitur: utpote cuius animus cum nullis affe
ctibus colluctatur: neq; iam est cōtinens, sed planè temperans: id est omni curarum
impetu, omni libidinis stimulo, omni ambitionis impulsu absolutus: illud semper E
picteti habens in promptu, Fortuna mihi opes aut magistratus aut alia quæ uulgo
censent bona, auferre potest: at in ea quę mea sunt, nullū sanè habet imperiū. Et illud
Socratis: Anytus & Melitus me quidem possunt occidere: me autē lædere nō pos
sunt. Quòd si, ut inquit Horatius, fracto axe cęlum ruat, expectabit tamen ille impa
uidus ruinam. & quamuis undiq; ingruant procellæ: quamuis nubes eripiant cæ
lumq; diemq; Teucrorum ex oculis: is tamē omnium umbrarum securus, felicitatis
suæ stationem tenebit, quid umbra sit planè intelligens, atq; illud Lucretianum fre
quenter inclamans:

Nam nihil esse potest aliud nisi lumine cassus
Aer, id quod nos umbram perhibere suemus.

DE VERBORVM ET RERVM SIGNIFICATIONE

CÆLII CALCAGNINI COMMENTATIO, in gratiam Gilini episcopi Cymaclensis incepta.

DE VERBORVM ET RERVM SIGNIFICATIONE.

CÆLIVS

ACTA, conuentiones, contractus, cæteræq; huiusmodi actiones, quibus homines mutuo obligantur, his duobus confieri solent: uerbis scilicet & rebus. uerbis quom solæ uoluntates declarantur, & ex sponso & stipulatu agi P potest. Quom uero aut in uenditionibus preciũ, aut aliter hypotheca inseritur, tunc re potius quàm uerbis res acta uideri potest. hoc est quod Iureconsultus pactum nudum appellat, quod solis uerbis conflatum est: quòd si insuper pignus aut realis alia obligatio interuenerit, iam non nudum, sed uestitum pactum solet appellari. Quom ergo ijs duobus omnia inter mortales transigantur: uetus enim dictum est, rem ubi pagunt, oratione pagunt: Iureconsultus siue ille Tribunianus, ut ego existimo: siue alius ex ijs, qui Parhedri imperatoris uocabantur, quom tot milibus uersuum de cõtractibus actionibusq; & id genus alijs hactenus egerit, opportunum quoq; hoc loco existimauit De uerborum & rerum significatione agere: ut siquid fortè ambigui in ijs quę dicta sunt oboriatur, hoc titulo interprete iam facile intelligi possit. Et profecto multum interest quãtum exacte quisq; teneat nomina & appellatiões cuiusq; disciplinę: quãdo aliter, exẽpli causa, Iureconsultus terminum accipiet, id est limitem uicinũ agrum disterminantem: aliter Dialecticus, eum scilicet in quẽ resoluitur oratio. sic ex Aristotelis Prioribus & Topicis colligimus. certè memoriæ proditum est, Labeonẽ non aliter quàm uocum enarratione ius uetus enucleasse.

VLPIANVS

Verbum hoc, siquis, tam masculos quàm fœminas complectitur.

CÆLIVS

Quis, siquis & quisquam, aliaq; id genus deriuata apud ueteres promiscuè ad marem & fœminam efferebantur. Ennius: Quis tu es mulier, quæ me insueto nuncupasti nomine. Plautus in Vidularia. Dic mihi, si audes, quis ea est, quã uis ducere uxorem? Terentius in Eunucho. Hunc oculis nostrarum quisquam nõ uidit. Quem locum Donatus annotauit. Non ubiq; autem siquis ad utrũq; genus pertinet, sed in ijs tantum, ubi maris & fœminæ functio est. ut infra Vlpianus: Si quis sic dixerit, ut intra diem mortis eius aliquid fiat, ipse quoq; dies, quo quis mortuus est, numeratur. Nam factio testamẽti æquè ad marẽ & fœminã pertinere potest. his facile admoneri potuerunt tabelliones recentis seculi, minime opus fuisse toties uerba illa inculcare, ille uel illa, qui uel quę, quom sub maris appellatione fœmina etiã obstringatur.

PAVLVS

Vrbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificijs finitur, quod latius patet.

CÆLIVS

Certè ueteres urbem mœniũ ambitu præfiniebant, quantum scilicet aratro fuerat designa-

deſignatum, quod omne pomœrio continebatur. hinc urbis amplitudinẽ ac circuitum immutatũ ſæpe accepimus, quom quis auſpicato pomœriũ fines promouiſſet: quæ prerogatiua iis tantũ dabat, qui in Italia imperiũ propagaſſent, ſi Tacito & Gellio credimus. In urbe ergo ſunt, qui intra mœnia uerſantur: Romę autẽ, qui in ſuburbanis & continentibus ædificiis agunt. Quom itaq; tribuni, quibus non licebat ab urbe diem integrum abeſſe, ante mediam noctem in ſuburbana appulerant, nec tamen intra mœnia penetrauerant, legi factam fraudem exiſtimabant: quòd Romæ, non etiam in urbe fuerant. Quin & comitia centuriata quæ in campo Martio cogebantur: non in urbe, ſed Romæ haberi dicebantur, quòd intra urbem procinctum eſſe exercitum non licebat. Iis adde quòd quibus debebatur triumphus, ante decretum triumphum nõ licebat eſſe in urbe, neq; laureatos faſces aut lictores habere intra urbem: qua de re in Epiſtolis ad Atticum Ciceronem conqueſtum legimus. Aut enim triumphum omittere, aut ab urbe abſtinere cogebãtur. Adde quòd in ſortiendis magiſtratibus eorum tantũ, qui in urbe forent, ratio lege haberi ſolebat. Sunt autem qui Romam & continentium ædificiorũ ad mille tantum paſſus proferri exiſtimabant, quòd eo uſq; tribunitia intercesſio & ad tribunos prouocatio portenderetur. Cęterũ aliud eſt in urbe eſſe, aliud ad urbem. omnis enim magiſtratus, autore Aſconio, qui intramuranus nõ eſt, nec urbanus, etiã ſi adminiſtrator eius Romæ eſt, ad urbem non in urbe dicitur. Saluſtius in ſecũdo Hiſtoriarum: Vtriq; ad urbem imperatores erãt. Cicero in ſecundo Verrinarũ: Quom primã concionẽ ad urbem conſul deſignatus habuit. Pompeius enim proconſul de Hiſpania Sertorio uicto nuper uenerat: & ſtatim habuerat concionem de reſtituenda tribunitia poteſtate Palicano tribuno plebis. ſic autem dici ſolet de iis, qui cum poteſtate prouinciali redierãt: aut nondum in prouinciã profecti eſſent. Idem in Prętura urbana: Qui ſimulatq; ei ſorte prouincia Sicilia obuenit, ſtatim Romæ & ad urbẽ antequã proficiſceretur, quæ rere ipſe ſecum & cogitare cum ſuis cœpit: quibuſnam rebus in ea prouincia maximam uno anno pecuniam facere poſſet. Qui locus antea corruptus legebatur: nos ex autoritate Aſconij caſtigauimus. Continentia uero ædificia uocauit attigua, & quæ ſibi continuantur: qualia fermè ſolent eſſe ſuburbana.

PAVLVS

Cuiuſq; diei maior pars eſt horarum ſeptem primarum diei, non ſupremarum.

CÆLIVS

Poſſet hæc Iureconſulti ſententia cuipiam fortaſſe parum exacte cogitanti uel ridicula uel leuis uideri. Quom enim certũ ſit, ueteri more diẽ in horas duodecim diſtinctũ eſſe: quod & ex hiſtoria Euãgelica didicimus, An neſcitis, ingt, quia duodecim ſunt horę diei: quis neſcit horas ſeptẽ, maiorẽ eſſe diei partẽ, quom tantũ quinq; reliquæ ſint horæ, quę diẽ ſolidũ perficiant: ab ortu ſcilicet ſolis ad occaſum. Nã licet Romani à media nocte ad mediam noctẽ, diem metirentur, hæc tamẽ dimenſio ciuilis iuſtius quàm naturalis dici meruit. Natura enim magiſtra omnes gentes à luce ad tenebras diem, & rurſus à tenebris ad lucẽ noctem metiuntur. Sic eos qui agunt ſub polo, dicimus ſemeſtrẽ diem & ſemeſtrem noctem habere, utrunq; luce ac tenebris præfinientes. Et profecto Ariſtoteles nihil aliud diẽ eſſe dixit, quàm ſolis excurſum ab oriente in occaſum. Quom uero excurſus ille quotidie euariet: fiantq; dies nunc breuiores, nunc productiores: prout ſol aut à nobis declinat ad tropicum capricorni, aut à tropico capricorni ad nos reuertitur: certè duo tantum ſunt dies toto uertente anno nocti æquales, & ex eo æquinoctiales uocati: alter uernus in capite arietis, alter autumnalis in capite libræ. Quibus etiã diebus horæ tam diurnæ quàm nocturnæ pares ſunt, à Græcis ἰσημερινὰι, à noſtris æquinoctiales appellatæ. Cæteris enim diebus non pares ſunt, ſed ad dierum noctiumq; prolixitatem aut breuitatem accõmodatæ. Illud ſiquidem antiquis fuit perpetuum, horas duodecim diebus iuxtà & noctibus tribuere. ex quo neceſſariò accidebat, ut æſtate productiores, correptiores hyeme forent. Hinc illud Martialis: Hora nec æſtiua eſt, nec tibi tota perit:

quom productã horam uellet intelligi. Rursus in Pseudolo Plautus: Totũ Corinthiẽ sem fontẽ hora interbiberet. protinus ille subiícit: Adde hiberna: breuẽ admodũ si/ gnificare uolens. Quomodo autem per hydraulica instrumẽta horas huiusmodi tem porarias, quas Græci ὡρολογικὰς uocitant, ueteres metirentur, & diebus propè singu/ lis euariarẽt: ostendit Vitruuius Architecturæ libro septimo. Mathematici illud ob/ seruarunt, horas æquinoctiales à toto axe, temporarias autem à puncto axis anno/ tari: quod quomodo intelligendum sit, altioris indaginis munus est, quam breuis & compendiosa hæc commentatio non capit. Quom igitur perpetua foret die noctuq; duodecim horarum obseruatio, illud quoq; par fuit, ut noctis dieiq; dimidium horis sex occuparetur. Potuit itaq; merito quispiam existimare, horas septem, siue illæ an/ te meridiem seu post meridiem assumerẽtur, maiorem diei partem occupare. Quam suspicionẽ nequis approbaret, Iureconsultus prudenter admodum admonet, cuiusq; diei maiorem partem esse horarum septem primarũ diei, non supremarum: hoc scili cet inuens, maioris partis diei nuncupationẽ, non ab horarum numero simpliciter, sed à diei parte actuosa faciendam esse. Siquidem ueteres matutinas & antemeridia nas horas seriis negociis occupabãt: eaq; diei pars melior dicebatur. Sic certè à Ver gilio dicitur: Quoniã melior pars acta diei est. Sic profecto Martialis eo epigrãma/ te, quo horas duodecim secundum ueterũ actiones dispensat, Iurecõsulto subscribit: & septem horas diei priores forensibus negociis tribuit: cuius carmen est,

Prima salutantes atq; altera continet hora:
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam uarios extendit Roma labores.

Sexta quies lassis: septima finis erit. Nam fermè quicqd reliquũ erat diei, palæ/ stris, ludis, balneis, & symposijs absumebatur. Multa erãt prẽterea quæ antemeridia nis horis licebant: pomeridianis non dicebant. exempli causa lex uetus ait: In comi/ tio aut in foro ante meridiẽ causam conijcito. Post meridiem fœdus ne ferito, ne auf/ spicator, Senatusconsultũ ne facito. & multa prætera huiusce generis. Illud quoq; annotatũ inuenio, duodecim tabulis ortum & occasum nominari. Post aliquot an/ nos adiectum meridiẽ, accenso cõsulum id pronuntiãte: quom curio inter Rostra & græcostasin talem solem prospexisset.

PAVLVS

In itinere faciendo XX. milia passuum in dies singulos peragenda, sic sunt accipi/ enda, ut si post hanc dinumerationem minusq; XX milia supersint, integrum diem oc cupẽt: ueluti si XX unum milia passuũ sunt, biduum eis attribuitur. Quę dinume ratio ita demum colligenda erit, si de die non conueniat.

CÆLIVS

Potest cadere in cõtrouersiam an senator peregre agens, uocatus à uiatore quom in senatum tempore non aduenerit, sua culpa mulctandus sit: eiq;, utpote infrequen ti pignora capiẽda sint. Illud quoq; dubitari potest, an reus absens, cui dies dicta sit, deserti uadimonij damnari debeat, quòd se iudicio nõ stiterit. Grauiter autẽ pericli/ tabatur, qui deserti uadimonij damnabatur: ut ex multis locis, sed imprimis ex ora/ tione pro Roscio Amerino apud Ciceronem colligi potest. Si ergo uel senator uel reus citatus se uiarum distantia & locorũ interuallo excusauerit: cõtrouersumq; fiat, quantũ quisq; iusti itineris die singulo peragere debeat: Iureconsultus hoc loco eam controuersiam decidit, tradens in itinere faciendo XX. milia passuum in dies singu los peragenda esse. Quę tamen sic sunt accipienda, ut si post hanc dinumerationem, id est in cõputatione uicenarij numeri, succisiui aliquid redundet, & minusq; uigin/ ti milia supersint: hoc succisiuum, quicquid est, diem integrũ occupet. Exempli cau/ sa, si peragẽda fuerint unum & uiginti milia passuum. Qua in supputatione unũ suc cisiuũ est & supra uiginti redundat, quæ integro diei unius itineri tribui solent: tunc biduum eis attribuetur. Ex quo intelligimus ex sentẽtia Iureconsulti, unũ quom suc cisiuũ est ex uiginti, diem unũ occupare. Armato militi, si Vegetio credimus, decem mili

milia passuum in diem præfiniebantur: ita ut eorum etiam partem excurreret. Sed aliud est armatum esse, aliud esse expeditum. postremo loco Iureconsultus admonet hanc dinumerationẽ seu supputationem ita demũ procedere, si de die nõ cõueniat, & iudicio dijudicanda sit. nam si uel ex pacto, uel alio modo quis absolute se obstrinxerit tali uel tali die affuturum: etiam si longe dictam itineris supputationẽ uicenariã superauerit, tũc ex pacto tenetur: neq; dinumeratione Iureconsulti adiuuari potest.

PAVLVS.

Eius qui apud hostes decessit, dici hæreditas non potest: quia seruus decessit.

CÆLIVS.

Iure gentium qui in manum perduellium uenit, is seruus est tantisper, dum postliminio reuertatur. Interim si testamentũ condiderit, id nullum est, utpote à seruo conditum. Captus enim ab hostibus maxima capitis diminutione & patriam amisit, & bonorum potestatem, & intestabilis factus est. Hac de re in Institutionibus, titulo, Quibus non est permissum facere testamentum: Iustianianus abunde meminit. Eius qui apud hostes est, testamentum quod ibi fecit, nõ ualet iure postliminij, quamuis redierit. Sed quod, dũ in ciuitate fuerat, fecit: siue redierit, ualet iure postliminij: siue illic decesserit, ualet ex lege Cornelia. Certè, ut alibi scriptum est, hi qui ab hostibus capti sunt, si reuersi fuerint, omnia pristina iura recipiũt. Iccirco reuersus etiam liberos habebit in potestate: quia postliminium fingit eum qui captus est, in ciuitate semper fuisse. Si nõ ibi decesserit, exinde ex quo captus est pater, filius sui iuris fuisse uidetur. Filij ergo ad bona patria admittuntur: non tantum hæreditaria, sed quasi ab intestato, iure sibi debita.

PAVLVS.

Pecuniæ appellatione rẽ significari Proculus ait. Rei appellatio latior est quàm pecuniæ: quia & ea quę extra computationẽ patrimonij nostri sunt, continet: quom pecuniæ significatio ad ea referatur, quę in patrimonio nostro sunt.

CÆLIVS.

Lex uetus est, Si furiosus existet, agnatorũ gentiliumq; in eo pecuniaq; eius potestas esto. Appellatione pecuniæ, non pecunia tantum numerata, sed bona & res furiosi intelligũt, ex sentẽtia Proculi. Sed Paulus tamẽ uult intelligi, quæ patrimonio cõtinentur. Nam rei significationẽ laxius se habere quàm pecuniæ opinatur. ut res quodammodo genus sit ad pecuniam. Pecunia siquidem cõtineri quæ patrimonio comprehenduntur. At ea quæ profectitia sunt, quæ nominibus continentur, quæq; patrimonio non includuntur, rei, non etiam pecuniæ nomine subsignari.

PAVLVS.

Opere legato uel conducto, his uerbis significari Labeo ait id opus quod Græci πανδέκτελες uocant, id est ex opere facto corpus aliquod perfectum.

CÆLIVS.

Mihi magis placet, ut opere locato legatur quàm legato. Locare enim & conducere inuicem sibi respondent: dominus locat, redemptor conducit. Sunt qui locant operas in dies: sunt qui conducunt operam sartam. sed & qui locãt, & qui conducũt opus, nõ aliter intelligendum est quàm opus consummatũ & absolutum, cui manus extrema accesserit. Tunc enim uel cõductor uel locator perfunctus opera existimandus est, quom totum corpus ex opere perfectũ est ut nihil desit: quod à Græcis πανδέκτελες, id est omnimode absolutum dicitur.

PAVLVS.

Nominis & rei appellatio ad omnem contractum & obligationem pertinet.

CÆLIVS

Quicquid noſtrum eſt, aut in re expedita poſitum eſt, aut in debitoribus, quæ nomina appellari ſolent: à quibus exigendũ eſt quod nobis debetur. In omni ergo contractu & obligatione alterutrũ interuenit: aut enim de re, aut de nomine agit. Nã & rem & nomẽ uendimus: rem & nomẽ obligamus: de re aut de nomine paciſcimur.

VLPIANVS

Verbum ex legibus ſic accipiendum eſt, tam ex legum ſententia quàm ex uerbis.

CÆLIVS

Verba inuenta ſunt, ut animi ſenſa interpretentur: ob id Mercuriũ deorum interpretem finxit antiquitas. Quom ergo dicimus, uerba legis penſitanda eſſe: non abſolute ipſa uerba, ſed ſententiam quæ pendet ex uerbis, penſitandam eſſe admonemus. Eſt quando apud rhetores uerba & ſententiam diſſidere legamus: quom uel ambigue uel obſcure uerba ſcripta ſunt. Imprimis tamen ſententiæ ratio eſt habenda, atq; huic primæ partes deferendæ.

PAVLVS

Sponſio appellatur, non ſolum quæ per ſponſi interrogationem fit: ſed omnis ſtipulatio promiſſioq;.

CÆLIVS

Sponſionem uult Paulus ad omnem promiſſionẽ ſimpliciter extendi: non ſolum ad eam quæ fit ſolenni more per interrogationẽ. Exempli cauſa, ſpondes mihi decem? quod ſi ille ſe ſpondere reſtipulatur, protinus ex ſponſo tenebatur. & ſanè ita ſponſalia antiquitus ſolebãt celebrari. Erat alia ſpecies ſpõſionis quæ nõ fiebat per ſponſi interrogationem, ſed pignoribus depoſitis, uel ſub certa conditione. Sic Aſclepiades medicus apud Plinium ſponſionem fecit cum Fortuna ne medicus crederetur, ſi unquam inualidus fuiſſet. Et Cleopatra ſponſionem fecit cum Antonio, una cœna ſe centies HS abſumpturam: quod ni feciſſet, certam ſummã amitteret, ele
cto etiam L. Plancio ſponſionis iudice. De hac Papinianus meminit XX. Digeſtorum libro. Si quis ſpõſionis cauſa annulos acceperit, nec reddidit: uictori præſcriptis in eum competit actio. Eſt & alia quædam ſponſionis ſpecies ad interdicta pertinens: de qua meminit Quintilianus in VII. Quotiens autẽ, inquit, poterimus effi
ciendum eſt ut de re quoq; bene ſentiat iudex: Sic enim iuri noſtro libentius indulgebit. Vt in ſponſionibus quæ ex interdictis fiunt: etiam ſi non proprietatis eſt quæ
ſtio, ſed tantum poſſeſſionis: tamen non tantũ poſſediſſe nos, ſed etiam noſtrũ poſſe diſſe docere oportebit. Huius rei luculentũ exemplum habes apud Ciceronẽ in ora
tione pro Cecinna. Erat enim Cecinna Volateranus de fundo ui armata deiectus: propterea prætor interdixerat de ui: id eſt interdicto unde ui conceſſo, iuſſerat Ebutium qui uim fecerat, reſtituere Cecinnam in poſſeſſionẽ. at quom Ebutius ſe prætoris edicto ſatisfeciſſe diceret, Cecinna autem ſe planè reſtitutum negaret, facta eſt ſpõſio: ni Cecinna reſtitutus ex edicto prætoris eſſet. ſed qui totam Ciceronis oratorem perlegerit, is rem multo planius intelliget. Erat & alia ſponſionis ſpecies, quæ ad interdictum nihil pertinebat. In qua erant uerba ſolennia, Iudicem tibi ferro, ni hoc aut illud factũ ſit. Quæ ut intelligatur cõmodius, contenti erimus duobus exemplis, altero Valerij Maximi, altero Ciceronis. Valerius libro ſecundo: Pertinacius progreſſa contentione Valerius ſponſione Lutatium prouocauit, non ſe petiturum triumphum ni ſuo ductu punica claſsis eſſet oppreſſa: nec dubitauit reſtipulari Lutatius. Itaq; iudex cõuenit inter eos, Attilius Calatinus. Cicero in tertio Officiorum: Fimbriam cõſularem, audiebam de patre, iudicem M. Lutatio ſuiſſe equiti Romano ſanè honeſto: quom is ſponſionem feciſſet, ni uir bonus eſſet.

Pau-

PAVLVS

Verbum, oportebit, tam præsens quàm futurum tempus significat.

CÆLIVS

Sunt codices in quibus non oportebit, sed oportet legatur. Quod sanè ad sententiam multo facilius est: nam passim dicimus: faciam quod oportet: feci quod oportet: ita ut hoc uerbum, licet præsens, omnibus tamen temporibus inseruiat. Vlpianus libro quadragesimoquinto ff. titulo De uerborum obligationibus. Non ualet autem huiusmodi stipulatio, ubi quis rem suam stipulatus est. & constat. siquidem ita stipulatus sim, quòd ex causa addictionis dare facere oportet, stipulationem ualere. Ego tamẽ & promulgatam lectionẽ tueor. Nã oportet & oportebit ita ex æquo dicitur, sicut licet & licebit: quod & grammatici annotarunt.

PAVLVS

Actionis, uerbo non continetur exceptio.

CÆLIVS

Actio ad eum pertinet, qui litem intẽdit, id est ad actorẽ. Exceptio autem ad eum qui depellit, id est ad reum. Omnis enim cõtrouersia fit per intentionẽ & depulsionem. Vlpianus libro quadragesimotertio ff. titulo De exceptionibus seu præscriptionibus & præiudicijs inquit: Agere etiam is uidetur qui exceptione utitur: nam reus in exceptione actor est. Sed eiusdẽ quoq; uerba quæ mox sequunt, mihi adscribenda existimaui, quom accõmodate ostendãt quid sit exceptio. Exceptio dicta est quasi quędã exclusio, quę interponi actiõi cuiusq; rei solet, ad excludẽdũ id, quod in intentionẽ cõdemnationẽúe deductũ est. Replicatiões nihil aliud sunt, q̃ exceptiones; & à parte actoris ueniũt: quæ quidẽ ideo necessariæ sunt, ut exceptiones excludãt. semper enim replicatio idcirco obijcitur, ut exceptionẽ oppugnet. Illud tenendũ est, omnẽ exceptionẽ uel replicationẽ excluſoriã esse. Exceptio actorẽ excludit: replicatio reũ. Sed cõtra replicationẽ solet dari duplicatio, & cõtra duplicationẽ triplicatio, & cõtra triplicationẽ rursus quadruplicatio: & deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus aut actor obijcit. Sanè solemus dicere quasdam exceptiones esse dilatorias, quasdam peremptorias: utputa dilatoria est exceptio quæ differt actionẽ: uelut procuratoria exceptio dilatoria est. Nam qui dicit: non licet procuratorio nomine agi: non prorsus litem inficiatur, sed personam euitat. Tum Caij Iureconsulti uerba subiungantur. Exceptiones aut perpetuæ atq; peremptoriæ sunt, aut temporales & dilatoriæ. Perpetuæ atq; peremptoriæ sunt quæ semper locum habent, nec euitari possunt. Qualis est doli mali, rei iudicatæ, & siquid contra legẽ S. ue C. factum esse dicetur. Item pacti conuenti perpetui, id est ne omnino pecunia petatur. Temporales atq; dilatoriæ sunt: quæ non semper locum habent, sed quæ euitari possunt. Qualis est pacti cõuenti temporalis, id est ne fortè intra quinquennium ageretur. Ex ijs satis constat, recte à Paulo dici, actionis uerbo exceptio nõ continetur: quod altera propria est actoris, altera propria est rei.

VLPIANVS

Marcellus apud Iulianum tractans notat uerbo, rapuisse, & scissum & fractũ contineri, & ui raptum.

CÆLIVS

Qui uiolenter rem alienã abducit, is raptor proprie dicitur. Quid si quis rem non abducat: sed tantum impetum faciat, fores proscindat, parietes perfringat, eo animo ut rapiat: non tamen in rem destinatam manum inijciat. Certè in eum tanquã rapto rem actio dabitur: & licet nihil auexerit, ad probandũ tamen crimẽ sat erit probasse eum scidisse ac perfregisse. Sic adolescentes illi qui uino & nocturna petulantia inuitati, incitati etiam Phrygio nomo, publici scorti fores inuaserãt ac perfregerant, licet postea spondeo reuocati nõ perfecissent quod tentauerunt, tamen quasi raptores in

ius uocabantur: ipsi uero non aliter crimen deprecabantur, nisi in tibicinem & moduli speciem culpam reijcientes.

VLPIANVS.

Creditores accipiendos esse constat eos, quibus debetur ex quacunq; actione uel persecutione, uel iure ciuili sine ulla exceptiõis perpetuæ remotione, uel honorario uel ordinario uel extraordinario: siue pure, siue in diem, uel sub cõditione. Quòd si natura tantum debeatur, non sunt loco creditorum: sed si non sit mutua pecunia, sed contractus, creditores accipiuntur.

CÆLIVS.

Sicut multis modis initur obligatio: ita multis modis creditores accipiuntur. Proprie tamen creditores dicuntur qui rem aut pecuniam suam alteri crediderunt. Vnde creditores sunt quasi enumeratores, erogantes pecuniam. hinc illud Ciceronis, Res agitur per eosdem creditores, per quos agebatur quom tu aderas. Quo loco intelligunt Rabirium distributorẽ pecuniæ regiæ. Sed & cui debetur ex quacunq; causa, is iure creditor dici solet. hinc carmen illud uetus:

Catonis modo Vare Tulculanum
Tota creditor urbe uenditabat.
Mirati sumus unicum magistrum,
Summum grammaticum, optimum poetam,
Omnes soluere posse quæstiones,
Vnum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en iecur Cratetis.

Qui creditores sunt, uarijs modis sibi debitum persequi possunt. Sunt enim actiones & persecutiones quibus utantur: tum iure ciuili quod propriũ est populi Romani, modo aliqua exceptio perpetua nõ temporaria interueniat. Perpetua enim exceptio ita perimit actionẽ, ut ea nunquam uti possimus. exempli causa: si quis conuenerit se nunquam petiturũ. Sed & iure honorario agi potest: quod prætorum est, & edictis cõstat. Erat aũt, ut Cicero ostendit in Verrinis, edictum prætoris lex annua, quæ incipiebat Calendis Ianuarij, & rursus Calendis Ianuarij desinebat. Fecit autem prætorũ impudentia, ut ab edicto annuo ad edictum perpetuũ deueniretur. Ad de iure ordinario posse debitũ peti & extraordinario, siue iure debeat neq; die neq; conditione addita: ut si quis mihi debeat centum quę statim petere possim: neq; dies expectanda sit quæ cedat, neq; conditio quæ impleatur. Cæterũ qui natura debent, à creditoribus obstringi non possunt. exempli causa antequam in duodecim tabulis scriberetur, parentes à liberis ali oportere, si eos arte imbuissent: parentes à filijs alimẽta ulla actione persequi nõ poterãt: sicut post duodecim tabulas neq; à spurijs parentes exigere possunt ut alantur: neq; officium eius mutuæ pietatis postulare, quod à Græcis ἀντιπελαργία dicitur. Sic ad testandum gratum animũ, iure quodam naturali beneficentiæ hostimentum debetur, ut Hesiodus dixit ἀνὴρ δ' ὅς μέτρῳ πεῖ λώϊον, ἄλλε δώῃσι. Eadẽ mensura & ampliore: si potes. Qui tamẽ primo benefici fuerint, nõ possunt ex eo creditores appellare. Postremo ex traditione pecuniæ, oritur debitũ, & fiunt creditores: nec hoc tantũ, sed hoc etiam ex cõtractu, uenditione puta & emptione: in qua præsens pecunia non interuenerit, sed per stipulationẽ promissa fuerit: hinc etiam creditores efficimur, & debitum persequi possumus.

CAIVS.

Creditorum appellatione nõ ij tantum accipiũtur, qui pecuniam crediderint: sed omnes quibus ex aliqua causa debetur.

CÆLIVS.

Si proprietatem uocũ uelimus explorare, non est dubiũ quin creditores à credendo, id est cõmittẽdo dicti sint. unde illud uetus: ouẽ lupo credidisti. Qui ergo alterius fidei

fidei pecuniam cõmiſit, is creditor iure dici poteſt. Sed enim an qui nihil cuiq; commiſit, an is quoq; creditor dicit poſsit? exempli cauſa, ego tibi ex mera animi libera litate me polliceor daturũ decies HS. & ſi tu mihi nihil crediderís, tamen protinus quom tibi decies ſpopondi: ego tibi debitor, tu contrà creditor eſſe cœpiſti. Sed & multis aliis rationibus idem hoc euenire poteſt, ut nulla pecunia credita, tu tamen creditor efficiare.

CAIVS

Si cui ex empto uel ex locato uel ullo alio cõtractu debetur, ſed & ſi ex delicto debeatur, mihi uidetur poſſe creditoris loco accipi. Quòd ſi ex populari cauſa, ante litis conteſtationem recte dicetur creditoris loco non eſſe.

CÆLIVS

Nil mirum eſt, ſi cui debeatur ex empto: nam res empta hunc debitorẽ, illum creditorem efficit. Idem ex locato: quod locatur, hunc debitorẽ, creditorem illum teſtatur. Sed & ex delicto: puta ſi iniuriam attulit, cuius æſtimatio facta ſit per redemptores, ſeu recuperatores qui æſtimandis iniurijs præficiebantur. Ex populari autẽ cauſa creditor nõ dicitur ante litis conteſtationem. Popularis cauſa ad multos pertinet, etiam ſi per unũ agatur: ob id fit, ut ſi quid debeatur, non tamen ille creditor dici poſſit ante litem conteſtatã: quia non prius conſtat ad quem ex multis actio pertineat. Eſt enim prætoris optio, ſi plures ſimul agant populari actione, elígere idoneorem: ut Paulus inquit titulo De popularibus actionibus libro quadrageſimo octauo ff. Quæ propemodũ diuinationis ſpecies eſt. Diuinatio enim eſt, quom actio certa eſt, actor incertus. Populares actiones nõ ſunt rei familiaris perſecutoriæ, ſed ex æquo & bono ad uindictam propoſitæ, puta actio de ſepulchro uiolato, de libero homine occiſo, actio repetundarum, & peculatus, & huiuſmodi.

CAIVS

Minus ſoluit, qui tardius ſoluit: nam tempore minus ſoluitur.

CÆLIVS

Sicut eſt in prouerbio: qui cito dat, bis dat. & quod à Græcis dicitur, χάρις βραδὺς ἔχαρις. Gratia tarda, gratia eſſe deſinit. ita qui tardius ſoluit cũ oporteat, id eſt poſtquam dies ceſſerit, minus ſoluit. Nam temporis lapſus, è ſolutione non parum detenerit. Quòd ſi nemo etiã interpellet, interpellante tamen tẽpore, ſi ad intereſſe agatur, nemo iure conqueri poteſt. Ad hoc referri poteſt quod legit apud Procopium: occaſionẽ rem tenuẽ ac perexiguã uideri, in qua tamẽ omnia poſita ſint. Ob id Chilonis ſcitũ illud celebratur, πάντα καιρὸς. & illud Terentianũ: Quod primũ eſt, in tẽpore.

CAIVS

Mulieris appellatione etiam uirgo uiripotens continetur.

CÆLIVS

Ariſtoteles ſolet difficillimas quæſtiones expedire: quòd alia re ſint, alia potentia conſtent. Exempli gratia, quom dicitur prima materia eſſe & non eſſe, ita intelligendum pronũtiauit Ariſtoteles, ut potentia quidem ſit, re uero ipſa non ſit. Nam materiæ exiſtentia ſpuria eſt & parum legitima: ſic ouum re ipſa ouum eſt: potentia autem gallinaceus. Sic Iureconſultus uirginem uiripotentẽ & nubilem, utpote quæ ad duodecimũ annũ peruenerit, mulieris nomine contineri prodit. Nam qui uocũ proprietates ſecuti ſunt, uirginẽ eam dixerunt quæ illibata ſit, nec dum in uiri manum cõuenerit: mulierẽ autem, quæ fuerit in uiri complexu. Hinc uetus illud de puella ad uirum accedente: Quæ hodie uirgo eſt, cras erit mulier.

CAIVS

Res abeſſe uidentur, ut Sabinus ait, & Pedius probat, etiã hæ quarũ corpus manet, licet

licet forma mutata est. & ideo si corruptæ reddite sint, uel transfiguratæ, uideri abesse: quoniam plerũq; plus est in manus precio quàm in re. Desinere etiam abesse res tunc uidet, quom sic redijt in potestatem, ne amittere eius possessionẽ posimus, ob hoc quod furto pridem subtracta est. Abest & ea res, quæ in rebus humanis non est.

CÆLIVS

Omnia quæ arte aut natura constant, ex materia & forma compacta sunt: & licet à forma omnia nuncupationẽ suscipiant, sunt tamen quædam, quæ arte fabrefacta sunt, in quibus materia, in quibusdam uero ars præcellat. Exempli gratia, quædam Praxitelis aut Pyrgotelis manu facta sunt: ea plus arte, materia minus licent: sed in Anæitidis statua quæ holosphyratos, id est ex auro solida dicta est, minusq; habuit artificij, materia maiore in ambitu atq; æstimatione habita est. Ea igitur, in quibus forma præstat materiæ, Iureconsultus abesse monet quoties forma aboletur. secus si materia præstiterit: tunc enim materia superstite, licet forma depereat: tamen res abesse non dicitur: quòd scilicet plus sit in materia q̃ in forma precij, eiusq; princeps ratio habeatur. quin & ea quæ nobis subtracta sunt ui, uel furto, abesse etiam dicuntur. Quòd si ea nobis recuperata sunt, in nostramq; potestatẽ redierunt: quom primum in manu nostra sunt, nostriq; mancipij facta sunt: tunc primũ abesse desinunt. Adde quòd ea quæ prorsus depereunt, ita ut materia pariter & forma intereat, neq; amplius sint in rebus humanis: ea quoq;, imò uero ea maximè, abesse dicuntur.

PAVLVS

Labeo & Sabinus existimãt: si uestimentũ scissum reddatur, uel res corrupta reddita sit: ueluti scyphi collisi, aut tabula rasa pictura, uideri rem abesse: quoniam earum rerum precium nõ in substantia, sed in arte sit positum. Item si dominus rem, quæ sibi furto aberat, ignorans emerit: recte dicitur res abesse, etiam si postea id ita esse scierit: quia uidetur ei res abesse, cui precium abest.

CÆLIVS

Vestimentũ illud est quod tegendo corpori factum & accõmodatum est, & à forma potius quàm à materia nomen mutuatur: hoc si proscindat ac diloricetur, iure abesse dicitur. Sicut & scyphi potorij si collidantur: ut à Nerone in suprema desperatione collisi dicũtur ex celatura Homerica: & ipsi quoq; abesse dicuntur. Idem quoq; de tabula sanciendum est, ex qua expuncta & abrasa fuerit pictura. Nam profecto ita est, harum rerum precium in arte multo magis quàm in substantia ac materia positum est. quòd autem res subducta furto abesse dicatur, iam supra à Iureconsulto abunde declaratum est. Nunc uero illud additur, quid si dominus rem, furis operam sentem, ignarus suam esse emerit? sanè hęc quoq; abesse existimabitur: quãdo suam esse nesciuit, quom emeret. Quid uero si postea hoc quoq; resciuerit, & suam esse intellexerit? Iureconsultus nihil dubitat, quin tũc etiam recte abesse dicatur. & huius sententiæ causam reddit perspicuam: quoniam cui precium abest, ei res ipsa parimodo abesse uideatur.

PAVLVS

Rem amisisse uidetur, qui aduersus nullum eius rei persequẽdæ actionem habet.

CÆLIVS

Vt quicquã amitti possit, imprimis necesse est, ut eius potestas penes nos sit: nam quod nostrum nunquã fuit, hoc à nobis amitti non potest: ut obiter cornuto illi paralogismo occurramus, quo sophista nescio quis cornibus prędituṁ aduersarium probabat, hoc argumento, Quod nõ amisisti habes: cornua nõ amisisti: ergo cornua habes. In eo enim plaga accipitur, si admiseris te habere quicquid non amiseris. Siquidem amitti abs te non potuit, quod nunquam habuisti. sed nunquã cornua habuisti. neutiquam ergo potuerũt abs te cornua amitti. Quom itaq; Iureconsultus dicit rem amisisse uideri eum qui aduersus nullum eius persequendæ actionem habet: de ea re intelligen

intelligendum est, quæ nostra fuit aliquando, mox nostra esse desijt: puta alluuione fluminis subducta: uel furto subtracta, cuius furti autor ignoretur, ita ut eius recuperandæ spes exciderit.

VLPIANVS

Bona ciuitatis abusiue publica dicta sunt: sola enim ea publica sunt, quæ populi Romani sunt.

CÆLIVS

Publica ea appellamus quæ omniũ utilitati accõmodata sunt, uel ad omnes pertinent. hinc publicari dicuntur, quæ quom antea essent in priuato usu, populi cõmodis inseruire incipiunt. Sic bona damnatorum publicantur: sic Cæsar dicitur forum aut domũ publicasse, quom ea quæ priuati usus fuerant, in omnium beneficium migrant. Cæterum licet unaquęq; ciuitas ac municipiũ aliqua habeat priuata, quædam etiam publica & cõmunia: si tamen proprie loqui uelimus, ea tantum publica dicentur, quę sunt populi Romani. Eius rei causa est, quia nulla ciuitas cõmunis est omnium præter urbem Romam: illa enim cõmunis omnium patria est. Nam quom antea duces & imperatores Romani ex autoritate sibi à S. P. Q. R. data, hos aut illos populos iure Latij aut ciuitate Romana donassent, postremo Antoninus imperator de omnibus gentibus & natiõibus promereri uolens, uniuersum terrarũ orbem donauit ciuitate Romana: ex quo facta est omnium etiã patria & domicilium. ut de ea illud Plinianum uere dici possit: Omniũ terrarũ alumna eadem & parens numine deũm electa, quæ cælum ipsum clarius faceret, sparsa cõgregaret imperia, ritusq; molliret: & tot populorũ discordes ferasq; linguas sermonis cõmercio cõtraheret ad colloquia, & humanitatẽ homini daret: breuiterq; una cunctarum gentiũ in toto orbe patria fieret. Et sanè si Ciceroni credimus, unusquisq; nostrũ duas habet patrias: alterã in qua natus est, quod casu euenit: alteram quam nostra sponte nos ipsi nobis adsciuimus: in qua honores, dignitates, magistratus sumus adsecuti: pro qua, si ita oporteat, non tantum fortunas, sed sanguinem ac uitam ipsam summa animi inductione profundamus.

CAIVS

Eum qui uectigal populi Romani cõductum habet, publicanũ appellamus. nam publica appellatio in compluribus causis ad populum Romanum respicit. ciuitates enim loco priuatorum habentur.

CÆLIVS

Publica appellantur prouentus P. R. qui tum ex alijs, tum maximè ex mercium inuectione & reuectione colliguntur: & ex eo uectigalia nuncupari solent. qui autem publica redimunt, & apud quos merces profitẽtur, quas alioqui improfessas conuehi piaculum est, hos publicanos uocauerunt: nomen sanè inusitum, sed reipub licę necessariũ. Eos fuisse ex ordine equestri Cicero multis locis testatur. Ii uero prouentibus P. R. præsidebant: quos ex quatuor præcipuè rebus solere legi constat. Ex portu importandis & exportandis mercibus, unde portitores dicti. Ex scriptura, id est pecore: unde & scriptuarij dicti. ex decimis frugũ: unde & decumani & frumẽtarios. Ex salinis: quas omniũ primus Ancus rex instituit. Addit Iurecõsultus, nil mirum si præter urbem Romanã cæteræ ciuitates proprie publica & publicanos non habeant: quom priuatorũ loco & membra quædã Romanæ reipublicæ censeantur.

VLPIANVS

Inter publica habemus non sacra, nec religiosa, nec quæ publicis usibus sunt destinata: sed si qua sunt ciuitatum, uelut bona seu peculia seruorum ciuitatum, procul dubio publica habentur. Publica uectigalia intelligere debemus, ex quibus uectigal

fiscus

fiscus capit: quale est uectigal portus, uel uenalium rerum: item salinarum, & metallorum, & piscariarum.

CÆLIVS

Quædam sunt publica, ex quibus usum, quędã ex quibus usufructũ habemus. Ex his usum habemus quęcunq; publica sunt, ut in ijs uersari, deambulare, assidere, obstari omnibus liceat, ceu solemus in ædibus deorum immortalium, theatra, amphitheatra, forum, basilicæ, & alia id genus loca: in quibus quom sacerdotes sacris operantur, uel quom fabulæ aguntur, uel quom uenationes exercentur, uel quom cursæ aguntur, uel quom oratores audiuntur, nemo non admittitur: quom alioqui publica impensa ea facta sint: aut certè in gratiam populi publicata, & in communem usum redacta sunt. hæc Iureconsultus hoc loco excludit. ea autem tantum admittit, quæ coniunctum usufructum habent: ut pręter publicam illam stationem, secum etiam utilitatem inuehant. Primo ergo sacra & religiosa excludit. sacras puta ædes dicemus inauguratas ac Dis immortalibus dicatas: domos autem religiosas non quidem inauguratas & effatu pontificis Dis consecratas, sed sacerdotum tamen usibus derelictas. Excludit & destinata publicis usibus, ut theatra, amphitheatra, & alia his similia. Cæterum ea publica nuncupat, quæ sunt uelut bona ciuitatũ, ex quibus usu fructus decerpitur: ut prædia, tabernæ, insulæ, ex quibus prouentus sequitur. Velut etiam peculia seruorum ciuitatũ: quæ serui habere non possunt, nisi consentiente populo: & quorum hæres, decedentibus seruis, fit respublica, ex quibus deinde populi prouentus accrescũt. Vectigalia quoq; publica asseruntur, ex quibus prouentũ ac fructum capit fiscus. Aut improprie fiscũ posuit pro ærario: aut certè ostendit etiam fiscum qui propriè ad principem pertinet, etiam iuris esse publici: quom præsertim publica persona sit principis, utpote in quem potestatem suam omnem populus transfudit. Vectigal portus, de quo proximè diximus, Cicero absolute portũ appellat in Oratione pro lege Manilia: ex quo pro importãdis & exportandis mercibus pecunia publico nomine capitur. Vel rerum uenalium, ex rebus enim proscriptis & uenui propositis certa summa debetur ęrario. Ex salinis, antiqua est & peruetus hęc exactio: unde & salaria dicta sunt, si Plinio credimus. Metalla quoq; publicis prouentibus accedunt. ex aurifodinis enim, argentifodinis, ærifodinis, quin & ex alumine, sulphure, & alijs quæ uenas habent terræ insertas, hic prouentus colligitur. Nã metalla dicta sunt, quòd alia post alia reperiantur, quasi μετ' ἄλλα. Piscariæ paludes piscitio refertæ ac pisculentæ, quæ publicis usibus inseruiũt, & qui ex eis fructus colligitur, reipublicæ debetur. Rem præclarã & eximiam dicitur Nero cogitasse, uectigalia scilicet omnia & tributa toto terrarũ orbe aboleri, & liberum atq; immunem genus humanũ facere. A quo proposito destitit, postquam intellexit id fieri non posse, nisi uires imperij & nerui publicæ maiestatis soluerentur.

PAVLVS

Munus tribus modis dicitur. Vno donum, & inde munera dici dari mittiue. Altero onus, quod quom remittatur, uacationẽ militię muneriscq; prestat: inde immunitatem appellari. Tertio officium, unde munera militaria, et quosdam milites munificos uocari. Igitur municipes dici, quòd munera ciuilia capiant.

CÆLIVS.

Vt Iurecõsultus nobis indicet, qui sint municipes, & quæ dicãtur munia: de quibus crebra est in duodecim tabulis & in libris Iurisperitorum mẽtio: imprimis quot modis munus accipiatur, expedit. Nam munus donũ esse tradit: ex quo factũ est, ut liberalitatis gratia dicamus dari & mitti munera. Sic illud poetæ accipiendum: Muneraq; Iliacis erepta ruinis. Munus item onus est & perfunctio, à quo qui uacationẽ emeruit, is immunis uocat & immunitate donatus: ceu qui causarij sunt, & honesta missione exautorati. Sic Plinius munificẽ mammam dixit, quæ ad alendum fœtum lac suppeditabat. Tertio muneris nomine, officium significari: ex quo munera militaria, quę honoris & industriæ causa conferebantur: sic centuriones, tribuni, primi pili &

pili & cæteri ordinum ductores ſua obeunt munera, quom ſibi demandatã prouinciam implent: & ex eo munifices appellantur. Ex hac tertia ſignificatione ſubiungit Iureconſultus municipes eſſe nuncupatos: quoniam in reliquũ ſuis legibus utuntur, in eo populo Romano iuncti intelliguntur, quòd cum cæteris Romanis ciuibus munera & officia ac magiſtratus & ius ſuffragiorum participãt. Et ob id honeſtus adeo habebatur ordo municipũ: qui nulla alia re populo Romano obnoxij habebantur, niſi qua parte ſibi honor accedebat & dignitas. Quod ſecus accidebat ijs, qui aliquãdo deuicti fuerãt & facti fundus populi Romani, ita ut eorũ ſolum ærario publico eſſet ex uictorię cõditione adiudicatũ: quod ſolebat poſtremo, aut populo uiritim diuidi, quod ſæpe tentatũ eſt lege agraria: aut in militiæ præmiũ ueteranis diſtribui. Hoc enim erat fundum populi effici: qua de re & Cicero in oratione pro L. Balbo, & Gellius in Noctibus Atticis meminit. Sic & qui in colonias miſsi fuerãt, multo erãt deteriore conditione quàm municipes: quando nec ſuis legibus uiuebant, & onera eadem cum populo Romano tolerabant: ad præſcriptum denique Romani moris ſe dirigebant. Ob eam cauſam proditũ eſt, Pręneſtinos colonos populi Romani impenſe Tiberium principem oraſſe, ut eos in ius municipum transferret, quom antea coloniæ ius haberent: id quod Tib. eis non inuitus indulſit, quòd in eorũ agro ex grauí morbo conualuiſſet. Contrà Hadrianus quadam oratione teſtatur ſe grauiter mirari: quòd Italicenſes à quibus ipſe erat oriundus: & Vticenſes, & alia quędam oppida quom uere eſſent municipia & municipum iure fruerentur, maluerint tamen ſe in coloniæ ius transferri. Ex quo facile intelligi poteſt: municipiorũ quàm coloniarum ius multo eſſe melius atq; cõmodius. Cæterum eſt & quarta quædam muneris ſignificatio: quam uel Iureconſultus non putauit ad ſe pertinere: uel in ſuperioribus tribus ſignificationibus incluſam exiſtimauit. Nã & munera ludos ueteres dicebãt, qui in gratiam populi Romani edebantur: quorum munificentia liberales homines fauorem populi emerebant, eaq; ratione ſibi uiam muniebant ad magiſtratus & honores capeſſendos: & qui eos ludos edebant, munerarios ex ea cauſa nuncupabãt. Quom itaq; publicos ludos celebraret Domitianus, & quidam dixiſſet Thracẽ mirmilloni parem, munerario imparem: ei iuſsit manus amputari, & cũ hoc elogio per amphitheatrum duci: Impie locutus Parmularius.

VLPIANVS

Labeo libro primo Prætoris urbani definit, quòd quædam agantur, quædam gerantur, quædam contrahantur. Et actum quidem uerbum generale eſſe: ſiue uerbis quid agatur, ut in ſtipulatione: ſiue re, ut innumeratione pecunię. Contractũ autẽ ultro citroq; obligationem eſſe: quod συναλλαγμα Græci uocant: ueluti emptionem, uenditionem, locationẽ, conductionẽ, ſocietatem. Geſtum autem rem ſignificare ſine uerbis factam.

CÆLIVS

Ariſtoteles libro primo Politicorũ oſtendit quid interſit inter ποιεῖν καὶ πράττειν, facere ſcilicet & agere. Nam facere ad mechanicas potius artes refertur: quarum inſtrumenta non ſimpliciter poſsidentẽ, ſed alterius gratia haberi ſolent, ut eorũ adiumento aliquod opus perficiatur. exempli cauſa: pecten comparamus, ut tela fiat: ſubulam, ut calceus: acum, ut conſuamus: uericulum, ut piſces captemus, & eiuſmodi cætera. πράττειν autẽ, quod agere interpretamur, ad prudentiam & uirtutes pertinet: & inſtrumenta quæ ad πρᾶξιν referuntur, ſeipſis contenta ſunt. neq; enim in alterius gratiam expetuntur. nam ueſtem & lecticam habemus, ut his ipſis utamur, quom induimur aut quom ferimur: neq; ultra ijs opus ullum confieri expectamus. Atq; ita concludit, βίον εἶναι πρᾶξιν, ὁ ποίησιν. uitã eſſe actionẽ, non factionẽ: & ſeruũ inſtrumentum eſſe πρακτικὸν nõ ποιητικὸν cõcludit: quando multo nobilius ſit πρακτὸν ἢ ποιεῖν. Inter inſtrumenta autẽ ſeruum eſſe nobiliſsimũ ac præſtantiſsimum, utpote uiuũ & ſeparatum, id eſt quod per ſe agat, nulla etiã noſtra opera accedente. Quintilianus in ſecũdo Inſtitutionũ quærit, an rhetorice inter artes θεωρητικὰς ἢ πρακτικὰς ἢ ποιητικὰς

sit annumeranda. alias enim esse artes quæ in inspectione & contemplatione consistant: aliæ in agendo: quarum in hoc finis est, & ipso actu perficiuntur, nihilq; post actum relinquunt: qualis saltatio. Aliæ in effectu: sic enim ποίησιν transfert: quæ scilicet operis, quod oculis subijcitur, consummationē non finem accipiunt: qualis pictura. Demum ita cōcludit, ferè iudicandum esse rhetoricen in actu consistere, etiam si aliquid habet effectricis, quom scilicet oratiōes cōscriptas relinquit. Atqui crassiore ratione Iureconsultus noster, & ut sic dicā, populari magis trutina quàm philosophi ca statera utitur ad distinguendum ac secernendū, quomodo aliqua agantur, aliqua gerantur, aliqua contrahantur. Siquidē generaliter agi ea uult, quę uerbis aut rebus transigantur. uerbis enim stipulatio cōstat: per quam multa agimus. Rebus, puta numeratione pecuniæ, constat emptio. Gerere aūt ad rem magis pertinet, quæ sine uerbis peragatur. Sic magistratū gerere: sic rēpublicā gerere dicimur. atq; hoc est quod grāmatici hoc uerbum gerere honorificum esse tradunt: utpote quod ad honorarias perfunctiones pertineat. Hinc illud Vergilianum: Et nos aliquod nomenq; decusq; Gessimus. Sed enim contrahere, quod proprium est Iurecōsulti, ad eas actiones spectat, quæ ultro citroq; obligationem inuehunt: atq; inter duos pluresúe statuunt. Talis profecto est emptio & uenditio. nisi enim utrinq; emptor & uēditor interueniat, neq; emptio fieri poterit neq; uenditio. Locatio itidem & cōductio, hinc locatorem, inde redemptorē, id est conductorem requirit: sic societas iniri non potest, nisi mutua duorū pluriumúe obligatio intercedat. Hoc Græci uocant τὸ συναλλαγμα. Nam συναλλάττειν contrahere & mutua obligatione obstringere significat. Caius de gesti actiq; differētia loquēs titulo De uerborū significatiōe, Licet, inquit, inter gesta & facta uideatur quædā esse subtilis differētia, attamen κατάχρησικῶς, id est impropriè nihil interest inter factum & gestum.

VLPIANVS

Verba, contraxerunt, gesserunt, non pertinent ad ius testandi.

CÆLIVS

Ad testamenti factionem neq; contractus neq; rei gestio pertinet. Nam in contractu utraq; pars obstringitur: in testamento autem neq; testator neq; hæres obstringi solet. Testator quidem nō obligatur: quom habeat ambulatoriam uoluntatē usq; ad mortem, & testamentū pro libito immutare possit. Neq; rursus hæres obligatur, utpote cuius consensus nō requiritur, & plerunq; absit dum testamentum conficitur. Præterea si necessarius est hæres, non assensu neq; sponte, sed necessario hæreditatē adire cogitur: quòd si suus est hæres aut extraneus, tantum abest ut consensu adigatur, ut etiam si uelit possit hæreditati renuntiare. Gerere autē quom rebus cōstet, & sine uerbis perficiatur, ad testamenti functionē non attinet: quę uerbis multo magis constat quàm rebus. Puta, Sempronius ex asse hæres mihi esto.

PAVLVS

Princeps bona concedendo, uidetur etiam obligationes concedere.

CÆLIVS

Quom ex munificentia principis bona cōceduntur, uidentur obligationes quoq; concedi: argumento à maiori ad minus. Nam si quod amplius est, bona concedantur: quis dubitet quin id quod minus est, id est obligationes concedantur? quæ quasi appendices bonis ipsis inhærent. Cæterum quom obligationes nominat Iureconsultus: tam eas intelligo, unde nobis cōmodum accedit, quom creditores effecti nomina exigimus: quàm unde incōmodum nāciscimur, quom debitores effecti ad persoluenda onera compellimur.

CAIVS

Plus est in restitutiōe quàm in exhibitione: nam exhibere est præsentiā corporis præbe

præbere: restituere, est etiam possessorẽ facere, fructusq́ reddere: pluraq́ præterea restitutionis uerbo continentur.

CÆLIVS

Siquis sententia iudicis damnetur ad se aut libellos aliaúe monumenta exhibendum: probabit se sententiæ paruisse, quotiens aut monumenta ipsa aut libellos aut se ipsum præsentauerit. Nam rei corpus præsentiamq́ proferre, hoc est demũ exhibere. At siquis rursus damnetur ad restituẽdum, nõ satis erit corpus depromere, & rei præsentis potestatem facere, nisi & possessionẽ fructusq́ reddiderit. Hoc enim uerbo restitutionis multa complectimur, ut quis planè restitutus uideatur. Pertinet aũt hoc uerbũ maximè ad interdictũ, unde ui. ut unde qs deiectus exturbatusq́ fuerit, eò restituatur, atq́ ita in pristinũ gradum reuocetur, ut plenã possessionem & cætera quę possessioni adiuncta sunt assequatur: qua de re luculenter adeo disputat Cicero in oratiõe pro L. Cecinna. Sic restitui natalibus dicitur, qui autoritate principis in eum locum reuocatur, quo fuerat natali die. exempli gratia. Si quis natus liber in seruitutem prolapsus fuerit, & princeps eum in libertatem uendicãs dicat: Te natalibus restituo: tunc ea ratione libertas tradita uidetur, ac si nunquam seruitutem seruisset: atq́ in ea semper libertate continuasset, qua tunc primũ frui cœpit, quom in hanc lucem editus est. Quòd uero nonnulli restitutũ natalibus eum putãt, qui spurius natus legitimus factus est, cuiq́ inusta natalium nota expungitur: contrariũ uideretur, si suis natalibus restitui diceretur, qui omnino nota non caruerunt: eoq́ modo ille nihil planè foret assecutus: nisi primos natales intelligamus, eos scilicet qui uigebãt primæuo seculo, quom abdicata uerborum solennitate, omniq́ legum respectu, iure tantum naturali uir & fœmina iungebantur, omnesq́ qui ex ea coniunctione procreabantur, ingenui ac sine ulla nota nasci intelligebantur. Quare melius fortasse & apertius, qui legitimi beneficio principis efficiuntur, restituti ingenuitati dicentur, quàm natalibus restituti. Quę restitutio eos prorsus idoneos reddit ad bonorum successionem omniumq́ ciuilium munerum perfunctionem, ut omni ex parte legitimis æquati censeantur.

VLPIANVS

Rei appellatione & causæ & iura continentur.

CÆLIVS

Verba sunt Ciceronis in Oratione pro L. Murena: Iam illud mihi quidem mirum uideri solet, tot homines, tam ingeniosos per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertiũ an perendinum, iudicẽ an arbitrũ, rem an litem dici oporteret. sanè à re rei dicti sunt, qui in iudiciũ uocantur ad causam dicendam. Sunt qui uelint Iureconsultũ innuisse rei nomine, tam ea quæ mancipi sunt, quàm quæ nemancipi denotari, id est tam corporalia quàm incorporalia: ut per causas corporalia, per iura incorporalia indicentur. Ego & cõtrouersiam & rationes quibus controuersia nititur, rei appellatiõe contineri existimauerim. Nã & rem suã tueri dicitur, qui causam suam defendit. & rem suam persequi, qui laborat ut apud iudicem ius suum obtineat. Extat super rei significatu Ausonij uersiculus:

Iudicium, uenerem, litem, cur una notat res?

CAIVS

Nihil aliud est hæreditas q̃ successio in uniuersum ius, quod defunctus habuit.

CÆLIVS

Quicunq́ institutus est hæres, non solum ei debetur bonorum possessio, sed & omne ius omnesq́ actiones, quæ ad defunctum spectabant, ei debentur: ita ut quæcunq́ per iuris traditionem aut per iuris cessionem nostra fieri possunt, ea ad hæredem perueniãt. Ex quo etiam hæres appellatus creditur: quòd hæreat & cõtinuetur

in ijsdem iuribus quæ habebat qui decessit. Veteres crescere hæreditatem dixerũt, quicũq; auctus foret hæreditate. Hęreditatem obtingere sine sacris, de ijs dixit Plautus, qui solidam hæreditatẽ sine detrimento atq; imminutiõe ulla assequuntur: quando ille fuit mos maioribus, ut quisquis in bona succederet, is quoq; sacra gẽtilitia celebrare teneretur; quæ sanè non exiguis constabant impendijs.

PAVLVS

Recte dicimus, eum fundum totum nostrũ esse, etiam cuius usus fructus alienus est. Quia usus fructus non dominij pars sed seruitutis sit: ut uia & iter. nec falsò dictum est, meum esse, cuius non potest ulla pars dici alterius esse. Hoc & Iulianus ait, & est uerius.

CÆLIVS

Seruitutes dicuntur rei nostræ onera alieni cõmodi gratia: ita dictæ quòd res nostra alienis usibus seruiat: quod sanè fieri non potest sine nostro incommodo. Nam quòd alius in nostras ędes prospiciat, quòd iter aut uiam per nostrũ fundum habeat, non potest esse sine animi nostri molestia, & si hoc tamen rei nostrę dominiũ non deterat, neq; eo minus domini simus & uocemur. Nulla enim pars ędium nostrarũ aut fundi nostri eius seruitutis gratia alteri adiudicatur, aut alterius esse dicitur. Quæsitũ est, quid de eo fundo sentiendum, in quo ego dominiũ habeo, id est qui est mei mancipij: alter uero eo utitur fruitur, id est eius usufructum habet. Respõdet Iureconsultus, rem fuisse cõtrouersam diuq; disceptatã. Se autem, astipulatore Iuliano, ita decernere: quòd usus fructus non in dominio, sed in seruitute computetur: esse enim speciem seruitutis, quòd alius ex agro meo fructus colligat: quæ res & si dispẽdiosa admodum sit, nam fundus maximè usus fructus gratia appeti solet, non tamen imminuit nostrum dominium, neq; propterea fundus minus noster esse dicitur: de quo, non de cuius fructibus, pro sentẽtia disponere possimus. Recte itaq; dicimus, eum fundum totum nostrum esse, etiam cuius usus fructus alienus est. M. Curius in quadam epistola ex ijs quæ Familiares dicuntur, quom nullæ minus familiares sint, in dominio seu mãcipio & usu ac fructu iocatur, & quidem Græce. Sum enim, inquit, χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici nostri. ergo fructus est tuus, mancipiũ illius. Cui respondẽs Cicero hæc ait, & quidem latine: Attici nostri proprium te esse scribis mancipio & nexu, meum autẽ usu & fructu. Contentus isto sum: Id enim cuiusq; est proprium, quo quisq; fruitur atq; utitur. Ex quibus intelligitur, proprietatem & possessionẽ ad eum spectare qui habet mancipiũ & nexũ, quod recentiores Iurecõsulti dominiũ uocãt.

PAVLVS

Quod Q. Mutius ait, partis appellatione rem pro indiuiso significari: nã quod pro diuiso nostrum sit, id non partem sed totum esse; Seruius non ineleganter partis appellatione utrunq; significari.

CÆLIVS

Pars nomen est ad aliquid: nam pars totius pars est: neq; pars est nisi toti coniuncta. sicut neq; membrũ, membri nuncupationẽ admittit, nisi corpori adhæreat: auulsum enim à corpore membrũ appellari desinit. Recte ergo Iureconsultus ex sententia Q. Mutij tradit appellatione partis, rem pro indiuiso intelligi, id est quę nondum separationem sectionemúe à toto acceperit. sic in bonis sotialibus, in hæreditate herciscunda, in bonis diuidundis. Exẽplo esse potest lex illa Sceuolæ, Gręce quidẽ scripta, sed quæ ita trãsferri potest. Hęredes mei domũ meã ne uendũto, néue creditoribus obligãto: sed ipsa permaneat simpliciter in filijs inq; nepotibus per omne æuum. Si quis autem ipsorum uel uendere uel creditoribus obligare partem suam uoluerit: id ei ut faciat potestas esto, dum cohæredi uendat obligetúe. Si quis hanc iussionem aduersus fecerit, quod ob pecuniã obligatur, inutile & infirmum esto. Quòd si pars à toto reuellatur, iam pars non est, sed ex parte totum effectum: ut si caput à corpore abscinda-

abscindatur, iam nõ est corporis membrum, neq; pars corporis; sed totum quiddam sua forma præditum. atqui aliter Seruius. nam & partem eam dici uult quæ toti coniuncta est: & eam quæ rursus à toto abiuncta est. sed hęc posterior significatio impropria est, & καταχρηστικῶς accipitur. à toto enim detracta, pars potius dicitur respectu anteacti tẽporis, quo toti erat annexa, quàm quòd hoc tẽpore uere ac legitime pars sit. Has Dialectici ὑποθέσεις solent appellare, hoc est suppositiones: ut quom dicunt filium factũ esse hæredem patri: de eo intelligendum, non qui filius sit quom adit hęreditatẽ: defuncto enim patre cessat filij nuncupatio. Nam filius non potest non esse patris filius. De eo itaq; supponẽdũ q olim erat filius quom pater ageret in humanis.

VLPIANVS

Partum non esse partem rei furtiuę Sceuola libro decimo Quæstionum scribit.

CÆLIVS

Philosophi tradunt filium esse parentis partem à toto abiunctam: siquidem genituram, ex qua procreatur filius, ex omnibus corporis partibus deduci prudentissimi putauerunt. Fuerunt itaq; inter Iureconsultos qui existimauerint partũ ancillæ furtim & inuito domino abductæ partẽ esse rei furtiuæ: ita ut ancilla & fœtus ex ea natus, totum ac solidum furtum intelligatur, cuius pars sit pars. Ad hoc rationibus utebantur, quòd filius parẽtis pars foret: tum maximè quoniã natus ex ancilla uentrem sequeretur. Sed contrà decernit Vlpianus ex sententia Sceuolæ: partum scilicet nõ esse partem rei furtiuæ. cuius sententiæ rationem puto pendere ex proxima decisione: qua dicebatur, partis appellatiõe rem pro indiuiso significari. esse autem ancillæ partum à matre distinctum uel oculorum testimonio constat.

VLPIANVS

Ager, est locus qui sine uilla est.

CÆLIVS

Ager ideo dictus ex autoritate Varrõis, ꝙ in eo semper aliquid agat̃: uel quòd Gręci τὸν ἄγρον uocant. est autem ager uel pascuus uel seminalis. Reditus qui ex agro leguntur, in uillam deferuntur: quæ sic dicta est, quòd prouentus agrestes in eam cõuehantur, quasi uehilla. Quæritur an legato agro, uilla quoq; legata intelligatur. negat Vlpianus, quòd ager sit locus qui sine uilla est.

VLPIANVS

Stipendium à stipe appellatum est, quòd per stipes, id est modica æra colligatur. idem hoc etiam tributũ appellari Pomponius ait: & sanè appellatur à contributione tribuum: uel ex eo quòd militibus tribuatur.

CÆLIVS

Quando primũ Romano militi stipendium deberi cœperit, declarat Liuius libro quarto ab urbe cõdita de Anxuris expugnatione loquẽs. Oppidũ, inquit, uetere fortuna opulentum tres exercitus diripuere: eaq; primum benignitas imperatorum plebem patribus conciliauit. Additum deinde omniũ maximè tempestiuo principum in multitudinẽ munere, ut ante mentionẽ ullam plebis tribunorumúe decerneret senatus, ut stipendiũ miles de publico acciperet, quom ante id tẽpus de suo quisq; functus eo munere esset. Nihil unquam acceptũ à plebe tãto gaudio traditur. Idẽ mox: Postremò indicto iam tributo, edixerunt etiam tribuni auxilio se futuros, si quis in militare stipendium tributũ non contulisset. Patres bene cœptam rem perseuerãter tueri, conferre ipsi primi: & quia non argentum signatũ erat, æs graue plaustris quidam ad ærarium conuehentes, speciosam etiã collationem faciebãt. Hoc est æs illud quod Iurecõsultus stipem uocat, à stipando, id est cõgerẽdo. Hinc milites ęra dicun

tur merere: hinc ærarium ab ære graui. argenteus enim numus ante Pyrrhi tempora signatus nõ legitur. Ex Diurnis autẽ Taciti cognoscitur, stipẽdium militi in diem persolui solitum asses decem: quo quom contentus non esset, in principatus Tyberij initijs ut sibi denarius diurnus procederet petijsse proditur. Certè cohortes prætoriæ binos denarios in diem capiebant. totidẽ centuriones in exercitu. triplex uero stipendium equiti dabatur. Ex his facile intelligis quid stipendium & tributũ Viuiano & Pomponio, & cur dictum. Addemus & uerba Plinij, quoniã nonnihil adrem facere uidentur: ea scripta sunt libro trigesimotertio Naturalis historiæ: Librales unde etiã nunc libella dicitur, & dipondius appendebatur assis: quare æris grauis pœna dicta: & adhuc expensa in rationibus dicuntur: item impendia & dependere. Quin & militarium stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores libripendes dicuntur: qua consuetudine in ijs emptionibus quæ mancipij sunt, etiam nunc libra interponitur.

PAVLVS

Alienationis uerbum etiam usucapionẽ continet: uix est enim ut non uideatur alienare, qui patitur usucapionem. Eum quoq; alienare dicimus, qui non utendo amittit seruitutem. Qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare: ueluti qui hæreditatem omittit, aut optionem intra certum tẽpus datam nõ amplectitur.

CÆLIVS

Quęcunq; abalienari, id est lege duodecim tabularũ à nostro ad alterius dominiũ transferri atq; traduci iure poterant: uetustissimo uocabulo res mancipi dicebantur: è contrario nemancupi, quę abalienari non poterant. unde manceps siue mancipiũ, quòd manu capiatur: & mancipes qui à republica aut emere aut conducere solebãt; à manu scilicet, qua (ut Festus refert) sublata significabãt se uictores emptiõis esse: et mancipo quod est manu capio, obligo, summitto & seruum facio: & mancipatio ipse alienandi modus, & quoddam uenditionis, ut ita dicam, simulachrum in ijs rebus quæ mancupi dicebantur. Quarũ abalienatio, si M. Tullio credimus, non nisi dupliciter fieri poterat: uidelicet aut per nexu traditionẽ, aut iure cessionẽ. Traditio nexu, fuit quædam celebris iuris ciuilis solennitas, de qua ita Caius libro primo Institutionum Boethio in Topicis referente. Est aũt mancipatio imaginaria quędã uenditio, quod ipsum ius proprium Romanorũ est ciuium. Eaq; res ita agitur. adhibitis non minus quàm quinq; testibus ciuibus Romanis puberibus, & pręterea alio eiusdem conditionis homine qui librã æneam teneat, qui appellatur libripẽs: is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: hunc ego hominẽ ex iure Quiritiũ meum esse aio. isq; mihi emptus est hoc ære, æneaq; libra, deinde ære libram percutit. Sic enim lege iubebatur, cuius uerba sunt apud M. Varronem: Rauduſculo librã ferito. Tum id ges ei tradit, à quo mancipiũ accipit, quasi precij loco. Hactenus de nexu traditione. huic quicquid per libram & æs geritur, pertinet. Alter autem abalienandi modus, quam iuris cessionem diximus appellari, non ære aut libra, sed alia iuris solennitate constabat: ut Caius idem, cuius uerba sunt: In iure autẽ cessio fit hoc modo: apud magistratum populi Romani, uel apud prætorem, uel apud præsidem prouinciæ, is cui res iure ceditur, rem tenens ita uendicabat. hunc ego hominem ex iure Quiritiũ meum esse aio. Deinde postquã ita uendicauerit, prętor eum qui cedit ita interrogat, An cõtrà uendicet. Quo negante aut tacente, tunc ei qui uendicauit rem addicit: idq; legis actio uocatur. hæc Caius. Et his tantum duobus modis abalienationem posse fieri a ciue Romano ostẽdit M. Tullius in Topicis, ubi locũ à definitione pertractat. Nam pura traditione res alienari non poterat. Quod ita uerum esse intellige, nisi ab eo cui traditio fieret, res tradita usucaperetur: nam tunc sine ulla solennitate res acquirebat sola usucapiõe. Cõcludebat aũt antiqua usucapio anno uno in rebus mobilibus uel se mouẽtibus: in immobilibus uero solo biẽnio in Italia tantũ, quod à Iustiniano postea immutatum est. Hæc succincte & eleganter adeo Horatius ita comprehendit.

Si proprium est quod quis libra mercatur & ære,

Quæ

Quædam, si credis consultis, mancipat usus.

Si autem omnia quę nexu tradi poterant, omissa (ut diximus) solennitate erant apta ad usucapionem, necesse est ut quæcunq; poterant usucapi, possent etiam usu tradi: & ideo cognitis his quæ usu capi solent, qualia sunt serui, domus, equus, fundus, & quæcũq; tangi & apprehendi possunt: cognoscuntur illa quę mancupi dicebantur. quæ uero non sunt ad usucapionẽ accõmodata, nec similiter ad nexu traditionem erũt: & talia appellabantur nemancupi: qualia sunt omnia incorporalia: quæ scilicet tangi nõ possunt, quæq; in mero iure consistunt. ut usus, hęreditas, ususfructus, obligationes quoq; modo contractæ, & cętera id genus: quę propterea non usu capiuntur, quia nec possessionem nec traditionem recipiunt. Sine possessione autẽ usucapionem non procedere quis ignorat? ex quibus apertissime colligitur quid sibi uoluerit imperator Iustinianus eo titulo Codicis, De transfer. usucap. & sublata differentia rerum mãcupi & nemancupi. & illo, de nudo iure quiritiũ tol. Sed animaduertendum est, quia quæcũq; poterant nexu traditione abalienari, poterant & iure cessione. Sed non utiq; retro currit: nam ceduntur iura & actiones, inquit Vlpianus, res ipsæ restituũtur. Relinquitur ergo eas res demum mancupi dici solitas, quæ sunt ad æris & libræ solennitatẽ atq; etiam usucapionem aptissimæ: nemancupi autẽ, quæ nec usucapi, nec tradi nexu poterant: licet iure cedi possent. Hæc operæpreciũ duxi præfari de abalienatiõis modis ex ritu Quiritium: ut res tota cõmodius intelligatur: & quæ in usucapione posita sint, agnoscantur. Nunc cõminus cum re congrediendum, & Iureconsulti sententia propius pensitãda est. Illud uero iam excussum, aliena tionis uerbo usucapionẽ contineri. Sed & qui per negligentiã seruitute sibi debita non utitur, ac temporis præscriptione illã amittit: tacite uidetur in eius alienationem consentire. Cæterum qui occasionẽ acquirendi prætermittit, non intelligitur alienare, atq; id merito. Alienatio enim præsupponit dominiũ: nemo siquidem alienare potest quod suum non est, & cuius mancipium non habet. qui uero occasionẽ prætermisit acquirendi, hoc ipso nomine testatur suum non esse, quod nondum acquisiuit. Quod uel in hęreditate relicta, uel alia in opinione seu promissione data contingat, eodem modo censendum est.

PAVLVS

Oratio quæ neq; cõiunctionem neq; disiunctionem habet, ex mente pronuncian tis uel disiuncta uel coniuncta accipitur.

CÆLIVS

Inter species orationis est, quę asyndeta denominatur, quasi dixeris abiuncta: ut si dixero, Veni, uidi, uici. Ad huius uero intelligentiam subintelligitur uel disiunctiua uel coniunctiua particula. Neq; parũ interest, an hæc an illa subaudiatur. nam si disiunctiua subintelligitur, unam partem disiuncti impleri satis est: contrà si coniuncti ua, cõiuncti partes omnes impleri oportet. Hoc aũt non aliunde quàm ex mente ac uoluntate pronuntiantis uel scribentis interpretamur. exempli causa. si testator scripserit: Hæres meus quo die decessero, mihi annua iusta Beryti, Alexandriæ, Romæ facito. Hæc oratio sanè abiuncta est: cui tamẽ ex mente testatoris facile agnoscamus disiunctionem deesse, quando eadem die hæres Beryti, Alexandriæ, Romæ esse nõ potest. subaudita igitur disiunctione, ut scilicet uel Beryti uel Alexandrię uel Romæ annua iusta fecerit, uoluntatem testatoris se impleuisse certum habeat. Quòd si rursus testator ita mandauerit: Hæres meus columnã duũm pedum erigito, in ea nostrum elogium excribito, in proximo lucum Syluano consecrato. sciat hæres se uoluntati testatoris non satisfecisse, nisi ad unguem omnia impleuerit: quando abiunctæ illi orationi à coniunctione subsidium ac supplementum quærendum est. Illud sciendum est, ex hoc orationum genere disceptationẽ illam trahi solere, quę à scripto & scribentis uoluntate nomen suscepit, de qua apud rhetoras longa cõmentatio.

PAVLVS

Coniunctionem enim nonnunquã pro diſiunctione accipi, Labeo ait: ut in illa ſtipulatione, mihi hæredíq; meo, te hęredemq; tuum.

CÆLIVS

Si promiſeris te mihi hęredíq; meo daturum centum, ſanè non ita intelligendum eſt, quaſi te utriq; obligaueris daturum centum. Nam hoc modo nõ ad centũ: ſed ad ducenta perſoluenda tenereris. Sed enim ſi alterutri, id eſt, aut mihi aut hæredi meo centum perſoluerís, obligationẽ impleueris: atq; ita debere deſines. Pari pacto ſi ſcriptum fuerit: ſtipularís te hæredemq; tuum mihi Formianum fundum uenditurum: certum eſt ſi tu aut hæres tuus Formianum fundum mihi uendiderit, obligationem deſituram: neq; ulla neceſsitas cogit ut uterq; hoc agat. Huius rei illud perſpicuum eſt teſtimoniũ, q; ego te adigere non poſſum ut Formianum mihi uendas: alioqui uterq; ex pari obſtrictus foret, & in utrunq; daretur actio. Adde quòd te uiuente nullus eſt tuus hæres: quõ ergo mihi obligari poteſt, qui nondum uſquã eſt gentiũ? Ex iſs igitur facile colligi poteſt: hoc genus dicẽdi, mihi hæredíq; meo: uel te hæredemq; tuũ: in exemplis quæ modo adſcripſimus, nõ ad coniunctionẽ, ſed ad diſiunctionẽ ſpectare. Illud præterea uerũ eſt, coniunctionẽ & diſiunctionẽ non ad uerba, ſed ad ſenſum pertinere. nam utraq; uerba coniungit: ſed ab altera ſenſus abiungitur, ab altera coniungitur. Porrò in ea ſtipulatione de qua agitur in titulo De uerborum obligationibus: ſibi hæredíq; ſuo ire, agere, licere: q; particula planè ſenſum coniungit, neq; habet quicquã cũ abiunctiua cõmune. Quod fermè Accurſius uidetur aſſeueraſſe. Quòd autem uerba interdum diſtent à ſententia, hoc in primo Digeſtorũ Iureconſultus dixit, diſtare τὸ ῥητὸν ἀπὸ διανοίας.

PAVLVS

Sylua cædua eſt, ut quidam putant, quę in hoc habetur ut cæderetur. Seruius eam eſſe, quæ ſucciſa rurſus ex ſtirpibus aut radicibus renaſcatur. Stipula illecta, eſt ſpicæ in meſſem deiectæ nec dum lectæ: quas ruſtici quom uacauerint, colligunt. Nocualis eſt terra præciſa quæ anno ceſſat, quam Græci νεῶμα uocãt. Integra autem eſt in qua nondum dominus paſcẽdi gratia pecus immiſit. Glans caduca eſt, quę ex arbore cecidit: Paſcua ſylua eſt, quę paſcuis pecudum deſtinata eſt.

CÆLIVS

Volentes ſignificare ueteres eam partem rei agreſtis utiliſsimã eſſe quæ minimis impendijs cõſtaret: eam conſtare dixerunt bonis malis, per bona impendia, per mala uilia interpretantes: ita ex antithetis cõmodum quendam cinnum facientes. Hoc fuit in cauſa ut ſyluas & plantaria multa haberent in æſtimatione, uſq; adeo ut plantaria dotem filiarum appellarent, quòd ex ijs magnum quæſtum facerẽt modica impenſa. Verum cæduam ſyluam dixerunt eam, unde lignari poterant & materiam ad ædificia comparare uel ad inteſtinum opus: quod interdictum erat ex ſyluis inęduis, quas attigiſſe piaculum fuit. Ex quo Turulium illum Pompeianum religione obſtrictum ferunt in hoſtium manus collapſum pœnas uiolati luci ſubijſſe. certis tamen precationibus à Dis impetrari poterat, ut ſyluæ eorum numini ſacræ excliderentur uel interlucarentur. Siquidem interlucare, eſt ramos denſam umbrã facientes abſcindere lucis admittendæ gratia. Et quidem apud me potior eſt Pauli ſententi quàm Seruij: quando ſylua ex ſtirpibus aut radicibus renaſcẽs rediuiua potius & cæſa dici poteſt, q; cædua. Funditus enim exciſa quomodo iam cædi poteſt? Quod ad ſtipulam pertinet, ſi proprie & ex autoritate Varronis loquamur, ſtipulę ſunt folia culmum ambientia. Culmus eſt qui ſpicam ſuſtinet, calamus dictus alio nomine: ſpica uero granum ſuſtinet à ſpe dicta. huius ſumma ariſta dicitur: qua ſi careat, mutica nuncupatur, quaſi mutila. Nunc Iureconſultus licenter ſtipulam accipit pro culmo & ſpica. Quæ quom exciſa eſt à ſtirpe, & in terrã deiecta: tantiſper illecta appellatur, dum eam ruſtici quom uacauerit, id eſt ociũ fuerit, colligãt. Noſtri certè coloni

ſpicas

ſpicas primo demetunt, mox colligant in manipulos, demum conuehunt in aream, ubi uel tribulis uel iumentis atterantur, ut euentilatæ & excretæ demum condantur in horreũ. Plinius libro decimooctauo Naturalis hiſtoriæ: Nouale eſt quod alternis annis ſeritur. Ex quo Vergilius:

Alternis idem tonſas ceſſare nouales,
Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum.

Libro tamen decimoſeptimo Plinius itidem: Talis ferè eſt in noualibus cæſa uetere ſylua. Vt minus accuſandus uideatur Seruius, qui præter priorẽ ſignificationẽ dixit, noualia eſſe unde ſylua tollit. Priori ſignificationi fauet Iureconſultus: nouale à Græcis, νέωμα. Integram autẽ terram tradit, quę non modò nõ fuit proſciſſa, ſed nec dum pecus in eam miſſum eſt paſcendi gratia, ut uirgo etiã intacta omnino intelligatur. Cicero eleganter libro De deorum natura inquit: Præbeo me tibi integrum diſcipulum, id eſt planè rudem & eius philoſophiæ ignarũ. Sic & apud Catullum locus ille enarrandus eſt: Puellę & pueri integri. Quod nemo hactenus aduertit, quod ſciam. Lex eſt duodecim tabularum: Glandem in alienũ fundum procidẽtem colligere fas eſto. De hac Plinius mentionẽ habet libro decimoſexto, cautũ fuiſſe tradẽs, ut colligere glandem in alienũ fundum procidentem liceret. prætor deinde ſuo edicto præcepit, ut tertio quoq; die aliquis glandẽ quæ ex fundo ſuo in agrum alienũ caderet, legere & auferre poſſet. Glandis uero nomine Iabolenus & Caius omnes fructus cõtineri dixerunt. Caduca uero glans eſt, quæ ſua ſponte ex arbore decidit: ſicut poma caduca & procidua ad eorum differentiã, quæ ſtrictiua à ſtringendo nuncupantur: nam ſtringere pro colligere ueteres dixerũt. Poſtulat locus ut de glande nõnihil dicatur. Glandes opes eſſe nunc quoq; multarum gentiũ etiam pace gaudentium conſtat. Nec non & in copia frugum arefactis molitur farina, ſpiſſaturq; in panis uſum. Quin & per Hiſpanias ſecũdis menſis glans inferebat: dulcior eadẽ in cinere toſta. Diſtant fructu, ſitu, ſexu, ſapore. dulciſsima omnium fagi: ut qua obſeſſos etiam homines duraſſe in oppido Chio proditũ ſit. Fagi glans muribus gratiſsima eſt, & ideo animalis eius unà prouentus. glires quoq; faginat. expetit etiã turdis. Arborũ ferti litas omniũ ferè alternat, ſed maximè fagi. Glandẽ, quæ propriè glãs intelligitur, ferunt robur, quercus, eſculus, cerrus, ilex, ſuber. Ilicis tamen glandem Homerus acylon uocat, & à glande hoc nomine diſtinguit. Cerro triſtis, horrida, echinato calyce ut caſtaneæ. Glans fagea ſuem hilarem facit: carnem coctibilem ac leuem & utilem ſtomacho. iligna ſuem anguſtam, nitidã, ſtrigoſam, ponderoſam. Querna diffuſam & grauiſsimã, & ipſa glandium æquè dulciſsima. Proximã huic cerream tradit Nigidius: nec ex alia ſolidiorẽ carnem, ſed duram. Iligna tentari ſues, niſi paulatim detur. hanc nouiſsimã cadere. fungoſam carnem fieri eſculo, robore, ſubere, rei ruſticæ autores, & quibus ſcrutari hæc cura eſt, tradidere. In Topicis argumentum eſt à coniugatis: cuius exemplum: Si ager cõpaſcuus eſt, ergo in eo ius eſt compaſcere. Sic & ſylua quæ in hunc uſum deſtinata eſt, ut ex ea pecori pabulum paretur, iure paſcua dicitur à Iureconſulto. Hinc ſcilicet glandes, poma, & id genus alia proueniunt, ex quibus large armenta depaſcantur.

VLPIANVS

Pratum eſt in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat opus eſt, ex eo dictũ, quòd paratum ſit ad fructum capiendum.

CÆLIVS

Sine armentis coli arua difficile eſt, ſine fœno ali armenta & ſuſtineri nõ poſſunt: ut fœnum habeatur cultus prati neceſſarius eſt, cui ueteres Romani primas in agricolatione tribuerunt: nomen quoq; indiderunt ab eo, quòd protinus eſſet paratum, nec magnum laborem deſideraret. Addit Cato illas cõmoditates, quòd nec tempeſtatibus affligat, ut aliæ partes ruris: minimiq; ſumptus egẽs per omnes annos præbeat reditum, neq; eum ſimplicẽ, quom etiam in pabulo non minus quàm in fœno reddat. Pratorum duo genera, alterum ſiccaneum, alterum riguum, læto pinguiq;

campo

campo non desideratur influens riuus: meliusq; habetur fœnum quod suapte natura succoso gignitur solo, quàm quod irrigatum aquis elicitur. Sus à prato arcendus est, quoniam rostro suffodiat & cespites excitet: sed neq; maiora pecora admittenda, nisi quom siccissimũ solum est, quoniam demergunt ungulas, & atterunt scinduntq; radices herbarum. Hæc ex Varrone carptim. ex quibus satis constat ad fructũ percipiendũ ex prato, nõ tantũ falce opus esse, quom in pabulo nõ minus quàm in fœno reddat. Nõ pigebit, quod experientissimi de prato tradiderint, subiũgere. Senescũt prata, restituiq; debent faba in his sata uel rapis uel milio. Mox insequente anno frumento: rursusq; in prata relinqui tertio. Præterea quoties secta sint, sicilire: hoc est, quæ fœniseces prætereunt, secari. Est enim imprimis inutile, nasci herbas sementaturas. herba optima in prato trifolij, proxima graminis, pessima mimmuli. Fœnum quod autumno secatur, chordũ uocãt. Cato fœnum, inquit, ne sero seces, priusquam semen maturũ sit, secato. Falcis usus fuit apud priores maioris impendij: creticis tarias cotes dedit, limæ uice imperantes ferro. Falcium duo genera, Italicum breuius, ac uel inter uepres quoq; tractabile. Galliarum latifundia maioris compendij: quippe medias cædunt herbas, breuioresq; prætereunt. Falces à farre litera cõmutata, inquit Varro. hæ in Campania seculæ à secãdo, sunt aliæ fœnariæ, aliæ adorcæ. Sunt lumariæ, quibus secant lumecta, cum in agris serpũt spinæ: quas quod à terra agricolæ soluunt, luunt, lumecta uocitantur. Falces sirpiculę à sirpando, id est ab alligãdo dictæ. Sectum fœnum uerti ad solem, nec nisi siccum construi oportet: ni fuerit hoc obseruatum diligenter, exhalare matutino nebulam quandam, metasq; mox sole accendi & conflagrare certum est.

PAVLVS

Minus solutum intellígitur, etiam si nihil esset solutum.

CÆLIVS.

Si testamento cautum fuerit: hæres meus damnatus esto intra annum Sempronio centum dare: quòd si minus dederit, ad ducẽtum teneri iubeo. Cedit annus, nec quicquã interim hæres persoluit Sempronio. Agit Sempronius aduersus hæredem secundum tabulas, ut ducẽta sibi enumerentur in pœnam centũ non persolutorum. hæres negat se teneri, quia non minus, sed nihil dederit. Qui enim minus dat, necessario dedisse aliquid creditur. Huic hæredis argutationi occurrit Iureconsultus, decidens, minus solutum intelligi, etiam si nihil fuerit solutum.

VLPIANVS

Palàm, est coram pluribus.

CÆLIVS

Palàm plebeio mutire piaculum est. quid palàm? an in theatro: an coram populo uniuerso. Nunquid si iussero te palàm ueritati testimonium ferre, erũt omnes homines in conspectum accersendi ut ueritatẽ audiant. Atqui Iureconsultus non omnes, sed plures aduocandos prescribit. Plures autẽ ego tres ad minimum interpretor ex autoritate Aristotelis. Hoc enim numero in libro De mundo perfectionẽ quandam includit, ut ante hunc numerum uniuersitatis nomine uti non possimus. Nam si duo aduenerint consules, nõ omnes consules aduenisse dicemus, sed ambos. Citra enim ternarium non consistit uniuersitas. Hoc mouit Græcos, ut inter singularem & pluralem numerũ dualem interfererent: planè intelligentes aliam esse dualis, aliam pluralis rationem.

PAVLVS

Actionis uerbo etiam persecutio continetur.

Cælius

CÆLIVS

Persecutio est in rem suam, & ad dominum proprie pertinet. Mandatarius & qui alienã rem gerit, actionẽ habet: persecutionẽ, si proprie loqui uolumus, non habet. Actio igitur est quasi genus ad persecutionem: persecutio actionis species est. Proinde quicunq; persecutionẽ habet, idem habet actionem. Sed ex aduerso non recurrit, ut qui agere potest, possit quoq; persequi. Recte ergo Iureconsultus ait, actionis nomine persecutionẽ etiam comprehendi. Nam speciẽ uocabulo generis claudi notius est quàm ut probatione egeat.

PAVLVS

Restituere autẽ is intelligitur, qui simul & causam actori reddit, quã is habiturus esset, si statim iudicij accepti tempore res ei reddita fuisset: id est usucapionis causam & fructuum.

CÆLIVS

Restituere uerbum est ad interdictum Vnde ui pertinẽs, quando aliquis loco deiectus in gradum pristinũ reuocatur. Sed & qui litem alteri intendit, & rem suã persequitur: si reus causæ cedat, & tam usucapioni, id est possessioni, sine qua usucapio non procedit, quàm fructibus renuntiet. renuntiare autem possessioni & fructibus, est se mancipio pariter & usufructu exuere. Quisquis ergo ita utriq; cessit, ut res nihilo sit facta deterior, quàm eo foret quo primũ tempore iudicium susceptũ est, & lis intendi cœpit: is planè autore Iureconsulto restituisse intelligitur.

VLPIANVS

Litis nomen actionem significat, siue in rem, siue in personam sit.

CÆLIVS

Actio siue sit ad rem recuperandam, siue ad personã puniendam: id est siue realis sit, siue personalis: qualis est bonorũ & capitis anquisitio: ea litis nomine includitur. nam lis & in rem & in personam intenditur.

PAVLVS

Verbum oportere, nõ ad facultatẽ iudicis pertinet, qui potest uel pluris uel minoris condemnare: sed ad ueritatem refertur.

CÆLIVS

Iudex potest pluris aut minoris condemnare, prout quisq; mulctam cõmisit & in pœnam incidit: præsertim si pœna sit arbitraria. at quom actor & reus ita conueniunt, ut persoluatur quantum solui oportet: tunc non summo iure res agenda est, neq; ad mulctam irrogatam respiciendum est. Sed ex formula æqui & præscripto ueritatis tantum petendum est quantum quisq; debeat: ita ut hoc uerbum oportet, pro decet & par est sit accipiendum.

VLPIANVS

Ostentum Labeo definit esse contra naturã cuiusq; rei genitum factumq;. Duo genera sunt ostentorum. Vnum quoties quid contra naturam nascitur, tribus manibus forte, aut pedibus, aut qua alia parte corporis: quæ naturę cõtraria est. Alterũ quom quid prodigiosum uidetur: quod Græci φάσμα τερατῶδες uocant.

CÆLIVS

Ostentum dictum est quod iram ostentet, & aliquid aduersi præmonstret. Ex quo etiã monstrũ dictum fuit: sicut & portentũ quod quicquã mali portendat. Quod contra institutum naturæ genitum est, ostenti loco habetur. Exempli causa, si homo trimanus aut quadrimanus uel biceps nascatur; qui præcepto auspicum expiationis causa

causa uel in mare abiiciebatur, uel in solitudinem deportabatur. Legimus apud Iulium Obsequẽtem, puerũ ex ancilla quatuor pedibus, manibus, oculis, auribus, & duplici obscœno natum, aruspicũ iussu crematum, eiusq; cinerem in mare deiectum. & hęc quidem gignuntur contra naturæ consuetudinẽ. Fiunt autẽ, sicuti quom lapidibus pluit. ad quod ostentũ expiandũ nouendiale sacrũ instituebaẽ. Sicut rursus aliquando ostenti loco habitum est, q nouendialis cœna à cane adesa sit antequã delibata. Sicut & ancylia cum crepitu aliquando sua sponte mota: seruusq; Seruilij Cœpionis matri Ideæ se præcidit, & trãs mare exportatus ne unquam Romã reuertetur. Qua ex re urbs lustrata: capra cornibus ardẽtibus per urbem ducta porta Neuia emissa, relictaq;. Quom terrę labes facta nuntiabaẽ, id ostẽti rite sue fœta procurabatur. Legimus apud Plinium libro decimoseptimo celebre illud ostentũ. Nam super omnia quæ unquam audita sunt, etiam prodigium in Plinij æuo Neronis principis ruina factum scribitur agro Marrucino, Vectij Marcelli è primis equestris ordinis olíueto uniuerso uiam publicam trãgresso, aruisq; inde è contrario in locum oliueti profectis. Horum autẽ ostentorum origo, ut pulchre inquit Augustinus, causa non caret, & si omnino causa lateat. Nam uel materię redundantia uel deliquio prodigiosa hæc solent euenire, natura quidem reclamante, sed materiæ conditioni manus dante. Sicut interdum statuarius, si in eam lapidis duriciẽ inciderit, quæ uel scirros uel centrũ à Græcis dicitur: neq; arte neq; scalpello eã potest peruincere. Quæsitum est apud aruspices: an ostenta hęc incidant, quoniam ea quæ sequuntur futura sint: an ea futura sint, quoniam illa præcesserint. & quidem prior sententia apud me potior. Illud non prætermittam admonere, membra omnia agnata planè esse inutilia, Aristotele & rerum experientia hoc testante: sicuti pes tertius in ijs qui tripodes nascunt: & digitus sextus in ijs, qui sedigiti progeniti sunt. quare mirari soleo, quosdam in sacris literis inde fortitudinis cõmendationẽ accepisse, quòd sex digitis præditi forent: quom certum sit sextũ digitum oneri potius esse quàm adiumento. Duo uero ostentorum genera annotauit Iureconsultus, quorũ alterum in natura, alterum citra naturam euenit. De utroq; abunde dictum. ea ostenta quæ à genijs, incubis, ac dæmonibus proficiscuntur, in altero genere continentur, quod φάσματα τῶν πνευμάτων à Græcis dicitur. Quale id quod Bruto proditur occurrisse: cui formidabilis uiri effigies & humana maior se obtulit: & quom ille quis foret percũctareẽ: Tuus, inquit, malus genius sum: in campis Philippicis me uidebis. Quid quòd quędam alibi prodigiosa, alibi desinunt esse prodigio. mulæ partus apud nos prodigiosus est, in Cappadocia nihil habet prodigij.

PAVLVS

Subsignatum dicitur quod ab aliquo subscriptum est: nam ueteres subsignationis uerbo pro adscriptione uti solebant.

CÆLIVS

Subsignare dicebantur qui ita tabulis suum nomen subscribebant: ut uel se reiecte interfuisse testarentur: uel quod in tabulis scriptum foret, approbare significaret. Priore modo qui testamento faciundo aut sponsalibus confarreandis intererant: ij se subsignabãt, annuloq; signum imprimebant: poterant autẽ omnes uno annulo adeam sigillationẽ uti. Hinc & signatores & subsignatores dicebantur. Iuuenalis: Veniet cum signatoribus auspex. Rursus signatores uocabantur, qui cum quis erat in iudicium uocandus, se accusationi subsignabant: quod & subscribere dicebatur. Cicero in Prętura urbana: Ei qui istius quæstor fuisset, & ab isto lęsus inimicitias iustas persequeretur: non modo deferendi nominis, sed ne subscribendi quidem, quom id postularet, fecerunt potestatem. Hinc factum est ut subsignare & subscribere pro fauere accipiatur. Columella: Si meo uoto fortuna subscripserit.

PAVLVS

Bona intelliguntur cuiusq;, quæ deducto ære alieno supersunt. Cælius

CÆLIVS

Aes alienũ est quod alteri debet. Magna enim æris autoritas apud ueteres: quod signatũ nota pecoris pecuniam uocarũt. Tarde siquidem aurũ argentumq; signatũ est. Antiquã eris consuetudinẽ testat ad posteritatẽ deducta appellatio. Nam adhuc æra militũ, & ære dirutos, & eratios, & ex ærarijs exemptos, quin & ipsum ærariũ, & obæratos, & tribunos ærarij, & collegium fabrũm ærariorũ etiamnum dicimus. Hinc scilicet factũ est ut quod alteri debemus, id æs alienũ uocemus: quod qui computat in re sua, is seipsum implanat. Nã quom creditor appellauerit, tũ reluẽdum est quod uel cõmodato uel precario possedimus. Memoriæ proditũ est, Crassum qui primus Diues appellatus est, sub creditoribus decoxisse. Inter prodigia humani animi ueteres tradiderũt, Milonẽ HS. DCC milia æris alieni debuisse. Quom Augustus audisset inter bona equitis Romani qui grande æs alienũ debuerat, sub hasta culcitã uenire: eam sibi emi iussit sub hoc elogio: quod mollissimã cõmodissimamq; esse oporteret, sub qua tanto ære obrutus somnum cepisset.

PAVLVS

Attestari est absenti denuntiare.

CÆLIVS

Ego antestari legendum puto non attestari. Est autẽ antestari uerbũ uetus & duodecim tabulis consuetum, aduersus eum qui declinat iudicium & uadimoniũ frustratur: quẽ si aduersarius deprehendat, obtorto collo in ius rapere potest: si tamen præsentium aliquem tacta auricula prius admoneat & testem sibi esse iubeat, quòd non iniuriæ neq; contumeliæ causa, sed tantũ ut in iudicio sistat, id agit. Sed neq; cuiusq; nisi uolẽtis auricula attingi poterat. est enim auris Memoriæ dicata: ob id admonentes aurem uellimus. Vnde illud Vergilianum: mihi Cynthius aurem Vellit & admonuit. Et tritum illud: Mors aurẽ uellens, uiuite, ait, uenio. In antestatione aũt hæc fuit lex duodecim tabularũ: Si uis uocato in ius antestari, aurẽ capito. hoc est: si uis aduersus eum qui in ius uocatus sit, neq; stiterit, testem aduocare, aurem capito. Nam per auris attactũ fiebat antestatio, ut diximus. Horatius in Satyra cui principium: Ibam forte uia sacra, sicut meus est mos. Casu uenit obuius illi Aduersarius. & quò tu turpissime, magna Exclamat uoce: & licet antestari? ego uero Oppono auriculã. rapit in ius. Sed & Plautus in Persa de hac meminit consuetudine. Ait enim leno ad Saturionem parasitum. nónne antestaris? cui parasitus. Tua ne causa cuiquam mortali libero aurẽ atteram? hoc autẽ uerbum antestari uel inde dictum est, quòd contra aduersarium testem inuocemus: uel quòd antequam restitantẽ illum & tergiuersantẽ in ius rapiamus, testimonio præsentis hominis utamur. Quòd uero Iureconsultus inquit, antestari est absenti denuntiare: absentem interpretor qui se iudicio subduxit: & sua absentia iudicem frustratus est. Sunt qui uelint attestari esse absentem in testimonium uocare. quorũ sententiam tantisper suspendo, dum exemplum antiquitatis inuenero. Certè Seneca attestata fulmina uocat, quæ ad cõtestanda priora prodigia superueniunt.

PAVLVS

Incertus possessor est, quem ignoramus.

CÆLIVS

Etiam optimi iuris possessor incertus possessor dici potest, si possidere ignoratur. Tria siquidem possessorum genera animaduerti possunt. alij enim noti ac certi sunt possessores, de quorũ possessione non ambigitur: alij ignoti planè, alij inter hos medij: incerti scilicet ac dubij, quorũ possessio in ambiguo est. Atqui quæ nobis incerta sunt, ignoramus: si enim scire, ut tradunt philosophi, est ex primis & immediatis causis: uel certè à sensu, unde omne nostræ cognitionis seminarium progredi-

tur: profecto qui ambigit, ignorare dicẽdus est. Recte itaq; dictum est: incertum possessorem eum esse quem ignoramus.

VLPIANVS

Detestatio est denuntiatio facta cum testatione.

CÆLIVS

Ego antestationem legendum puto: quæ fit cum testatione, inuocato scilicet eius testimonio, cuius aurem attingimus. De qua quoniam superius abunde diximus, hic nihil repetendum arbitror. Sunt qui contestationẽ legant: quæ in principio litis intentatę fieri solet cum protestatione damnorum & interesse.

VLPIANVS

Serui appellatio etiam ad ancillam refertur.

CÆLIVS

Quod est præstantius, id minus præstans sub se colligit in eadẽ specie: sub nomine filiorũ filię, sub nomine uiri mulier, sub nomine serui ancilla comprehenditur.

VLPIANVS

Familiæ appellatione liberi quoq; continentur.

CÆLIVS

Inseuit natura non solum animalibus perfectis atq; absolutis, sed plantis etiam & ijs quæ inter utraq; ambigunt, qualia Græci dicunt ζωόφυτα, desiderium & incentiuum quoddam propagandi suam speciẽ & procreandi sibi simile. Ex quo factum est ut in nostro genere coniungi ac copulari eos necesse sit, qui nisi simul sint, esse non possunt: marem scilicet & fœminam: qui non alia causa quàm progenerandi, unà conueniunt. quod sanè potest non ab animi nostri optione proficisci, sed à naturæ impulsu. In hac uero societate par est illud imperare, quod ingenio & uirtute præcellit: hæc ratio uirum fœminę, dominũ seruo prætulit. Hinc & poetæ recte dixisse existimantur, βαρβάρου δ' ἕλλωας ἀρχὸν ἀνδρός. quod idem sit natura barbarus & seruus. Prima itaq; societas seu domus constitutio ex his constat, uiro, fœmina, seruo. Hoc enim innuit Hesiodus:

οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα.

Imprimis domus & mulier bosq; adsit arator.

Nam bos apud egenos uicẽ implet serui. Charondas hos ὁμοῦπνους, Epimenides ὁμοκάπνους appellauit, quod unà somnum capiant: & quòd ad eundem fumũ degant. In ijs sunt filij, ad propagandã nostram speciẽ prognati, ut diximus. nam quom individuum quodq; per se mortale sit & propediem interiturũ, nisi in sobole generis æternitas retineatur, breui omnem speciem aboleri necesse est. Ex ijs enim suboleſcit societas altera, quæ prima ex pluribus domibus coalescit. In qua sunt & nati natorũ, & qui nascũtur ab illis. Hinc ergo facile intelligi potest, cur Iureconsultus dixerit, familiæ appellatione liberos contineri: utpote quorum causa prima societas maris & fœminæ à natura sit instituta. Sunt qui sentiant, per liberos Iureconsultum non filios, sed eos qui libertate fruuntur innuisse. nam quom famul lingua osca seruus nuncupetur, unde familiæ nomen deductum est, iure aliquando dubitatum est an liberi in familia censeantur. hanc dubitationem soluit Iureconsultus quom dicit, familiæ appellatione liberos contineri.

VLPIANVS

Vnicus seruus familiæ appellatione non continetur: nec duo quidem familiam faciunt.

Cælius

CÆLIVS

Si ea quæ à nobis supra sunt annotata ex sententia Aristotelis de binario & ternario numero, in mentem reuocentur: perfacile erit non modo intelligere quid Iureconsultus sentiat: sed & cur hoc sentiat, agnoscere. Nam quom familia nihil aliud sit, quàm uniuersitas quędam, uxore, filijs, seruisq; constans, cui paterfamiliâs præsidet: profecto quom duo serui ac multo minus unus seruus, uniuersitatē non faciant: ubi unus aut duo serui tantum fuerint, ibi certò affirmari potest non esse familiam, quam tribus constare ad minimum, certum est.

CAIVS

Armorum appellatio non utiq; tantum scuta & gladios & galeas significat, sed & fustes & lapides.

CÆLIVS

Quæ nostri arma, hæc Græci ὅπλα dixere: unde hoplomachi armis decertantes. Sed utraq; uox nō ad ea solum refertur, quibus aut aduersarium offendimus, aut nos ipsos tuemur: sed ad omnia cuiusq; artis instrumenta. Fuerunt qui ea tantum arma existimarent, quæ ferro aut ęre constarēt: & quom lex pœnam ijs statuat, qui armis quenquam fuerint persecuti, aut exturbauerint è fundo & propriis penatibus: uolentes legi fucum facere, ad id facinus patrandū fustibus & lapidibus usi sunt, ita se pernegantes in pœnam incidisse à lege propositam. Sed Iureconsultus eius subterfugij potestatem obstruit: & ne quam inueniant latebram in tabella occurrit, declarās armorum appellatione fustes etiam & lapides contineri. Sanè Piso, aduersus quem Cicero in luculenta illa oratione pro A. Cecinna dixit: nō aliter se tuebatur, quàm ut interdicti uerba subuerteret noua & insolenti interpretatione. Eius interdicti uerba sunt. Vnde tu aut familia aut procurator tuus hominibus coactis armatisúe deiecerit, eò te iubeo restituere. Cicero quom qui nā armati sint prosequitur, hæc ait: Quid dicemus? armatos si latine loqui uolumus, quos appellare uere possumus? opinor eos qui scutis telisq; parati, ornatiq; sunt. Quid igitur? si glebis aut saxis aut fustibus aliquem de fundo præcipitē egeris: iussusq; sis, quem hominibus armatis deieceris, restituere: restituisse te dices? uerba si ualent: si causæ non ratione, sed uocibus ponderantur: me autore dicito. Vinces profecto non fuisse armatos eos, qui saxa iacerent, quæ de terra ipsi tollerent: non esse arma cespites neq; glebas. Non fuisse armatos eos, qui prætereuntes ramū defringerent arboris. Arma esse suis nominibus, alia ad tegendum, alia ad nocendum: quę qui non habuerint, inermes fuisse uinces. Verum siquidem erit armorū iudicium, tum ista dicito. Iuris iudiciū quom erit & æquitatis, caue in ista tā frigida, tā ieiuna calumnia delitescas. Nō enim reperies quenquam iudicem aut recuperatorē, qui tanquā si arma militis inspicienda sint, ita probet armatum: sed perinde ualebit quasi armatissimi fuerint, si reperientur ita parati fuisse, ut uim uitæ aut corpori potuerint afferre. Et quæ plurima sequuntur in hanc sententiam. In quibus profecto Cicero non tantū laborasset, si ea ætate Caius suo responso patefecisset, armorū nuncupatione fustes & lapides comprehendi. Atqui & natiua quædam arma natura indulsit animantibus, quibus ab initio depugnabant. Arma antiqua manus dentes ungueśq; fuere, inquit Lucretius. Hinc leones, ursosq; exarmatos dicimus, quibus, dentes, ungues q; adempti sunt.

VLPIANVS

Probrum & opprobrium idem est. Probra quædam natura turpia sunt, quædam ciuiliter & quasi more ciuitatis improbata. utputa furtum, adulterium natura turpe est. Enimuero tutelæ damnari, hoc non natura probrum est, sed more ciuitatis: nec enim natura probrum est, quod potest etiam in hominem idoneum incidere.

CÆLIVS

Probrum pro cōuicio acceptū est ab antiquis. Liuius: Occursant portis, ingerunt

probra.unde opprobrare & exprobrare deductũ eſt.ſed & quom Veſtales uirgines damnatas probri dicunt,inceſtum intelligunt.Hic Iureconſultus probrum pro infamia accipit.Hanc non omnes eadem trutina metiuntur. Stoici nihil turpe putãt,niſi quod ſit uitio coniunctum:ob id nihil eis probroſum eſt, niſi quod natura improbatur.Furtum,adulteriũ turpe eſt: quoniam utroq; uiolatur ſocietas humana,quod naturæ uehementer repugnat: hæc enim hominẽ homini coniunxit tam arcto uinculo,ut alter ad alterum æquè ac ad ſe ipſum ſe habeat.Sed qui in medio uiuunt,nec tam exacte ad trutinam Critolai mores penſitant, ij quædam probroſa non ex natura,ſed ex hominũ inſtituto iudicant.exempli cauſa. Si quis equum publicum ſtrigoſum & male habitũ habuerit,is cenſoria lege impolitiæ damnatur. Si quis propinqui & conſanguinei ſui ſemen excitare recuſauerit, is ueteri Hebræorũ lege infamiæ agitur reus: & in præſentia ſeniorũ ei calceus detrahit: & ex eo, infami cognomine, excalceatus uocitatur.More autem Romano ſi quis ex agnatis tutelam ſuſcipere detrectauerit, ad eamq; ſuſcipiendam prætoris ſententia adigatur, is damnatus tutelæ dicitur: quod ſanè probroſum habetur,non equidem lege ac præſcripto naturæ,ſed ciuili cõſuetudine.Hæc enim probra eius generis ſunt,ut in honeſtum ac liberaliter inſtitutum hominẽ cadere poſsint. Quid dicam?quòd quædam alibi honeſta habentur,quæ alibi non carent opprobrio.Apud Athenienſes qui uitam agebant ſedentariam, neq; ſua ſtudia in publicum depromebant, ocij damnabantur: hoc apud Romanos tantum abfuit ut probrum ignominiamq; afferret, ut Africanus ocio, litera-to præſertim, nihil putaret præſtantius: quod ex eo Vergilius ignobile appellauit, quòd ei iure uenia debeatur.Lacon quom quendam ocij damnatum audiſſet: Quis ille, inquit, qui tam honeſtam notam ſubijt? alluſit ſcilicet ad illud Euripidis: κἀλέγ μοι ὄνομ' ὅστις ἀγωνάσεται. Sanè mihi probrum exprobraſti nobile.

VLPIANVS

Verbo uictus cõtinentur quæ eſui & potui,cultui quoq; corporis,quæq; ad uiuendum homini neceſſaria ſunt.ueſtem quoq; uictus habere uicem,Labeo ait.

CÆLIVS

Quæ uitæ neceſſaria ſunt,id eſt ſine quibus uita degi nõ poteſt,ea uictus nomine continentur.Quare ſi quis uictũ Sempronio legauerit, nõ ſolum eſus & potus Sempronio debetur,ſed cultus quoq; corporis,id eſt ueſtimentum.Nam aduerſus uẽtos, hyemes ac tempeſtates operimentũ corporis neceſſarium eſt: tum etiam honeſtatis atq; urbanitatis gratia.nam ſicut Varro dicebat:quædam homini,quædam humanitati ſatis ſunt. Homini ſatis eſt panis & aqua, humanitati etiam obſoniũ & mollior uictus debetur.Cui tamen certus limes circumſcribendus eſt:ne in immenſum exeat humana cupiditas. Sicuti proditum eſt de Nerone, qui quom urbẽ domo, & quidẽ aurea ambiſſet:exclamauit,ſe tum primũ humanitus habitare cœpiſſe.

CAIVS

Cætera quoq; quibus uiuendi curandiúe gratia corporis noſtri utimur, ea appellatione ſignificantur.

CÆLIVS

Curatio corporis tam ad ea refertur, quæ neceſsitatem habent, id eſt ſinè quibus uita degi non poteſt:quàm ad ea quæ humanitatẽ urbanitatemq; ſpectant,quæ ſicut ait Ariſtoteles,in elegantia & μεγαλοπρεπείᾳ continentur.Fuerunt qui μεγαλοπρέπειαν magnidecentiam interpretarentur: quam ex conditione & decoro perſonarũ metimur.Et,ut ille ait,à cenſu nomẽ trahit:aliter enim ingenui,aliter ſerui,aliter impubes,aliter diuites curãdi. Aliter,ut inquit Galenus in ſecundo Salubriũ, medicus,aliter gymnaſtes & pædotriba corpora conſiderabunt. Medicus habitudinẽ & ſimilarium inſtrumentaliumq; partium temperaturã obſeruabit:nam in ijs ſanitas uertitur. Gymnaſtes robur corporis,muſculos,texturam membrorũ, ætatem conſidera-bit:quæ

bit:quę omnia ad gymnadem, id est corporis exercitationẽ referũtur. Curabit itaq; corpora huiusmodi, balneis, frictionibus, inunctionibus: quę perfunctiones à seruis balnearijs & iatraleptis, id est reunctoribus perficiuntur: sed ex præscripto gymnastæ. Is enim numerũ frictionum & quàm premenda aut suspendenda sit manus prę monebit: quomodo ceromate aut aphe utendum sit præscribet. Atqui hæc fortasse Iureconsultus non ad uictum, sed ad exercitationẽ spectare iudicabit. ego uerò omnia quæ politicum uiuendi genus spectant, etiam si necessitatẽ coniunctam non habeant, uictus nuncupatione contineri existimauerim.

VLPIANVS

Instratum omne uestimentum continere quod iniiciatur, Labeo ait: neq; enim dubium est, quin stragula uestis sit omne pallium.

CÆLIVS

Vestis omnis quæ uel ornatus uel cõmodi gratia insternitur, instratum dici solet: sicuti & stragula uestis quæ lecto, abacis, equis & nobis ipsis iniicitur: sic pallium quod proprium est gentis Græcæ, instratum dicetur. Per pallium autem omnẽ superiorẽ uestem accipit Iureconsultus, quæ maior & laxior esse consueuit, ad subuculã scilicet & interiorẽ tunicam obtegendam: quam etiam Plautus intusium uidetur appellasse. Lectorũ etiam amicula dicimus instrata & stragulas uestes, quas Attalicas & Asiaticas quoq; dixerũt. lodices etiam, gausapa, culcitras, amphimala, utrinq; uillosa: sicut eteromala, quæ altera tantũ parte pexa sunt. Quin & malotas & diphtheras crassiores uestes è pellibus cõfectas & senibus accõmodatas. Tapetas etiam & amphitapetas in hoc censu annumerãt: sed & quæ circa parietes obtenduntur, & ad auertendum puluerẽ deciduum ritu ueterum ad tectum suspenduntur: hæc instratorum & stragulorũ nomen subeunt: quæ Græca itidem appellatione stromata & peristromata & peripetasmata appellantur: in quibus quoniam uariæ ferarũ imagines intexuntur, ex eo à Plauto belluata fuerunt nuncupata. Non desunt qui Babylonicas & phrygias & intertextas uestes, & quæ à filorum multitudine polymita dicuntur: hoc etiam dignentur nomine.

VLPIANVS

In uictu ergo uestẽ accipiemus non stragulam, instratum omnẽ stragulam uestem

CÆLIVS.

Hæc est sententia Iureconsulti: in confesso est uestem uictus appellatione contineri: & uictu legato uestem etiã deberi: non tamen ob id omnis uestis peti potest: neq; hæc arbitrio legatarij cõmittenda est postulatio. Ille enim uel purpuream uel aureã etiam sibi postularet: non dubium est quin stragula se dignum iudicaret, quę res immodice hæredem grauaret. quom hoc ergo ex boni & æqui formula metiendum sit, dignitas & conditio personæ spectanda est: adde & facultatem hęreditatis inspicien dam esse. Hinc enim uestis modulus atq; indicatura agnoscetur.

VLPIANVS

Pronunciatum & statutum idem dici potest: promiscue enim & pronuntiasse & statuisse solemus dicere eos qui ius habent dicendi uel cognoscendi.

CÆLIVS

Voces sunt eorum, quæ sunt in animo, affectuum testes & notæ: ob id Mercurium ueteres deorum interpretem dixere, Hermetemq; appellauere. Sanè ut rectam sententiam ferat iudex, hęc duo necessaria uidentur: imprimis ut rei ueritatẽ diligenter exploret: tum ut suam sententiam idoneis uerbis declaret. Pulchre itaq; Iureconsultus pronuntiatũ & statutũ pro eodem accipi posse scribit: ut intelligas utroq; sententiã & decretum significari eius qui Iurisdictionem habet: sed alterum ad enuntia-

tionẽ, alterum ad maturitatẽ consilij spectare. Suum quoq; pronũtiatum est dialecticis, quod & proloquium dicimus: Græci ἀξίωμα, id est optimatẽ propositionem. ut, De omni est affirmare uel negare.

VLPIANVS

Matremfamiliâs accipere debemus eam, quæ non inhoneste in domo uixit. matrẽ ènim familiâs à cęteris fœminis mores discernunt atq; separant: proinde nihil interest, nupta sit an uidua, ingenua sit an libertina. Nam neq; nuptiæ neq; natales matremfamiliâs faciunt, sed boni mores.

CÆLIVS

Vlpianus hoc loco censet matremfamiliâs bonis moribus tantum. Suis tamen in Institutis, si Boethio in Topica Ciceronis scribẽti credimus, aliter matrẽfamiliâs describit. Eius uerba sunt. tribus modis uxor habebat, usu, farre, coemptione. Sed confarreatio solis pontificibus conueniebat. Quæ autẽ in manum per coemptionẽ conuenerãt, hæ matresfamiliâs uocabantur. Quę uero usu uel farre, minime. Coemptio uero certis solennitatibus peragebatur, & sese in coemendo inuicem interrogabãt. Vir ita, An sibi mulier materfamiliâs esse uellet. illa respondebat uelle. item mulier interrogabat, An uir sibi paterfamiliâs esse uellet. Ille respõdebat uelle. itaq; mulier uiri conueniebat in manũ, & uocabantur hæ nuptiæ per coemptionẽ: & erat mulier materfamiliâs uiro loco filiæ. hanc uxoris speciem attigit Vergilius eo carmine:

Teq; sibi generum Tethys emat omnibus undis.

Sicut aliam speciem Plautus quom dixit Alcmenam uxorem usurariam. Ciceronis uerba sententiæ Vlpiani optime respondent. Vxoris duæ formæ, una matrumfamiliâs: hæ sunt quæ in manũ conuenere. Altera earum quæ tantummodo uxores habentur. De hoc more quo nouę nuptę uirũ sibi emebant, sic scribit Nonius. Nubentes ueteri lege Romana asses æris ad maritum uenientes solebant ferre. Atq; unum quem in manu tenerent, tanquã emendi causa, marito dare. Alium quem in pede haberent, in foco larium familiarium ponere. Tertium quem in sacciperione condidissent, cõpito uicinali solere resonare. Cæterũ quòd Vlpianus hic nullam habeat mentionem antiqui ritus, nihil mirũ, quom Tribunianus sub nomine Iustiniani omnes propè antiquos ritus sustulerit: eaq; scripta reliquerit, quę rei ac proposito suo expediebant. Illud non omittam, matremfamiliâs matronam quoq; appellari: quippe matrona est, quæ in matrimonium cum uiro conuenit, ut in eo maneat: etiam si liberi non sunt adhuc susceptí. Appellationem enim habet à matris nomine non iam adepto, sed cum spe & omine mox adipiscendi.

PAVLVS

Liberationis uerbum eandem uim habet, quàm solutionis.

CÆLIVS

Qui alteri debet, si quod debet persoluit, debere protinus desinit: acceptaq; syngrapha, qua creditor sibi solutum testetur, apud quẽcunq; iudicem probare potest, se non amplius debitorem esse: atq; ita potest quẽcunq; petitorem excludere. Idem quoq; facere ei licebit, si creditor in syngrapha scripserit, sibi cumulate satisfactum: seq; eum à debito liberare. ex quo intelligemus liberationis & solutionis parem uim esse. Nã & qui soluit liberatur: & qui liberatur, nõ secus accipitur, ac si persoluisset.

CAIVS

Qui neq; sequantur, neq; ducantur.

CÆLIVS

Per eos qui neq; sequantur, neq; ducantur: significantur ij, qui omnino contumaces ac refractarij sunt aduersus magistratus: qui neq; ultro, neq; metu parent. Aduersus

sus quos ita scriptum fuit in duodecim tabulis: Iusta imperia sunto, ijsq; ciuis modeste ac sine recusatione pareto. Magistratus nec obedientẽ & nocuum ciuem mulcta, uinculis, uerberibusue coercento, ni par maiorue potestas populusq; prohibessit: ad quos prouocatio esto. Quom magistratus iudicassit irrogassitue: per populũ mulctæ pœnæ certatio esto. Sed enim alijs magistratibus lictores apparebant, alijs uiatores. Qui lictores habebant, ijs erat uocatio & apprehensio: qui uiatores habebãt, ijs erat sola apprehensio: nec quenquã in ius licebat uocare. quales erant tribuni plebis: quorum præsentia & assiduitate opus fuit, ut suam iurisdictionem exercerent. Qui ergo neq; uolentes uocationi parent, neq; sinunt se à lictore apprehendi, sed uenientẽ repellunt: ij neq; sequuntur neq; ducũtur: sed grauiore pœna sunt coercendi.

CAIVS

Solutum non intelligimus eum, qui licet uinculis leuatus sit, manibus tamen tenetur: ac ne eum quidem intelligimus solutum, qui in publico seruatur sine uinculis.

CÆLIVS

Ille planè solutus est, qui suæ spontis est: & nulli obnoxius facultatem habet commeandi quò lubet. quòd si quis prius nexus uinculis, uinculis leuetur, sed manibus teneatur: nec is solutus intelligetur. Quid si è manibus etiam exemptus, in publico, id est in carcere adseruetur omnibus ademptis uinculis: aut in publico, id est in libera custodia, ut huc aut illuc stipatus tamẽ custodibus cõmeet: an hic solutus dicetur? non sanè, quom nondum suæ spontis sit, & custodibus obnoxius adseruetur. Quòd autẽ publicum pro carcere accipiatur, uel illud Plautini Sosiæ ostendit: Vereor ne hac nocte aduenienς publice excipiar, id est in carcerem obtrudar.

VLPIANVS

Bonorum appellatio aut ciuilis est aut naturalis. naturaliter bona ex eo dicuntur, quòd beant, hoc est beatos faciunt. Beare est prodesse. In bonis autem nostris computari sciendum est non solum quæ dominij nostri sunt, sed & si bona fide à nobis possideãtur, uel superficiaria sunt. æquè bonis adnumerabitur etiam siquid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus. nam hæc omnia in bonis esse uidentur.

CÆLIVS

Naturale bonum est, quod natura duce à nobis appetitur: qualia sunt τὰ πρῶτα φύσεως, bona ualetudo, uigor corporis, oris dignitas, & alia huius generis. Natura enim bonum omnia appetũt animantia. & quanto bonum quodq; profusius est, hoc ab omnibus magis appetitur. Sic metaphysici deum maximè omnium ab omnibus expeti probant: quòd ipse sit summũ bonum, quod Græci dicunt τ' ἀγαθόν, & quęcũq; bona sunt, eius participatione bona appellentur. Sic Plato probat uirtutem naturæ nostræ maximè consentaneam esse. uitium autem præ cæteris naturæ repugnare. & neminem uolentẽ malum esse. Naturale ergo bonũ, si proprie loquamur, id est quod abiunctum uitio, uirtuti coniunctum est: quod possessorẽ bonum reddit. nullum enim hac boni nuncupatione dignamur, nisi cuius uirtus illustris est ac perspicua. At cætera quæ ciuili more magis q; philosophico bona dicunt, à Stoicis commoda non bona nuncupantur, quòd scilicet possidentẽ minime bonum reddant. Academici & Peripatetici hęc in secundo bonorum genere censent: à quorum tamen usu si uirtus abfuerit, bonorum nomen amittunt. Nam sola uirtus est, quæ facultatem habeat nos beandi. & qui huius subsidio succincti sunt, hos beatos & bene ac beate uiuere dicimus: quòd bonorum cumulo quo illi prædíti sunt, nihil desit. Inter ciuilia autem bona Iureconsultus computat non solum quę mancipij nostri sunt, sed & quæcunq; bona fide possidemus: qualia ad usucapionem idonea sunt, tum & quæ sunt superficiaria: ceu quæ sunt in domibus & substructionibus posita. Quin & nomina, & ea ad quę competit actio, ut ea petere & prosequi possimus, ea quoq; in bonis censemus.

CAIVS

Nurus appellatio etiam ad pronurum & ultra porrigenda est.

CÆLIVS

Sicut appellatione parentum & auorum maiores omnes intelligi solent: nepotum autem appellatione minores cõprehenduntur: ita nurus nuncupatio ad pronurum porrigitur. Est autem nurus uxor filij. pronurus uxor nepotis. atq; ita deinceps.

CAIVS

Appellatione parentis nõ tantum pater: sed etiam auus, proauus, & deinceps omnes superiores continentur: sed & mater, & auia, & proauia.

CÆLIVS

Quidam cognationum gradus in sublime, id est sursum uersus feruntur: quidam proni ac deorsum prouehuntur: alij in latera transuersarij procedunt. Lineæ quæ ad hos diriguntur indicãtes proximitatẽ longinquitatemúe, ab antiquis stemmata fuerunt appellata. Plinius libro trigesimoquinto: Expressi cera uultus singulis disponebantur armarijs: ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera: semperq; defuncto aliquo, totus aderat familiæ eius qui unquam fuerat populus: stemmata uero lineis discurrebãt ad imagines pictas. Ex tribus autem gradibus, quos diximus, is omniũ maximè pollet qui in sublime attollitur: id est qui ad maiores fertur. Vnde factum puto, ut uernacula simplicitas parentes in uniuersum pro agnatis & cognatis acceperit: quo etiam uerbo in ea significatione nonnulli usi sunt non adeo anxij latinę puritatis obseruatores. Iulius Capitolinus in M. Antonino: Adoptatus in aulicam domũ omnibus parentibus suis tantam reuerentiam quantã priuatus exhibuit.

VLPIANVS

Patroni appellatione & patrona continetur.

CÆLIVS

Minime mirum uideri oportet, si masculinum genus fœminino præpollet: quom in omni animalium specie mares fortiores habeãtur, panthera ursaq; excepta, si Plinio credimus. Ob id Sesostris rex Aegypti, qui magnam orbis partem deuicit, populos imbelles, & quos ἀμαχητί, ut inquit Herodotus, id est sine pugna debellauerat, perpetua nota suggillabat in stelis seu pilis obscœnum muliebre appingens: cõtrà si fortiter repugnassent, obscœnũ uirile in pilis exprimebat. Recte ergo grammatici, recte Iureconsulti sub maris appellatione fœminam comprehendi uoluerunt. Sic filij nomine filiam, patroni patronam complexi sunt. Accipitur autem bifariam patronus. Nam uel clientis correlatiuum est, & eum significat, qui defensor est causæ alienæ. Aut certè patronus correlatiuum est liberti, eumq; significat, qui olim dominus seruum libertate donauit. sic olim Prusias rex Bithyniæ sumpto pileo, qui habitus est manumissorũ, populum Romanũ patronum suum profitebatur. De hac specie patroni hoc loco intelligit Iureconsultus.

PAVLVS

Sæpe ita cõputatũ est, ut & cõiuncta pro disiunctis accipiant, & disiuncta pro cõiunctis, interdum soluta pro separatis. Nam quom dicitur apud ueteres, agnatorum gentiliumq;: q; pro separatione accipitur. At quom dicitur, super pecunia tutelaue sua, quia tutor separatim sine pecunia dari non potest: & quom dicimus: quod dedi aut donaui, utraq; continemus. Quom uero dicimus, quod eum dare, facere, oportet: quoduis eorum sufficit probare. Quom uero dicit prætor: si donum, munus, operas redemerit: si omnia imposita sunt, certum est omnia imposita redimẽda esse. Ex re ergo pro cõiunctis habentur. Si quædã imposita sunt, cætera nõ desiderabuntur.

Cælius

CÆLIVS

Voces ideo inuentæ sunt, ut sententijs obsequantur, nõ ut sententiæ uocibus sint obsequentes. Proinde prima omnium est sententiarũ animaduersio, ad quas deinde uoces dirigendæ sunt: ne fiat quod de Lesbia regula dictum est, quę quom plumbea sit, facile inflecti potest. ob id nõ paries ad normam, sed norma ad parietem exæquatur: & quæ legẽ dare debuit, legem accipit. Recte ergo Paulus tradit coniuncta pro disiunctis, & disiuncta pro coniunctis sæpe accipi solere: non uerborum sed sententiarum habita ratione: commodaq; ad hoc subiungit exempla. Nam quom dicitur: siquis ab intestato decesserit, agnatorum gentiliumq; sit successio: quom ambo succedere non possint, aut hos aut illos ad successionem uocari certum est. Item quom dicitur, aliquem conuenire super pecunia tutelaue sua: coniunctim hæc duo accipienda sunt. Nec enim tutela sine pecunia demandatur. Nam & ipse administrationẽ gerit pecuniæ, id est facultatis pupilli: & ipsum suam pecuniã eius quodammodo fidei uadem habere oportet. At quom dicimus, quod dedi aut donaui: disiunctiua coniunctiue se habet: nam donationẽ datio subsequitur. Quod uero in pactionibus perscriptum est sæpe, si dederit & fecerit quod eum dare & facere oportet: hæc locutio disiunctiue se habet: & ad eius ueritatem comprobandam, satis est partem unam comprobari. Illud quoq; quod in edicto prætorio notatum est: si donum, munus, operas redemerit: si hęc omnia imposita sunt, omnia redimenda esse constat. Illud enim dissolutum coniunctiue se habet: ad probationẽ autem coniunctiuæ partes omnes uerας probari oportet. Atq; ita pro subiecta materia & prout consentaneum est sententiæ, cõiunctiuæ disiunctiuæq; particulæ interprætationem suscipiunt. Sed quom de ijs aliàs nonnihil diximus, hoc loco parcius agendum puto.

PAVLVS

Item dubitatum est illa uerba, ope & cõsilio, quẽadmodum accipiẽda sint. Vtrum ex sententia coniungentiũ aut seperantium: sed uerius est quod & Labeo ait, seperatim accipienda. Quia aliud factum eius qui ope, aliud eius qui cõsilio furtum facit. Sic enim alij condici potest, alij non potest. Et sanè post ueterum autoritatẽ eò peruentum est, ut nemo furtum uideatur fecisse, nisi & consilium malignũ habuerit: nec consilium habuisse nocendi, nisi & factum secutum fuerit.

CÆLIVS

Existimaui operæprecium uerba Iustiniani ex quarto Institutionũ huc transcribere. Ea sunt: Interdum furti tenetur, qui & ipse furtum nõ fecit: qualis est is cuius ope & cõsilio factum est. In quo numero est qui tibi numos excussit, ut alius eos raperet: aut tibi obstiterit, ut alius rem tuam exciperet: uel oues uel boues tuos fugauerit, ut alius eas exciperet. & hoc ueteres scripserunt de eo qui panno rubro fugauit armentum. Sed si quid eorum per lasciuiam & non data opera ut furtum admitteretur factum est, in factum actio dari debet. at ubi ope Mæuij Titius fecit furtum: ambo furti tenentur. Ope & cõsilio eius quoq; furtum admitti uidetur: qui scalas fenestris supponit: forte aut ipsas fenestras uel hostium effregit, ut alius furtum faceret. quiue ferramenta ad effringendum, aut scalas ut fenestris supponerentur cõmodauerit, sciẽs cuius rei causa cõmodauerit. Certè qui nullam opem ad furtũ faciendum adhibuerit, sed tantum consilium dederit, atq; hortatus est ad furtum faciendum, nõ tenetur furti. Declarat autẽ Paulus, aliud esse ope, aliud consilio adiuuare: propterea seperatim accipienda esse. Et id probat, quoniam ope furem adiuuanti condici potest: sed consilium afferenti condici non potest. est aut condictio, actio personalis. De qua actiõe sic Iustinianus eo quo superius loco, De obligatiõibus quæ ex delicto nascuntur: Furti actio siue dupli siue quadrupli, tamen ad pœnæ persecutionem pertinet. Nam ipsius persecutionẽ extrinsecus habet dominus, quam aut uendicãdo aut condicendo potest auferre. Sed rei uendicatio aduersus quidem possessorem est, siue fur ipse possidet siue alius quilibet. Cõdictio autẽ aduersus furẽ ipsum hęredémue eius, licet non possideat competit. Quid uero sit condicere, idem declarat eodem libro,

titulo

titulo De actionibus. In personam uero actiões, quibus dare aut facere oportere intenditur: scilicet condictiones. Condicere enim est denuntiare prisca lingua. nunc uero abusiue dicimus condictionem actionẽ in personam esse, qua actor intendit dari sibi oportere: nulla enim hoc tẽpore, quo prius fiebat modo, denuntiatio fit. Tum uero subiungit Iureconsultus, opi consilium adiunctum esse, ita ut nemo opem afferre sine maligno cõsilio non existimetur. Consilium uero datũ nemo putet, nisi tum demum maleficium subsecutum sit. Nec enim consilium puniri solet, cui effectus nõ accesserit, in hoc præsertim maleficiorum genere. Aliter ubi agitur de læsa maiestate. ex quo uetus illud carmen prodijt: Malum consilium consultori pessimum. Quod illi Hesiodeo simillimum est:

ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

VLPIANVS

Conditionales creditores dicuntur ij, quibus nondum competit actio, est autem competitura, uel qui spem habent ut competat.

CÆLIVS

Omnis stipulatio aut pure, aut in diẽ, aut sub conditione fit. pure, ueluti quinq; aureos dare spondes. idq; confestim peti potest. In diem, quom adiecto die quo pecunia soluatur, stipulatio fit, ueluti decem aureos primis Calendis Martij dare spondes. Id autem quod in diem stipulamur, statim quidem debetur: sed peti prius quàm dies uenerit, non potest. At nec eo quidem ipso die in quem stipulatio facta est, peti potest. Sed totus is dies arbitrio soluentis tribui debet: neq; enim certum est eo die, in quem promissum est, datum non esse priusquam is præterierit. Sub conditione stipulatio fit (id quod ad præsentem locum pertinet:) quom in aliquem casum defertur obligatio: ut si aliquid factũ fuerit uel non fuerit, cõmittatur stipulatio: ueluti si Titius consul fuerit factus, quinq; aureos dare spondes. Ex cõditionali stipulatione tantũ spes est debitum iri: eamq; ipsam spem in hæredem transmittimus: si priusquam conditio extet, mors nobis contigerit. Ex hac conditionali stipulatione, conditionales etiam creditores nuncupati sunt, quibus nondum competit actio: utpote quom nondum conditio aduenerit, sed tantum spem habent ut competat. Ex eadem causa debitores conditionales appellati sunt: à quibus tam diu peti non potest, donec conditio aduentarit: qua superueniente nõ iam conditionales debitores, sed certi nominãtur.

PAVLVS

Creditor autem is est, qui exceptione perpetua submoueri non potest. Qui autem temporalem exceptionem timet, similis est conditionali creditori.

CÆLIVS

Creditorum nomen subeunt omnes, quibus aut pure aut in diem aut sub conditio ne debetur, modo perpetua exceptione non submoueantur. Quæ autẽ sit perpetua exceptio, non existimaui melius me posse aperire quàm ipsius Iureconsulti uerbis ex libro quarto Institutionum. Appellantur autẽ exceptiones aliæ perpetuæ & peremptoriæ: aliæ temporales & delatoriæ. Perpetuæ & peremptoriæ sunt, quæ semper agentibus obstant, & semper rem de qua agitur, perimũt. Qualis est exceptio doli mali: & quod metus causa factum est: & pacti conuenti: quom ita conuenerit ne omnino pecunia peteretur. Temporales atq; dilatoriæ sunt, quæ ad tempus nocent: & temporis dilationem tribuunt. Qualis est pacti conuenti, quom ita conuenerit, ne intra certum tempus ageretur: ueluti intra quinquennium. Nam finito eo tempore, non impeditur actor rem exequi. Ergo ij quibus intra certũ tẽpus agere uolentibus inijcitur exceptio aut pacti conuenti aut alia similis, differre debent actionẽ, & post tempus agere. ideo enim & dilatoriæ istæ exceptiones appellantur. Alioqui si intra tempus egerint, obiectaq; sit exceptio: neq; eo iudicio quicquam consequentur propter exceptionem, neq; olim agere poterant, quom temere rem in iudicium deducebant

bant: qua ratione rẽ amittebãt. sed hãc seueritatẽ lenijt Iustinianus imperator. Eum enim qui ante tẽpus pactionis uel obligationis litem inferre ausus est, Zenonianæ cõstitutioni uoluit subiacere: quam sanctissimus legislator de his, qui tempore plus petierunt, protulit. ut & inducias, quas ipse actor sponte induxerit, uel natura actionis continet, si contempserit: in duplum habeant ij, qui talem iniuriam passi sunt: & post eas finitas, nõ aliter litem suscipiant, nisi omnes expensas litis antea acceperint: ut actores tali pœna perterriti, tempora litium doceantur obseruare. Cæterum quod Paulus subiungit, temporalem exceptionem cõditionali similem esse: uerum est. sicut enim conditionalis creditor agere non potest, si conditio uenerit: ita temporalis creditor agere non potest, nisi dies cesserit debitionis.

VLPIANVS

Cognoscere instrumẽta, est relegere & recognoscere. Dispungere, est cõferre accepta & data.

CÆLIVS

Cognoscere instrumenta, est simpliciter explorare quid instrumentis cõtineatur: eaq; diligenter relegere ac recognoscere. Nunc autẽ instrumenta non tantum documenta à tabellionibus confecta accipimus, sed rationaria etiam quibus instrui atq; edoceri de rerũ ueritate possumus. Dispungere autem maiorẽ uim habet: nam qui expungit non solum rationes recognoscit, sed accepta & data etiam confert: ut adæquet utranq; paginam, & ratiunculam conficiat, id est data & accepta in summã redigat. Dispungere autem inde dictum est, quòd rationibus puncta præfigebantur: quæ deinde in dati & accepti computatione quom subtraherentur, dispungi dicebantur. Nam fermè ille fuit perpetuus mos ueterum: ut ijs quæ sibi constabant, puncta adscriberent. Sic milites præscriptis punctis in albo signabantur, quibus stipendia procedebant: qui si quando exautorarentur, expuncti dicebantur. Sic suffragatores candidatis quibus fauebant, puncta præfigebãt. Vnde illud Horatianum in prouerbium abijt, de ijs quibus feliciter cuncta proueniunt:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

VLPIANVS

Liberorum appellatione continentur non tantum qui sunt in potestate, sed omnes qui sui iuris sunt: siue uirilis siue fœminini sexus sunt, exúe fœminino sexu descendentes.

CÆLIVS

Multo laxior est liberorũ quàm filiorum significatio: filiorũ in proximo constat, liberorũ ad nepotes & pronepotes ac minores porrigitur. Atq; ita semper in duodecim tabulis annotatum est. Illud quoq; obseruauit Gellius, liberorum nomine, filium unum filiamúe significari apud ueteres.

PAVLVS

Quibus præcipua cura rerum incumbit: & qui magis q̃ cæteri diligentiã & solicitudinem rebus quibus præsunt, debẽt: hi magistri appellantur. Quin etiã & ipsi magistratus per deriuationem à magistris cognominantur. Vnde & cuiuslibet discipli næ præceptores, magistros appellari à monendo uel monstrando.

CÆLIVS

Magistrare moderari. unde magistri non solum doctores artium, sed etiam pagorum, societatum, uicorum, collegiorum, equitum dicuntur: quia omnes ij magis cæteris possunt. Vnde & magistratus, qui per imperia potentiores sunt quàm priuati: quę uox duabus significationibus notatur. Nam aut personam ipsam demonstrat: quom dicimus, magistratus iussit. Aut honorem, ut quom dicitur, Titio magistratus

datus

datus est. Hactenus Festus. Magistri officinæ ad eam rationē dicūtur taberne mancipes, qui modo præscribunt opificibus sellularijs. Magistri curiarū, quibus cura administrandæ curiæ incumbit, diuidendæ puta pecuniæ gratia, exornādi suffragij, & alia id genus faciendi. Magistri uectigalium, qui principes sunt publicanorum. & ipse dictator, magister populi dicitur, quòd populi moderatio ad ipsum spectet.

PAVLVS

Persequi uidetur, & qui satis accepit.

CÆLIVS

Satis dare & satis accipere, se mutuo respiciunt. satis dat qui alteri uult cautum esse: satis accipit, qui cautum uult sibi. Prima autē pars compositionis, id est satis, illud indicat: quanti quisq; rem suam, uel damnum quod sibi illatum iri extimescit, tanti cautionē postulat. hoc scilicet intellexit Plinius libro trigesimoquarto. In argumentum successus nouum exemplum afferam, nec deorum nec hominū similitudinis expressæ. Aetas nostra uidit in capitolio, priusquam id nouissime conflagraret à Vitellianis incensum, in cella Iunonis, canem ex ære, uulnus suum lambentem: cuius eximium miraculum & indiscreta ueri similitudo non ex eo solum intelligitur, quòd ibi dicatus fuerat: uerum & noua satis datione. Nam summa nulla par uidebatur, capite tutelarios cauere pro eo instituti publici fuit. Sententia ergo Iureconsulti est, eum uideri rem suam persequi, id est agere ad recuperationē rei suę, qui satis accipit, & cautum sibi uult de restitutione rei uel damno infecto.

CAIVS

Licet inter gesta & facta uideatur quædam esse subtilis differentia, attamen κατὰ χρῆσιν inter gestum & factum nihil interest.

CÆLIVS

Quid interfit inter gestum, actum & contractum superius diligenter excussimus ab Vlpiano. Actum siquidem uerbis & re cōstare potest, gestum sine uerbis, contractum ubi mutua interuenit obligatio. Nunc Caius inter factum & gestum dicit subtilem quandam esse differentiam. nam facere promiscuum est, gerere ad magnificas tantum actiones refertur. κατὰ χρῆσιν autem, quæ dictio prius desiderabatur, id est improprie, nulla est differētia. nam hæc quæ subtiliter adeo à nōnullis considerantur, ea plerunq; à scriptoribus confundi solent. scriptores sacri deum nuncupant ὁρατῶν καὶ ἀοράτων ποιητὴν, id est factorem cæli & terræ: quem Cicero in libro De natura deorum πρακτὴν appellauit, id est actorem.

CAIVS

Paternos libertos recte uidemur dicere nostros libertos. Liberorum nostrorum libertos non recte nostros libertos dicimus.

CÆLIVS

Contra ea quæ dicit Caius, ita opponi posset. Quę filius acquirit, acquirit patri, nō contrà: quando pater dominus est rei suæ, donec uixerit. Quin & testamento potest aliū q̄ filium hæredē instituere. ex ijs rectius uidet dici posse, Liberorū nostrorum libertos nostros esse, quàm paternos libertos esse filiorum. Sed respōdetur, Iureconsultum intelligere de liberis emancipatis, id est à patria potestate liberatis: uel certè quibus habere licet peculium. Horum enim bona parentibus non accrescūt, quom tamen ipsis iure naturæ & ciuili paterna bona debeantur.

VLPIANVS

Portus appellatus est locus conclusus, quò importantur merces, & inde exportantur: eaq; nihilominus statione concluſa atq; munita sunt: inde angiportū dictum est.

Cælius

C Æ L I V S

Portum ab importandis & exportandis mercibus dici indicat Vlpianus: cui dein de præsunt portitores portorij & uectigalis exigendi gratia. Hinc & prouentus, qui utilitati reipublicæ accedit, portus nuncupatur, ut superius ostendimus. Quod autem importare & exportare diximus, hoc Græci εἰσφέρειν καὶ ἐκφέρειν dicunt. Sed & illud obseruari opus, ut uere portus dici possit, ut locus sit munitus & conclusus, ne uenti in naues debacchari possint. Qualem Vergilius describit:

Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inq; sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atq; hinc uastæ rupes, geminiq; minantur
In cælum scopuli, quorum sub uertice late
Aequora tuta silent. & illud in tertio:
Portus ab accessu uentorum immotus &c.

Veteres etiam portus uias dixerunt. unde angiportus, id est angustæ uiæ dictæ. Licet Iureconsultus angiportum dictum uelit, quòd locus sit anguste munitus & conclusus. Terētius: Ego me in pedes quantum queo in angiportū quoddam desertum.

V L P I A N V S

Locus est nō fundus: sed portio aliqua fundi. fundus autē integrum aliquid est: & pleruncq; fundum sine uilla accipimus. Cæterū adeo opinio nostra & cōstitutio locū à fundo seperat, ut & modicus locus possit fundus dici, si fundi animo eū habuimus. non enim magnitudo locum à fundo separat, sed nostra affectio: & quælibet portio fundi poterit fundus dici, si iam hoc constituerimus. Nec nō & fundus locus constitui potest: nā si eum alij adiunxerimus fundo, locus fundi efficietur. Loci appellationem non solum ad rustica, uerum ad urbana quoq; prædia pertinere Labeo scribit. Sed fundus quidem suos habet fines: locus uero latere potest, quatenus determinetur & definiatur.

C Æ L I V S

Quid inter fundum & locum distet, subtili indagine quærit Iureconsultus. Eа uero prima & potissima est differentia: quòd fundus præscriptos ac præfinitos limites habet: locus determinati ac certi nihil habet. Ita fit ut fundus integrum quid sit, suis constans partibus: quod loco non euenit. Siquidem pars omnis à fundo quomodocunq; abscissa, locus dici potest. Ad fundum præterea dimetiendū ac circumscribendum, affectio & animi nostri inductio plurimū facit. Nam ex nostro arbitratu quælibet fundi portio, poterit fundus appellari, etiam si ea minima portio fuerit. Contrà fundus integer locus effici potest, si in fundi alterius partem concesserit, & quid integrum esse desierit. Illud quoq; subiungitur testandæ differentiæ gratia: quòd locus ad urbana etiam prędia attinet: fundus autem cum urbanis prædijs nihil habet commune. Nam fundus in rusticis tantum haberi solet: unde & latifundia dicta sunt, id est ampliores fundi. Hinc illud Plinianum: Latifundia perdiderūt Italiam. siquidem plericq; agrorum magnitudini magis studebant quàm cultui. Illa demum fundi loci q; summa differentia est, quòd fundus suis finibus circumscribitur: locus determinati ac præfiniti nihil habet. Est & apud philosophos de loco multiplex quæstio: de qua Aristoteles in Physicis: cuius quæstionis ea uidetur summa, locū esse aerem corpus ambeuntem. Fundus, si credimus Varroni, à fundendo dictus, quòd multa quotannis fundat.

P A V L V S

Satisdationis appellatione interdum etiam repromissio continebitur, qua contentus fuit is cui satisdatio debebatur.

CÆLIVS

Si quis nactus fuerit debitorem bonæ fidei, aut certe assiduum, & cui plurimum confidat, tunc & si contractus ille occurrat, in quo satisdatio requiratur: tamen quom is qui creditoris personã gerit, debitoris fidei acquiescat, eiusq; repromissione contentus sit: tunc ea repromissio satisdationis uices gerit, ac pro satisdatione compensatur. Nam licet satisdatio ad alterius personã pertineat quàm debitoris, ita tamen uolente ac permittente creditore, debitor satisdatoris locum subibit.

CAIVS

Tigni appellatione in lege duodecim tabularum omne genus materiæ, ex qua ædificia constant, significatur.

CÆLIVS

Verba legis duodecim tabul. hæc sunt. Tignum alienum furtiuum ædibus uel uineis suis iniunctum nequis eximere cogitor, sed duplum pro eo per actionem de tigno iniuncto præstare compellitor. Hæc lex communi utilitati prospicit, ne scilicet ædificia corruant, neu uineæ prociduæ uino ferendo minus idoneæ sint, si pedamenta & ridicæ subtrahantur. Est autẽ tignum trabs grandior. sic Cęsar in structura pontis super Renum, uult tigna bina in amnem aduersus eius cursum dimitti, super quibus tota deinde pontis moles incumbat. Sic tigna dicuntur in ædibus, quibus contignationes continentur. Hic autem Caius declarat, non maiores tantum trabes, sed omne materiæ genus significari: quod uel ad sustinendam domũ, uel ad fulciendam uitem idoneum est. Materia uero proprie lignum omne dicitur, quod ædificationi sit accommodatum. unde & magistri lignarij abietarijq; materiarij itidem dicuntur. Plinius de corno loquẽs, dicit ex eo uirgas tam tenues esse, ut materies appellari nõ possit: quod non aliud significat, nisi structuris non esse idoneum. Vitruuio peculiare est, intestinum opus appellare, quod ligno cõfectum sit. Legem uero duodecim tabularũ cumulate declarat Vlpianus libro quadragesimoseptimo Dig. tit. De tigno iniuncto. Cuius uerba subscribere à re proposita alienum nõ puto. Lex duodecim tabularum, inquit, neq; soluere permittit tignũ furtiuum ædibus uel uineis iniũctum, neq; uendicare. Quod prouidenter lex efficit: ne uel ædificia sub hoc prætextu diruantur, uel uinearum culturæ turbentur. Sed in eum qui conuictus est iniunxisse, in duplum dat actionem. Tigni autẽ appellatione cõtinetur omnis materia, ex qua ædificium constat, uineæq; necessaria. Vnde quidam aiunt tegulam quoq; lapidem & cementa cæteraq; si qua ædificijs sunt utilia: tigna enim à tegendo dicta sunt: hoc amplius & calcem & arenam tignorum appellatione contineri. Sed & in uineis tigni etiã appellatione omnia uineis necessaria continentur: utputa perticæ, pedamenta. Sed ad exhibendum danda est ei actio. nec ei parci oportet, qui sciẽs alienam rem ædificio induxit iniunxitúe. Non enim sic eum conueniemus quasi possidentem: sed ita, quasi dolo malo fecerit, quo minus possideat. Hactenus Vlpianus. De hac lege mentio quoq; fit in uigesimoquarto Digest. tit. De donationibus inter uirum & uxorem. ex uerbis Pauli. ea sunt: De eo quod uxoris in ædificium uiri ita coniunctũ est, ut detractum alicuius usus esse possit: dicẽdum est, agi posse, quamuis nulla actione ex lege duodecim tabularum. Quia decem uiros non sit credibile de ijs sensisse, quorum uoluntate res eorum in alienum ædificium coniunctæ essent. Paulus notat. Sed in hoc solũ agi potest, ut sola uendicatio soluta re cõpetat mulieri, nõ in duplum ex lege duodecim tabularũ. neq; enim furtiuũ est, quod sciẽte domino inclusum est.

VLPIANVS

Penes te amplius est quàm apud te est: nam apud te est, quod qualitercũq; à te teneatur. penes te est, quod quodammodo à te possidetur.

CÆLIVS

Sextus Pompeius Festus: Apud & penes in hoc differũt, quòd alterum personam cum

cum loco ſignificat, alterum perſonam & dominium ac poteſtatem, quod trahitur à penitus. Eſſe itaq; penes te quicquam, eſt non ſolum proximum habere, ſed eius quoq; rei poteſtatem ac facultatem tenere: ut de eo poſsis pro tuo arbitratu decernere. Horatius: Si uolet uſus,

Quem penes arbitrium eſt, & fons, & norma loquendi.

Eſt tamen quando hæc largius inueniamus. Liuius. Penes eoſdem pericula belli, pe nes quos præmia eſſent. Plinius: Fides ſit penes autores, à quibus ſumus mutuati.

PAVLVS

Inteſtatus eſt non tantum qui teſtamentum non fecit, ſed etiam cuius ex teſtamento hæreditas adita non eſt.

CÆLIVS

Ad rem facit quod in Inſtitutionibus Iuſtiniani ſcriptum eſt libro tertio. Inteſtatus decedit, qui aut omnino teſtamentum non fecit: aut non iure fecit: aut id quod fecerat, ruptum irritúmue factum eſt: aut ſi ex eo nemo hæres extiterit. Proprie autem quis inteſtatus dicitur: quom certum eſſe cœperit, nullum ex teſtamento hæredem extiturum.

VLPIANVS

Hæredis appellatio non ſolum ad proximum hæredem, ſed etiam ad ulteriores hæredes refertur. Nam heredis hæres, & deinceps, hæredis appellatione cõtinetur.

CÆLIVS

In adnatis heredes admittuntur, ſiue de lege duodecim tabularum, ſiue ex edicto prætorum, uſq; ad decimum gradum: in cognatis uſq; ad ſextum. Puto tamen Vlpianum de his potius intelligere qui poſt primos hæredes in tabulis deſcribuntur, quos ſubſtitutos uel ſurrogatos dicũt: quales ſecundi, tertij, quartiúe ordinis hæredes uocantur, & deinceps: in quibus ſubſtituendis eam uerborum formulam teſtator ſeruabat: Si Sempronio hæredi meo ante aditam hæreditatem, uel antequam in ſuam tutelam ueniat, aliquid humanitus acciderit, Titius hæres meus eſto. Quòd ſi Titio quoq; aliquid humanitus euenerit, tum Caius heres meus eſto. Quòd ſi & Caio etiã humanitus aliquid euenerit, tum Alphenus hæres meus eſto. Atq; ita deinceps ad eos uſq; gradus, quos teſtator ſibi exprimendos propoſuerit.

COLLECTANEA
VETVSTATIS EX ANTIQVIS RI
TIBVS. EX XII. TAB. EX TAB. CENSORIIS.
ex Legibus Numę, ex Iure põtificio, & augurali,
& alijs, Cælio Calcagnino autore, in gra
tiam Ioannis Hieronymi Mon
ferrati alumni sui.

XII TAB. COLLECTANEA

XEO magnitudo tempestatis agnoscitur, quom ita u-
niuersa classis dissipata est, ut nullius omnino partis pars
inueniatur incolumis, &, ut uetus est prouerbium, Samni
um quæratur in Samnio. non membra igitur, non artus,
E nõ particulas aut cola duodecim tabularũ accipe, sed con
cerptissima fragmenta per sentes ac dumeta uix agnita:
ut planè aut Penthei aut Osiridis fabulam agnoscas.

PLINIVS LIB. XXI.

Semper tamen coronarũ autoritas uel ludicro quæsitarum fuit. namq; ad certami
na in circum per ludos & ipsi descendebant, & seruos suos equosq; mittebant. Inde
illa duodecim tabul. lex: Qui coronam parit, ipse pecuniaúe eius, uirtutis ergô ar-
guitur. Quam serui equiúe meruissent pecuniam, partam lege dici, nemo dubita-
uit. Quis ergo honos? ut ipsi mortuo, parentibusq; eius, dum intus positus esset, fo-
risúe ferretur, sine fraude esset posita. Interpretatur Plinius, qua significatione pe
cunia in hac lege intelligenda; ut pecuniæ nomine contineantur, serui, equi, & a-
lia eiusdem generis.

CICERO IN III. LEGVM

Iusta imperia sunto: ijsq; ciuis modeste ac sine recusatione pareto. Magistratus nec
obedientem & nocuum ciuem mulcta, uinculis, uerberibus coercento, ni par ma-
iórue potestas prohibessit: ad quos prouocatio esto. cum magistratus iudicassit irro
gassitúe, per populũ mulctæ pœnæ, certatio esto. Militię ab eo qui imperabit, prouo
catio ne esto. De certamine mulctæ Liuius V. secundi belli Punici: L. & Sp. Car-
billij, quom rem inuisam infamemq; cernerẽt, ducentûm milium æris mulctam M.
Posthumio dixerunt. Cuius certandæ quom dies aduenisset, consiliumq; frequens
plebis adesset, una spes uidebat esse, si Casca Tr. Pl. qui propinquus erat cognatusq;
Posthumio, priusquam ad suffragium tribus uocarentur intercessisset. & mox: Hæc
quom ab optimo quoq; pro atrocitate rei acta essent: uimq; eam cõtra rempublicam
pernicioso exemplo factam senatus decerneret: cõfestim Caruillij Tr. Pl. milla mul
ctæ certatione, rei capitalis diem Posthumio dixerunt: ac ni uades daret, prehendi à
uiatore atq; in carcerem duci iusserunt. Ex quibus uerbis agnoscimus mulctam à
magistratu dici & irrogari solere: de qua deinde erat concertatio disceptatioq;, iu-
re an iniuria lata foret; & populus quasi honorarius arbiter, uel eam remittebat,
uel eius damnabat.

ITEM

Omnes magistratus auspicium iudiciumq; habento: ex ijsq; senatus esto. Quæ
uerba Cicero sic interpretatur: deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia &
iudicia dantur: iudicia ut esset populi potestas, ad quã prouocaretur: auspicia, ut mul
tos inutiles conatus probabiles impedirent moræ. Sæpe enim populi impetum iniu
stum auspicijs Di immortales repressérunt.

GELLIVS LIB. XX. CAP. I.

Si iniuriam alteri faxit, XXV. æris pœna sunto. Q. Labeo in libris, quos ad duo-
decim tabulas scripsit, inquit: L. Neratius fuit egregie homo improbus atq; immani
uecordia

uecordia. Is pro delectamentis habebat, os hominis liberi manus suę palma uerbera re. Eum seruus sequebatur crumenã plenam assium portitans: & quencunq; depal mauerat, numerari statim secundum duodecim tabulas quinq; & uiginti asses iu bebat. Et tamen hæc paucitas assium graue pondus æris fuit. Nam librarijs assibus in ea tempestate populus usus est. nec de maioribus iniurijs illud est intelligendum. Sed iniurias atrociores, ut de osse fracto nõ liberis modo, uerum etiam seruis factas impensiore damno uindicauerũt: quibus etiã iniurijs talionẽ quoq; adposuerũt. Po steriore aũt seculo prætores iniurijs æstimandis recuperatores se daturos edixerũt. Hæc ex uerbis Gellij eruta. Fuerũt aũt asses XXV, bini denarij & semis, id est de ni sestertij. Qui si ad pecuniã nostrã reuocenẽ, Iulios duos & dimidiũ propè cõficiẽt.

Si membrum rupit meum, è pacto talio esto.

Neq; in hac lege ulla putanda est acerbitas, quom in alterum id fieret quod in alium fecisset: neq; in retaliando idem casus, sed eadem uoluntas spectabatur. Sed & siquis talionẽ recusabat, paciscendi erat facultas: neq; quenquam talionẽ subire, nisi quam elegisset. Quòd si depacisci noluerat, & iudici talionem imperanti non parebat, æsti mata lite iudex hominem pecuniæ damnabat. atq; ita si reo & pactio grauis & acer ba talio uisa fuerat, seueritas legis ad pecuniæ multam redibat.

IDEM

Aeris confessi rebusq; iure iudicatis XXX. dies iusti sunto. Post deinde manus iniectio esto. In ius ducito. Ni iudicatũ facit, aut qui prætor est iure uinci dicit: secum ducito, uincito aut neruo aut compedibus. XV pondo, ne minore, aut si uolet maio re, uincito. Si uolet, suo uiuito. Ni suo uiuit: qui eum uinctũ habebit, libras farris in dies dato. si uolet, plus dato.

MOX

Tertijs nundinis partes secanto, si plus minusue secuerunt, sine fraude esto. Ex quibus intelligimus, confessi æris & debiti iudicatis XXX. dies dari solere conqui rendæ pecuniæ causa, quam dissoluerent: eosq; dies decemuiri iustos appellauerũt: uelut quoddam iustitium, id est iuris inter eos quasi interstitionẽ quandam & cessa tionem: quibus diebus nihil cum ijs agi iure posset. Hos dies XXX. in ære confes so dissoluendo nunc quoq; non solum iure ciuili, sed municipali etiã seruamus. Post deinde nisi dissoluerant, ad prętorem uocabantur: & ab eo quibus erant iudicati, ad dicebantur. Neruo quoq; aut cõpedibus uinciebãtur. erat interea ius paciscendi. Ac nisi pacti forent, habebantur in uinculis dies LX. inter eos dies trinis nundinis con tinuis ad prætorem in comitium producebantur: quantæq; pecuniæ iudicati essent, prædicabatur. Tertijs autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tyberim pe regre uenum ibant. Quòd si plures forent quibus reus esset iudicatus: secare si uel lent, atq; partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt. Atqui addici nunc & uin ciri multos uidemus, quia uinculorũ pœnam deterrimi homines contemnunt. Disse ctum esse antiquitus neminem equidem legi, neq; audiui: quoniam sæuitia ista pœ næ contemni non quita est.

ITEM

Si in ius uocat: si morbus æuitasue uitium esset: qui in ius uocabit, iumentũ dato. si nolet, arceram ne sternito. Hic morbus nõ febris rapida & querquera, nec ægro tatio admodum grauis, sed uitium aliquod potius imbecillitatis atq; inualentiæ de monstratur, ubi nullum sit periculũ. Nam quoties decemuiri duodecim tabularũ scri ptores morbum uehementiorẽ uim grauiter nocendi habentẽ intelligunt: non mor bum simpliciter, sed morbũ sonticum uocant. Iumentũ autem nõ animal ad uehen dum significat, sed uectabulum quod adiunctum pecoribus trahebatur. à iungendo enim iumentũ dixerũt ueteres, licet ego à iuuando dictum magis putem. Arcera au tem uocabatur plostrũ tectum undiq; & munitum: quasi arca quædam magna uesti mentis undiq; instrata: qua nimis ægri aut senes portari cubantes solebant.

MACROBIVS IN I. SATVRNALIVM

Si nox furtum factum sit: si im aliquis occisit, iure cæsus esto. Hic nox pro nocte inusitatissime legitur. ab eo aũt quod is, non eum casu accusatiuo, sed im dixerũt. sic

Macrobius. Nam Festus non im, sed en ab eo quod est is deduci scribit. ego tamẽ em per m in fine scribendum puto. moueret me uetusti codicis Macrobiani autoritas, ut im legendum putarẽ, incastigatumq; Festi exemplar supicarer, nisi id scriptũ esset in dictionibus ab e litera incipientibus.

Bud. ch. XXVIII. XII. tabul. De munere censorio.

Censores populi ciuitatis soboles familias pecuniasq; censento. urbes, tẽpla, uias, aquas, ærarium, uectigalia tuento. Populiq; partes in tribus distribuunto. Horum cura etiã ad ædiles postea pertinuit, interdum & ad prætores. Cicero in Prætura urbana: Quom L. Octauius, C. Aurelius Coss. ędes sacras locauissent: neq; potuissent omnia sarta tecta exigere neq; ipsi, neq; ij prætores quibus erat negocium datum: factum est S. C. quibus de sartis tectis cognitũ non esset, ut C. Verres, P. Cælius, prætores cognoscerent & iudicarent.

Cr. lib. IIII. cap. III.

Censorum item munus fuit, in eos qui peccassent certã pœnam infligere, senatores senatu amouere, publicũ equũ equiti adimere: si obesi corpulentiq; essent, & male curatos strigososq; haberẽt equos. Plebeios uero pro delicto in Cæritum tabulas referebant: neq; amplius in Centuriæ suæ albo scribebatur, neq; ius suffragij habebat. Aut ærarius fiebat, & pro capite dumtaxat tributi nomine æs pendebat. Deijs censoribus ita sequuntur uerba XII. tab.

Exinde pecunias per ciuitatis ordines partiunto.
Equitum peditumq; prolem distribuunto. Cælibes esse prohibento.
Mores populi regunto. Probrum in senatu ne relinquunto.
Bini sunto. Magistratum quinquennio habento.
Reliqui magistratus annui sunto. Ollaq; potestas semper esto.

Cr. lib. V. cap. V. ex Cicerone.

In urbe ne sepelito, néue urito. Quod translatum è lege Solonis, qua iussum est, Ne sepulchra in urbe sunto.

Cr. lib. V. cap. VII.

Ne pelliciunto alienas segetes excantando. Ne incantanto.
Ne agrum defraudanto. Ne frugem aratro quæsitã nox furtim depascunto.
Puberes si sient, Cereri eos suspendunto.
Impubes arbitratu prætoris uerberanto: ac noxam duplionem decernunto.

Hinc Plinius in XVIII. ait, Qui fruges excãtassent, qui malũ carmen incantassent. Nam excantare & pellicere segetes, uerba solennia sunt: sicut porricere exta, legere ossa, procurare fulmina. Idem in nono: Tenuissimũ murenis tergus, contrà anguillis crassius: eoq; uerberari solitos tradit Verrius prætextatos: & ob id multam hisdicit non institutam. Prætextatos appellat, quos impubes lex appellauit. Quare miror multam additam esse duplionem, si ideo uerberantur, quòd ea ætas nondum multæ idonea uideatur.

Leges in Ciceronis libris De legibus cõscriptas adscribendas duximus: quòd eas ipse fateatur XII. tab. similimas, & Romanæ reipublicæ accõmodatas.

Ad diuos adeũto caste. Pietatẽ adhibẽto. opes amouẽto. Qui secus faxit, deus ipse uindex erit. Separatim nemo sit habẽs deos nouos, siue aduenas, nisi publice adscitos. Priuatim colunto cõstructa à patribus delubra, habẽto lucos in agris, habẽto & lares sedes. Ritus familiæ patriæq; seruãto. Diuos & eos qui cælestes semper habiti colunto, & ollos quos in cęlũ merita uocauerunt: Herculẽ, Liberum, Aesculapiũ, Castorẽ, Pollucẽ, Quirinũ. Ast olla propter quæ datur homini ascẽsus in cælũ, Mentẽ, Virtutem, Pietatẽ, Fidem: earumq; laudũ delubra sunto. Nec ulla uitiorum sacra solemnia obeunto. Ferijs iurgia amouẽto. easq; in familijs operibus patratis habento. itaq; ut ita cadat in annuis anfractibus descriptum esto. Certasq; fruges, certasq; bacas sacerdotes publice libanto. Hoc certis sacrificijs ac diebus. itemq; alios addes. uibertatẽ lactis fœturamq; seruãto: idq; ne cõmitti posset ad eam rem, rationem cursus sacerdotes finiunto. Quæ cuiq; diuo decoræ, gratæ sint hostiæ prouidento. Diuisq; alijs sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto. Virginesq; uestales in urbe

urbe custodiunto ignē foci publici sempiternum. Quoq; & priuatim & publice mo
do rituq;, discunto ignari à publicis sacerdotibus. Eorum autem duo genera sunto.
unum quod præsit cæremoniis & sacris. alterum quod interpretetur fatidicorum &
uatum effata incognita: quorum S. P. Q. asciuerit. Interpretes autem Iouis Opti
mi Maximi publici augures signis & auspiciis postea uidento, disciplinam tenento.
Sacerdotesq; uineta, uirgetaq;, & salutē populi auguranto. Quiq; rem duelli gerent,
quiq; populare auspicium, præmonento. Olli obtemperanto. Diuorumq; iras proui
dento, isq; parento. cæliq; fulgura regionibus ratis temperanto. urbemq; & agros
& templa liberata & effata habēto. queq; augur iniusta, nefasta, uitiosa, dira dixerit,
irrita, nefastaq; sunto. Quiq; non paruerit capital esto. Fœderūq; pacis, belli, inducia
rum oratores feciales iudicésue sunto Bella disceptanto. Prodigia, portēta, ad Etrus
cos & haruspices, si senatus iusserit, deferunto. Etruriæq; principes disciplinam do
cento. Quibus diuis creuerint procuranto, idemq; fulgura atq; obsita pianto. No
cturna mulierum sacrificia ne sunto, præter illa quæ pro populo rite fient: néue ini
tiato, nisi ut assolet, Cereri Græco sacro. Sacrum cōmissum quod neq; expiari pote
rit, impie cōmissum est: quod expiari poterit, publice sacerdotes expiāto. Ludis pub
licis quod sine curriculo & sine certatione corporum fiat, popularem lætitiam in can
tu & fidibus & tibijs moderanto. Eamq; cum diuūm honore iungunto. Ex patrijs ri
tibus optima colūto. Præter Idęæ matris famulos, eosq; iustis diebus, nequis stipem
cogito. Sacrū sacroue cōmendatum qui clepserit rapsitq;, parricida esto. Periurij pœ
na diuina exitium, humana dedecus. Incestum pontifices supremo supplicio sanciun
to. Impius ne audeto placare donis iram deorum. Caute uota reddunto. Pœna uiola
ti iuris esto. Nequis agrum consecrato. Consecrati auri, argenti, eboris sacrandi mo
dus esto. Sacra priuata perpetua manento. Deorum maniūm iura sancta sunto. Hos le
to datos diuos habento, sumptum in illos luctumq; minuunto.

Ex eiusdem interpretatione.

Impuritas corporis uel aspersione aquæ, uel dierum numero tollitur: animi labes
nec diuturnitate uanescere, nec manibus ullis elui potest. Nostri & Gręci, ut auge
rent pietatem in deos, easdem illos urbes, quas nos, incolere uoluerunt. Contrà Ma
gi Persarum autores fuerunt Xerxi inflammandi templa Græciæ: quòd parietibus
includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera: quorumq; hic mun
dus omnis templum esset & domus. Mentis, Pietatis, Virtutis, Fidei, Romæ dedi
cata publice templa sunt: ut illa qui habeant, habent autē omnes boni, deos ipsos in
animis suis collocatos putent. Nam illud uitiosum Athenis, quòd Cylonio scelere
expiato, Epimenide Crete suadente, fecerunt Contumeliæ fanum & Impudentiæ.
Virtutes enim non uitia consecrari decet. Araq; uetus stat in palatio Febris, & altera
Exquilijs malę Fortunæ: quæ omnia repudianda sunt. Quòd si fingenda nomina ui
ce poetæ & potius uincendi, atq; potiendi, stataſſandiq; cognomina, Statoris, & In
uicti Iouis: rerumq; expetendarum nomina, salutis, honoris, opis, uictorię: quoniam
quidem expectatione rerū bonarū erigitur animus. Recte etiā Spes à Colatino cō
secrata est: Fortunaq; sit uel huius diei: nam ualet in omnes dies, uel respiciens ad o
pem ferendam: uel Fors, in quo incerti casus significantur: uel primogenia à gigner
do. Ex institutis pontificū & haruspicū non mutandum est: quibus hostijs immo
landum, cuiq; deo: cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui fœminis. Ius au
gurum est, posse à summis imperijs & summis potestatibus comitia tollere, & con
silia uel instituta dimittere, uel habita rescindere. rem susceptam dirimere: decernere
ut magistratu se abdicent consules. Cū populo & plebe agendi ius aut dare, aut non
dare. legem non iure rogatam tollere. Dubium non est, quin disciplina & ars au
gurum quæ iam floruit, multisq; populorū & gentium exemplis confirmata est, eua
nuerit iam uetustate & negligētia. Itaq; neq; iis assentior, qui negant unquam in no
stro collegio fuisse, neq; illis qui esse etiā nunc putant. Quę mihi uidetur apud maio
res fuisse duplex, ut ad reipublicæ tempus nonnunquā & agendi consilium sæpissi
me pertineret. Quom multa eximia diuinaq; uidentur Athenæ peperisse: atq; in ui
ta hominū attulisse, tum nihil melius illis mysterijs quibus ex agresti immaniq; uita

exculti ad humanitatem & mitigati ſumus: initiaq́, ut appellantur, ita re uera princi pia uitæ cognouimus: neq́ ſolum cum lætitia uiuendi rationem accepimus, ſed etiã cum ſpe meliore moriendi. Mulieres Cereri Romæ initiãtur. Omnia nocturna ſacra Diagondas Thebanus in media Græcia lege perpetua ſuſtulit. Nunc multis in fanis pecunia cõmendatur. Alexãder in Cilicia depoſuiſſe apud Solẽ in delubro pecuniam dicitur. Et Athenienſis Cliſthenes Iunoni Samię, ciuis egregius, cum re bus timeret ſuis filiarum dotes credidit. Agri ne conſecrentur Platoni aſſentien dum eſt, qui ſic ait: Terra, ut focus, domicilĩ ſacrũ deorũ omnium eſt. Quocirca ne quis iterum idem conſecrato. Aurum & argentum in urbibus & priuatim & in fa nis inuidioſa res eſt. Tũ ebur ex inanimi corpore extructũ, haud ſatis caſtum donũ deo. Iam æs atq́ ferrum duelli inſtrumenta non fani. Ligneum autẽ quodq́ uoluerit, uno è ligno cauato: itemq́ lapideum. In delubris cõmunibus textile, nec operoſius quàm mulieris opus menſtruũ. Color autem albus præcipue decorus deo eſt: tum in cæteris, tũ maximè in textili. Tincta uero abſint, niſi à bellicis inſignibus. Diuiniſ ſima autẽ dona habent & formæ, ab uno pictore uno adſolutæ die: Itemq́ cætera hu ius exempli dona ſunto. hæc ex Platone. Sacra conſeruentur ſemper, & deinceps familijs prodãtur, & ut in lege poſitũ eſt, perpetua ſint ſacra. Cauetur in iure pon tificio, ut cui plus legatum ſit, quàm ſine religione capere liceat: is per æs & libram hæ redis teſtamentum ſoluat. Propterea quòd eo loco res eſt ita ſoluta hæreditate, quaſi ea pecunia legata non eſſet. De hoc ſuprà & infrà multa interpretatio eſt. Februa rius ultimus antiquitus Manibus dicatus. Hoſtia maxima parẽtare pietati eſſe ad iunctum putabatur. Iam tanta religio ſepulchrorum eſt, ut extra ſacra & gentẽ in ferri fas negẽt eſſe: idq́ apud maiores noſtros Torquatus in gente Popilia iudicauit.

Nec uero denicales, quę à nece appellatæ ſunt, quia neci dentur mortui, quàm cæ terorum cæleſtium quieti dies, feriæ nominarentur: niſi maiores eos qui ex hac uita migraſſent, in deorum numero eſſe uoluiſſent. Quærendum quis finis funeſtæ fa miliæ. quod genus ſacrificij lare ueruecibus fiat. Quemadmodum os reiectum terræ obtegatur. Quæq́ in porta cõfracta iura ſint. quo tempore incipiat ſepulchrum eſſe & religione teneatur. Antiquiſsimũ ſepulturæ genus terra condi, ſic appellabant ſitos: & Cyrus apud Xenophontem. Sic Numa ad fontis aras, ſic gens Cornelia, do nec reuulſo C. Marij cadauere, P. Sylla metuens talionẽ exuri ſe uoluit. Non an te ſepulchrũ quàm iuſta facta & corpus incenſum. Et quod nunc cõmuniter in om nibus ſepultis penitus humati dicuntur, illud erat propriũ tum ijs quos humus inie cta contegeret: eumq́ morem ius pontificiale confirmat. Nam priuſquã in eos inie cta gleba eſt, locus ille ubi crematum eſt corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba tumulis & humatus eſt & gleba uocatur. In eo qui in naui necatus, deinde in mari proiectus eſt: decreuit P. Mutius familiam purã, quòd os ſupra terram nõ extare no tum hæredi eſſet. Contrà & habendas triduum ferias, & porco fœmina piaculum pa ti. Si in mari mortuus eſſet: eadem præter piaculum & ferias.

Lex XII. tabularum.

Hominem mortuũ in urbe ne ſepelito, neue urito. credo uel properet ignis pericu lum. quod uero addit, neue urito, indicat non qui uratur ſepeliri, ſed qui humetur.

Sepultos in urbe puto, aut eos quibus hoc ante hãc legem uirtutis cauſa tributum eſt: ut Publicolæ, ut Tiburto, quod eorũ poſteri iure tenuerunt: aut eos ſi qui hoc, ut C. Fabritius, uirtutis cauſa ſoluti legibus, conſecuti ſunt. Iure pontificio non eſt ius in loco publico fieri ſepulcrum. Extra portam collinã ædem Honoris, & aram in eo loco memorię proditum. ad eam quom lamina eſſet inuenta: & in ea ſcriptum, Memoria Honoris: ea cauſa fuit ædis huius dedicandæ. Sed quom multa in eo loco ſepulchra fuiſſent, exarata ſunt. Statuit enim collegium pontificum, locũ publicum non potuiſſe priuata religione obligari.

Lex XII. tabularum.

In urbe ne facito rogum, aſcia ne polito.

Pueri XII. tabularũ ut neceſſariũ carmẽ diſcebamus, quas iam nemo diſcit. Sum ptus funeris fiat tribus ricinijs & uinculo purpuræ & decem tibicinibus. Lex

LEX

Mulieres genas ne radunto, neúe leſſum funeris ergô habento.
Leſſum alij ueſtimenti genus, alij melius lugubrem eiulationem ſunt interpretati, quia lex Solonis id ipſum uetat.

LEX

Homini mortuo ne oſſa legito.
Nam ea ſuſtulerunt quæ luctum augere poſſunt. Seruilis etiam unctura tollitur, omniſq; circumpotatio. Quæ non tollerentur, niſi fuiſſent ſumptuoſa.
Coronam uirtute paratam, & ei qui peperiſſet, & eius parenti ſine fraude eſſe lex impoſitam iubet.
Quom uni plures ſternerentur lecti, id lex prohibet fieri.
Neue aurum ſepultis addito. excipit lex ſicui auro dentes uincti eſſent.
Ne rogum buſtumúe nouum propius LX. pedes adijcito ædes alienas inuito domino. Incendium ueretur acerbum.
Quòd uero ἡρῶον, clariſsimorũ enim uirorum ſepulchrũ ueteres Heroum appellabant, id eſt ueſtibulum ſepulchri, buſtumúe uſu capi uetat, ius tuetur ſepulchrorũ. Superiora in natura, quod ſequitur in more.
Funus inducatur, liquidẽ ludorũ dominus funeris utantur accenſo atq; lictoribus.
Honoratorum uirorum laudes in concione memorantor: easq; etiam ad cantus ac tibicinem proſequuntor: cui nomen Neniæ, quo uocabulo etiam Græcos cantus lugubres uocant.
In decimam tabulam translata ſunt, quæ de minuendis ſumptibus à Solone ſcripta. Sequuntur ſcilicet epulæ, quas inirent propinqui coronati: apud quas de mortui laude, quom niſi quid ueri erat prædicatum. nam nefas mentiri habebatur.
De tribus ricinijs fit mentio in tab. XII.
Ne quis ſepulchra deleat, néue alienum inferat.
Et pœna eſt ſi quis buſtum, aut monumentum aut columnam uiolarit, deiecerit.
Ne quis ſepulchrũ operoſius faciat q̃ quod decẽ homines fecerint triduo, neq; id opere textorio exornari, nec hermas hos quos uocãt licebat imponi. nec de mortui laude in publicis ſepulturis, nec ab alio, niſi qui publice ad eam rem cõſtitutus eſſet, dici licebat. Hæc ex Legibus Solonis, unde tractæ XII. tab.
Sublata etiam erat celebritas uirorum ac mulierum, qui lamentatio minueretur. Quocirca Pittacus omnino accedere quenq; uetat in funus aliorum. Sed ait rurſus Demetrius, increbuiſſe eam funerũ ſepulchrorumq; magnificentiam, quæ nunc ferè Romæ eſt: quam conſuetudinem lege minuit ipſe.
Idem ſumptus minuit non ſolum pœna, ſed etiam tempore. ante lucem enim iuſſit efferri.
Sepulchris etiam nouis ſtatuit modum. Nam ſuper terra tumulum noluit quidem ſtatui, niſi columellam tribus cubitis nõ altiorem: aut menſam aut labellum. Et huic procurationi certum magiſtratum præfecit.
Plato iuſta funerũ reijcit ad interpretes religionum, quem Romani morẽ tenent.
Idem uetat ex agro culto, eoúe qui coli poſsit, ullam partẽ ſumi ſepulchro, ſed quàm nihil ager tantummodo efficere poſsit: ut mortuorum corpora ſine detrimẽto uiuorum recipiat, eà potiſsimum ut compleatur. Quæ autem terra fruges ferre, & ut mater cibos ſuppeditare poſsit: eam nequis nobis minuat, néue uiuus, néue mortuus. Extrui autem uerat ſepulchrum altius, quàm quod quinq; diebus abſoluerint: nec è lapide excitari plus, nec imponi, quàm quod capiat laudem mortui inciſam nõ plus quatuor Heroicis uerſibus, quos longos uocat Ennius.

Ex III. libro De legibus.

Iuſta imperia ſunto, ijſq; ciues modeſte ac ſine recuſatione parento. Magiſtratus nec obedientẽ & noxium ciuem, multa, uinculis, uerberibus coercento, ni par maiorúe poteſtas prohibeſsit: ad quos prouocatio eſto. Quom magiſtratus iudicaſsit irrogaſsitúe, per populum mulctæ pœnæ certatio eſto.
Militiæ uero qui imperabit, prouocatio ne eſto.

Quodq;

Quodq́ is qui bellum gerat imperaſsit, ius ratumq́ eſto.
Minoris magiſtratus partiti uires plures in prælia ſunto.
Militiæ quibus iuſsi erant imperanto, eorumq́ tribuni ſunto.
Domi pecuniam publicam cuſtodiunto.
Vincula fontium ſeruanto.
Capitalia uindicanto
Aes, argentum, aurumúe publice ſignanto.
Lites contractas iudicanto.
Quodcunq́ ſenatus decreuerit agunto.
Suntoq́ ædiles, curatores, urbis, annonæ, ludorumq́ ſolennium: olliſcq́ ad honoris amplioris gradum is primus aſcenſus eſto.
Cenſores populi æuitates, ſoboles, familias, pecuniasq́ cenſento.
Vrbis, templa, uias, aquas, ærarium, uectigalia tuento.
Populiq́ partes in tribus diſtribuunto.
Exinde pecunias, æuitates, ordines partiunto.
Equitum, peditumq́ prolem diſtribuunto.
Cælibes eſſe prohibento. Mores populi regunto.
Probra in ſenatu ne relinquunto. Bini ſunto.
Magiſtratum quinquennio habento.
Reliqui magiſtratus annui ſunto.
Ollaq́ poteſtas ſemper eſto.
Iuris diſceptator, qui priuata iudicet, iudicariúe iubeat, prætor eſto.
Is iuris ciuilis cuſtos eſto: huic poteſtati parento.
Quotcunq́ ſenatus creuerit, populusúe iuſſerit: tot ſunto.
Regio imperio duo ſunto: iiſq́ præeundo, iudicando, conſulendo, prætores, iudices, conſules appellantor.
Militiæ ſummum ius habento. Nemini parento.
Huius ſalus populo ſuprema lex eſto.
Eundem magiſtratum ni interfuerint decem anni nequis capito
Aeuitatem annali lege ſeruanto.
Aſt quando duellum grauius, diſcordiæ ciuium, eſtunto ne amplius ſex menſes, ſi ſenatus creuerit: idem iuris quod conſules tenento. Isq́ aue ſiniſtra dictator populi magiſter eſto.
Aequitatem quicunq́ regat habeto pari iure cũ eo, quicunq́ erit iuris diſceptator.
Aſt quando conſul abeſt, magiſter dictatórue populi, nec reliqui magiſtratus in urbe ſunt, auſpicia patrum ſunto: olliq́ ex ſe produnto, qui comitiis creare conſules rite poſsint.
Imperia, poteſtas, legationes cum ſenatus creuerit, populusúe iuſſerit, ex urbe exeunto.
Duella iuſta iuſte gerunto, ſociis parcunto.
Se & ſeruos continento.
Populi ſui gloriam augento. Domum cum laude redeunto.
Rei ſuæ ergô ne quis legatus eſto.
Plebes quos pro ſe contra uim, auxilij ergô x. creaſsit, tribuni eius ſunto: quodq́ ij prohibeſsint, quodq́ plebem rogaſsint, ratum eſto: ſanctiq́ ſunto: neúe plebem ordinem tribunis relinquunto.
Omnes magiſtratus auſpicium, iudiciumq́ habento.
Exq́ iis ſenatus eſto. Eiusq́ decreta rata ſunto.
Niſi poteſtas par maiorúe prohibet, S. C. perſcripta ſeruanto.
Is ordo uitio uacato. Cæteris ſpecimen eſto.
Creatio magiſtratuũ, iudicia, populi iuſſa, uetita, cum ſuffragio conſciſcentur, optimatibus nota, plebi libera ſunto.
At ſi quid erit quod extra magiſtratus cohercitio uſus ſit, qui coherceat populus creato, eiq́ cohercendi ius dato

Cum

Cũ populo patribusq; agẽdi ius esto Consuli, prætori, magistro populi, equitũq;, eiq; quem produnt patres consulum rogandorũ ergô: tribunisq;, quos sibi populus rogasit, ius esto cum patribus agendi. ijdem ad plebem quod usus erit ferunto.

Quæcunq; in populo, quęcũq; in patribus agentur, modica sunto. Senatori qui nec aderit, aut causa, aut culpa esto. Causas populi teneto.

Vis in populo abesto. Par maiorúe potestas plus ualeto.

Ast qui turbasint in agendo, fraus autoris esto.

Intercessor rei malæ, salutaris ciuis esto.

Qui agent, auspicia seruanto: auguri publico parento.

Promulgata, proposita, in ærario cognita agunto.

Nec plusquam de singulis rebus semel consulunto.

Rem populum docento.

Doceri à magistratibus, priuatisq; patiuntor.

Priuilegia ne irroganto.

De capite ciuis, nisi per maximũ comitatũ, ollosq; quos censores in partibus populi locasint, ne ferunto.

Donum ne capiunto, néue danto. néue petenda, néue gerenda, néue gesta potestate quod quis earum rerum migrasit, noxiæ pœnæ parento.

Censores fide leges custodiunto: priuata ad eos acta referunto: nec eo magis lege liberi sunto.

Ea penè Romanæ ciuitatis, & si paulum allatum est noui.

Nec Ephori Lacedæmone, sine causa à Theopompo oppositi regibus, nec apud nos consulibus tribuni. Reliqui magistratus consuli pareant, excepto tribuno qui pòst existit: ne id quod fuerit esset. hoc enim primum minuit consulare ius, quod existit ipse qui eo non tenetur. Deinde quod attulit auxilium reliquis, non modo magistratibus, sed etiam priuatis consuli non parentibus. Quid turpius quàm sine prouratione senator, legatus sine mandatis, sine ullo reipublicę munere. Quod genus legationis Cicero consul quanquã ad cõmodum senatus pertinere uideatur, tamen approbãte senatu frequentissimo, nisi leuis tribunus plebis intercessisset sustulisset. minuit tamen tempus, & quod erat infinitũ, annuum fecit: ita turpitudo mansit diuturnitate sublata. Decium Brutum & Pub. Scipionẽ Coss. quos & quantos uiros homo omniũ infimus & sordidissimus tribunus plebis C. Curiatus in uincula cõiecit. quod antè factum non erat. Sylla tribunis plebis sua lege iniuriæ faciendæ potestatem ademit, auxilij ferendi reliquit. Quid Tib. Gracchũ perculit, nisi quòd potestatem intercedendi collegæ abrogauit? Omnibus magistratibus auspicia & iudicia dantur, ut sit populi potestas ad quam prouocaretur. Auspicia ut multos inutiles conatus, probabiles impedirent moræ: sæpe enim populi impetum iniustum auspicijs Di immortales repressérunt. Si potestas in populo, autoritas in senatu sit, teneri poterit moderatus & concors ciuitatis status. Ordo senatorius careat uitio. Sicut cupiditatibus principum & uitijs infici solet tota ciuitas, sic emendari & corrigi continentia solet. Vir magnus L. Lucullus ferebatur quàm commodissime respondisse, quom esset obiecta magnificentia uillæ Tusculanæ: Duos se habere uicinos, superiorem equitem Romanum, inferiorem libertinum: quorum quom essent magnificæ uillæ, concedi sibi oportere, quod ijs qui inferioris ordinis essent, liceret. At ipsum magis cessare oportuit, ut illi redargui possent. Plato ait, musicorum cantibus mutatis, mutari ciuitatum status. Ego nobilium uita uictuq; mutato, mores mutari ciuitatum puto. Autoritatem optimatum tabellaria lex sustulit, quam populus liber nunquam desiderauit, oppressus dominatu ac potentia principũ flagitauit. Itaq; grauiora iudicia de potentissimis hominibus extãt uocis, quàm tabellæ. Quamobrem suffragrandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo: in qua bonis ignorantibus quid quisq; sentiret, tabella uitiosum occultaret suffragium.

IIII. leges tabellariæ.

Prima de magistratibus mandandis, Gabinia, lata ab homine ignoto & sordido.

Secuta

Secuta biẽnio pòſt Caſsia eſt, de populi iudicio: ea à nobili homine lata eſt L. Caſsio, ſed, pace familiæ dixerim, diſsidẽte à bonis atq; omnes rumuſculos populari ratione aucupãte. Carbonis tertia eſt, de iubẽdis legibus ac uetãdis, ſeditioſi atq; improbi ciuis. Vno in genere relinqui uidebatur uocis ſuffragium, quòd ipſe Caſsius excepe rat perduelliones: dedit huic quoq; iudicio Cælius tabellã: doluitq; quoad uixit. ſed ut opprimeret Cælius populũ, nocuit & reipublicæ. & auus Ciceronis in municipio Arpinatum, quoad uixit reſtitit M. Gratidio, cuius in matrimonio ſororẽ habebat, ferenti legem tabellariam. Excitabat enim fluctus in ſimpulo (ut dicitur) Gratidius, quos pòſt filius eius Marius in Aegeo excitauit mari. Quę quom res eſſet ad ſenatũ delata, Scaurus Conſul, Vtinã, inquit, M. Cicero iſto animo atq; uirtute in ſumma rep. nobiſcũ uerſari quàm in municipali maluiſſes. Omnes itaq; leges tollantur, quæ tegunt omni ratione ſuffragium, ne quis inſpiciat tabellam, ne roget, ne appellet. Pontes etiã lex Maria fecit anguſtos. Quæ ſi oppoſita ſunt ambitioſis, non reprehendo. Autor moderatur & effingit nõ modo mentẽ ac uoluntates, ſed penè uultus eorum apud quos agit: quod in ſenatu non difficile eſt. Eſt enim ſenator is, cuius non ab autore referatur animus, ſed qui per ſe ipſe ſpectari uelit. Huic iuſſa tria ſunt. ut adſit: nam grauitatem res habet, quom frequens ordo eſt. ut loco dicat, id eſt rogatus. ut modo, ne ſit infinitus. Nam breuitas non modo ſenatoris, ſed etiam oratoris magna laus eſt in ſententia. Neceſſarium eſt ſenatori noſſe rempublicã, idq; late patet. Quid habeat militum, quid ualeat ærario, quos ſocios, quos amicos, quos ſtipendiarios, qua quiſq; ſit lege in cõditione, fœdere. quæ omnia cõſtant memoria.

Nihil exitioſius in modeſta & compoſita ciuitate, quàm quicquam agi per uim.

Impediri bonam rem melius, quàm concedi malam. Autores iubentur abeſſe fraude. Id totum ex Craſſi ſapiẽtiſsimi hominis ſententia, quam ſenatus eſt ſecutus: quom decreuiſſet C. Claudio cõſule indignam Carbonis ſeditionẽ referente, eo inuito, qui cum populo ageret, ſeditionẽ non poſſe fieri. quippe cui liceat conſilium, ſimul atq; interceſſum turbariq; ceptum ſit, dimittere. Interceſſor rei malæ ſalutaris ciuis eſto. Eſt boni auguris meminiſſe maximis reipublicæ tẽporibus præſto eſſe debere, Iouiq; Opt. Max. ſe cõſiliarium atq; adminiſtrum datum: ut ſibi eos quos in auſpicio eſſe iuſſerit: cæliq; partes ſibi finitas eſſe tradítas.

Duæ leges excerptæ è XII. tab.

Altera priuilegia tolluntur. Altera de capite ciuis rogari niſi maximo comitatu uetatur. Nondum initis ſeditioſis tribunis plebis admirandum eſt tantum maiores in poſterũ prouidiſſe. in priuatos homines leges ferri noluerũt. Id eſt enim priuilegium. Quo quid iniuſtius? cum legis uis hæc ſit, in omnes ferri. De ſingulis centuriatis comitijs ferri uolunt. In ſuo uitio quiſq; plectatur: uis capite, auaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia ſanciatur. Legum cuſtodia non uſitata quidem, ſed reipublicę neceſſaria. Itaq; hæ leges ſunt, quas apparitores noſtri uolunt. à librarijs petimus, publicis literis conſignatam memoriã publicam nullam habemus. Græci hoc diligẽtius, apud quos Nomophylaces creantur. nec ij ſolum literas (nam id quidem etiã apud maiores noſtros erat) ſed etiam facta hominum obſeruabant, ad legesq; reuocabant. Hęc datur cura cenſoribus, hoc in Græcia fit publice cõſtitutis accuſatoribus: qui graues eſſe non poſſent, niſi eſſent uoluntarij. Animaduerto quoſq; in magiſtratibus ignoratione iuris ſui, tantum ſapere quantum apparitores uelint.

Plinius lib. XVIII.

Aruorum ſacerdotes, quos aruales fratres dicebant, Romulus imprimis inſtituit: ſeq; duodecimũ fratrem appellauit inter illos, ab Acca Laurentia nutrice ſua ſpicea corona, quę uitta alba colligaretur, ſacerdotio ei pro religioſiſsimo inſigni data. Hęc prima apud Romanos fuit corona, honosq; is nõ niſi uita finitur, & exules etiam captosq; comitatur.

Numa inſtituit deos fruge colere, & mola ſalſa ſupplicare, atq; far torrere: quoniam toſtum cibo ſalubrius eſſet: id uno modo conſecutus, ſtatuendo non eſſe purum ad rem diuinam niſi toſtum. idem fornacalia inſtituit, farris torrendi ferias, & æque religioſas terminis agrorum.

Veteres

Veteres non deguſtabant nouas fruges aut uina antequam ſacerdotes libaſſent. Dona ampliſsima imperatorum ac fortium ciuium quãtum quis uno die plurimum circumarauiſſet. Item quartarij farris aut heminæ, conferente populo.

Agrum male colere cenſoriũ probrum iudicabatur. Quem uirum bonũ colonum dixiſſent, ampliſsime laudaſſe exiſtimabant: unde locupletes. In tabulis cenſorijs paſcua dicuntur omnia ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc ſolum uectigal fuerat. Cautum priſcis legibus, ne bouem priuſquam ouem nominaret qui indiceret mulctam.

Gellius lib. XI cap. I.

Mulcta quæ ſuprema appellatur, utpote qua nulla maior inſtituta fuit, in ſingulos dies duorum ouium, triginta boum: pro copia ſcilicet boum, procꝫ ouium penuria. Sed quom eiuſmodi mulcta pecoris armentiꝫ à magiſtratibus dicta erat, adigebantur boues ouesꝫ aliàs precij parui, aliàs maioris: eaꝫ res faciebat inæqualem mulctæ punitionem.

Iccirco poſtea lege Ateria conſtituti ſunt in oues ſingulos æris deni, in boues æris centeni. minima autem mulcta eſt, ouis unius.

Nunc quoꝫ quãdo à magiſtratibus populi Romani more maiorũ mulcta dicitur, uel minima uel ſuprema, obſeruari ſolet ut oues genere uirili appellentur: ac niſi in eo genere diceretur, negauerunt iuſtam uideri mulctam.

Verba quibus minima mulcta dicebatur fiebatúe (nam utrunꝫ dicitur) ſunt apud M. Varronem: M. Terentio, quãdo citatus neꝫ reſpondit neꝫ excuſatus eſt, ego (is erat prætor) ei unum ouem mulctam dico. Mulcta autẽ uocabulum Samnitum eſt.

Plinius lib. XVIII. cap. III.

Frugem aratro quæſitam furtim nocte pauiſſe ac ſecuiſſe puberi XII. tab. capitale fuit: ſuſpenſumꝫ Cereri necari iubebant grauius quàm in homicidio conuictũ: impubem prætoris arbitratu uerberari, noxamúe duplionemúe decerni.

Idem lib. IX. cap. XXIII.

Tenuiſsimum murenis tergus, contrà anguillis craſsius: eoꝫ uerberari ſolitos tradit Verrius prætextatos, & ob id mulctã ijs dicit nõ inſtitutã. Nam pro mulcta uerbera & caſtigatio fuit indicta.

Idem lib. XVIII. cap. III.

Ruſticæ tribus laudatiſsimæ eorum qui rura haberẽt, urbanæ uero in quas tranſferri ignominia eſſet, deſidiæ probro. Itaꝫ quatuor ſolæ erant à partibus urbis, in quis habitabant, ſuburrana, palatina, collina, exquilina. Nundinis urbem reuiſitabant, & ideo comitia nundinis haberi non licebat: ne plebs ruſtica auocaretur, dum ſcilicet ambitione rerum urbanarum allicitur, ſuffragiaꝫ & magiſtratus admiratur.

Idem ex cõmentarijs pontificum.

Augurio canario agendo dies conſtituant, priuſquã frumenta uaginis exeant, & antequã in uaginas perueniant. Idem. Lege Stolonis Licinij incluſo modo quingentorũ iugerum, & ipſo ſua lege damnato, cũ ſubſtituta filij perſona amplius poſſideret. luxuriantis iam reipublicę fuit illa menſura. Manij quidem Curij poſt triumphos, immenſumꝫ terrarum adiectum imperio, nota concio eſt: pernicioſum intelligi ciuem, cui ſeptem iugera non eſſent ſatis. Idem. Cincinnato uiator attulit dictaturam, & quidem nudo plenoꝫ puluerís etiamnum ore. Cui uiator: uela corpus, inquit, ut proferam ſenatus populi Romani mandata.

Ex epiſtola Lentuli poſita in XII. lib. Epiſtolarum fam. Cic.

Fœdere quod cum Rhodijs M. Marcello, S. Sulpitio Coss. renouatũ erat, quo iurauerant Rhodij, eoſdem hoſtes ſe habituros quos ſenatus populuſꝫ Romanus.

Ex epiſtola M. Tullij ad Cornificium eodem lib.

Id à te peto, quod ipſe in prouincia facere ſum ſolitus non rogatus, ut omnibus ſenatoribus lictores darem: quod idem acceperã, & id cognoueram à ſummis uiris ſaepe ſtitatum. Hos rogo des C. Anitio, qui negociorum ſuorum cauſa legatus eſt in Africam legatione libera.

Cri.lib.IX.cap.XIII.

Qui annum uitæ ſexageſimũ abſoluiſſet,ab omni ſenatus munere uacabat.
Nullus ſupra quinquageſimũ annum militiæ ſacramento tenebatur.

Ex lege ueteri annaria apud Sex.Feſtum.

Aeuitatem annali lege ſeruanto. Eundem magiſtratum ni interfuerint anni x ne quis capito. Idem lib.I.cap.XVIII.

Calendis Maijs ſoliti ueteres,Bonã deam,Faunamq; & Opem & Fatuam expontificum libris indigitare.
Virgines Veſtales quom indigitare Apollinem uellent,Apollinem medicum,Apollinem pæana dicebant.

Cri.lib.II.cap.V ex legibus XII uiralibus.

Sacerdotes cæli fulgura regionibus ratis temperanto.
Vrbem,agros,& templa libera & effata habento.
Prodigia portenta ad Etruſcos & aruſpices deferunto.
Procuranto fulgura,& obſita pianto.
Nam procurare & expiare pontificia uerba ſunt.

Idem in III.cap.V.Ex Macrobio.

Qui reus uoti eſto, accedunto ad ſacra.
Qui damnatus eſto,ſacra rite perſoluunto.

Cicero ad Brutum lib.XIII.Epiſtolarum.

Satis cõmendatum tibi M.Varronem arbitrabar ab ipſo more maiorum, qui ut te non fugit,quæſturę coniunctionem liberorum neceſsitudini proximam uoluit eſſe.

Suetonius in Cæſare.

Conſul creatus eſt cum Bibulo: & ob eam cauſam opera optimatibus data eſt,ut prouinciæ futuris conſulibus minimi negocij, id eſt ſyluæ callesq; , decernerentur. Qua maximè iniuria Cæſar inſtinctus omnibus officijs Cn. Pompeium aſſectatus eſt offenſum patribus.

Verba Catonis,relata à Gellio.

Romani noſtri equos carius quàm coquos emebant:poeticæ artis honos nõ erat. Siquis in ea re ſtudebat,aut ſeſe ad conuiuia applicabat,graſſator uocabatur.
Aliquando nomina mutari ijs qui ciuitate donabantur.

Cicero in Epiſtolis fam.lib.XIII.ad Acilium.

Demetrio Megę Dolobella rogatu meo ciuitatem à Cæſare impetrauit,qua in re ego interfui:itaq; nũc Publius Cornelius uocatur. Quomq; propter quoſdam ſordidos homines,qui Cæſaris beneficia uendebant, tabulam in qua nomina ciuitate donatorum inciſa eſſent,iuſsiſſent reuelli:eidem Dolobellæ,me audiente Cæſar dixit, Nihil eſſe quod de Mega uereretur:beneficium ſuum in eo manere.

Plinius lib.XXV.cap.IX.

Hierobotanen alij periſtereon, noſtri uerbenacam uocant. hæc eſt quam legatos ferre ad hoſtes indicauimus. Hac Iouis menſa uerrítur, domus purganẽ luſtrãturq;.

Plinius lib.XXVII.cap.VII.

Latinarum ferijs quadrigæ certant in capitolio, uictorq; abſinthium bibit: credo ſanitatem præmio dari honorificum arbitratis maioribus. Publice ſcribentes ad Coss. Præt. Tr. Pl. S. P. Q. R. dabant literas, ut ex epiſtolis Cic. ſæpe colligitur.

Cicero lib.I.De legibus.

Interrex noſter legem tulit, ut qui dictator eſſet, quem uellet ciuium indicta cauſa impune poſſet occidere.

Idem.

Vſucapionem XII.tab.inter quinq; pedes eſſe uoluerunt.

Idem lib.II.

Omnibus municipibus duas eſſe cenſeo patrias, unam naturæ, alteram ciuitatis, ut Cato quom eſſet Tuſculi natus,in populi Romani ciuitatẽ ſuſceptus eſt.

Idem.

Qui in familiam patriciam uenerit,amittit nomen obſcurius.

Macrobius

Macrobius.

Qui templum dicabat, postem tenens, dare se dicebat numini, quod ab illo necesse fuerat iam teneri & ab humano iure discedere. eodem die arulæ & mensæ dicabantur, non autem clypei, coronæ, & alia ornamenta.

Cicero pro Cornelio.

Primum enim sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus plebsúe sanxisset. Deinde sanctiones sacrandæ sunt, aut genere ipso, aut obtestatione & consecratione legis: aut pœna, quom caput eius qui contra fecerit consecratur.

Plinius in decimo.

Est & anseri uigil cura capitolio testata defenso, per id tempus canũ silentio proditis rebus. Quamobrem cibaria anserũ censores imprimis locant. Idem XXIX. Eadem de causa supplicia annua canes pendunt, inter ædem Iuuentutis & Summani uiui in furca è sambucea arbore fixi.

BONAVENTVRÆ PISTOPHILO VIRO MAGNIFICO.

DEBETVR tibi iure Pistophile uir magnifice hæc cõmentatio: quom tu unus ex omnibus hoc genere studiorum mirifice teneare: neq; inter tot ac tantas rerum publicarum occupationes sinas diem abire, quo non aliquid te dignum legas, aut scribas dignum quod à cæteris legatur. Vt me persæpe mirari subeat, istam incredibilem animi tui felicitatem: qua ita accurate, sapienter, industrie res clarissimi principis nostri obeas, ut nihil prætrea agere uideare: ita rursus liberalia atq; ingenua hæc studia amplectaris, ac si ablegatis negocijs, altissimo ocio perfruare. Quare quom cæteri uarijs artibus se principi cõmendatos uelint, tu unus ex omnibus aut certè cum paucis in eum locum prouectus es, unde splendor tui nominis non ex fastu aut ambitione, sed ex laboribus atq; assiduitate augeatur. Quid quòd dum in hoc genere scribẽdi animum oblectabam, tu me absentẽ acerrime defendebas ab ijs qui per iniuriam & dignitatẽ & fortunas meas oppugnabant: tuaq; prudentia ac dexteritate effecisti, ut quod multi optant, pauci adsequuntur, uno tempore & absens & hoc agens ocium tuerer meum, nec minus aduersarij impressionem superarem & ius meum obtinerẽ. Iure igitur tibi debetur hoc quicquid est libelli, cuius te unum patronum agnosco, uel ex eo ipso tẽpore, quo inter prima partus inuolucra legitimos nõdum natales acceperat. Nã si uera loqui lubet, omnes mihi studiorũ amœnitates, omnes has periucũdas cogitationes excusserat ea molestissima interpellatio, nisi tu & opera & autoritate tua tempestiuum adeo mihi præsidium attulisses. Sed quota est hæc tuorum in me officiorum portio? ceu uero tu non me quotidie tuis beneficijs ornes aut iuues. Sed ita est, tuorum in me officiorum quodq; illustrissimũ est, quod est recentissimum. Atqui tu fortasse hinc tuorum magnitudinẽ meritorum, hinc libelli angustias metiens, hui dices præclarum æstimatorẽ nostrę liberalitatis: qui scilicet post prædicationes tantas tantillũ reponat hostimentũ. Verũ ego te mi Pistophile falli nolim. Nam quẽ tu exiguũ atq; angustũ putas, admirabilis prorsus est libellus. Liceat enim mihi per tuã humanitatem munusculi inanitatẽ uerbis adornare. Sed profecto ita est. nam si ueteres ita Ctesibium & Archimedem iure admirati sunt, quòd paruis machinis ingentes moles agitarent: libello sanè nostro summa admiratio debeatur, quando hic perniciſsimum illum solis & sex errantiũ syderum, quin & octaui orbis incredibilẽ impetum sistit. Terræ autem segnitiẽ ita impellit atq; urget, ut citatissimo cursu deferatur, gentes ac populos, montes ac maria, eodem turbine secum rapiens ac uolutans: & quod magis mireris, non succulis, non polyspastis, non epagonte, sed solo magicæ orationis ueneficio tantum nobis miraculum constat. quod si inter παράδοξα adnumeraueris, non est quòd repugnem aut quòd putem moribus tuis parum conuenire, qui in tanta hominum perfidia, tam corruptis moribus seculi, bonitate, beneficentia, innocentia uiuũ quoddam nobis paradoxum repręsentas. Sed tuum istud παράδοξον, quod nostrum paucis uoluptatem, tuum omnibus & uoluptatem & præsidium afferre solet. Bene uale.

QVOD CAELVM STET, TERRA MOVEATVR.

VEL DE PERENNI MOTV TERræ, Cælij Calcagnini commentatio.

A NTV non audisti academiam ueterem ita de rebus ac tota natura statuisse, ut nihil certò intelligi aut comprehendi posse arbitretur: quod genus disciplinæ aut mera ignoratio est, aut certe quid ignorationi proximũ. Id Græci melius quàm nos ἀκαταλήψιαν dixere, Cicero incomprehensibilitatem interpretatur. Ob id Socratem introduxisse disceptationem in utranq; partem ferunt: quasi hæc una foret aptissimum instrumentũ rerũ indagini. Nec alia profecto de causa Arcesilaus collum illud suum columbinum contemplari solebat, nisi ut uarietate colorum oculos fallente intelligeretur quàm difficile ac periculosum foret in rebus etiam perspicuis quippiam affirmare. Epicurus bipedalem solem aut certè non multo maiorem arbitrabatur. Solent etiam philosophi remi palmulam solidam ac sartam tectam (ut dicitur) intra aquã quasi fractam ostendere. Aristoteles probat uim illam intellectus, qua formæ & spectra recipiũtur, corruptã ac peruersam offerre oculis miras imagines, atq; omnino ueritati rebelles. Ob id atrabile laborãtes sese mirabiliter affectos pro morbi inæqualitate imaginantur, alij se uitreos putant, accedentesq; refugiunt, ne forte collidantur: alij se in aquã delicuisse totosq; perfluere suspicantur. Quid de ijs dicam? qui se anseres, pauones, buculas factos existimant, eorumq; animalium uoces imitantur, quorũ sibi formas uidentur induisse. & ut autor est Hippocrates, ijs, quorum oculi sanguine suffusi sunt, rubro colore perfusa omnia offeruntur: sicuti arcuatis & glaucomate affectis uidentur cuncta uirescere. Sanè bene potis ac uino madentibus oculi natant, omnia circumuolitant, atq; in orbem feruntur. Agrigenti domum fuisse accepimus, cui triremis ex eo nomen fuit: quòd quom nobiles adolescentes paulo se liberalius pocu lis inuitassent quàm sobrios deceret, tũ sibi domus omnis agitari & fluctuare ac demum subuerti uidebatur. illi uero se nauigare suspicantes, & mox naufragium facere inclamantes, repentinũ consilium ceperũt: quale sibi suggerebat ebrietas, ut instrumentum omne domesticum, omnemq; supellectilem leuandæ nauis gratia ex fenestris & menianis abijcerent ac profunderent. Hinc domus nuncupationem inuenit.

Sed forte aliquis dixerit, cedo, quorsum tam longa tendit oratio? eò scilicet ut intelligas: non ita esse oculis habendam fidẽ, ut quod illi nuntiarint, persuasum exploratumq; protinus haberi oporteat. Dixeram tibi modo, hunc cæli ambitũ, quẽ tu inenarrabili celeritate uerti putas, hunc solẽ, illa astra, quæ tu uno circumactu rapi existimas, stare, suisq; nixa orbibus perpetua quiete perfrui. Hanc uero tellurem, quam tu fixam immotamq; arbitraris, (sic enim te tuus aspectus falsum habet) neq; consistere, neq; grandioribus elementis incubare, ut multo maxima pars mortalium putat. Quin eam esse, quæ incõparabili pernicitate æternoq; anfractu circunuertatur, nosq; mortales cum ipsis domicilijs atq; urbibus, montibus ac fluuijs imprudentes ac nostræ conditionis ignaros rotet: non secus atq; olim posteritati traditum accepe rimus, C. Curionis theatris duobus & temporarijs & ex intestino opere constructis P. R. per summam securitatem assedisse, sui periculi ignarũ: quę ita constituta fuisse legimus, ut uno axe uersatilia uarias facies ostenderent: frontesq; ita cõmitterent, ut ignaris sessoribus nũc theatri, nunc amphitheatri imaginẽ præ se ferrent. Hoc idem nobis quotidie euenire solet, immo horis singulis: ut torpentibus nobis aut certè aliud agẽtibus in hac citima orbis plaga alia atq; alia spectacula offerantur: quiescẽte mundo

mundo, ſed terra ipſa irrequieta uertigine nos & noſtra deferente. Tu uero quom hæc ab opinione uulgi paulo remotiora traderem, identidem reclamabas, prouocabaſq; ad oculorum fidem: ceu uerò ſtultum foret ac furori proximum nõ ſentire ab ortu in occaſum, & ab occaſu rurſus in ortum, cælum & quæ cælo conſerta ſunt circumflecti, & has æternitatis uices ſeruare. At ego te fruſtra ſæpe admonebam, ut ab oculis aliquando diſcederes: & illud poetæ tecum cogitares:

Prouehimur portu, terræq; urbesq; recedunt.

Quis enim eſt qui naui uehens, licet ſciat, ſentiatq; ſe naui uehi, licet tam breuibus uninis nauigij cancellis includat, ſuũq; undiq; uehiculũ circunſpiciat: ſi tamẽ paulo accuratius in rupes proximas & nemora ripis adiacentia inconniuentes oculos intenderit, non putet ſe ſtabili loco ſidere, ripas autẽ & nemora cõmeare? quo minus admirabile uideri debet, ſi tanta in mole cõſtituti rapimur atq; agimur, ut lubet, noſtræ humanæ conditionis ignari. Facit enim loci magnitudo, ut ad ſenſum nõ perueniat ille telluris impulſus, amplitudine molis fallente ac diſſipãte pernicitatis intellectũ. In ijs ergo, in quibus ſenſus parũ officio ſuo defungi poſſunt, & uel certo aliquo obijce impediuntur, aut locorum diſtantia circunſcribuntur: nihil expedit magis ad explorandam ueritatẽ, quàm prouocare ad rationem, & argumenta ſcrutari, quæ rei dubiæ fidem faciant. Eſt enim uetus illa inclamatio apud Platonẽ in Gorgia, ὡς χρὴ τὴν ἀφορμὴν δεῖ φιλόσοφον, καὶ μὴ εἰς τἆλλ' ὁρᾶιν. Oportere hominem philoſophum non oculos ſed mẽtem intueri. Tecum ergo ſic cogita. An non ea quæ ſupra lunam poſita ſunt & cælo finitima, æterna ſunt, immortalia, ab omni commutationis iniuria longe aliena? An nõ quæ citima ſunt, mortalia, caduca, ad uiciſſitudines alternationesq; ſemper expoſita? & qualia Plato in Timæo ſcripſit ſemper fieri, eſſe nũquam. Sanè ſi hæc ſentẽtia ita recepta eſt, ut ab omnibus cõprobetur, non uideo quomodo æternis illis immortalibus ac ſemper ſibi conſtantibus poſsit motus conuenire: præſertim quom nihil aliud ſit motus, quàm mutatio & ex loco ad locum migratio. Neq; enim aliter quicquam moueri dicitur, niſi quod partim uno, partim altero nititur termino: quom neq; in utroq; totum, neq; utiq; in neutro totum recipi poſsit, quod perſuaſiſsimum inconſtantiæ ac incertæ ſortis teſtimonium eſſe poteſt. Hoc uero multo iuſtius ac rationabilius terræ quàm cælo irrogaueris. huic rei fidem facit natura ac poſitio telluris: quam aer ambit, cui aqua incumbit, ac late permanat: ut quaſi in lubrico poſita, & facilius, & cõmodius circunuertat: quom nihil ſit quod offendat, & excurſionem moretur. Id quod pilæ abſolutæ rotunditatis euenire conſuetum eſt, ſi plana & læuigata tabula ſtatuatur. Nec enim tantiſper rotari deſinit, donec obijcem aut lacunam inuenerit ubi ſiſtat. adiuuat ipſa naturæ ratio atq; impellit: ceu quæ omnibus terræ partibus incredibile quoddam deſiderium ingenuerit perfruendi cæleſti lumine, exponendiq; ſinum æterni illius ſyderis radijs. quod excelſa in parte cæli præpotẽs deus collocauit, ut eius face omnia colluſtrentur: eoq; autore lucem à tenebris diſtinguamus, ut omnium rerũ ſeminaria eius calore excitentur, alantur, ſuccreſcant. Hinc animantibus pabula ſumminiſtrantur, hinc anni tempora per uices inſtaurantur. Non equidẽ quòd ille à nobis aliquando abſcedat, rurſusq; reuertatur, id quod plerisq; exiſtimauere: ſed q nos propius aliquando congrediamur, aliquando longius decedamus. Neq; enim ſatis uero conſentaneũ poteſt uideri, ut quod minime noſtri indigum eſt, id nos appetat, noſtriq; deſiderio teneatur: contrà, quæ ſine illo neq; ali neq; formari neq; propagari poſſunt, ceſſent, ſuisq; neceſsitatibus proſpicere negligant: quom planè intelligamus, atq; adeo oculis ipſis uideamus, à naturæ rerum altrice hunc eſſe inſtinctum rebus ingenitum, ut ſe ſuaq; tueantur: ſalutaria depoſcant, fugiant aduerſa. Teſtantur hoc & propè clamitãt uerum eſſe muta ac ſurda & extrema rerum conditione damnata. Quis enim non uidet flores quotidie ad ſolem hiantes, atq; ab eo quom longius abſtiterint comprimentes folia, & ſuum ſe in uterculum quaſi in diuerſorium, reuocantes? An non malua, cichoreum, & omne illud genus, tum herbarum, tum fruticũ, quod Græci heliotropium uocãt, ita ambitioſe ad ſolem nutat: ut inde ſibi agreſtes homines horologia, quæ ſcioterica appellamus, adornauerint. Inter hæc profecto lotos maximè conſpicua eſt atq; admirabi-

lis: ceu quæ in aquis nata tota die promineat, ueſpere immergatur, noctu uero ita ſe agat in profundũ, ut neq; immiſſo brachio poſsit inueniri. Eſt quoq; cyclamini ſpecies, quæ indè helioſcopi nomẽ inuenit. Periclymenon herbam coronariã & matronis noſtris egregie cognitã, quam domeſtica uoce matrem ſyluę nuncupant, an non quotidie ad ſolem uidemus anhelare? ut non deſint qui ab effectu ſoliſequam uocitauerint. Magneſium uero lapidem nõne omnes admiramur, parte una in auſtrum, in arctum alia pertinaciter inclinantẽ? ut hinc etiam primi mortalium Amalphij ad nauigantum præſidia admirabilem illam & antiquis ignotã pyxideculam nauticã paraverint. Sed & ferrum quanta naturæ inductione affectat? quanta rurſus ferrum alacritate Magneti adblanditur? ut fugientem etiã & excurſantem ſtudio curſuq; indefeſſo perſequatur. Ex quo planè intelligitur quanta ſit naturæ uis, & eius quam συμπαθείαν uocamus facultas. ut iam non ſit cur aliquis admiretur, terram ipſam, quę ſanè abſq; ſolis præſidio iners foret atq; infœcunda, tam cupide in ſolis complexus eniti, ut ex eo uitales igniculos ad rerum propagationẽ mutuetur. Quare nulla poſt hac cauſa eſt, cur ignoto deo faciamus, aut haruſpices aęcerſamus: ut ſecũdum rituales Etruſcorum libros, ſue fœta oſtentum procurẽt, ſi quando terra mouerit: quom nihil prodigioſum haberi par ſit, quod ex naturæ conſuetudine ac maieſtate proficiſcatur. Nec eſt quòd aliquis in dubiũ uocet Antipodas: aut admiretur, cur in contrarium quàm hic ſumus modum obuerſi non præcipitent in cęlum: quom nos ipſi nobis quotidie efficiamur antipodes, uiciſsimq; in rotæ morem ſine periculo nõ minus in imum deſcẽdamus, quàm adſurgamus in ſublime. Tantum uero abeſt: ut terræ pondus motũ atq; agitationẽ præpediat, ut multo magis incitet atq; impellat. Siquidem tellus in medio mundi conſtituta, loco ſcilicet omnium infimo ac preſsiſsimo: quom non habeat quò ulterius deuehatur, totaq; atq; integra locũ mutare nõ poſsit, reclamãte rerum natura: moles autem ac pondus urgeat: per partes ita moueri cœpit, ut nunquam ſtatione decedens irrequieto ſemper ambitu circumagatur: umbili co ipſo, quod centrũ appellamus, ceſſante: ſed orbe ſine fine in ſe reuertente atq; obambulante. ubi enim ſemel à natura impulſum accepit, non eſt quod poſsit unquam interquieſcere. alioqui rerum ratio ſubuertatur ac diſsiliat oportet. Certè clariſsimi cõditores omne momentũ à grauitate fieri dixerunt, leuitatẽ priuationẽ arbitrati: idq; tum alijs argumentis, tum maximè naturæ teſtimonio comprobarũt. Omnis enim agitatio quæ uel rotatione fit, uel porrecto, nulla planè foret: niſi uectis hypomochlio, id eſt fulcro ſuo, quaſi centro niteretur: pondere autẽ ex alia parte præuante deprimeretur. Quod & ex ſtateræ ratione uulgus mancipum quotidiano experimẽto cognoſcit, cuius imago ita propè exprimi poteſt: Includantur circulo duo trianguli iſoſceles ita obuerſis baſibus, ut apices utriuſq; in umbilico circuli collimẽt: eo loco ſtateræ agina ſtatuatur: tum lances utrinq; propendeant ad inferioris trianguli baſem. hæc ſanè baſis ad utranq; lancem rationẽ habebit horizontis: quo præſcribetur præfinieturq; æquilibrium. accedat alteri lanci pondus: ea protinus moueri incipiet, decedetq; ab horizonte. hac peſſum eunte, altera attolletur per circuli lineam ambeuntẽ: penſabuntq; rata portione ſuos in ſumma imaq; progreſſus, donec illa grauitate ſua mediam inferioris baſis lineam, ſuperioris illa ſua leuitate contigerit. ita non erit ambiguum utriuſq; momenta ponderi ſuperuenienti accepta ferri oportere. Sic columbã illam Architæ ligneã certis machinis ac ponduſculis inſtructam fuiſſe legimus: ut quom moueri ſemel cœpiſſet, ſemper moueretur, neq; deſineret: tui illa ſcilicet priſtina quæ motus principium dederat, nunquã deſerente impulſam, ſtructura præterea & artificio adiuuante. At contrà cælum leuitas, & quintę eſſentiæ ſubſtantiæ, ex qua fuit compactum, puritas ſimplicitasq; nullius ponderis particeps reddit immobile. In eo nihil quaſſum, nihil caducum, nihil mortale: pura atq; illibata omnia & ſempiterna beatã uitam degunt. Ob id Homerus cælum & beatam illam deorũ ſedem, ἀθανάτων ἕδος: & Ioannes in Apocalypſi τὴν πόλιν τετράγωνον, id eſt ciuitatẽ quadratam appellauit. Ad res enim mortales non etiã cæleſtes & ſempiternas pertinet illud Græcorũ prouerbium, μετὰ βολὴ γλυκύπικρος, Siquidem dei beatitudo, & bonorum ille omniũ quo perfruitur cumulus, in ęterna quiete conſtantiaq;

tiáq; consistit. Hic ea sunt quæ maximus ille philosophorum Plato nunquam fieri, semper esse prædicauit. Hic summus rerum conditor sedem ac domicilium suum statuit. hic cælestes genios præsto esse atq; apparere sibi uoluit. hinc ipse quasi è summo cænaculo, ut ille inquit, immotus ac sibi constans summa atq; ima diuerso ordine, sed pari sapiẽtia moderatur. Quòd nisi terrena agitatio alias atq; alias mundi species & formas obiiceret, sanè cælum ipsum eadem semper facie ijsdemq; imaginibus semper picturatum conspiceremus. Sed ita ratio postulauit, ita sapientia magni numinis præscripsit, quæ mortalium atq; immortalium rerum dispensationi præsidet: ut quę longe absunt ab omni mortalitatis cõtagio, ea semper eodem habitu fixa atq; inconcussa permaneãt: cõtrà quæ per uices fluunt, oriunt̃, adolescũt, cõminuuntur, occidunt, ea incerta atq; agitabili sede teneantur. Nã & terrę motus incrementis decrementisq; rerum & animantum generationi occasionem affert: & intestinos igniculos surda ac torpida hac mole ad fœturam excitat, unde materies ad excipiendas formas uegetatur. Ex quo doctissimi homines mundum ouum dixere: utpote ex cuius uitello uel seminarium uel alimentum cunctis animantibus subministretur. Obid puto ab Artemidoro Capitone traditum: solam terram à nõnullis fuisse existimatum elementũ, quod ea una seminaria generationis cõtineantur, & prodeant. Percunctetur fortè aliquis, cur hic terræ motus, quẽ ratione & propè sensu ipso demonstramus, in eam magis partem uergat, quam augures ueteri instituto læuã uocabãt, quàm aut in dextram aut in cardinẽ. Nec enim mihi eo nomine litem intendi uelim, quo nomine reũ Epicurum aliquãdo factum audio: qui suas illas atomos ad perpendiculum descẽdentes in partem alterã pauxillum declinare, nulla autẽ urgente causa existimabat: quando ego is sum qui omnia ex certa causa pendere, & si ea nondum omnibus forsan percognita sit, persuasum habeam. Illabitur ergo terra in læuam, uel quòd aqua imis terræ cuniculis infusa in eam partẽ maximè excurrat. uel quòd aer densior in læuã totus incumbat: quam nos mutata augurali ratione possumus multo cõmodius dextram appellare. Quippe natura (si Aristoteli Peripateticorum principi credimus) rebus omnibus ac mundi regionibus dextram sinistramq; præfiniuit. eam uero indubitato dextram agnoscimus, unde motus initiũ auspicatur. Quòd si quis se mihi duriorẽ iniquioremq; præstiterit, tritamq; opinionẽ sectatus, terram per inertiam desidere ac in se ipsa torpere dixerit: cuius rei gratia etiam putét à sedentibus Opi sacrũ fieri cõsueuisse: & illud à maximo philosophorũ συμβολικῶς dictum asseruerit, solam deorũ Vestam domi manere: cælum aũt assidua uertigine rapi contenderit: tametsi ego neminẽ inuitum sim ad ueri disquisitionem uocaturus, illud tamen meo iure mihi uideor posse affirmare: nullam esse rationẽ, quę cælum in dextrã moueri suadeat, quæ non eadem multo impensius multoq; iustius terræ conuersioni in læuam præcipiti faueat. Quòd si me paulum etiã iritauerint, & (ut ille inquit) stomachum mouerint: ausim dicere, uix aliud quicquã absurdius à philosophis commentatum esse, quàm cælum moueri: uel si species naturã ac læuitatem cæli, uel ipsius & eorum quę in ipso sunt, perpetuitatẽ & constantiam: uel ipsam mundi dimensionem, ad eam quam octauã sphæram appellant præsertim relatam. Quantus enim eius sit ambitus, immẽsum est, & supra mortalem captũ enuntiare. eam certè quom horis quatuor & uiginti suum spatium dicatur conficere, necesse erit supra millena centena passuum millia momentis singulis tranare: ut statis horis omnẽ anfractum decurrat, & ueluti dimensum diurnũ impleat. Quod posse fieri neq; corporis quantumuis cõcitati ratio, neq; ipsa humani animi pernicitas, si modo per partes differri intelligatur, persuaserit. Quicquid enim mouetur, priores semper partes excurrat, mox secũdas, atq; ita deinceps alias oportet, antequã ad metã & instituti cursus calcem attingat. Neq; sanè hoc loco Melissi more, instans & momenta excluserim: sed tanta orbis magnitudine, id quod rationi uehementer repugnat, euenire necesse est, ut extremæ partes antè præterirent, quàm primæ à carceribus promouissent. Est & hoc quidem in terræ uolutatione plenum admirationis: minus tamen habet miraculi, quòd terra ex cõputatione Eratosthenis trecẽties quindecies centena millia passuum complectatur, ex quo fit ut horis singulis duodecies & amplius centena millia

peragantur. quæ res propè incredibilis: niſi uim maieſtatẽq; naturæ in animum re-
uocemus. Sed quæ tandem centri ad extimũ circuli ambitũ proportio? Sanè ut nul-
lus terræ circumflexus cenſeri poſsit, ſi ad ſtelliferum ambitũ, quo large omnia con-
tinẽtur, referatur. Sed quid, amabo, anxie quærimus rem propè oculis expoſitã?
an non in diſciplina topica luculentus eſt locus à minori? quis uero neſcit homínem
μικρόκοσμον, id eſt paruũ mundum à maximis philoſophorũ appellatum? quòd mun-
di huius omnia in ſe claudentis inſtar atq; imaginẽ ferat. Atqui te rogo: num ſupre-
ma atq; altiſsima in homine pars, caput ipſum ſcilicet? an ima ac profundiſsima, id
eſt pedes, motui atq; inambulationi adſcripti ſunt? Nemo ſanè ita abhorret ab huma
ni corporis cognitione, qui neget caput in excelſo quaſi arcem eſſe conſtitutã, quæ
ſtabilis manens reliqui corporis incolumitati proſpiciat: pedes autem ita adornatos,
ut mouendo ac deferẽdo corpori ſemper excubent. Cæterum terrã præpotentis dei
pedes eſſe ac dici, & ſitus ipſe declarat, & ex ſacris literis teſtatum habemus. Extat
præterea peruetuſtũ quoddam Serapidis oracului, à quo quom forte Nicocreon
Cypriorum tyrannus rogaſſet, quis nam is deorum foret, quæue eius forma: ita re-
ſponſum accepit:

Sum deus ijs conſtans membris, tibi qualia dicam.
Ornatus cæli uertex: uenter mihi pontus:
Sunt mihi terra pedes: ſummo ſtant ætheris aures:
Sunt oculi nitidi ſplendentia lumina ſolis.

Profecto non aliunde terram pedes uocauit, niſi quòd & in imo poſita eſt, & ad mo
tum ſemper procincta. hinc Iano principia, Veſtæ extrema antiquo ritu conſecrata
fuiſſe accepimus. Nec mihi aliquis putet excidiſſe id, quod ſententiæ noſtræ inſignẽ
calculum addit: pedes ſcilicet duos, ſed firmos fixosq;, in hieroglyphicis Aegyptio-
rum literis, ſolem ſignificare, tunc quom hibernum tropicum attigerit & terris bru-
male ſolſtitiũ inuexerit. Sed me ſæpius contemplantẽ rerum cæleſtium perennem
naturam rapit in ſe magnitudo & claritas æterni luminis: cui nihil profecto minus
conuenit quàm motus: & ex omni motuum genere is qui circularis dicitur, à ſe ipſo
diſcedens atq; in ſe rediens, minime uidetur conuenire: quom non alius plura in ſe
contraria contineat, neq; magis ipſe ſecum diſsideat. Primo enim motus in ſe ipſum
flectens ex ſtante motoq; conſtituitur. Stans appello umbilicum immobilẽ, quo cel-
ſante reliqua moles in orbem agitatur. Motũ partes quæ circunferuntur. idem quoq;
habet & pandum & conuexum: pandum ſi obuerſam inferne lineam, conuexum
ſi ſuperne flexã reſpicias. Quid uero admirabilius, quàm quod idem duobus & qui-
dem cõtrarijs motibus obuoluatur? in priorem enim pariter ac poſteriorẽ locum ni
titur circulus. In priorẽ quidem prorſus citatus: in poſteriorẽ dum ſua repetit initia.
ex quo illud etiam in eo conſequens intelligitur, ut uiciſsim primũ fiat quod fuit po-
ſtremum, & rurſum poſtremũ quod primum antea fuerat. Hanc ſcilicet στροφὴν καὶ
ἀνάστροφὴν, lyrici uates ac ſacerdotes deis operãtes appellauerũt, ad huius imitationẽ
ſacras ſaltationes inſtituentes: quom modo in dextram choros agerent, modo in ſi-
niſtram reuocarent. Vbi uero ſtetiſſent cælites ſalutantes, ἐπῳδὴν uocabant: ut facile
intelligas certo fixoq; loco diuinitatẽ niti, neq; per ambages, ſed per conſtantiam co
li oportere. Iis adde, quòd ſi lineam à centro ducas ad lineam ambeuntẽ, quæ circun-
ferẽtia dicitur, nullũ in ea punctũ æquali uelocitate progredi deprehendatur. Quod-
cunq; enim à centro longius abſcedit, ut ocyus moueatur neceſſe eſt. ex quo immen
ſa ac multum diuq; perquiſita difficultas aperitur, cuius tedio proditum eſt Ariſtote
lem aliquando fuiſſe confectum, Vnde ſcilicet illa maris per decreta horarum ſpacia
reciprocatio, unde Euripi tam uaria ac incerta uiciſsitudo: quę tamen facile ſoluitur,
ſi contrarios terræ impetus modo præcipitis, modo adſurgentis, nunc aquas depri-
mentis, nunc in ſublime librantis, aduertas. Age & tecũ illud collige, quòd ſi mun
dus animal eſt, ut Timæo placuiſſe uideo: certè ut animantibus cæteris in medio co-
locatũ eſt cor, quaſi animal aliud, quod finitima membra undequaq; uegetet: ita ter-
ra in medio collocata eſt mundo, quæ ſuo motu reliqua excitet ad generationem ele
menta: eaq; animãtia ſuſtineat, quæ ad rerũ diuinarum contemplationẽ deus immor
talis

talis procreauit. Nam & apud Platonem legimus, in medio mũdi animam habitare, atq; inde ad extrema se porrigere agitantem omnia, seq; in se ipsam conuertentẽ ad extimum usq; mundi tergum peruenire. Hinc uidelicet ortum habet æternitatis illa in unitate cõmorantis, ac per numeros effluentis imago, quam nos tempus appellamus: quæ profecto nulli loco melius aptari potuit, quàm illi cui tẽporaria omnia incumbũt. Nam quom suprema cæli substantia eadẽ semper immobilisq; permaneat, (sic enim ad uerbum scripsit Plato) neq; se ipsa antiquior, neq; iunior euadit unquã: neq; fuit hactenus neq; erit in posterum: neq; recipit eorum quicquã, quibus res corporeæ mobilesq; ex ipsa generationis conditione obnoxiæ sunt. Huc quoq; accedit, quòd homo animal unum rationis & numeri capax, dum uiuit tantum ac terram habitat, motus est particeps: quom uero à corpore abiunctus est, protinus moueri desinit. neq; em̃ anima aut in corpus relegata, aut missiõe impetrata à corpore, libera mouetur: neq; loco capitur, neq; locũ demutat. Quæ ratio animarũ diuinitatẽ maximè asserit, & nos dignos magis ostendit, qui cælestia animalia, quàm terrena nuncupemur. Scio quosdam putasse, à Platone Aristotelem in diuersum abire, quòd ille animas sua spõte moueri dixerit, hic à sua entelechia omnẽ motum abiurauerit. Sed lis facile dirimit̃, q; alter motũ affectibus, alter locali motu determinauerit. Ad hæc accedit illa quoq; Pythagoręorum ratio, qua uniuerso δωδεκάεδραν, hoc est in duodecim facies sessilem formam, tribuunt: igni autẽ, ex quo ætherem & triangulos uitæ conseruatores confinxerunt: metæ aut inuersi turbinis imaginẽ: quibus sanè formis ad uolutationẽ peragendam nihil ineptius, nihil minus agitationi consentaneũ. Terram autẽ & si cubi, id est tesserę, forma præfiniant, ob solidam compactamq; naturam: tamẽ decedentibus angulis multo facilius circinari potest, & in mobilẽ orbẽ concitari. nam quod paucissimas habet bases, hoc ocyssimũ esse geometrarũ etiam testimonio dijudicatũ est: quod & priscorum autoritas confirmat. Siquidem quod facile ac sponte sua illabitur, id magis uersatile tessera, hoc est, κύβου εὐμεταβολώτερον, ueteri prouerbio dicebatur. Cæterum quòd non uno ac perpetuo motu terra conuertatur, sed modo in hanc modo in illam partem proclinet: arcana quodam naturæ consilio, ne quid scilicet certum & constitutũ sit in hac rerum mortalium uicissitudine, nisi hoc unũ, nihil esse certi & constituti: facile ostendunt solstitia & æquinoctia, lunæ incrementa ac decrementa, umbrarumq; uarietates. Ex omnibus autẽ hoc exactissime intelligunt: qui proximi polo habitant eas terras, quas tenebris & frigore damnatas olim putauit antiquitas. Hi siquidem semestrẽ diem habent semestremq; noctem, nõ sole quidem ultro citroq; nunc in cancrum, nunc in capricornũ cõmeante, ut priores existimauerunt: sed tellure modo in austrum, modo in arcton inclinante. Quòd si quis me adigat huius quoq; subtilitatis causam aperire, eam dicam quę cõmunis est ac publica rebus humanis. Sicut enim absurdum putant philosophi, purum ab impuro attrectari: ita hoc minime conuenit, ut quæ mortalia sunt & mutationi semper obnoxia, ea perpetuitatis beneficio perfruantur. Quòd si hac forte ratione, ceu nimis peruagata, non cõtenti priuatim aliam quærant: certè à me nihil expriment priusquam rursus ego ab ipsis impetrauero: ut obliquitatis signiferi, quam sibi adornarint, & declinationis ab æquinoctiali certam perspicuãq; rationem reddiderint: persuaserintq;, cur luna hinc atq; hinc gradibus quinq;, neq; amplius per latitudinem zodiaci euagetur, sole ipso mediam semper lineam tenente: ex quo probant, solem ac lunam occurrentes sibi in articulis, quos fabuloso planè nomine capitis & caudæ draconis nuncuparũt, deliquium pati. Nam quid de octaui orbis trepidatione, quid de uario epicyclorum & deferentiũ motu dicam? quę omnia & si ut Proclus inquit, καθ' ὑπόθεσιν recentiores inuenerint: magno tamen mathematicorũ consensu recepta atq; approbata sunt ab ijs qui non aliam uiam reperiebant, qua uarios illos aspectus cæli & eorum quæ τὰ φαινόμενα Græci appellant, demonstrarent. Quę causa quom terræ insita sit, illi tamen summa animi contentione cælo adiudicabant: quarum cõmentationum si priuatã causam ullam attulerint, tum uero bona fide posito etiam sacramento cũ ijs me paria facturum polliceor. Illud non omittã: quòd si uno ac perpetuo tenore terra moueatur, neq; huc aut illuc ad naturæ imperiũ procurset

curſet ac uibret:illud planè abſurdum, & ſumni numinis liberalitate indignum con-
tingat:ut pars terræ obuerſa in ſeptentriones, utpote à ſole auerſa æternis damnata
tenebris, ſquallida atq; obſoleta permaneat, omnis habitatiõis expers, omnis cultus
immunis. In qua opinione pleroſq; ueterum fuiſſe accepimus, qui ſub polo negaue-
runt locum ullum eſſe animantibus:quòd eam ſcilicet plagã nunquã ſol inuiſerit, al-
tiſsimaq́; ſemper caligine, & intolerabili frigore premeretur. Quam ſententiã poſte
ritas & res cognita damnauit, utpote religione Chriſtiana terras aperiente, & ferita
tem gentium molliente. Nam & ibi non adeo inclementer habitari deprehenſum
eſt:& quæ uitæ animantium neceſſaria ſunt, large prouenire. Semeſtrem enim no-
ctem eæ gentes ſemeſtri luce compenſant:ceu quæ circulum æquinoctialem habeãt
horizontem:ſeu mauis, ut Cicero interpretatur, finientẽ:ſole tamen ipſo ſubluſtrem
lucem tantiſper fœnerãte, dum ſubnixa tellus rurſus ſubſederit ad cardinẽ. Quo tem
pore umbra ingruit, & obſcuritas geminatur, niſi luna dimidio menſis pernox inte-
rim obiret ſolis uices, & noctis opacitatem frãgeret. Alioqui illud certum ac perſua-
ſum haberi oportet:regionem infimã terræ ſoli ad lineam demetientẽ oppoſitã den-
ſas habere tenebras ac perennes:in quas quom nos terræ anfractus per duodecim
horarum interualla impegerit, tunc rebus ſpeciem coloremq́; auferri, & hãc noctem
appellari. Hic eſt locus ille perdiu agitatus, & quod pace ſummorũ interpretum dixe
rim, nondum excuſſus apud Maronem:

Illic, ut perhibent, aut intempeſta ſilet nox
Semper, & obtenta denſantur nocte tenebræ.

Quem ſanè nodum niſi ad terræ motionem ſtatumq́; cæli referas, tute tibi belliſsime
uerba dederis. Nam quæ de Britannia afferuntur, eorum planè digna ſunt ingenio,
qui illa confinxerunt. Cæterum mihi audire uideor quoſdam pertinaciter diu iam
receptam defendentes ſententiã, & quo iure quaq́; iniuria reluctantes:alios rationi-
bus quidem porrigẽtes manus, ſed magnis adhuc nominibus ſe tuentes. Verum ut
Heraclitus dixit, neq; noſtræ huic ſententiæ deſunt ſua numina, ſuiq́; adſertores. Nã
& Archimedes Syracuſanus recepit ſe terram architectonica arte alium in locũ de-
ducturum, ſi modo baſem in quam transferretur inueniſſet. Quam profecto ſponſio
nem nunquã uir grauiſsimus iniiſſet, niſi terrã mobilem exiſtimaſſet. Nicetas &
ipſe Archimedis popularis, cælum, ſolem, lunã, ſtellas, ſupera deniq; omnia ſtare cen
ſet:neq; præter terrã rem ullam in mundo moueri:quę quom circum axem ſe ſumma
celeritate conuertat & torqueat, eadem effici omnia, quæ ſi ſtante terra, cælum mo-
ueretur. Atq; hoc etiã Platonem in Timęo dicere quidam arbitrantur, ſed paulo ob-
ſcurius:ut etiã apud Ciceronem annotatum reperimus. Et ſanè ego non aliunde fa-
ctum puto, ut Mimnermus ſcilicet dixerit, aureo in cubili Vulcani arte perfecto dor
mientem ſolem ab ortu ad occaſum perferri: niſi quòd in ſuo orbe coquieſcens ocu-
lis magis noſtris quàm curru aut equis ultro citroq́; prouehatur. Hinc ſolem ἀκάμαν
τα, hinc terrã ἀπείρονα, ab Homero dictam arbitramur:non ex eo tantum quòd glo
boſa ſit & orbicularis, ſed infinito motu circunferatur. Certè Heſiodus quom noctẽ
terra natam, ut aiunt poetæ, nigris exornauit alis, non aliud (mea quidem ſententia)
ſignificare uoluit, quàm eã citato curſu ferri, & à parente minime degenerare. Pro-
fecto terram deorum omniũ qui intra cælum ſunt geniti antiquiſsimã, in eodem le-
gimus Timęo. Ex hac etiam Fama prognata (Homerus ὄσσαν uocat) quæ pennis ac
pedibus late aures & ora mortalium peruagatur. Subſcribit huic ſententiæ uetus
adagium. Adagia uero priſcæ philoſophiæ reliquias ab antiquis poſteritati per ma-
nus traditas nemo eſt qui non fateatur. Quom res itaq; ueras quidem ſed magnas &
fidem exuperantes indicare uolumus, terrã uolitare dicimus:quod tamen ad ea quę
minime fieri poſſunt, tranſtulit ætas poſterior, utpote uulgata perſuaſione deluſa. In
eadem ſentẽtia uidemus fuiſſe Empedoclem, quo loco ſuos illos dęmones à terra im
pelli ſcribit. eius uerſus ita latinos fecimus:

Aetheris hos uehemens agit impetus, excipit æquor,
In terram æquor agit, ſed terra ad lumina ſolis:
Sol indefeſſus propellit in æthera rurſus.

Quom

Quom diu perquisitum foret à priscis philosophis, unde æther nomen accepisset: & eorum aliquot ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θέειν, id est ab excurrendo: alij uero ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θέρειν, hoc est à calfaciendo dictum existimassent: Empedocles quasi honorarius arbiter inuocatus, pro ijs stetit, non qui motum, sed qui ætheri calorem tribuissent. Sic quoq; non desunt, qui terram, non quòd teratur, sed quòd ipsa perenni excursu cætera terat elementa dictam suspicentur. Audio & proximo seculo magnæ doctrinę ac perspicacis ingenij uirum Cusam, purpura quidem præstantem, sed multo literis præstantiorem, pro hac opinione stetisse: cuius utinam cõmentarij in manus meas peruenissent. Quo enim fuit uir ille ingenij acumine, aut me prorsus labore hoc leuasset: aut mihi, puto, ad hanc sententiam comprobandam multo maiora ac meliora argumenta suppeditasset.

DE LIBERO ANIMI MOTV EX SENTENTIA VETERVM PHILOSOPHORVM.

BONAVENTVRÆ PISTOPHILO VIRO MAGNIfico & doctissimo Cælius Calcag. S.

ET HOC quoq; tuis in me officijs accedet Pistophile uir magnifice, quòd tua opera Erasmi libellus De libero arbitrio mature uenerit in manus meas. Quòd si tua omnia officia, quibus aut dignitatẽ meam aut fortunas tueri soles, tam grata mihi ex te proficiscũtur, ut nulla sint die intermoritura: tecum potes ipse cogitare, quanto ea mihi gratiora occurrant, quæ ad cultum ingenij, & institutionẽ animi pertinent. Sanè multis de causis fuit ille mihi Erasmi libellus gratissimus, sed in primis quòd pietatẽ doctissimi hominis & nobis amicissimi testetur. Qui pridem apud nonnullos parum bene audiebat, sed apud hos ferme, qui de nullo bono solent bene loqui, quasi delapsus à semita ad cœtum impiorum desciuisset, eisq; furtim tela aduersus piorum consensum subministraret. Quanquam autem nec ego nec quisquã eruditorum hoc de eo uiro credere potuimus unquã, qui tot dedisset suæ pietatis argumenta tantumq; in sacris literis exudasset: tamen quo suspicionem eam aduersum nos utcunq; confirmarent, ingerebant tam pertinax ac diuturnum hominis silentium: Videret, inquiebant, ille scilicet aprum ferum uineam domini deuastantem & uasa tabernaculi subuertẽtem, & tacitus consertisq; manibus acquiesceret, nisi uel id spectaculum oblectaret, uel nihil ad se pertinere cogitaret? Præsertim quum tot haberet opes, tot præsidia accepisset à domino, quibus egregiã operam nauare & ueritati iam propè utroq; cornu laboranti posset succurrere. Gratulor itaq; nobis, gratulor Erasmo meo, qui uno hoc libello rabulis istis os obturauerit, tantumq; turbarũ composuerit, quantum non facile uideo alia ratiõe sedari potuisse. Scio fore, ut sunt morosa quorundam iudicia, qui hoc quoq; in suspicionẽ uocent, quòd tam sero, tam cunctanter id faciat, tam suspensa manu hoc Lutheranũ ulcus attingat. Ex quo sanè, ut ego quidem interpretor, prudentia hominis æquè & modestia cognosci potest, qui nihil præcipitanter egit, nihil stomacho dedit, nihil sibijpsi permisit, nisi ueritatem à calumnia uendicare. Hic scopus, hic finis libelli. Proinde maluit ex sacris literis loca quædam inter se committere, & quasi in æquilibrio dimetiri, quæ dissidere uidebantur, quàm ipse suo iudicio uti, & quom de uoluntario arbitrio loqueretur, arbitriũ & uoluntatem ad hoc liberam adhibere, ut rei dijudicatio ex se ipsa magis quàm aliena ex persuasione pendere intelligatur, id quod profecto summo & optimo consilio factũ uideri potest. Non enim

enim accersitis, neq; aliunde petitis armis, sed illis ipsis quibus hostis oppugnat, expugnatur. Alioqui puto Erasmo, qui tot stipendia fecit, qui tot in castris meruit, non fuisse defuturas copias & instrumenta, id est rationes & argumenta, quibus hanc pugnam cõficeret, si non animum induxisset externas legiones magis quàm uernacu las instruere. Scimus enim hanc de libero arbitrio quæstionẽ & ueterẽ fuisse & peruulgatã, nec modo in nostra religione, sed etiã in priscorum literis agitatam frequenter: & in nostra quidem religione dijudicatã olim ac definitã, nisi tantum esset quibusdam male auspicatis ingenijs impudentiæ, ut non erubescant explosas ac damnatas etiã opiniones reuocare atq; asserere, non amore quidem ueritatis, sed ostentandi ingenij, & captandæ auræ popularis gratia, quum multo honestius possent & licius intra præscriptum conquiescere. Quam rem æquiore animo ferre possemus, si minus in ea periculi & præiudicij uersaretur. Cæterum quom de moribus, quom de salute, quom de bene ac beate uiuẽdo in ea agat̃, uix mihi possum tẽperare, quin autores huius flagitij omni dignos putem supplicio, qui non contenti se suo scelere obstrinxisse, etiam in agrum domini hæc senticeta inuexerunt. Nam quod philosophi cõtrouersum habent, eo nos minus mouet, quo minus autoritatis apud nostros homines habet philosophia quàm religio. Adde quòd nihil est tam nauiter & perspicue conclusum apud philosophos, quod nõ uocetur in dubium, & per cõtentionem non tractetur. Quando & post Gellium Asiæ proconsulem hominẽ adeo pacis studiosum, ut philosophos hortaretur ut à controuersijs aliquando desinerent, idq; facilius facere possent, se arbitrum ac disceptatorẽ offerebat. Quę occasio cõcordiæ quom iam tunc effluxerit, non est quòd philosophos posthac cõuenturos speremus. Dissident ergo inter se, ac tam diu dissidebũt dum genus humanũ ingenio uigebit, poterintq; argumenta & cõmentationes in utranq; partẽ uenire. Dum stabunt ergo Stoici aduersus liberã hominis uoluntatẽ, reclamabit academia, inductionemq; animi fortiter defendet. Democritus ille atomorum autor, ex quibus etiam animos stabuebat, quom eos omnes ad perpẽdiculum deferri tradidisset, ita ut necessario suum cursum tenerent, necessitate etiã animos obligauit. Hanc plagã ut deuitaret Epicurus, atomos dixit non prorsus ad perpendiculum deferri, sed sponte perpauxillum quiddã, id quod Græce ἐλάχιστον dicebat, in partẽ declinare. Idem se ridendum præbuit dialecticis, quom enuntiãti disiunctas partes, neq; falsas neq; ueras pernegaret. Siquidem ego dixissem, Pistophilum aditurũ aut non aditurum principẽ, quom alteram aut alterã partem uerã esse oporteat, nam ut utraq; uera falsaue sit, ne cogitari quidem potest: ipse tamen Epicurus perfricta fronte utranq; inficiabatur, ueritus scilicet, ne si alteri parti cessisset, necessitati statim omnia obstringerentur. Cõtrà Carneadi ita necessitas placebat, ut omnia probaret oracula, omnes prædictiões in suæ uocaret sententiæ patrocinium: quòd neq; Apollo, neq; alius deorum quicquã posset prænunciarẽt nisi causas habere exploratas, ex quibus fata omnium deprehenderent: eos uero effectus necessariò euenire, quorum causæ certæ & contextæ forent. Hæc est ratio illa protrita, qua ceu telo Cephali uti solent, qui uoluntario motu animum spoliant, à prænotione scilicet dei accepta. Quom enim constet, deum nõ solũ prospicere omnia, sed omnia planè in cõspectu habere: neq; sit quisq; tam impudẽs qui deũ falli posse arbitretur: nõ posse & nõ euenire quod deus prouiderit, constanter affirmãt. Quod si omnibus confessum est, illud quoq; sit oportet, omnibus in rebus necessitatẽ dominari: quando hæc necessitatis definitio affert, quæ ita est, ut secus esse non queat. Nam si secus se habere posset, qui nomen necessitatis ei cõueniat? Hoc argumentũ ueteres λόγον ἀργὸν, id est, inertiæ rationem uocitabãt. Præstantissima enim humani animi ornamẽta & charissima naturæ nostræ præsidia adimit, diligentiã, industriã, sedulitatem, prudentiam: contrà inertiæ, desidiæ, socordiæ, stultitiæ patrocinatur. Nam si nobis in utranq; aurẽ dormientibus omnia fatum uel necessitas, quasi diuina uirgula suppeditat: si quicquid futurum est, à necessitate proficiscitur, insanum est profecto, & furori proximũ labores sumere, euigilare, elucubrare, animi neruos intendere. Frustra Epicharmus, uel quisquis ille fuit, inclamat, τῷ ἀγαθὰ θεοὶ πόνοις πωλοῦντα, Di sibi bonorũ precium labores rependi uolunt. Nã quid

his opus

his opus laboribus? quom gratis imò & nolentibus nobis, Di bona omnia elargian
tur, ceu Homerus Cyclopibus terram incultã atq; inaratã largas fruges proferre te
statur. Sanè pictores illi, qui dormiẽti Timotheo fortunã urbes uenari in tabella ef
finxerunt, nõ aliunde picturæ argumentũ uidentur suscepisse. Tametsi Carneades
ne ad hunc lapidem allidat, ita industriam humanã defendit, quasi hæc quoq; consa
talis sit. Ita enim Cicero interpretatur. Nam licet, inquit, à morbo hominem præsi
dio medici conualere fatale sit, tamen hoc quoq; consatale est, eum opera medici u
surum, & eam operã sibi futurũ adiumento, ut rem planè ridiculam cõminisci uidea
tur. Cui & nos hoc quoq; assuere additamentum posse uideamur: Quum omnia fa
to cõstent, quom industria humana in rebus agendis nõnihil polleat, hoc quoq; con
fatale esse, nos uoluntatemq; nostrã fato solutam esse, quòd multa nostra sponte co
natuq; nostro moliamur nullo impulsu, nulla coacti necessitatis cathena. Huc quoq;
promouet hæc ratio, ut fatale ac necessarium dici oporteat, quòd Carneades nos in
necessitatis uincula coniecerit. Fatale itidem ac necessarium, quòd Epicurus nos è
necessitatis uinculis exemerit, & quasi in libertatẽ uẽdicauerit, & (si in re seria ioco
locus datur) sicut fatale erit id fato esse obstrictum, ita hoc quoq; fatale erit, hoc à fato
esse absolutum. At quanto melius nostri qui theologumena scripsere, hunc de di
uina prænotione nodum explicant: & id quidem multis ratiõibus, inter quas ea pal
maris uideri solet: Rebus necessitatẽ non ex aliena cognitiõe, sed ui naturæ suæ con
stare. Necessariũ enim mutari non posse, sed mordicus conditionẽ suam tueri: ita in
igne calorem necessarium, in sole lumen, in cœli orbibus anfractus necessarios dici
mus: quòd neq; ignis calore cassus, neq; sol sine lumine inueniri possit, neq; orbes
cæli unquam possint interquiescere. Cætera quæ uices alternant, aut certa perpetui
tate carent, nemo iure necessitati addixerit. Diuina quippe prænotione, rerum natu
ram nõ immutari, sed conseruari potius ac sanciri putandum est. Sicut autẽ acies di
uinitatis in ea quæ futura sunt plurimũ pollet ac potest: ita mortalis recordatio in ea
quæ iam transacta sunt, non nihil uigorem suum exercet. Illa prospicit, hæc respicit.
Abutimur enim proprietate dicendi, nam si exacte loqui uelimus, nequaquã deus
prospicit, quod uerbum ad longinqua & futura pertinet, sed perspicit potius, coràm
habens uniuersa, nec id tamen mutat rerum futurarũ conditionem. omnino enim fu
turæ sunt, nec idcirco præsentes sunt, quòd præsentes sint deo. Nam deo mille anni
quasi dies hesterna quæ præterijt, ut Psaltes inquit. Eadem ratione quæ à deo uiden
tur, necessariò sunt. Necessario quidem fateor, sed apud deum, non etiam mortales,
non etiã à suæ naturæ habitudine, à qua una sumẽda est nuncupatio. Quod egregie
profecto mihi uidetur Proclus Lycius his uerbis expressisse: Deus, inquit, res diuisi
biles indiuisibiliter intelligit, quæ in tempore sunt, sine tẽpore, non necessarias ne
cessariò, mutabiles immutabiliter, longe omnia melius quàm ordo ipsorum & ratio
postulet. Cuius etiã rei testimonium abs te mutuari potes, si quæ dudum præteriere
in animum reuoces. exempli gratia: Classem Venetã ab hinc annos circiter sedecim
Padum superasse, agros nostros hostiliter inuasisse, magnã undequaq; uastitatem se
cisse, mox fusam & depressam principis nostri auspicijs meministi, atq; ita memini
sti, ut minime ea in re fallare. Sic enim planè res gesta est, ut quin ita gesta sit fieri nõ
possit. nam & Agathon (si Aristoteli credimus) nihil in præterita iuris esse summo
numini arbitrabatur præterquã obliuionis. An tu igitur id quod ita factũ est, necessa
riò etiã factum suspicaberis? Minime uero. eius enim rei natura, & ingenium id fuit,
ut fieri potuerit, potuerit & prætermitti. Quum itaq; rerũ necessitas aut contingen
tia rebus insita sit, nõ aliunde pendeat, profecto neq; perspicientia numinis, neq; ho
minis memoria earum statum ita demutauerit, ut sua facie suoq; nomine agnosci nõ
debeãt. Quòd si ab hoc rerũ genere abdicata est necessitas, multo magis animus mo
tus suos habebit uoluntarios, & suę spontis erit: tum propter eius uolucritatẽ & di
uinum rerum omniũ captum, tum quòd à contagio materiæ longe abest. Sentimus
itaq; opinamur, iudicamus, approbamus, improbamus, uolumus, nolumus, & rur
sum uolumus nulla adacti necessitate, sed nostro consilio utentes. Hinc bonis nihil
est uirtute & præclaris actionibus optabilius: rursus mali atq; intemperãtes uolupta

tem in omni bonorũ ſenſu longe præferunt: quod niſi ab animi noſtri optione proficiſcatur, profecto neq; uirtuti præmium, neq; maleficijs pœna debeatur. Intereſt ergo bene conſtitutæ reipublicæ libertatẽ animorum tueri, tum ut ciues ad obeunda præclara opera & ad gloriam enitantur, tum ut flagitioſi à ſcelere & improbitate deterreantur. Hoc eſt quod Cicero hanc de libero animi motu quæſtionem ad mores pertinere arbitratus eſt. Admiſſa enim in animũ noſtrum neceſsitate, omnem prorſus uitæ rationem ſubuerti neceſſe eſt: & ſi non me fugiat præſtantiſsimorũ aliquot uirorum uotũ fuiſſe, ut ea noſtris animis dominetur neceſsitas, quæ cæleſtibus ac diuinis rebus ſuum ordinẽ, ſuamq; rationem præſcribit, quæ omnia tanta cõſtantia feruntur, ut nunquã à linea, ut aiunt, aberrent. Libertatem autẽ arbitrij ita auerſantur, ut ſeruitute multo nocentiorẽ putent, utpote quom animi huiuſce libertatis compotes in tranſuerſum plerunq; uel ſua libidine, uel aliena perſuaſione rapiantur, quanto ſecurius ad propoſitũ finẽ peruenturi, ſi fœlici illa tyrannide teneantur, ut nihil non bonum, nihil non ſalutare poſsint optare. Quo fœlicitatis genere cæleſtes illi genij, quos angelos uocamus, in ſua æternitate perfruuntur. Hoc uotũ uideo Platoni fuiſſe in eo libro, quem quaſi appendicem ſuis legibus adiunxit. Stetit ille quidem philoſophorum princeps pro libertate arbitrij, & quom pleraq; uinculis obſtrinxiſſet, Adraſtiæ quidem diuina & æterna, ἀνάγκης uero, id eſt neceſsitatis intellectualia, naturã uero ἀμαρμένης, id eſt fati legibus ſubdidiſſet: quin & ipſam neceſsitatem matrem Parcarum appellaſſet, & eius turbinato uerticillo circumagi cũcta tradidiſſet, animis tamen noſtris libertatẽ ſeruauit. duas ſiquidem in homine animas ſtatuens, brutam alterã & rationis exortem, alteram non rationis modo ſed & diuinitatis participem: quarum hæc ab opifice ſuo proficiſcens decus & dignitatem primogeniam tuetur, illa ad corporis miniſteria degenerat: alteri à ſtipendijs fati ac neceſsitatis uocatio eſt, alteri perennis ſeruitus ſine ſpe manumiſsionis propoſita. Ad hæc accedit quòd orationem ad animas ipſe animarum cõditor in hæc uerba habet apud Platonẽ: Virtus, inquit, libera ſuiq; iuris eſt. Hãc ut quiſq; magis minusue coluerit, ita magis minusue excellet. Nulla enim prorſus neceſsitas urgebit homines, ut hoc magis quàm illo modo uitã inſtituant. Siquidem nõ uos fata ſortientur, ſed uos ipſæ uobis fata deligetis. Quibus uerbis planũ ac perſpicuum eſt, animorũ motus liberos à Platone conſtitutos eſſe. Quid uero Ariſtoteles alterum philoſophiæ lumen ſenſerit, in tanta caligine uerborum quã ceu ſepia oculis offudit, longe difficillimũ eſt iudicare. Sanè Cicero eum nuncupatim inter eos recenſet, qui à uoluntate libertatẽ abdicarunt, reclamantibus ferè Peripateticorum clariſsimis. Nã Alexãder ex Aphrodiſia de, & Themiſtius paraphraſtes ab hac eum calumnia uendicãt, aſſerentes fatum ac neceſsitatẽ ad eam tantum naturæ partem relegaſſe, quæ uiciſsitudines habet, & ortu atq; interitu præfinitur: & ſanè tot propoſitiones contingentes, tot poſsibiles, tot præcepta ab eo prodita ad publicarũ priuatarumq; rerum adminiſtrationẽ pertinentia, tot in uniuerſum ad mores ſpectantia, facile fidem faciunt eum libertati magis animorum quàm ſeruituti conſenſiſſe. Cæterũ quom reliqui philoſophorum in diuerſum abeant, libertatemq; animorũ uel aſſerant, uel auferãt, ſolus Chryſippus ſequaſi honorarium arbitrũ obtulit, qui mediam quandam ſententiã ſequeretur, ſed tamen propius applicat ad eos, qui neceſsitate motus animorum liberatos uolunt. Cauſas enim biſariã partitur, alias perfectas & principales, alias adiuuãtes & proximas memorans. Qui itaq; omnia fato fieri dicunt, quom fatum nihil ſit niſi cauſarum cõtextus, non ita accipiendi ſunt, quaſi cauſas illas primarias & optimates intelligant, ſed has antecedentes, & proximas quæ perſuadere poſſunt & allicere, cogere autem & manum inijcere non poſſunt, quæ ſi ipſæ non ſunt in noſtra facultate, non ſequitur ut ne appetitus quidem in noſtra facultate ſit. At hoc ſequeretur, ſi omnia perfectis & potiſsimis cauſis fieri diceremus, quom hæ prepotentes ſint, nec ſint in noſtra poteſtate. Quum ergo aſſenſiones quas Stoici συγκαταθέσεις uocant, & in quibus ſolis uolunt laudis & probri ſeminarium deliteſcere, non fiant niſi cauſa antecedente, uiſo ſcilicet cõmotæ atq; excitatæ, uiſum proximã & adiuuantem cauſam, non etiam cogentem & impulſricẽ interpretabimur. Proinde quom multa animum inuitẽt, ut hoc

ut hoc uel illud appetat atq; aggrediatur, nihil est tamẽ quod uim & necessitatẽ indicat. Vtitur ad hoc Chrysippus turbinis & cylindri exemplo: nam quom cylindrus naturæ ac formæ suæ sponte uoluatur, turbo uersetur, tamen qui protrusit cylindrum, dedit illi quidem principium motionis, uolubilitatem autem non dedit. Sic uisum obiectum imprimet illud quidem & quasi significabit in animo speciem suam, assensio tamen nostra erit in potestate: eaq; quemadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est suapte ui & natura mouebitur. In eadẽ sententia Chaldæos & Genethliacos esse uideo, qui omnẽ ferè astris rerũ agendarũ prærogatiuam transcribunt. Ptolemæus siquidem in eo libro, cui Græce καρπὸν titulum fecit, ita scriptum reliquit: ab eo posse stellarum effectus auerti, qui rerum naturã nouerit, ac seipsum ante illorũ euẽtum præmuniuerit. Quod profecto nemini supra fidem uideri oportet, quom hæc libertas arbitrij non solum astris obsistere, sed & cœlesti illi gratiæ, seu tu afflatum malis appellare, qui cogere potest recusantes, audeat reluctari, id quod ex sacris literis aliquot locis possis annotare. Quid enim aliud est quòd Paulo dicitur, Saule Saule quid me persequeris: difficile tibi est aduersus stimulum calces. & quod Ananias respondet: Domine audiui ex multis quantũ malorum uir ille seruis tuis attulerit Hierosolymis. Habet enim potestatem à principibus sacerdotũ conijciendi in uincula quicunq; tuũ nomen implorauerit. Sic Moses: Qui sum ego, & uadam ad Pharaonẽ & educam filios Israel de Aegypto? Et illud Hieremiæ: Seduxisti me domine, & seductus sum, fortior me fuisti, & præualuisti aduersus me. Sic & Balaam asinã urgebat, angelo contrà asinam remorante. Quid deniq; quod Iacob qui dictus est Israel, tot horas cũ angelo colluctatur in Phannuel? nisi liberum animi nostri iudicium, non protinus spiritui cœlitus aduenienti manus dare. Sed hęc ad institutum non attinent. Nobis enim propositum fuit ostendere hanc de libero arbitrio quæstionẽ, & perueterem esse, & multum diuq; inter philosophos repetitam, & eorum illustrissimũ quenq; quasi lege X uirali uindicias secundum libertatem dedisse. Scripsimus autẽ hæc ad te Pistophile, non ut Mineruam doceremus, sed quasi œstro quodam perciti ad scribendum, quom libellum quem ad me misisti, legeremus. Sic enim solent clarissimorũ hominum scripta (si Platoni credimus) ἐνθουσιασμὸν, & ueluti faces animis legentium admouere. Quòd si tibi fortasse uideor parum commode tuam liberalitatem remunerari, ceu qui ęrea pro aureis reponam, humanitatis tuæ fuerit cogitare, neq; iure naturæ, neq; iure ciuili, quenquam supra fortunas obstringi, aut sponsionem iniri oportere. Nam (ut uera fateamur) unde nobis illa Erasmici ingenij fœlicitas ad inueniendum? unde illa restibilis & inexhausta ubertas ad dicendum? unde illa in omni genere studiorum exercitatio ad persuadendum? & quom Hesiodus monuit referẽdam esse gratiã αὐτοῦ τοῦ μέτρῳ καὶ λώϊον eodem scilicet cumulo & potiore, protinus subiecit αἴκε δύνηαι, id est modo adsit facultas. Proinde tuum est uir clarissime uoluntatẽ pro copia nostra & facultate metiri, & celebrem illum apud Græcos uersiculum in consilio habere:

ἐν μεγάλοις ἀρκεῖ καὶ τὸ θέλημα μόνον.

Magnis scilicet atq; arduis in rebus esse abunde magnificum, uoluisse.

Bene uale, & me tui studiosissimum ama. Ferrariæ,
tertio nonas Ianuarij. Anno
M. D. XXV.

DE PATIENTIA SEV VITA AVLICA COMMENTATIO

CÆLII CALCAGNINI AD LODOuicum Balneum.

OLENT me amici plerunq; ab aulica consuetudine perterrere, existimãtes bonis studijs nihil periculosius, quàm ad eos scopulos detrudi, unde non facile nec sine existimationis periculo prouehare: uerendumq; sit ubi semel accesseris, ne tanquã apud Sirenes conseneſcas. Ferè enim id usui uenire solet, ut qui semel id genus blandicijs fuerit allectus, quarũ frequẽtia in regia principum animus auocatur: uel blãdiore spe, quę subinde animos fallit: uel præsenti ambitione interceptus haud sanè modico negotio se possit explicare: eorũ instar, quos uel casus, uel certè uolũtas ad Lotophagos adegerat: qbus eò semel adpulsis, rursus soluere nõ licebat. Ita prorsus Homericus Vlysses nõ leui opera ex ueneficarũ illecebris se uẽdicasset, nisi eũ Mercurius raro illo inter mortales munere auctasset. Hoc est Ludouice suauissime, quod me alioqui ad principum consuetudinem familiaritatemq; procliuẽ moratur, ne me uniuersum huic reladijciam: suffrenatq; animũ iuuenilem metus, ne huiuscemodi fucatis blandicijs rapiar, aut fluxa spe fallar, aut ambitione illudar. Et quamuis abunde mihi summi Antistitis nostri magnitudo sit explorata, quo sine nil magnum mens incohat: simq; ita amplissimo Cymaclensi episcopo mancipatus, ut eo nihil mihi in tota uita charius sit aut iucundius: malo tamen id mihi euenire, quod illi euenisse aiunt Græci poetæ, quem προκύπτοντα id est prospicientẽ nuncuparunt. Is enim subito Herculis aduentu perculsus, qui ab inferis cerberum trahebat: contentus eminus uidisse, in seposito antro substitit. alius contrà paulo audacior propius, curiositatis pœnas luit. Satius igitur multo salutare à limine, quàm cõminus contrectare quod periculosum putas. Super hac re quom aliquando tecum uerba facerẽ (dederat enim forte ocitũ male habiti corporis intemperies) allectus amœnitate ingenij percunctabar, an cum ijs amicis mei studiosissimis hac in re conuenires: At tu, quæ tua est in dicendo suauitas, ita inquis conuenio, ut uel diu conuenisse pigeat. Pridem enim de meo corio periclitor: utpote qui fortunæ illecebras sectatus, studiorum bonarũq; artium iacturam feci. In eo tamẽ à iudicio uestro absum, quòd uos blandicias uoluptatesq; regias existimatis, quæ sunt mera infortunia, sed palliata, sed contecta, sed splenijs obducta. Detrahe personam, adime tectoria, prò Di immortales, quanta immutatio. Quæ modo fortunæ gremio hausta putaueras, inauspicata atq; infelicissima deierabis. Huncfructatæ spei torquet recordatio, illum rerũ uicissitudo, hunc alia innumera, quæ non facile Hegesias recensuerit, qui res deplorauit humanas. In tot tamẽ malis unũ præsto est remedium, quasi in certo naufragio Neptuni anchora, obdurare scilicet animum in aduersa, & ferreã prorsus atq; inuictam mentem induere: seq; ad omnia præparare, seu illa pro uoto successerint, seu præter expectationem euenerint. hæc summa est medicina mali, deiectis atq; detrusis in tantam uim malorum. Quòd si hæc aliquo deorum munere oculis offerri possent, mirabile sui odium animis accenderent. Sed ut sapientissime dixit Hesiodus, uocem infortunijs sustulit consultissimus Iuppiter, quo facilius improuido humano generi possent surrepere. Quòd si diligentius res nostras pertractemus, propemodum agnoscemus res aulicas in eo Platonis specu positas, quo ille res humanas fermè omnes inclusit: ut tantum umbræ ac rerũ simulachra sese auersis & conniuentibus nobis offerant, res ipsę lateant minimeq; submanum ueniant. Sed quicquid illud sit, semper eò redeundum, eadem semper cantilena recanenda est, ut patientiæ remedium accersatur. Hæc (mirum) omnibus animi perturbatiõibus, omnibus doloribus, omnibus deniq; ægritudinibus medetur. Hęc

nos

nos aduersus omnia inuictos reddit: hęc una admonet aduersus omnia animum ob-
firmari debere: atq; illud poetæ carmen obijciens uoce exertissima hortatur: Tu ne
cede malis, sed contrà audentior ito, Quà tua te fortuna sinet. Sicani saxi patiẽtia in
prouerbium adacta est, quòd neq; sirenum cantu neq; illecebris unquã moueri po-
tuit. Admirabilem arborũ nascentium in Persico mari naturam ferunt. nanq; eroſæ
sale, inuectis derelictisq; similes, sicco litore radicibus nudis polyporum modo am-
plexæ steriles spectantur: eædem mari adueniente fluctibus pulsatę resistunt immo-
biles. quin & pleno æstu operiuntur totæ, apparetq; rerum argumentis asperitate
aquarum illas ali. Hoc quantulumcunq; parentis naturæ exemplum ad res nostras
transferri aptariq; decet: quoq; fortuna tetriore aspectu sæuit, hoc nos fortius repu-
gnare, omnesq; ictus magno animo excipere. Nam propemodum uita hominũ se ha
bet uti palæstra: in qua toto corpore, omniq; animi nisu paratum esse oportet ad om
nes hostium ictus declinãdos: manuq; ac pede ita prompto esse decet, ut pro tempo-
re excipiamus præuertamúsue præsentissimum periculum. Solent enim magni uiri
auritæ otidis mores detestari, quæ uiso equo protinus se in fugã conijcit. Quantoq;
pulchrius est aduenięti hosti occurrere, quàm sese in pedes dare: eo generosius cum
fortuna cõminus congredi, quàm turpiter cedere. Hinc scilicet profecta est uox illa
nunquam satis laudata: Fortia facere ac fortia pati Romanum est. Sic neq; blanditijs
neq; hilaritate, sed uerberum patientia legitimos partus Lacones non aliter explora
bant quàm Rheno Galli, sole aquila, anguibus Psylli. Quo factum est ut quom Athe
niẽses deos rogarent, cur iuxta Lacedęmonios crebrius staret uictoria, quom tamen
Athenis sacra longe forent lautiora: responsum est, Laconum orationes atq; discipli
nã Dis esse gratiorẽ. Patientia enim ea est uirtus, qua illustria utriusq; linguę monu
menta decorantur. Hęc Cynegirum Athenięnsem, Glaucum Acylium Romanum,
eodem ferè exemplo reddidit immortales. Nam quid Regulum, Scæuam, Mutium,
Pompeium, consilia P. R. sciscitante rege Gentio, innumerosq; eiusdem classis re-
censẽã: Hæc Cambysæ impotentiã uendicauit: Traxaspæ prudentiã occiso tam cru-
deliter nato illustriorẽ fecit. hæc puellæ ingenium atq; fortitudinem declarauit, ad-
uersus insaniã mariti qui ei paterno craneo propinabat. Nulla alia uirtute summi im
peratores magis cõmendantur. hæc inuictos Cæsaris milites indicauit: quibus uicti
tasse exprobratũ est lapsana, qua herba obsidionẽ Dyrachinam protulerant in sum-
ma uilitate annonæ apud hostes qui obsidebantur. Nam peruulgatum illud Publij
in mimographis carmen soleo ijs accõmodare, qui sui parum cõpotes sunt. Illud est,
Fit furor læsa sæpius patientia. Quanto enim id pulchrius si cõuertatur, Fit uirtus ac
gloria læsa sæpius & constans patientia. Nam si antiqua lubet meminisse, nil aliud
Callisthenem perdidit nisi impatientia: quem sectatorẽ & propinquum suum ad A-
lexandrum regem mittens Aristoteles, identidem mandabat, ut rarissime ac iucun-
de apud regem loqueretur: seq; omnino eius moribus accõmodaret, qui uitę potesta
tem & necis in linguæ acie haberet. At ille omnia cõtrà, obducta fronte, seuero aspe
ctu importunus obiurgator, omninoq; regis impatiens leoni cõmissus male conqui
situ philosophię pœnas luit: quanto felicius facturus si se temporibus accinxisset, ac
saltantium more accinentibus applausisset. Nec enim parum prudenter sapientissi-
mus senatus in templo Volupiæ Angeronã consecrauit, quòd ex tolerãtia mira se-
quatur uoluptas. Lupum aiunt in summo persequentium periculo extremũ caudæ
floccum elidere, conscius eum maximè ad amatorios cantus appeti solere. Mauult
enim (natura ita suggerente) tenuissimi uilli quàm salutis periculum subire. Quan-
doquidem Hermiæ Magnetis probari solet consilium: qui bello Mithridatico appe
tente, Cretino qui cum atroces inimicitias gerebat, urbe cesit, magistratum abiura-
uit, eum bello aptiorẽ professus. Cui nõ adeo dispar P. Cornelij Rufini exemplum,
potiores partes Fabricio Lucino relinquentis. Malebat enim, ut ipse elegãter dixit,
compilari quàm uenire. Nõ aliter, quoniam oratio inde suscepit initium, principum
uoluntati morigerandum atq; obsequendum est: quorũ uota mane suscepta sol occa
sus non approbat. Quod lepidus poeta planè noscens, scite multiuolum Iouem nun-
cupauit. Sicut enim necesse est omnibus corydis cristam nasci, ut Simonides inquit:

ita omni principi uarios animos, nec unã uotorum faciẽ ineſſe oportet. Quibus ſeſe accõmodare quo difficilius eo laudabilius iudicari debet. Proinde conſueui ego non ita Theramenẽ illum improbare, cui Coturno cognomentũ Atheniẽſes indiderãt: quòd ſe utriq; pedi, id eſt Athenienſium factioni, approbaret. Quod uideo ſapientiſſimum uirum Solonẽ imitatum, quom ſe in maxima ſeditione patriæ indifferentem geſsit, ſi Plutarcho credimus, licet mulctam lege ſtatuerit qui neutri parti ciuiũ hæſiſſet. Sic crocuta, ſic polypus, quo facilius uenantium manus ſubterfugiant, colores & corporis habitus proximis quibuſq; rebus conferunt. Non ſecus quadrupedum breuiſsimus chamæleon pro tẽpore uarios aſpectus inſtar columbæ Arceſilæ induit. Ita Proteus more Plautini adulteri pro libito ſe uerſipellem facit, uertens ſeſe in omnia rerum miracula, ut poeta inquit. Quandoquidem non ego ita meticuloſus ſum, ut nominibus mouear. Scio enim fore qui hunc ſermonẽ noſtrum adulatori potius, & ei qui (ut inquit adagium) ad elephantẽ canit, quàm probato uiro conuenire contendat. Sed ego id inter prudentem uirum, de quo loquor, adulatoremq; & conſuentem capiti puluinos intereſſe affirmauerim: quòd hic ſponte nullo cogente, ſuo ipſe allectus uitio palpatur, & quaſi os ſublinit: ille non niſi adactus neceſsitate uel (quod aiunt) Diomedea, inſinuat ſeſe, & tẽporibus ſuffragatur, cedens accedensq; uti occaſio dictauerit: quod pulchre Ennius ſuo carmine declarauit ſub Gemini Seruilij perſona:

Dulcis, fidelis, ſuauis homo, facundus, ſuoq;
Contentus, atq; beatus, ſcitus, ſecunda loquens in
Tempore, cõmodus: & uerborum uir paucorum.

Quæ ratio mouit Aegyptios homines arcanarum rerum & totius naturę conſultos, ut patientiæ ſymbolum, (ab ea enim fons ſermonis fuit) pelle hyenæ conſcriberent: quæ pro inſigni habita homines præſtat inuictos. De qua illud etiam addunt memorabile, quòd ſi pardales pelli admoueatur, è ueſtigio pardalina pilorũ iacturam facit, & undequaq; deglabratur. At nos maſculo animo luctari par eſt: palmeasq; trabes imitari, quę oneribus reſiſtant. Haud ſecius feles, ſi quis plagam illiſerit, pellem ſurripuit: quod deinde obſeruatũ in hominibus animaduerſum eſt, minus plagas offendere quæ retẽto immo obnitente ſpiritu excipiuntur. Nõ immerito igitur diximus, repugnantiã dolorumq; patientiam omnia mollire. Nam, ut ille inquit, profecto eſt ſupplicio ſe liberare, tam facile ſupplicium perpeti. & quod de Socrate referunt, in omnium animis ſitum eſſe debet. Huius patientiã quom aliquando Alcibiades admiraretur, quod æquiſsimo animo Xanthippes uxoris calumnias perferret: Sí uxorem inquit, caſtigauero, ea melior fiet: ſi non caſtigauero, ego ipſe fiam melior. Sed ſatius eſt me meliorem fieri. Nil igitur tibi mirum uideri debet, ſi eam patior, non corrigo. hanc uirtutem homini ita neceſſariã putant gymnoſophiſtæ, ut nõ ante quempiam in collegium admittant, quàm diligentiſsime explorarint an ſit tolerantiſsimus. Laudatiſsimam ac nullo æuo intermoriturã illam P. R. uocem accepimus, ſola Fabij patientia molliuit Hannibalem. Nec enim ille uituperonum calumnias perteſus nunc ouiculam, nunc cunctatorẽ, nunc timidum uocitantiũ, primus docuit Hannibalem poſſe uinci. Iure igitur dixerimus hanc imperium ſtabiliſſe, gloriamq; atq; incolumitatem P. R. peperiſſe. Sed quid ego tenuiora perſequor? Quaſi nõ hæc omnium uirtutum ſeminariũ, non totius philoſophiæ imbuat incunabula. Quid enim rogo in tota hominum uita ſine patientia perfici poteſt? Hæc prudentiæ conciliabulum & quaſi fermentum, hæc fortitudinis inſtrumentũ. moderationi uero quid aptius quid propinquius? quid fidei magis ſuccinit? aut certè quod habet illa certius fundamentum quam patientiã? Qui enim fieri poteſt ut qui impatiẽs eſt occurrentibuſq; hinc inde percellitur, quaſi pinnaculi pterygium, fidus & conſtans haberi poſsit. Quomodo erit idem ſilentij pertinax, quod tu olim tantopere apud Antiſtitem Fuſcum laudaueras. Quid eſt quod abſq; hac uirtute non ſit præproperum atq; immaturũ? Procidiis atq; lubricis partubus ſolent medici remedia quædam & medicamina adhibere, quo ad maturitatẽ perducantur. hæc illa eſt (mihi credite) quæ noſtra itidem negocia, atq; omnes hominum actiones nõ ſinit abortum facere, maturoq; ac legitimo partui

partui cõseruat: hæc se tẽporibus planè (ut diximus) effigiat atq; effingit, nunc molliter, nũc seuere se instituẽs. Nolim eñ te existimare solo animi rigore declarari patientiam, se etiam interdum demittit atq; elumbat. Cedit enim, ut sapiẽtissime inquit Maximus, interdum generosus spiritus utilitati, & fortunæ uiribus succumbit: ubi nisi tutiora consilia legeris, speciosa sequenti concidendum est. Quod nisi ita foret, nunquam certè receptissimi ueterum inuictum illum & Ioue genitum heroa Herculem apud Omphalen sedẽtem lanasq; mollientẽ effinxissent. Cui etiã diminutum caput sandalio scripserunt, quòd pro tẽpore prudentia nihil recuset: tanto imprimis proposito Hebes & cæli, id est immortalitatis ac felicitatis præmio. Nã Cretensis illius Tali ferrei & æripedis molliciẽ nunquã satis improbatam puto, qui blandicijs Medeæ, nulla proposita gloria, nulla mercede condicta permulsus, passus est clauum medicati roboris media ceruice extundi: quo deinde in suum exitium argon autis meros lusus præberet. Illud etiam obiter memorem admonebo, periclitandæ huiusce uirtutis gratia, quam patientiam diximus, neminem sibi debere obijcem aut contentionẽ accersere, atq; uti cæcias nubes allicere: ne forte, quod oraculum Cercopibus predixerat, aliquem μελάμπυγον offendamus, cui temeritatis non sine magno malo nostro pœnas persoluamus. Sat enim uideri debet, si quoties usui uenit, & quasi pro necessitate, non uero ostentationis gratia, animi magnitudinẽ declaremus. Quod sapientissimus Euripides uidetur significasse, quom dixit, necessitatẽ omnia sursum uersus ad diuinam causam ducere uolentia & inuita. Eam qui lætus sequitur, is uere est sapiens. Sit igitur ea nostri summa sermonis, ubicunq; operæ precium uidetur, ibi saluberrima patientiæ medicina uti. Qua ita omnia mitescunt, ut (siquid ad rem attinet) ex eius nomine passum uinum, uuamq; passam, id est dulciorẽ & ueteres nuncupauerint, & clarissimus Stoicorum Epictetus uolẽs uniuersæ philosophiæ summã breuissimo loco concludere, ἀνέχου inquit καὶ ἀπέχου, Abstine scilicet ac patere. quasi ijs duobus omnis bene ac beate uiuendi disciplina complectatur. quod illo Pythagoræ symbolo, quod in prouerbium adactum est, nonnulli significari crediderunt, δεξιὸν εἰς ὑπόδημα, ἀριστερὸν εἰς ποδόνιπτρον, id est, Dextrũ pedem priorem calciato, sinistrum priorem lauato. Quasi hoc abstinentiã indicet, qua sordida omnia ac prępostera detergi debent: illo patientiam, qua meliorẽ nostri partem animum muniri atq; in aduersa omnia confirmari decet. huius igitur septi præsidio & quasi arce cõtenti, quicquid nobis acciderit, in animo atq; in ore illud Socratis promptum geramus: O Criton, si ita Dis placet, ita fiat: me uero Anytus & Meletus interimere quidẽ possunt, lædere autẽ non possunt. Namq; ut poeta inquit, superanda omnis fortuna ferendo est. In qua sentẽtia quo me certius esse intelligas, en tibi symbolum: (prompsisti aũt è uestigio argenteum sigillum duabus pateris faberrime exculptũ) hoc ego, inquis, semper in oculis atq; animo mihi propositum esse uolo, quod me actutũ siquid præter expectationẽ euenerit, tolerandum esse moneat, & quasi auri insusurret, Patere. Quom tam uehementi oratione, quam iure more Homerico hibernis niuibus comparauerim, animũ permouisses: tacitus ipse mecum repetebã memoria Apologum, quem olim mihi pater narrabat: ex auo meo Francisco, qui dignitati equestri lumen literarũ addiderat, professus accepisse. Is ad hunc prope modum fuit, nisi forte quippiam ademit obliuio. In magna existimatione semper fuit fortitudo ex eo tempore, quo Ioui cum Gigantibus congredienti, strenuam operam nauarat. At fortuna quæ semper primas sibi uendicauit, credo inuidia percita quòd eam in uirtutis cõmilitio adscriptam audiuerat, illam incredibili odio persequebatur, captabatq; omnẽ nocendi occasionem: Infortunio etiã formidabili deo mandarat, ut quocunq; loco eam offendisset, lacesseret, opprimeretq; omni nisu. hoc ille, qua est in lædendo industria, miro uoto affectabat. Id uero die forte quadam in Stenagmi campis cõtigit, admirabiliq; utrinq; animorũ impetu cõcursum est. Infortunius prior circum amplexari nixus, uiribusq; prosternere, ubi frustra se laborare intellexit, dolo adortus, implanare conatus est. Hoc illa prouidẽs, magna alioqui & procera fœmina, sese in illum totam iecit, eũq; omni corporis more oblisit. Ita deniq; oppresso magis quàm extincto Infortunio dirempta est pugna. Fuit autẽ id certamẽ neq; leuis operæ, neq; breuissimi

temporis. Diu enim conflictatum utrinq;, multumq; sudoris profusum. Quod omne consultissima dearum Pallas poculo aureo exceperat, subactoq; tenuissimo ætheris polline, unaq; utrunq; admiscens compactissimã effigiem cõformauit: æternitatisq; alimmate delibutã, in summis necessitatibus hominibus ducem dedit. Hanc mortales Patientiã, immortales Stenagmiã nuncuparunt, quòd in Stenagmi cãpis eius primo semina sint coalita. Mox uero editam cura subijt, utrius parentis partes sequeretur: deniq; placuit maternum robur. Quod ut primũ Infortunius resciuit, ex professo eam persecutus, omnibus machinis incessit. Id uero certamen in aulis principum atrocius uideri solet: inspectãte scilicet Fortuna, quæ & Infortunio facilius ex propinquo tela suggerit, & mirifice reluctantis puellæ doloribus oblectat̃, utpote gentilitij odij non immemor. Qua ratione adductũ poetã tragicũ puto, ut illud exclamauerit:

O fortuna uiris inuida fortibus,
Quàm non æqua bonis præmia diuidis.

Hæc me olim optimus ac prudentissimus pater admonebat: qui utinã æquè prudenter consuluisset, ne mihi aliquando ad hos lapides offendere fuisset necesse.

R. D. LADISLAO EPISCOPO VATIENSI, SErenissimi regis Hungariæ Vicecancellario, S.

ACCEPIMVS Seruilium Vatiam uirum prætoriũ ita se unum amasse, ut ablegata hominum consuetudine in uillulam suam Cumanã secesserit, atq; ibi per ocium omnem ætatẽ absumpserit. At nostra ætas miratur Vatiensem Antistitẽ amplissimum, ita sua nihil curantẽ, ita sui obliuiscentem: ut dum rem cõmunem agit, dum destituti penè regis negocium procurat, multo plus alijs omnibus, quàm sibi natus uideatur. Quare ego illum quom testimonio aliquo meæ summæ obseruantiæ donandum putassem, quod aliquo modo grauissimas eius occupationes leuaret, & quasi mimus in proscenio uel risum excitaret, uel arduis & serijs inducias afferret: nihil se mihi promptius obtulit, quam ἐγκώμιον, seu mauis declamatiunculã dicere, super laudibus pulicis: quam modo dum æger cubarẽ, lusi: & ne nihil agerem, hoc egi. Nec uero recuso, ut hoc quicquid est, uel rideat, uel irrideat, dum Cælij sui semper obseruantissimi meminerit: secumq; ita cogitet, inter ueteres illos statuarios non solum Phidiæ & Praxitelis, sed & Pyrrhichici nomen celebrari solere: qui dũ tonstrinas sutrinasq; & asellos ac obsonia & id genus uilia pictura exprimit, ῥυπαρογράφου, id est sordidi pictoris nomen inuenit. Sed & illud in hoc scribendi genere opportunum accidit, quòd præter nouitatis cõmendationem etiam breuitatis patrociniũ accessit: ut siquid displicet, cito desinat displicere. Bene uale. Budæ. Calend. Iunij. M. D. XIX.

Aera, marmora, saxa, ebur, tabellæ,
Quom iacent sine more prostituta,
Calcari pedibus solent profanis:
Quom uero fuerint dicata templis,
Actutum innumeros merent honores.
Sic uilis modo sordidusq; pullex
Cœpit deniq; nonnihil uideri:
Quom rhetor sua uota nuncupauit,
Et scripsit breue carmen in tabella:
Donum Antistitis esto Vatiensis.

PVLLICIS ENCOMION, CAELIO CALCAGNINO AVTORE.

IDETVR natura quom exigua corpore animalia compegit, id ante omnia procurasse, ut quicquid magnitudini detrahebat, illud ui aut aliqua certe utilitate compẽsaret. Quorum utrunq; ita planum ac perspicuum in pullice animaduerti potest, ut mirum omnino uideatur: quom & uiribus, si recte inspiciamus, non illi modo breuitate conferẽda, sed lõge corpore ac statura maiora exuperet. Quòd si utilitate etiam ac ingenita quadam potentia ita pollere ostenderimus, ut perpauca illi ex omni animantium genere equari possint: tum illud abunde, quod expeto, mihi uidebor assecutus: eos scilicet nõ satis uero, nec explorato animi iudicio, sed libidine uel inuidia potius permotos, qui sordidum ac infestum animal pullicẽ dixere: quom ex aduerso potius & elegans & cõmodissimum nũcupari oporteat. Quas eorum calumnias ut facilius diluamus, à corporis habitu primũ auspicandum arbitror. Nam ei quidem color, qui præstantissimus haberi solet, seu tu illum hyacinthinum, seu purpureũ malis appellare. Hoc triumphantium prętexta, hoc imperatorũ paludamenta illustrantur. Corporis uero portio, neq; omnino oblonga, neq; testudinata, neq; planè rotunda, sed quasi omniũ particeps, tereti quadam pollet habitudine: qua neq; ad agilitatẽ, neq; ad elegantiam accõmodatior ulla reperiri potest. Tum uero quo proboscidem natura spiculauit ingenio: quàm exili, quàm reciproca arte conformauit: ut fodiendo acuminata, sorbendoq; fistulosa, deprehendatur. Texturã uero tergoris quàm apte, quàm sine ullo dispendio capiti continuauit: quàm pulchre imbricatis, sed etiam penè inexplorabilis coniunxit flexilium uertebris: ita ut (quod omnium insectorum peculiare est) fru stillatim etiã cæsus, spiritus tamẽ aliquid seruet: morticq; intrepide occurset, & quod omnia domat fatũ moretur: tantus est in tantillo corporis uigor, tanta pollet acrimonia. At posteriora quàm gracili, quàm reducto tornauit ambitu: fores excludendę saturitati qua conclusit industria, qua coagmentauit modestia, uterculum miro castigauit temperamẽto, incredibili caueæ uacuo perforauit? In hunc tenuem quidem, sed uegetum atq; inexhaustum spiritum perflauit. Mirum uero dictu quàm longo interstinorum nexu compleuerit, quàm ingenioso ambitu complicauerit. Quod tanto artificio factum est, tam subtili magisterio peractũ: ut nec Myrmecidis, nec Callicratidis opera, nec faberrimi ullius artificis quicquam habeãt conferendum. Nec minus pedes suis distincti internodijs mirabili adhęrent arte. & prioribus quidem ad plurima utitur officia: uel ut scabat, uel ut detergat, iũctis, sublatisq; utrinq; pedibus nec dicam, an manibus? manibus profecto præstat dixisse. Quando & ijs non se modo distringit, uerũ & infantiũ more qui papillas hauriunt, summã cutem permulgẽs elicit sanguinẽ. Humani enim generis gratia prouida rerum parens natura pullicem peperit, qui plus nimio efferuescentem sanguinem, corpore integro nusquam rescissis membris, nusquã intersectis uenis exhauriat: quippe medici falso huiusce remedij inuentionem hippopotamo adscripsere. Pullex, hoc inquam, pullex primus ostendit mortalibus. Atq; hinc Græci hominum prudentissimi eum ψυλλὸν appellauere, non à breuitate corporis, ut crassiores antiquitatũ existimant: sed quòd Psyllorum imitatione exundans sanguinis uirus, solo suctu, nullo dispendio, minima cũ molestia, leuissimo tantũ pruritu euocet. Ingratus profecto mortalium animus Psyllorũ linctus, qui sua terris mala serpentes intulere, celebrat. Tentyritas qui modica ab oris regiõe crocodilos auertũt, historijs ac monumẽtis dignos duxere: nullus adhuc pullicem cõmendauit, nemo id animal laudibus extulit, cui (absit inuidia uerbo) uel

inuentionis

inuentionis nobilitate, uel curationis merito, multa hominum milia salutem debent. huius sententiæ nostræ uel illud accedit naturæ testimoniũ, quòd eo præsertim tempore multa pullicum uis ingruit: quom & hiberna segnitie, ac uerna mutatione sanguis tabescit, & medicorum iudicio educendus existimatur. Quòd si ulla uerbis nostris fides habetur: quom sapientissimũ animal hominẽ philosophi iudicarint, quòd unus omniũ manibus utatur: quis posthac & sapientissimũ ac multis naturæ beneficijs ornatum pullicẽ negauerit, quem manuum ministerio tam indulgenter honestarit. Posteriores autem pedes paulo amplius producti, quo maiore nixu prosilire possit: reductis enim illis in poplites & toto corpore incumbens: mox summis digitis obluctatus prorsum, Di boni quàm facilis, quàm sublimis prorumpit in aera. Nemo est ex ijs qui se aut stadio, aut petauro exercent: quiq́ in ea arte plurimum profecere, qui sexagesimo impetu uel unũ pullicis saltum æquauerit: ut non immerito Plinius uideatur ei petauristarum lasciuiam tribuisse. Res enim digna prorsus exquisitissima speculatiõe: & quam iniuria Aristophanes illuserit, Socrates uero apud Chęrephontem acutissime explorarit: quot scilicet suos pedes pullex saliat. Qui enim ex nostro genere humanos pedes septem octóue ad summũ prosiluerit, omnibus calculis honestabitur. At pullex tam minutũ tam extenuatum animal sexcentos etiam pedes uel amplius sine plurima omnium admiratione saltauerit. Huius rei notionẽ absolutissimus ille Senex, Apollinis testimonio omnibus pręlatus sapientia, cæra dicitur consecutus. Ea enim igni resoluta, pullicis pedem immersit. Quem quom deinde eduxisset, & quasi cæreus calceus pedi hæsisset, eo deinde metitus traditur quicquid interualli fuerat à sua ipsius frõte, unde desiluerat: ad Chærephontis labra quò sese deiecerat. Atq́ hoc tam sublimi cõmento rem illa dignam admiratione comperit: ob quam si paulo ambitiosior fuisset, potuit Euclidis more, de cremasterio (ita cistam appellabant, in qua Socrates altiora theoremata speculabatur) desiliens & nudus excurrens εὕρηκα εὕρηκα proclamare. Cæterũ quom ex insectis alia sint ἔλυπτρα, id est uaginipennia: alia ἀνέλυπτρα, id est detectas alas habentia: alia ὀστρακόδερμα, id est dura cute prędita: quædam σελάχη, id est cartilaginata: pullex profecto tenera admodum ac molli cute contectus est: ut si uerum sit illud quod ueteres philosophi asseruerunt, animalia acumen ingenij à suprema cute mutuari: nemo sit qui dubitare possit, quin pullex tam tenui cute, multum ingenio inter cætera omnia excellat. Sed neq́ illud frustra à natura institutũ puto, ut sex pedes pullici atribuerit, quẽ numerum undiq́ absolutissimũ esse cõstat. Suas enim capit portiones, & suis modis concluditur: quod aliubi non temere inueneris. At illud nequeo sine multa admiratione reminisci, quòd tam prompto, tam parato semper est animo: ut se omnẽ protinus habeat in numerato. Quom uero captura incidit, quàm uigilãs & expeditus ad cursum, quàm omnes moras abijcit, quàm raptim se dat in pedes. Quòd si quando cõtigerit, ut minus pateat fuga, septo scilicet ac præmunito omni aditu: illico ad eas artes se uertit, quas inclytus Lacedæmoniorũ imperator Lysander suadebat. Quom enim amiculũ leonis pelle absolui nõ potest, haud est, inquit, iniuria uulpinam assuere. Pullex itaq́ se deprehensum intelligens nequaquam se excutit, minime fugã molitur, sed echini more se in globum cõuoluens, exanimatũ simulat, atq́ ita negligentibus aut excidit aut certè elabitur. Nemo tamen existimauerit pullicem ea nasci habitudine, eo cultu, atq́ illa corporis magnitudine, ad quã postea adolescit. Eius enim ortus admirabilis prorsus, atq́ humano simillimus: qualem Herodotus ac Diodorus in Bibliotheca ab orbis incunabulo nostrum descripsit. Humoris enim copia pulueri admista, mox calore subacta, ceu Nilus limo concretus sole accedente tenuissimũ atq́ informẽ uermiculum gignit, cui subinde rostellum, manus, pedesq́ succrescũt: nec multo exacto tẽpore, non modo humi repit, (habet enim & pullex suam infantiam) sed quasi adultus iuueniliter huc atq́ illuc exultat. Quod tanta facit licentia, ut nihil sit adeò repostum, adeò auium, adeò in secessu abditum, ad quod non facilli me grassetur ille. Quæ causa etiam apud homines magnam illi inuidiam concitauit. Subiens enim reginarum cubilia, & in puellarũ sinus se recipiens, lectissimę cuiusq́ formę primitias libat. Est em̃ sanè ingeniosus formarũ spectator: & sicubi purpureas

genas

genas aduertit, ſicubi candidas papillulas, aut aureum femur inſpexit, ibi mira cum uoluptate ſolet laſciuire: ibi molles ac teretes lacertulos amplexatur, ibi caſtigatiſſimum ac multis expetitum pectus exoſculatur. Quid igitur mirum, ſi omnes illi populariter inuident? Si reges magna cura, multiſq; miniſtris imperant illum eliminari: ſed fruſtra, nec ſine multo eorum malo: quando ille ſe belliſſime ulciſcitur uel palàm. Eis enim inſultans ac mordicus uellicans à maximis quamuis negocijs auertit, atq; in ſe intrepide cõcitat: concitatoſq; uehementer atq; in ſe magna molientes, uel uno ſaltu facillime eludit. Iis adde quòd ſi magni reges ſibi immortalitatẽ paratã putauere, ꝙ de ſuo nomine quaſdam herbas appellauerint: quanto præclarior præſtantiorq; pullex exiſtimari debet, qui pullegio herbæ tam celebri, quæ per brumã, non ſine omniũ admiratione, in coronarijs ſolet efflorescere, nomen dedit: & à quo Græci Pſyllon herbam, quam tu pullicarẽ dicere potes, ad mille mortalitatis noſtræ remedia natã nuncupauere. Eo autẽ nomine ſapientiſsimus quiſq; adoleſcens pullici ſe plurimum fateatur debere, quòd in ſuperbientes forma puellas ac inſolentes ſpiritus gerentes: eosq; impotenter aſpernantes, qui ſibi omne uotum, omnemq; animũ addixere: indignatus ille licenter debacchatur: ſecq; ad ſaturitatẽ earum explet delicijs, & mox abiens fœdiſsimo etiã corporis excremento cõſpurcat. Cuius rei memoria facit, ut Acheloum ac Periclymenum magnæ arguã inſcitiæ: qui quom ſe in omnia uerterẽt rerum miracula, nunquã tamen pullicẽ fecere: quom neq; infenſius, neq; hoſtilius poſſent quàm ea in effigie Herculẽ offendere, neq; facilius elabi. Qua enim putas illum indignatione laceſsitum iri, ſi in amicæ complexu laſciuientes hoſtes uidiſſet? at uos parum prudentes nunc taurum, nunc muſcam induitis. non indigne igitur ſucceſsit, ſi alteri cornu effractum, alter prorſus eliſus interijt. Alioqui nõ ſaltu tantum ſpectabilis pullex eſt, utpote qui in genere τῶν πηδητικῶν, id eſt ſalientium annumeratur: ſed neq; ſegnis neq; imbellis pugnator eſt, ſoletq; ſtrennue, quoties occaſio ſuaſit, inire certamen, atq; acerrime hoſtem urgere. Id quod ueteri apologo teſtatũ accepimus. Quom enim aliquãdo pullex in impium quendã impreſsionem feciſſet, eumq; grauiter proboſcide, id eſt telo ſuo perfoderet: cœpit ille in ſubſidium Herculem cognomento ἀλεξίκακον, hoc eſt malorum auerſorẽ, implorare. At Hercules preces auerſatus, & hominis impietatem peroſus, non affuit. Excuſſo autẽ demum pullice, uel eius certè ira tandem exatiata, impius ille in Herculem conuitia iactabat, qui eo in periculo uocatus opem minime tuliſſet, non uideri ueriſimile affirmans eum in grauioribus affuturum. Atq; hinc apud Græcos in uulgus adactum eſt prouerbium, ἐν ψύλλας δήξει θεὸν ἀλεξίκακος, id eſt in pullicis morſu deum implorare. Quòd ſi quando apud cæteros diuerterit, multo modeſtius ac ciuilius ſe habet. Timide enim depaſcitur: & ſi forte hoſpites aduerterit contractiori fronte ſe intuentes, excedit è ueſtigio è diuerſorio, ſecq; ad pacatiora cõferens, ni forte inſigni aliqua iniuria affectus, aut impudentiorẽ aliquẽ perſequens, (hos enim omniũ maximè odit) inſtet pertinacius, & ab inertibus pœnas repoſcat. quo in certamine ſolet nõnunq; occumbere. nec id profecto ſatis mirandũ, quom is fermè ſit omniũ bonorũ exitus: qualis Ciceroni & Ariſtidi contigit: qui quom flagitioſos perſequerentur, iugulati aut certè oppreſsi fuerint à malis. Adde quòd ſi prudens rerum naturæ pullicem admonuerit ut faceſſat, nulla mora eſt quin protinus ſe det in pedes, & ſtationem relinquat. Non autẽ omnis admonitio de triuio petenda eſt: quando ſunt omnibus animantibus certa quædã ſymbola, quorũ notionẽ natura eis impreſsit. Sic uidemus apes tinnitu cõgregari, & puluere iniecto à pugna deſiſtere. Sic ſtymphalides ab Hercule nõ niſi crotalis eijci potuere. Sic Pythagoras certa uoce bouẽ à fabis inhibuit. Pari itaq; ratione cõſcij arcanorum naturæ ubi primũ cuculum auem canentẽ audiuere, quicquid pulueris eſt ſub ueſtigio dextro colligunt, atq; in hunc uſum ſeruant. Quom enim pullicũ tedium eos ceperit, puluerẽ eum aſpergunt: ex quo obſequioſi illi contubernales cõmeatũ ſibi datum intelligentes, non minas, non iurgia, non dimicationes expectantes protinus excedunt & contubernium relinquũt. Cæterum nec heluo nec uorator eſt pullex: ſed minimo cõtentus cibo, utpote qui per inediam multos etiã dies trãſigat. Cuius rei poteſt eius gracilitas facilem fidem facere: quam

(ſi cre-

(si credimus Erasistrato) se arctius substringẽtes Scythæ imitantur, ut ita expeditio/ nibus aptiores sint, ac minime fame à grauioribus negocijs auertantur. Illud etiã in/ ter cætera comitatis ac modestiæ testimonia connumerauerim, quòd dum cibum ca pit, minime rixatur, minime obstrepit: sed silentiũ seruat, quale ne Pythagorici qui/ dem. Inter æquales uero nulla contentio, nulla inuidia, nulla controuersia, sed con/ stans ac perpetuũ fœdus. Quo nomine ego longe pullicẽ quàm muscam maioribus dignam laudibus puto. Nam qui illam maximè laudare conati sunt, dixerũt eius im/ probitatem, impudentiamq; ab Homero celebratam. At magnus ille & admirabilis philosophus Aristoteles de insectorum generatiõe uerba facturus, unum omnibus pullicem ceu multo cæteris nobiliorem antepositum. Vrbanitatis etiam ac elegantiæ illud maximũ indicium est, quòd quom scarabeus & alia quædam insecta ceu per/ nicie unguenta & suaues odores auersentur, hic illis non solum oblectari, sed etiã festiuiter uti solet. Et ne fortè pullicem à Venere & Gratijs abesse putes, longa inter eos est amplexatio, longa exosculatio. Tanta autem uoluptate cõmiscentur, tam in/ dulgenter cohærẽt, ut plerunq; mori malint, cẽq; suauissimos amplexus intermittere.

R. D. GEORGIO, EPISCOPO QVINQVE ecclesiensi Cælius Calcagninus S.

QVOM in Pannoniã profectus ab ijs, qui de meis studijs nonnullam o/ pinionem conceperãt, studiose & amice admodum fuissem exceptus: nihil occurrit mihi commodius, quo existimarem eis animi mei gratitu dinem posse testari: quàm si intestinis factionibus & simultatibus distra cta nobilitate non sine maximo regni discrimine, ad eos de concordia conscriberem. non quia me existimarẽ ea facundia excultũ, ut eis id possem perSua/ dere, quod imminens periculum & cõmunis salutis studium persuadere nõ possunt: sed ut eos beneuolentiã & uotum meum testatissime relinquerem. Iure aũt te unum Antistes amplissime ex omnibus elegi: cui cõmentationem hãc dicarẽ. uel quòd me singulari & incomparabili comitate ac benignitate promeruisti: uel quòd unus ma/ xime omnium optimates in concordiam reuocare, & partes dissidentes conciliare adnitaris: uel quòd absens olim in Italia autoritatẽ & magnitudinem tuam audierã, mox in Pannonia ueniens de illustrissimo & reuerendissimo principe meo, & clarissi/ mo uiro Hieronymo Balbo familiare tuo, exploratissimũ super sapientia & acumi ne ingenij tui testimonium acceperam. Ego uerò coràm quanta esset bonitas & hu/ manitas tua perspexi, ut tu longe inter omnes istius regni optimates eloquentia, pru dentia, cæterisq; summis humani animi bonis excellere uidearis. Cum in te itaq; o/ mnium faces uirtutum promineant, & apud me clarissimum totius no/ bilitatis Pannonicæ instar obtineas, non iniuria hunc tibi cõmentarium nuncupans, cæteris omnibus re/ gni proceribus abunde satisfecisse pu to. Budæ M. D. XVIII.

DE CONCORDIA
COMMENTATIO CAELII
CALCAGNINI.
ad Pannonios.

ICET me satis admonere potuerit illa Platonis sentẽtia, in republica aliena peregrinum hominẽ suas tantum res agere oportere: quam deinde Cicero in Officia sua trãstulit: & Lycurgus hoc idem ita existimauerit, ut certũ præscripserit tempus aduenis quo transacto sarcinas suas colligerent, atq; aliò habitatum migrarẽt: nec minus Valerius Homullus ciuis Romanus me deterrere potuerit ab oratione instituta, qui Antonino imperatori ad se profecto & percũctãti unde colũnas prophyretico lapide insignes habuisset, licenter admodum respondit, eum qui in alienam domũ ueniſſet, surdum & mutũ esse debere. ego tamen pridem eas leges & instituta exoluisse arbitror, postquam Christus ille humani generis uindex nouas leges tulit, & neminẽ qui eius religiõe imbutus foret, peregrinum esse uoluit. Quom enim ille sit omnium caput, qui fieri potest ut membra inter se differant? Alexander Macedo quom suo in exercitu alios Græcos, alios barbaros censeri audisset: At ego, inquit, bonos & malos tãtum agnosco: non multo secus ego mihi dicendum puto, eos omnes qui Christiani sunt, mei nominis meiq; corporis existimare: cæteros qui uel ethnici sunt, uel ethnicorum mores habent, longe à me alienos putare. Quare nemo mihi unquam persuaserit, me peregrinũ esse inter eos qui eadem mecum religiõe initiati sunt. Sustulit enim Christus illa gentium cognomina: & quicunq; in toto orbe terrarum nati essent, modo nomen huic sacramento dedissent, eiusdem generis & commilitij esse uoluit. Quare nemini mirũ uideri debet, si ego sub Italo cęlo natus, et paucis ante diebus in Pannoniã profectus, pulcherrimę gentis, & pręstantissimorũ procerum, ac fortissimorũ ducum simultates & contentiones miseratus de concordia mihi scribendum putaui: ut si quis esset, cuius adhuc aures ad ueritatem paterent, uel exemplo maximarũ urbium & nationũ admonitus, uel ipsius ueri imagine pellectus, resipisceret, iamq; ad meliora mentẽ reuocaret. Qua in re externi hominis oratio fortè magis permouere potest: utpote quẽ omnes exploratũ habere possint, ab odio & omni factione longe abesse: neq; amicitię aut beneficijs cuiusquam hoc dare, sed communi tantum generis humani uinculo & ueritati: cuius ea uis est, ut in sui confessionẽ reluctantes etiam adigat. Certè Athenienses quom intestinis aliquãdo discordijs laborarẽt, nec ciuium quisquam esset cui certa fides ob suspicionem haberetur, Byzantini fœdere & amicitia Athenientibus cõiuncti Leonẽ ciuem præstantissimũ, & singulari prudentia spectatum Athenas mittẽdum putarũt: ut oratione sua, qua plurimum pollebat, animos fluctuantes molliret & in concordiam reuocaret. Cuius quom Athenis magna foret expectatio, postquam deinde cõspectus est, penè ludibrio habitus dicitur: quòd esset breuis admodum forma. Nam ut uere Euripides dixit, forma hominũ dignitati plurimum affert. Id quom ille sensisset, è re nata consilium capiens ita uerba fecit. Ego, inquit, Athenienses, sanè tam breui corpore illudor: quid si uxorem meam dimidio me breuiorẽ uideatis? quanto ea uobis maiori admirationi sit? Atqui tam breues ambo, quoties inter nos rixamur & cõtendimus, nõ omne nos capit Byzantium: quom uero conuenimus, modicus etiam torus capit. Hac eius oratione inuita ti Athenienses, & ingenij acumine delectati, faciles aures eius uerbis præbuerunt. Et profecto nemo est qui cõcordiam non summopere appetat, qui discordiæ incommoda expertus est, eiusq; aliquando imaginem animo prospexit: quæ si quo modo oculis offerri possit, mirum sui odium omnibus concitaret. Eam uero graphice Petronius Arbiter uersibus expressisse existimatur:

Intonuere tubæ: ac scisso discordia crine

Extulit ad ſuperos Stygium caput, huius in ore
Concretus ſanguis, contuſaq; lumina flebant.
Stabant irati ſcabra rubigine dentes:
Tabo lingua fluens, obſeſſa draconibus ora.
Atq; inter toto laceratam pectore ueſtem
Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextra.

Hic eſt (ſi credimus) ſerpens ille mira magnitudine cum ingenti arborum ac uirgultorum ſtrage uiſus ferri: poſt quem inſequi cum fragore cæli nimbum per ſomnum uidit Hannibal expeditionẽ in Italiam parans: quæ ſanè effigies Italiæ uaſtitatem ſignificabat, quam animorũ diſcordia nec aliud quicquã præterea intulit. Diſſidentibus enim inter ſe Italis ciuitatibus, facile fuit hoſti noſtras opes expugnare. Huius uero natales uel Græcorum prouerbio teſtante, non aliunde quàm à ſatietate & rerum omnium affluentia ſeminariũ habere periti exiſtimant: quare bobus ob pabuli abundantiam cornupetis & paulo inſolentius laſciuientibus ueteres cornua fœno alligabant, ita omnes admonentes ut procacem beſtiam cauerent: quare non illepide Cæſar quom ferocientẽ antea Craſſum molliſſet, ei fœnum cornu detraxiſſe dictus eſt. Certè apologus habet, inſcitiam & ſatietatem olim contendiſſe, utra præſtantiorem fœtum pareret. ita utranq; in Momi amplexus procubuiſſe. Ex inſcitia perſuaſionẽ, ex ſatietate diſcordiam eſſe progenitã. utranq; è deorum cõſortio eiectam. Sanè Homerus hanc Erida nũcupauit: quam deturbatã cælo à Ioue propter inſolentiam ſcribit. ſicut & in ſacris literis malos genios ab ætherea ſede depulſos legimus, quòd ſibi plus nimio arrogarẽt. Alioqui in Alexandri ex Aphrodiſiade Naturalibus quæſtionibus legimus, Cupidinem ex Furijs unam amaſſe: credo ea cauſa, quòd eorum acerbiſsimum eſt odium, qui ſe aliquando amarunt. Vnde uulgo iactatum eſt, fraternas ſimultates longe eſſe acerrimas: & ex ſummo amore ſummas cõtentiones & capitale odium naſci ſolere: ut non de nihilo factum exiſtimemus, ut Publius in mimis ambis eam ſententiã extulerit: ita amicos habendos eſſe, ut ſcias eos fieri poſſe inimicos. Qua nullam infenſiorẽ amicitiæ Cicero putat in uulgus eſſe prolatã. Qui enim fieri poteſt, ut cuiquam fides præbeatur, cuius amor aliquãdo ſolui poſſe cenſeatur. Quare Anterota ueteres uindicẽ, non uiolatorem amoris colebãt: ut quicunq; amoris fœdus peruertiſſet, ſciret ſibi pœnas tãti ſceleris eſſe ſubeundas. Lethæũ quidem amorem facibus undas inuergentem coluit antiquitas, à quo amicitiæ obliuionem inuehi ſignificabãt: eiusq; imaginẽ in Erycinę Veneris templo apud collinã portam ſtatuerant. Sed ei cũ Anterote nullum fuit, ut falſo quidam opinati ſunt, cõmercium. ulciſcebatur ille: hic prouocabat. mutuas operas ille dandas in amore cenſebat: hic omnem amorẽ ſummouendum tollendumq; ſuadebat. Quare quantum inter ſe diſtent, facile quiuis ex utriuſq; poteſtate poteſt colligere. Sunt tamẽ qui utrunq; ſimul colendum dixerint, utpote qui contraria natura unà eſſe putauerint: ita ut alterũ ſine altero minime poſſe cõſtare affirmauerint: ſicut receptiſsimi philoſophorũ inter rerum initia formã & priuationem, quam materiã interpretantur, adſcripſerũt. Democritus pœnam & beneficium. Empedocles amicitiã & diſsidium, quorum altero omnia mortalia coaleſcerent, altero conficerentur. Hinc illa rerum ſympathia & antipathia, quom inter ſe quædam optime conuenire, quædam diſsidere plurimum intelligamus. Sic filicem arundini infenſam, arundinẽ corrudę amicam: ſic rutam fico gratam, rhaphanum uiti inimicũ: cucumerem aquã uel procul appetere, oleo uero reluctari dicimus. quarũ rerum cauſam quis aliam attulerit, niſi naturæ ſpectaculum ſibi ac nobis paria componentis? & diſcordiam ac repugnantiã rebus ingenitã inferentis, ut omnia perpetuas uices patiantur. Nõ alia de cauſa angues in caduceo Mercurij Herculaneo complexu iungebat antiquitas, niſi ut amicitiã concordiamq; & mutuum conſenſum ſignificarent. Quod ſymbolum ferentes oratores qui ad feriendum fœdus ineundamq; pacem proficiſcebantur, caduceatores dicebantur. eodem etiam nodo in uulneribus colligandis periti utuntur: tanta eſt mutui nexus uis: ut non ſolum ad animos uinciẽdos, ſed ad ſalutẽ incolumitatemq; corpori etiã conciliandam polleat. Hinc Di Cõſentes dicti ab Ennio, XII illi qui mutuo inter ſe conſenſu conſpirare

ſpirare creduntur: & fratrum arualium primum apud Romanos ſanctiſsimũ collegium inſtitutũ à Romulo ad aruorum cuſtodiam, cui ſpicea corona pro inſigni data. Eadem ratione phalanx apud Macedonas, legio apud Romanos, ſacra cohors apud Achæos, teſtudo in oppugnationibus urbiũ nomen meruit: quòd ex neceſſarijs coniunctiſsimiſq; militibus coaleſcerent, qui ex æquo ſuam & cõmilitonum fortunam metiebantur: quando & arbores, quę multis terræ adnitũtur fibris, difficilius reuelli poſſunt. At contrà irio infamis, quod diſſenſiones animorum inuehat. Ilex apud maiores noſtros non ferè ob aliam cauſam male audijt, niſi quod materia licet ſpiſſa & robuſta ſit, frangitur tamen aliquando ac ſponte diſsilit: cui ob id Pericles Bœotios ſimiles eſſe dixit, quoniam ipſi ſe conficerẽt inteſtinis diſcordijs. Eadem ratio à ſtructuris quibus æternitas debetur, ſciſsimã reiecit: ſic enim fagi ſpeciem appellabant, quæ facile in tenuiſsimas aſſulas laminasq; ſecari poteſt. Egregie profecto Demaratus Corinthius ſingulari amicitia Philippo Macedoni cõiunctus, quom eum conueniſſet eo tẽpore quo cum uxore & filio diſsidebat. Interrogatus enim, an Græci bene inter ſe cõuenirent: familiariter admodum reſpondiſſe dicitur. At ego te, inquit, Philippe admiror quòd de Græcorum concordia ſollicitus ſis, qui familiares ſeditiones & domeſticam diſcordiam adeò negligas. Quom Piſiſtratus Athenis rerum potiretur, factum eſt aliquando ut inter eum eiusq; liberos ſimultas oriretur, quæ animos Athenienſium ad nouas res moliendas erexerat. Quod quom uir ſagaciſsimi ingenij præſenſiſſet, ſibi omni opera filios conciliauit. Deinde in publicũ prodiens hæc uerba habuiſſe traditur: Succẽſui equidem, inquit, Atheniẽſes, meis filijs, quòd paternæ uoluntati (ut par fuit) minus acquieſcerent: ſed uiſum mihi deinceps eſt officium eſſe meum, ac pietatis paternę munus, ut ego ipſe in liberorum ſententiã concederem. Certũ itaq; habetote, ſobolem ac liberos regis cõuenire. qua oratione iam tumultuantẽ populum compreſsit, & imminentẽ ſeditionem extinxit. Nam ſi ueritatem recte excutimus, non Pandora illa ab Heſiodo celebrata in pyxide mala humano generi importauit, ſed diſcordia. Quid enim aliud eſt, per deos immortales, ſcelus, flagitium, facinus, niſi à uirtute longe abhorrens & diſcordans cogitatio? Quid bellum, quid rixa, quid clades, niſi diſcordantium animorũ furor & intemperantia? quid morbus, quid peſtilentia, quid mors, niſi elementorum, ex quibus noſtra corpora compacta ſunt, contentio & diſcordia? Dum enim illa conquieſcunt, atq; inter ſe cõueniunt, ea mediocritas habitudinis ſeruatur, quam ſanitatẽ appellamus: ubi uero calor frigori, & humori ſiccitas aduerſari cœperit, iam tum febres & mille morborũ genera inſurgunt ac nos male habent. Quòd ſi uehementius etiam inter ſe conflixerint, ita ut ab altero alterum opprimatur, tum animal neceſſe eſt aboleri. Qua ratione intelligere poſſumus quàm calamitoſa ſit diſcordia regnis & ciuitatibus. Quom enim regnum bene conſentiens & conſtitutũ ſit quaſi corpus ſua utens ualetudine, in qua rex ipſe & princeps ſummũ locum habet: huic omnia decet mẽbra, id eſt duces & proceres, obſecundare: quare ſi uel à rege uel inter ſe diſsideant, norint ei regno maturũ interitum imminere. Nam ubi partes labãt, ut elegãter inquit Curtius, ſummã turbari neceſſe eſt: quando hæc eſt maxima rerũ publicarum & regnorũ calamitas. Non enim hoſtes aut peſtilentiæ, aut aquarum illuuiones, aut terræmotus, plures urbes abſumpſere, quàm diſcordia & inteſtina ſimultas: quæ tunc maximè ſolet accidere, quom non publicæ utilitatis, ſed priuati cõmodi, ratio habetur. Nec enim fieri poteſt ut qui ſui gratia omnia molitur, omnia cogitat, ille ſocietatẽ inter ſuos, ius naturæ inter externos tueatur. Hoc uitium una omniũ Philautia, id eſt amor ſui, quem recte Horatius cæcum appellat, ſolet hominum animis inuehere. Magna ſanè dementia eorum qui tam falſam ſibi utilitatis ſpeciem induere, ut priuata ſeruari poſſe arbitrẽtur, niſi publicis ante omnia conſulatur. Qui enim fieri poteſt ut pars ſubſiſtat, quom totum deperierit? euellenda itaq; eſt imprimis hæc opinio è mentibus humanis, ne quiſquam tunc ſua ſalua fore ſperet, quom ea quæ ſunt omniũ fuerint cõclamata. Quippe eo quiſq; promptior ad conſeruationẽ uniuerſi properabit, quom intellexerit in eo rerum ſuarum ſalutem eſſe poſitam. Nam ſicut nauis pericli tari non poteſt, quin ea, quæ in ipſa cõgeſta ſunt, eodem naufragio amittantur: neq;

intereſt(ut ille inquit)an in puppi an in prora ſita ſint:ita reſpublica & regnum affli
gi non poteſt, quin ea quæ ciuium & optimatum ſunt,eadem clade rapiantur. Quare
nõ iniuria Agrippa ſe multum Saluſtianæ ſententiæ debere profitebatur, qua ille di
uinitus propè monuit, concordia res paruas creſcere, diſcordia uero magnas etiã di
labi. At quanto melius putatur Mneſarchus rerum principia numeros bene ſibi co
hærentes poſuiſſe:à quo non multum diſſentit Plato,licet adeò difficilem illam ſuo
rum numerorum texturam digeſſerit,ut pluribus dubitandi quàm intelligendi præ
bita uideatur occaſio: unde & de numeris Platonicis in rebus parum intellectis fa
ctum eſt adagium. Ille ſanè ad maiorẽ rerum compagem iuncturamq; duobus uincu
lis opus eſſe monſtrauit, ut inuicem & mutuo nexu reſpondeant:qui geminus & u
trinq; alludens conſenſus, ſi in rempublicam regniq; gubernationẽ transferatur, ita
ut animi mutuo amore illecti mutua inuicem præſidia, quæ ſanè concordia appella
tur, parent:tunc res in dies felicius proceſſuras, melioremq; ſpem habendam eſſe cer
tum eſt: quod Aeſopeus ille apologus cõmode admodum ſignificauit. Quom pater
in confinio mortis poſitus filios ad cõcordiam inuitaret, eis uirgarũ faſciculum pro
poſuit: quẽ quom eorum quiſq; fortiſsimus fruſtra rumpere fuiſſet conatus, tum ei
qui minore natu fuit, uirgas ſeorſum perfringendas dedit. quas quom ille minimo
negocio confregiſſet:En, inquit, uobis filij quantũ mali affert diſcordia. Facit enim
ut quæ iuncta inuicta ſunt, ſimul ac diſſipantur, facillime intercidi poſsint. Quare ſi
res ueſtras uultis diuturnas eſſe, ſi uos inuictos reddere, concordiã colite. Idẽ exem
plum in cauda equina propoſuit militibus diſſidentibus Sertorius: cuius ſetas ne
mo tam robuſtus fuit in exercitu, qui conglobatas potuerit reuellere; mox autem di
ſtinctas imbecillis & iners lixa decerpſit. Scio & regno Pannonio hoſtes priuatim
eſſe & publice. nemo enim amicitias colit, qui ſibi inimicitias propoſitas neſciat:
quando ij ſoli inimico carent, qui amicum habent neminem. Libet hic eorum ſenten
tiam refellere, qui in uita utiles ſalutaresq; inimicitias putauere. Quam opinionẽ A
riſtophanes attigit, Plutarchus fuſius proſecutus eſt. Eorum ratio ferè duplex: &
quòd nos cautiores reddant:& quòd in earum cõparatione quàm ſit appetenda ami
citia intelligatur. Qua ratiõe, ſi Dis placet, & morbos laudare poſſumus, quorũ cau
ſa tot pharmaca,tot remedia inuenta ſunt. Eadem etiã conditione uitia & ſcelera pu
rimum cõmendemus, quæ tam ſalubribus legibus, tam præclaris inſtitutis occaſio
nem dedere:ceu non multo humano generi utilius optabiliusq; futurum fuerit, ut ſa
nitate corpora, innocentia ciuitates conſtanter perfruerentur. Quom igitur undiq;
hoſtes immineant, acerrimisq; oculis uos & ueſtra intueantur: (mirũ eſt enim quàm
acrioribus oculis aduerſarij occaſiones nocendi, quàm amici iuuandi captẽt:) quom
perpetuus Chriſtiani nominis, ueſtriq; imprimis, quos propugnatores ac defenſores
uerę pietatis quaſi in principijs deus cõſtituit, aduerſarius Turca exertos in iſtius re
gni ceruicem gladios ſemper habeat, & ad quotidianas incurſiones excubet: quàm
procurandum eſt omni ingenio, omniq; animi intentione, ne qua latebra, ne qua oc
caſiuncula ad res cõmunes labefactãdas offeratur. Quod enixius & accuratius à uo
bis faciẽdum eſt, quom ex ueſtris præſidijs cõmunis omnium Chriſtianorũ ſalus &
incolumitas pendeat. Quare ſi quis eſt qui iniurias ab altero acceperit, iam nũc deſi
nat meminiſſe, ſuosq; labores & affectus tum patrię tum publicę ſaluti largiat: tamq;
animi deſæuiant, fiatq; uetus ille ſyncretiſmus: cuius nominis cauſam enarrare non
ita fortaſſe fuerit pręter propoſitum. Diſſidebant aliquando Cretes, capitalibusq; o
dijs in mutuã perniciem anhelabant. tunc hoſtes ſibi rem factã putantes, tumultua
ria claſſe collecta in eos expeditionẽ facere moliebantur. Quod quom à Cretibus re
ſcitum foret, depoſita ſimultate, melioremq; mentẽ induentes in cõcordiam rediere:
quam ex eo euentu ſyncretiſmon, id eſt Cretenſium conciliationẽ appellauere. Nec
minus prudenter apud Athenienſes, quom Thraſibulus à triginta tyrannis patri
am liberaſſet, & ob ueteres iniurias exactosq; ciues eorumq; bona occupata magnæ
diſſenſiones & calamitates imminere uiderentur, lex ſalubris atq; admodum om
nibus urbibus expetenda introducta eſt: quam ameſtiam, id eſt iniuriarum obliui
ſcentiã nũcupauere, ne qua iniuriarũ ſuſpicio & quaſi labecula in hominum animis
reſideret

resideret: & id quidē prudenter. Exemplo enim Rheginorū moniti erāt: qui quom discordia laborarent, ciuitasq; per dissensionē diuisa in duas partes esset, ueterani ab altera parte ab Himera in auxiliū uocati, pulsis ciuitate ijs contra quos implorati fuerāt, & mox cæsis qbus tulerant auxiliū, urbē cū cōiugibus & liberis sotiorū occupauere: ita ut Rheginis multo melius fuerit uinci q; uicisse. A qua re nihil diuersum fecit Philippus rex Macedonū: qui quom dissidentibus duobus Thraciæ regibus iudex & disceptator inter eos electus esset, more ingenij sui ad iudiciū uelut ad bellū inopinātibus fratribus instructo exercitu superuenit, regno utrunq; nō sentētia sed fraude & scelere spoliauit. Quom ergo à maioribus nostris tria hominū genera tradita sint: eorum scilicet qui per se, nulloq; admonente sapiunt: aliorum qui quom minime ipsi se sapere intelligant, alieno tamen consilio acquiescunt: alij sunt qui in postrema hominum classe censentur, si modo hominum cognomine digni sunt, qui neq; ipsi beneficio naturæ sapiunt, neq; bene monentium consilijs hortationibusq; adnituntur: felices profecto eos existimauerūt, qui nō suo sed aliorū exemplo & periculo edocti ad bonam frugem peruenere, ne in eos uetus illud & uulgatum conueniat, Piscator læsus sapit: quod eleganter Homerus, ἐχθρὸν δέπα πατὶ θ' ἔγνω. Nā certū est secunda consilia esse meliora, sed non carere pœnitentia. Quare agite ô principes prudentissimi, & quom ipsi uestro ingenio plurimū sapiatis, alienisq; exemplis & domesticis admoniti intelligatis quàm feliciter omnia concordiæ obsequunden tur: & rursus quàm pessum eant, postquam sotietas interrupta est: date operam ut apud uos plus externa exempla, quàm domesticum periculum profuisse uideatur. Nam Athenienſium, Macedonū, Lacedæmoniorumq; imperium dum concordi du cum & ciuium uolūtate gubernatū est, semper floruit, & incrementū maximū accepit: postquam uero inter se cōmutatæ sunt uolūtates, alienatiq; animi, facile & quasi eorum impulsu dissipatum corruit. Romanum certè imperiū, quo neq; maius, neq; præstantius aliud uidit orbis terrarum, nunquā ad eam magnitudē peruenisset, nisi unum fuisset omniū ciuium consilium, eadem mens, idem spiritus. nunq; etiā dissolutum et abolitum, ni cupiditas & ambitio, et proprius cuiusq; affectus ab amore patriæ, à cōmuni salute animos auocasset. Quare nō iniuria Cicero ciues suos, tam fœde dissidentes, scopas dissolutas solet appellare. Et profecto ita est, iumentis ueterinisq; repugnantibus atq; in diuersa trahentibus fieri non potest, quin iugum excutiatur, uertāturq; quadrigę. Quòd si nauem gubernātes obluctent inter se, & quisq; uelit pro captu animi sui huc uel illuc clauū propellere, & antemnas obuertere: quis dubitat ei naui pręsentissimū naufragium aut allisionem paratam esse? In uestris momumentis traditum est, quàm egregie ac feliciter Atila ille magnus autor uestri generis non paruam orbis partem suis uictorijs obiuerit, magnumq; uobis nomen & regnum parauerit: quod omne post eius mortē dissidentibus eius liberis, sibiq; principatum asciscentibus penè funditus euersum est. Sed quid ego uetustatem & res à memoria nostra remotas excutio, quom proximis & recentibus exemplis uti possimus. Nondum planè trienniū actum est, ex quo plebs agrestis nescio quo fato excitata ad signa conuenit: erectoq; crucis uexillo, quo aduersus impios tantū hostes uti solemus, in omnē nobilitatem atq; ipsum denicq; regem mouere arma ausa est. Tunc satis potestis meminisse, intestino illo malo quantū animi omniū perculsi sint: quantus terror omnes peruasit: quàm res omnis Pannonica in procliui fuerit, quom maxima pars multo ad fugā quàm ad pugnam esset paratior. Quòd nisi deus optimus maximus res nostras miseratus pauorem terroremq; quasi panicum in turbam illam iniecisset: atq; ita consiliū aciemq; non solum animi sed etiā oculorum perstrinxisset, ut neq; ipsi suas uires agnoscerēt, neq; uestram imbecillitatem intelligerent: hoc certè tempore nullas opes, nullos lares, nullum denicq; regnū haberetis. Quòd si manus illa tumultuaria & improuida, sarculis & furcillis armata, tantum periculum inuehere potuit, quo tum denicq; loco res futura est, si uos præstantes ingenio, magnis opibus spectati, amicitijs, cognationibus, beneficiarijs, alijsq; maximis præsidijs instructi & adornati, odia, simultates, cōtentionesq; exerceatis: si (quod abominor) quasi ἀκέφαλοι à dicto regis desciscatis, fideiq; & sacramēti immemores eū deseratis quem

in hac præsertim ætate tueri oportet. Nolite per deos immortales principẽ uestrum, dignitatem regiã, publicam incolumitatem prodere. néue ætatem hanc teneram & adhuc impuberem contemptui habetote. Reges enim, in quorũ potestate sunt, deos uindices habent. Neq; profecto tam excellens indoles, tanta uirtutum facies, tanta maiestatis planè regiæ imago debet parum animos uestros mouere. Cernitis enim ex his oculis, ex hac fronte, ex hoc aspectu, quanta lux, quantũ seminarium iustitiæ, prudentię, magnitudinisq; animi promineat: quàm ille ad omnes res magnas natus, quàm nihil degenerans à suorum amplitudine, ut non minus ornamenti additurus quàm acceptarus à maioribus uideatur. Notum est quantũ maiestas etiã infantis regis apud cæteras gentes polleat. Philippus maior rex Macedoniæ excedens è uita Europum filium infantẽ reliquit hæredem: cuius ætatem Illyrij hostes finitimi contemnentes, Macedonas aggredi ausi sunt: qui prælio pulsi mox regem suum in cunis positũ in expeditionẽ produxere: initaq; acrius pugna uictoria potiti sunt, tanq; ideo uicti fuissent antea, quòd bellantibus sibi regis auspicia defuissent. Accendebat animos & præsentis regis maiestas, & miseratio permouebat infantis, quem si uicti forent captiuũ regem facturi uidebantur. Conserto itaq; prælio magna cæde Illyrios fudere: ostenderuntq; hostibus suis, priore bello regem Macedonibus, non uirtutem defuisse. Subeant præterea mentem lacrymæ & preces clarissimi regis Vladislai, qui excedens ab hac mortalitate, nihil prius habuit quàm uobis unicum filium puerum successorem regnorum cõmendare. In uestra fide ille spes suas, & quasi spiritum illum quem agebat deposuit: sponsionibusq; uestris subnixus conquieuit. Procurandum itaq; uobis est, ne duorum principum existimatio fraudata uideatur: néue uno tempore data optimo principi fides, & suscepti clarissimi filij defensio illusa destitutaq; uideatur. Quòd si quæ inter uos priuatim contentiones exortæ maiores sunt quàm ut breui sedari possint: in hoc saltẽ diligentiã adhibete, ut quæ ad publicam utilitatẽ pertinẽt, bene inter se cõueniant: & nulla sit tanta uel Diomedea necessitas, uel Empedoclis peruicacia, quæ uos ab hoc proposito depellat: efficiteq; id quod in citharis maximè agnoscitur, ut ex dissonis fiat concentus. Sic enim pruden ter ueteres Harmoniam ex Marte & Venere genitã existimarũt, quòd grauia & acuta seorsum opponi uideantur: quom uero unà componantur, incredibilem suauitatem auribus reddãt. At si qui sunt inter uos tam malo & inauspicato ingenio nati, ut quasi Eurynomi inter Castores & Polluces odia & simultates serãt: agite eos ceu astorgion, id est discordialem & ominosam herbam, à limine amicitiæ uestræ longe eijcite. Laurũ cognomine insanam esse ferũt in Bebrycis portu, quam simulac quis quam in domũ attulerit, exitiales statim discordiæ insurgunt. quare nautę in eo portu obuersantes eam cane peius & angue reformidant & auersantur. Hanc itaq; in uestram prouinciam admittere, quam indigenæ domi abominantur, turpe foret & detestandum. Erit itaq; salubre in memoria semper habere illum Menenij Agrippę apologum, quo secessionem populi Romani à patribus sedauit: iritatosq; animos conciliauit. Quom pedes manusq; & membra cætera à capite olim desciuisse memorauit, quom illud quasi iners & inutile iudicaretur, & nisi in antiquam amicitiam redijssent, maturum interitum omnibus imminere nuntiasset. Qui tunc demũ præsenti exitio intellexerint: quàm periculosum foret uel sine ignauo capite uiuere. Qua admonitione moniti quirites non inuiti sibi persuaderi permiserunt. Hanc itaq; cõcordiam antiquitas ita necessariam iudicauit, ut ei Camillus templum dicauerit, eiq; omnium rerum ubertatem acceptam tulerit. Quare in antiquis numismatibus nunc eam cratera dextra, leua copiæ cornu tenentẽ: nunc sceptrum ex quo fructus exeant porrigentem spectamus. Quin & Aegyptij cornices duas concordiæ symbolum in sacris literis adscribebant, in nuptijsq; earum uocem ominis gratia repetebant. Tum uero in mysterijs Hebræorum punica mala uestibus dependentia concordiam designare putabantur: quòd sicut grana cõmodissimo situ natura disposuit, sic animi concordes inter se maximè esse debeant. Interrogatus enim ille quæ nam esset ciuitatũ pulchritudo, eleganter concordia respondit. Quam rem intelligens magnus ille nostrę salutis procurator Christus, pacem unam ex omnibus quasi certam & firmissimam hæ re-

hæreditatẽ nobis reliquit. Quam uos tueri omni animi captu, omnibus quibus polletis uiribus maximè par est. Non opes, non animi, nõ prudentia, non rerum maximarum deest experientia, qua id facere possitis, modo ad id faciendum non magis facultas quàm uoluntas adsit. Profecto ut omissa omni alia cogitatione hoc unum agatis suadet ratio, monet naturę & Christiani nominis coniunctio, salutis & regni, id est publicarum & priuatarũ rerum conseruatio impellit: fidei iubet sacramentum, necessitas denicq; & imminẽtis periculi magnitudo cogit, et quasi exerta uoce, ni hoc feceritis, maximum malum & inanem deinceps pœnitentiam minatur. At uos existimate hæc quæ à me dicuntur, à liberis, ab uxoribus, à penatibus, à familia uestra, ab omnibus quorum salus à iudicio & præsidio uestro pendet, cum fletu, cum eiulatu & lacrymis implorari. Nec uero Pannoniæ tantum hoc uotum, sed Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, cæterasq; Christi prouincias hoc à uobis efflagitare cogitate. Illa ipsa summa deipara uirgo, cuius numine iam tot annos istud regnum stetit incolume cum fastigio, hoc à uobis iure postulat. Quare meliores animos induite uiri fortissimi, exoratoq; imprimis immortalis dei præsidio digna uestra sapientia, salutariaq; uobis & regi ac regno uestro consilia capessite.

DE CALVMNIA

COMMENTATIO CAELII CALCAGNINI, AD HERCVLEM PRIMum, ducem Ferrariæ II.

PROOEMIVM

Si literarum posset effigies palàm
Mortalium luminibus offerri, sui
Ipsius admirabiles accenderet,
Et fomites amoris, & gratuita
Scientiarum concitaret semina,
Inuicte princeps Hercules iustissime,
Doctissimiq; concionis arbitri.
Sed quom negetur intueri publice
Vultus beati prænitentem formulam:
Quam non Apelles signifex multiscius,
Non cela docti Mentoris procuderent,
Nec fabricator optimus Myrmecides,
Toreumatumúe conditor Pyrgoteles
Formare nullis audeat coloribus,
Nullo ære, nullo consequi cælamine.
Proinde curas anxijs à mentibus
Excutite: & hanc unam mihi operam impendite.
Nam cyclicarum dicere agmen artium
Molimur: & septemplici compendio
Conglutinare quicquid humanum genus
Ab uniuersis didicit olim seculis,
Itaq; Polygnotus, ita præparcus Myron
Acres tumultus prælij Marathonij
Locos, duces, gentesq; miscellaneas,
Et Xerxis omnes explicarunt copias
Per porticus unius amplitudinem.

Res ardua est, & uiribus maior meis,
Quam singulatim nemo percipit satis.
Vos candido, uos integello pectore
Aequi bonique consulatis, obsecro.
Hos rupicones liuidos nihil moror.

VI hactenus de calumnia uerba fecerunt, idem mihi prope fecisse uidentur, quod medici nonnulli fecisse dicuntur: qui quom de morbis sibi agendum proposuissent, uniuersales & publicas quasdã rationes attulerunt: & quàm eorum graues cruciatus sint, quãque ijs affectos male habeãt, prosecuti sunt. ea uero quæ ad eorum salubritatem facie bant remedia, oscitanter ne dicam impudenter prætermi sere: quom nulla pars magis expeti soleat, aut nihil prius medicina polliceatur. Nam quòd aer male hausțus & pestilens, quodque cibi intemperies plerisque mortis causam afferat, ita gratum est audire: si & quomodo utrunque uitari possit, aut si iam æger infestetur, corrigi, deinde indicetur: quando hoc totius operæ precium existimatur. Ridiculum uero prorsus est, ut quàm graues acutosque dolores afferat ægritudo, ostendatur: si nulla præsertim mercès præterea accedat. Cruciatus enim & dolores ægri, uel ad pœnitentiã perspectos habent. Nobis uerò hoc loco decretum, quanta fieri poterit facilitate, calumniæ seminaria excutere: mox eius iniurias opportunis remedijs preuertere: aut si remedia ipsa præoccupauerit, imprudentesque inuaserit, mollire: & si ægri etiam habitudo patiatur, prorsus leuare. Et quantum ego uideo, tres calumniæ fontes offeruntur: aut enim cuique calumniam facimus, quòd eius fortunæ atque æstimatiõi inuideamur, etiam si nil cõmodi ex ea re nobis offeratur: aut quòd acceptam contumeliã ulciscamur, & quasi iniuriã reponamus. Tertius fons est quo penè cæteri ambiũtur: quom expectatæ alicuius utilitatis gratia uel alienam fortunam oppugnamus, uel tempori inseruimus, uel gratiã aucupamur. Et licet superiores duo, tertio huic finitimũ quippiam habeant: certum tamen est multum inter eos disidere. Quòd scilicet eorũ cuique priuatus quidã terminus præscriptus sit: ut ille quidem uoluptatẽ ex aliena deprehensione quærat, alter satisfieri sibi hostis incõmodo postulet. tertius iste nullam trahit aliunde rationem. Totus enim à se pendet, totus sibi laborat, nihil extrinsecus expectens. Cum ex his tribus igitur fontibus manare calumnia intelligatur, utile existimamus fore, si uniuscuiusque illarum principia & quasi scaturigines exploremus. Solemus autẽ his maximè inuidere: quos indignitate fortunæ, aut ad summas opes, aut ad excellentem existimationẽ uidemus peruenisse. Nec in his modo, quamuis in primũ, cõstat inuidia, sed in res omnes etiã tenuissimę operæ declinat: quom scilicet quisquã, aut animi, aut ingenij uel corporis uel fortunæ, bonis alium præstare ægre fert, & quodammodo iniquo animo uidet, quibus ipse careat, ex quo etiam inuidentiam dictã existimauit Cicero. Iccirco eleganter Isocrates putauit, inter maximos cruciatus inuidiam annumerare deberi, quòd ipsa habẽti maximũ supplicium sit: ut facile intelligi possit, abunde pœnas luisse qui alteri inuidet. Excitari aũt plurimum solet inuidia, quom immoderate quempiã utentem uidemus his bonis, quibus polleat: eaque multum esse in ore hominũ. Ita enim apud plerosque comparatũ est, ut alienis radijs putent suam lucẽ præstringi. Quom hinc igitur excitari inuidiã cognoscamus, danda est opera, quantum in nobis est, ut ea declinemus omni ingenio: & bona quibus illustres sumus, non quidem abscondamus: hoc enim propè impium esset, se merita uirtutis mercede fraudare: sed nec uenditemus, nec ambitiose nimis iactemus, minimeque cæteris nos ea parte præferamus. Inter omnia enim maximè æquabilitas conciliat amicitiam & tuetur, ostentatio aũt ubique inuidiosa. In cœtu etiam amicorum minime nobis plausores & nostrarũ buccinatores laudum appareamus. Hoc enim ita odiosum semper existimatum est, ut iactata sit apud Græcos sententia, Latendum esse dum uiuimus, ut feliciter uiuamus. Alioqui qui se nimis exponunt, & quasi

quasi ad opinionem hominum, ostentant, perpetuos habent persecutores eos, qui se in eodem bonorum genere optãt esse quamclarissimos. Mediocritate autẽ uiuendi & modestia nihil optabilius. Sic pater ille Terentianus locupletissimũ moribus filij testimoniũ putauit attulisse, quom dixit: Nunc̃ p̃ponẽs se alijs: ita ut facillime sine inuidia laudẽ inuenias, & amicos pares. Eorũ itaq; mores omni arte respuendi sunt, qui qua parte uident amicum minus instructũ esse, eam nituntur aperire: ut ita ingenium ipsi suum intempestiue oggerant. quæ res non ad inuidiam modo, sed ad summum odium animos irritat. Quanto commodius facturi, si aliena uitia dissimulent. Quicquid enim laudis putant uirtutis possessione cõsequi, illud omne inepta ostentatione amittunt. Egregie itaq; ornatrices sponsarum mihi facere uidentur, quę illarum neuos omnes conantur inducere: sibiq; nuptiarũ die minus fuci ascisc̃unt, quo illę formosiores appareãt. Et profecto pictor summã laudem comparauit inuenta arte qua Philippi regis orbitas in tabula tegeretur. Tantum igitur abest ut alienis uitijs insultemus, aut uirtutes nostras prædicemus: ut potius si fortè contigerit, ut honorificos de nobis sermones audiamus, eos quantum in nobis est, aut propulsare, aut supprimere debeamus: tum ut ambitionis nomen fugiamus, tum ut minime inuidiam, quæ sibi deinde calumnias consuit, prouocemus. Facit hæc ratio, ut non desinam eos admirari, qui inuidiam habenti tantũ nocere existimauerunt: quom tamen quotidie usui ueniat intellígere, quot detrimenta eos sequantur, quos aliena inuidia uexauerit. Nam quisq; summa ope nititur ea demoliri, quæ sibi lumẽ præripere uidean tur: ceu quom finitimæ domus altitudo ad nostram aream solem non admittit, iure & iniuria agimus, ut omnis obex summoueatur, resq; ad æquabilitatem redigatur. Deniq; natura ingenitũ est, ut quæ cuiq; maximè displicent, ea è medio tollere procuret. Quo factum est ut ueteres solo obtutu inuidos nocere existimauerint, & fascinum ipsum ab inuidia dictum uoluerint. Non tamen admodũ facile existimamus hanc ipsam inuidiam euitari posse, quòd in animi penetralibus abdita lateat, nec facile agnosci possit: dissimulatur enim magno ambitu inuidia: nec est quisquam, quem se inuidum esse profiteri non pudeat. Cuius rei ea mihi summa ratio uidetur, quòd omnes ægreferimus profiteri ea nobis deesse, quibus alter maximè illustratur, ne idcirco illi cedere uideamur. Quotus enim quisq; est qui non se parem, aut etiã ultro potiorem putet: uel profecto hanc de se opinionem haberi uelit, ut si quid ipsi defuerit, quod alteri abunde suppeditet, nõ sua culpa id factum putari uelit: sed aut fortunæ iniuria, aut parentum negligentia. Multi etiã iudicio se aliqua aspernatos prædicant. Hinc factum uidemus, ut eam quisq; artem aut disciplinam, quam amplexus est, cæteris longe præferat: diuersarum aũt laudem quantum in ipso est conetur extenuare. Proinde huic morbo difficilius occurri potest: utpote cuius, non dicam causa, sed sedes ignoratur. Euenit enim nobis quod ijs qui imprudenter in media acie hostium deprehensi sunt: ut quom omnia undiq; secura existiment, nihil tamen tutum inueniant. Et quod mihi in hac re miserabilius uidetur, ab his potissimũ timendum est, qui nobis necessitudine aut uicinitate coniuncti sunt. Externi enim externis minime inuident: sed aut qui ijsdem studijs tenẽtur, aut qui eandem artem profitentur. de quibus Hesiodus pulcherrime meminit, quom mendicũ mendico, architectum architecto, & poetam poetæ inuidiosum cecinit. Ibi enim maximè dispar ilitas eminet, ibi similia conferuntur. Quom res itaq; hoc modo habeat, ut ab his imprimis inuidia immineat, quos nos beneuolentissimos optamus, quotidianamq; cõsuetudinem habemus: excubandum nobis est, & quasi semper in procinctu agendum, ut hanc ipsam inuidiã ingenio ac dexteritate molliamus. Quod cõmodissime facere poterimus, si ea quæ dicta sunt, semper in animo habuerimus: blandissimeq; interdũ cesserimus ei, quẽ uicisse nihil erat negocij: de nobisq; & modestissime sensserimus, & tẽperanter apud cæteros prædicauerimus. Nõ erit hoc adeo factu difficile, si uetus illud præceptum semper in animo habuerimus: ut operam demus, ne à nobis ipsis ignoremur. Excutiamus itaq; diligenter uniuersam tam animi quàm corporis ac fortunæ supellectilem. Et ut de animo quidem primo dicam: Si nos ijs facultatibus ingenij ornatos agnouerimus, quæ uel ad eruditionem, uel ad eloquentiã pertinẽt:

haud

haud sanè difficulter colligere poterimus, hac in re nobis æmulationē ab ijs pende-
re, qui pari studio tenentur, quiq; easdem musas prosequuntur. cū his igitur ad arro-
gantiā nihil, nihil ad ambitionē faciendū putamus: enitēdumq;, ut ijs persuadeamus:
quicquid in nobis doctrinæ aut sapiētiæ uel ingenio, uel studio ac exercitatione cōpa
ratū est, nobis ipsis lucubrasse, ut alijs potius idem agentibus præsidio simus, quàm
nos multū studeamus in ea re placere. accōmodatisq; ad id exemplis uti licebit. Ceu
quom Apellis factū afferetur: qui quom apud Rhodios Protogenē in modica existi
matione haberi animaduertisset, eiusq; opera non adeò præclara existimari intelle-
xisset, tantum abfuit ut ipse ea re lætaretur, aut sibi gloriæ quicquā ex alieno oppro-
brio accedere putauerit, ut palàm profiteretur se magna pecunia Protogenis opera
redempturum, quæ deinde pro suis ipse uenditaret. Eoq; astu & famam, & quæstum
Protogeni cōparauit. Infelicis denicq; ingenij est & obnoxij, aliena detractiōe sibi no
men comparare: quom potius, si integro animo iudicium agatur, quisq; bonas artes
in quibus ipse præsertim inuigilet, & adiuuare & fouere debeat: illud habēs exactis-
simum, quicquid laudis in alterū congesserit, mox eodem numero ad se resilire. Vi
deo quidem ea quæ ad ingeniū pertinent maximè omnium animum exacerbare. Si
cæteris enim in rebus post habeamur, sedamus aliquo pacto animū, & quasi iniuriæ
acquiescimus. Ingenij autē contumelia qua ratione ferri possit non uideo. Sunt tamē
qui & in corporis habitudine sibi primas postulāt. Qualem sibi laudem Crotoniatæ
olim asciuerunt, quom plus apud se oleastri, & cæterarū arborū apud reliquos Grę-
cos in luctam absumi prædicarent. Cuius rei curam quoniā Plato nō in extremis ha
buit, scimusq; gymnicos & pancratiastas hanc incredibili studio coluisse, hinc fa-
ctum est ut multi ad inuidiam concitentur: quam poterunt non difficulter euitare, si
ea in hostes tantum non in fœderatos etiam & beneuolos exercuerint. Sed huic
parti ea itidem inuidiæ species cōiuncta est, quæ ad formā & amorem pertinet: quæ
propemodum in tota uita mortaliū iuueniles & puellares animos maximè exercēt:
adeò ut non minus eleganter quàm uerè nobis poeta dixisse uideatur, nullas esse ini-
micitias nisi amoris acerbas. Cui parti remedia eo incertiora adhiberi poterūt, quòd
in lubricis planè animis & summæ inconstantiæ plenissimis morbus ille inolescit.
Existimamus tamen operæprecium esse, & à publico conuentu abstinere, & decore
uti ad modestiam, & nihil minus præse ferre: quàm se ullam gloriā ex forma quære-
re. Conducet enim hoc non modo ad effugiendam inuidiam, uerū & ad famam pu-
dicitiæ: quādo nihil fœdius in fœmina liberaliter educata ducimus, quàm præter na
turæ indulgentiā, & ad genitum decorem, formæ scitamenta & illecebras affectare.
De adolescentibus aūt ad morū castigationē uerbū Catonis sit satis adscripsisse: qui
nihil existimauit interesse prius an posterius cinædi essent huiusmodi comatuli, qui
rempublicā q; comā suam perturbari mallent. Eorū etiā furorē nō sum prætermissu
rus, qui non existimant satis sibi ipsis ex animo uxoris speciem cōtigisse, quin alijs
etiam patefieri, & quasi coniugalis fœderis adyta reuelari uelint. Qui puto ad melio
rem animū redibunt, sibiq; mœchos parare desinent, si crebrius Candaulis infortu-
nia memoria repetāt. Qui quom uxorē alienis oculis subiecisset, & in acerbissimas
iras mulierē concitauit, & magnos motus in regia summāq; sibi peperit calamitatē,
magnorum denicq; periculorum hęc pars referta est, quom raro cuiq; sine suspicione
uehemens amor contigerit. A quibus tamē facile cauere poterit, qui & animo impe
rauerit, & salutē uoluptati prætulerit: malueritq; sibi uoluntariū exilium indicere, si
ita res ferat, q; inuitū in calūnias maximas & calamitates incidere. Quæ ratio facit,
ut de forma uxoris cū Catone sentiamus: qui necq; illiberalem omnino necq; electissi
mam probauit: qualem Ennius statā uno uerbo appellauit. Par est, ut ea iam, quæ
ad fortunam pertinent, excutiamus. hæc quanto fuerit illustrior, plurimū etiam ocu
lis subiecta erit: maiorq; cautio ad eam cōseruandam adhibenda. Nescio enim quo
modo fiat, ut in eos omnium hominum uota, si nulla etiam lacessiti fuerint iniuria,
inuehantur, quos diuitijs, magistratibus, & gloria florere animaduerterint. Vel quòd
eos quasi in meliori rerum conditione positos doleamus: horreamusq; quodammo-
do fortunam illis parentis, nobis nouercæ loco esse. uel quòd illius indulgentia ple-
runq;

runcp immerentibus affulgeat: quam rerum humanarum conditionẽ non poteſt uir bonus nõ deteſtari. Nã hoc modo fortunæ ad deteriorẽ migrantes eum inſolentiorẽ inhumaniorẽcp reddunt: & ſumma hæc fortunę iniuria putari ſolet, cp tantum libera litatis in pęſsimũ quẽcp congerat, ut multi deinde boni indigeant. Vtendũ eſt igitur hac in re ingenio: & nõ modo crimen, ſed omnis huiuſmodi criminis ſuſpicio effugienda. Imprimiscp hoc palàm hominibus teſtimoniũ demus, tanquã hæ diuitiæ, quæ à nobis poſsidentur, necp ad libidinem, necp ad iniuriam, ſed benignitatem atcp liberalitatẽ ſint inſtrumẽta: quibus omnes homines, & eos præ cæteris, qui aut fatorum contumelia, aut rei familiaris anguſtia premũtur, promereamus. Qui enim hac utetur munificentia, nõ ipſe habere diuitias, ſed aliorum eas cõmodis conſeruare exiſtimabitur: remcp optimam opes, ad multorum utilitatẽ natas, præpoſtera non ſupprimet auaritia. Qua ratione non modo inuidiam inuidiæcp adſeclam calumniam euitabit, ſed multorum, bonorumcp imprimis calculũ merebitur: & quot ipſe homines liberalitate ſua ornauerit, immo uero à quot ipſe accipiendo ornatus fuerit: quando beneficium accepit, qui digno dedit: iure ſibi totidem ſalutis defenſores, totidem dignitatis preſidia paraſſe exiſtimabit, quę omnibus locis, omnibus horis, pro eius excubent incolumitate. Et profecto non adeò arduum eſt nos fortunarũ inuidiæ ſubtrahere, ſi moderatione uti uoluerimus, & exiſtimare illud Platonis uerum eſſe: Omnia animantia ad hominis cõmodum nata eſſe, hominem autẽ hominis gratia progenitum. Nam & animi & ingenij ornamenta, tum corporis & membrorũ dignitatem uel robur, qui alijs cõmunicare licet: quæ ita nobis ingenuit natura, ut non modo alijs participari nõ poſsint, ſed nec in noſtro quidem mancipio adſcribi poſsint. diuitias autem, honores, magiſtratus, ſicut in optione noſtra non conſtat adipiſci, ita facile admodum ad aliorum cõmoditatem cõferre licet. In magiſtratibus tantum illud dixero, Cleonis ſententiã à me non probari: qui Athenis magiſtratus creatus, amicis nuntium miſit: quòd exiſtimaret magiſtratus fidem ab amicitia labefactari. Quanto prudentius (mea ſententia) Themiſtocles: qui quom à ſuis ciuibus dignitate ornatus eſſet, conuocatis amicis tẽpus ueniſſe aſſeuerauit, quo amicitiæ aliquod teſtimonium redderet. & profecto multa ſunt in magiſtratu: quæ citra infamiam amicis concedi poſsint. Semper tamen in animo uetus illud Periclis habendum: ad aras uſqcp, ſcilicet indulgendũ amicitiæ. In his quæ hactenus dicta ſunt, occurrunt duo, quæ animum ancipitem poſſunt reddere. Nam quòd liberalitate utendum diximus, percunctetur fortaſſe quiſpiam à me: an erga bonos malosúe homines hoc faciundum putem. Nam utrum reſponſum fuerit, in pares laqueos offendam. Quando impudenter munera flagitioſis offeruntur: bonos autẽ à quibus fruſtra iniuriã metuas, operam illuſeris. Sed & ego argumẽtum intelligo, & facile miſſum repercutiã. Nam pari ratione cum bonis liberaliter agendum contendam, quòd nuſquam honeſtius munera quàm in officioſorum hominũ ſinu locari poſsint. malis uero quibus probitate ſatisfieri non poteſt, liberalitate (ſi Dis placet) ſatisfiat, & quaſi latranti Cerbero offa obijciatur. Occurrit & illud, an diuitibus, an egenis largiendum: quòd illis parum gratum, ne dicã ſuperuacuum, ſit largitio: ijs uero minus blandiẽdum, quòd careant exiſtimatione, & propè nihil habeant exiſtimationis ad lædendum. Sed ego longe aliter rationẽ colligo. Nam quom diuitibus erogandum duco, non eadem munera prorſus & his & illis danda exiſtimo: ſed quod primum eſt, perſonarũ delectus habendus eſt. Appetunt alij uictui, alij dignitati, uoluptati alij & libidini neceſſaria: quæ facile ſecernet, qui iudicio præſtabit. Adde quòd quorundam diuitum tanta eſt ingluuies, ut maiori ipſi auaritia munera ambiant, quàm qui in ſumma rerum difficultate deprehenſi ſunt. & profecto ita ſe habent mali mores noſtra ætate, ut dentur opes nullis nunc niſi diuitibus. Accidit etiã interdum tanta quarundam rerum occaſio, ut tenuiſsimum munus loco datum maximi precij cenſeatur. Qui uero homines imi ſubſellij, poſtremæcp fortunæ ad inuidiam conſarciendascp calumnias parum putant habere autoritatis: ij mihi uidentur minus tẽporum conditionẽ perſpectam habere. Solent enim plerunqp ignotiſsimi homines ſeſe ijs artibus in gratiã principum inſinuare: & cp minus ſuſpecti habeãtur, principes eis ad hoc opus miniſtris utũtur.

Tanquam

Tanquam enim Corycei quidam omnia ambiunt, ut seorsum deinde audita regibus renuntiẽt. Quæ si defuerint, ipsi sibi parum certa cõminiscuntur: quæ quom propensis auribus principes accipiãt, cæteros ad parem operam cohortantur. Egregie enim dixisse fertur Domitianus: Delatores qui nõ castigat, irritat. Altera causa, quæ ad calumnias contexendas inuitare à nobis existimata est, odium fuit, de quo hoc loco nobis iure dicendum putamus. Duo autem maxima illius seminaria uidemur agnoscere, quom scilicet aut publice, aut priuatim infertur iniuria. Publice inferri iniuriam dicimus ab ijs qui à uirtutibus ad quas nos genuit natura, ad uitia desciuere, ita ut de uniuerso hominum genere male meriti uideantur. Priuatim autem iniuria inferri solet, quom inimicitiæ peculiares intercedunt, quas aut actio, aut oratio conflauerit. lingua enim inter omnia tela acutissimum est: & quom cætera corpus, hoc uehementissime animum perstringit. Odij uero origo, quoniã facile agnosci potest, minus item difficulter leuabitur: ceu morbus, cui causa intellecta promptum erit mederi. Dabimus ergo imprimis operam ne cui noceamus: quod sanè faciemus, si nemini fecerimus quod nobis factum nolimus. quòd si cui uel sponte uel inuiti iam displicuerimus, procurandum est à nobis ut aut re aut uerbis contumelia sartiatur: temurq; nostram uoluntatẽ paratam esse tantillam iniuriam uel summis beneficijs compensare, si occasio locusq; & facultas id permiserit: magnam deniq; pœnitentiam anteactę uitæ ostenderimus, & nos paratos eorũ gratia, qui se offensos putant, quacunq; illis pœna satisfacere. Magna enim prorsus & commodissima ratio leniẽdi iniurias est, peccatum fateri. Quòd si hoc ita (ut diximus) feceris, duorum alterum assequeris: aut enim ex hoste amicum reddes, inimicitiarũq; causam summouebis: aut uulgò boni uiri functus officio existimaberis: & si ille ab odio desistere recusabit, palamq; tecũ inimicitias exercebit, omnẽ ei fidem ad confingendas posthac in te calumnias sustuleris: nemoq; illi deinceps credet, odio potius quàm ueritate impulsum existimans. Quòd si nulla etiam alia in re profeceris, certè tibi compertum erit quem cauisse oporteat. Magni uero animi est cito odium deponere, & satisfacienti ignoscere. & nobilis profecto laus à M. Cicerone C. Cæsari adscribitur: quòd prę terquam iniuriarum rei nullius obliuisceretur. Nam hoc fermè inter se mutuum: eum qui te oderit odisse: & consuetum amoris præmium est amor. Quo fit ut summa opere eniti debeamus, ut hostis noster intelligat: nos omnem locum simultati ademisse, & planè sine fuco gratiã redeunti apparasse. Vix enim quisquã nisi postremissimi ingenij homo cum eo inimicitias continuabit, quẽ in amicitiam omni tectorio adempto rediuisse perspiciat: nisi Timoni etiam illi qui à generis humani publico odio nomen inuenit, aliquid tribuendum putamus. Sed hunc planè è consortio ciuitatis eliminandum ducimus, relegandumq; ad feras: & nullo prorsus in numero apud homines habendum, qui societatẽ humanam adeò contempserit, & seipsum indignũ iudicarit qui homo nasceretur. Tertius fons, qui ad libidinẽ cupiditatemq; hominum pertinet, longè lateq; patet. Extendit enim se adeò humani animi uotũ, ut nullis terminis, nullis anfractibus circunscribi possit. optant alij opes, dignitates alij & sacerdotia: quibus quærendis nulla ars, nulla industria, nullus labor declinatur. Secãt alij maria, proscindunt terras, uersuram faciunt, publica redimunt. nihil usquam quod ingenio aut uiribus effici possit prætermittitur. unum tamen improbi compendium sibi sternunt ad diuitias, ut à tyrannis audiantur: quorum auribus merum uenenum instillare solent, in bonorum & bene ingeniatorum perniciem. Iis nefarijs & apud deos hominesq; detestandis artibus famã, opes, opulentiasq; infarciunt, nihil pensi habentes iure an iniuria populos lædant, sed omnes homines tanquã albam lineam in albo lapide hostes existimantes: simillimi piratis quos iure antiquitas humani generis hostes appellauit, qui sine discrimine in omnes mortales grassantur, quinõ hunc magis quàm illum persequuntur. Satis enim magnum est inimicitiarũ incitabulum, possidere diuitias: satis urgens ratio, principis nutum meruisse. Multorumq; itaq; cæteri inimici sunt, hi uero omnium. Proinde quanto in discrimine uersantur res nostræ, talpa est qui non uidet: quàm sit optabile non habere diuitias, non fungi magistratibus: quibus tantũ insidiarum propositum est, ad quas auertẽdas numinis

fauor

fauor, & fortunæ indulgentia ſummum remedium eſt, quod uotis magis quàm inge nio poterit impetrari. Facile autẽ exoraturum confido, qui ſibi in rebus humanis ſo lam uirtutẽ amplectẽdam propoſuerit. Atq; huic ita innitendum eſt, ut nihil publice aut priuatim, nihil ſecum ipſe aut cum alio cogitet contrahátue, quod ſit ab officio diſſunctum. Ii uero qui cõmodis ſuis omnia metiuntur, ad utilitatemq; ſuã omnia reuocant, fieri nõ poteſt ut ſocietatẽ humanam ulla ratione tueantur. Superat autem eorum iniuria prædonũ & piratarũ iniurias. Horum enim mores atq; inſtituta om nes ita perſpecta habẽt, ut planè ab iis cauendum eſſe intelligant. Fatentur enim pa làm uiuendi genus: ut ſi quis in eorum manus peruenerit, nihil ſe iniquum pati exi ſtimet, ſi ab his hominibus ſpolietur. Iis enim nunquã credidit, nunquã horum fidei quenquam probum puto cõmitti poſſe cogitauit: quo fit ut neq; ſe deceptũ neq; tra ductũ conqueri poſsit. Illud uero eſt grauiſsimũ iniuriæ genus, quom ab iis quibus fidebamus, nos illuſos accipimus: & quos uiros bonos exiſtimaueramus, ab iis con tumeliam ferimus. Tanta eſt enim horũ immanitas, ut quom latrones & ſicarii qui rapto uiuunt, quaſdam inter compares ſeruent leges, ſocietatemq; & uno animorum uinculo teneantur: improbumq; inter ipſos credatur, niſi ex æquo præda diuidatur, ſi in alterum alter fraudem cõminiſcatur: ſit denicq; quædam inter eos imago æquita tis: peſsimi ac nefarii homines quos ad cõmodum ſuum omnia obſeruare diximus, eorum longe facinora & impudentiã uicerint, quando ſub bonorũ hominum ſche mate ingentia & penè incredibilia flagitia in eos maximè audent, quos ſibi iunctos amicitia mentiũt. Nam & (ſi Dis placet) amicitiæ prætextu ad tyrannos aditũ quæ runt: quibus ea facillime perſuadent, quæ de iis ſuſurrãt, quorũ ſe amicos effinxere. Nam eorum & arcana potuiſſe aſſequi haud grauato credunt reges: magnumq; hoc in ſe fidei atq; amoris exemplum putant, quòd ea quæ ad regiam uel ſalutem, uel uti litatem ſentiunt pertinere, priuatis amicitiis longe prætulerint: nec amicos detracta rint poſthabere, ut ipſis gratificarentur. Alioqui ſi tyranni eos uel ſuo cõmodo ſtude re, uel aliquid priuatis ſimultatibus dare intelligerent, aut nihil aut minus certè fidei iis uidentur habituri. Inter ſumma etiam eorũ hominum ſcelera computabimus, quòd uirtutes nitãtur uicijs labefactare, eorũq; nomina illis imponere. Ii enim ſunt, qui ſi quem forte in republica uiderint ſuis rebus excubare, inuidum hominẽ & ty ranni oſorẽ affirment: ſi publica tractantẽ, è ueſtigio & ſeditioſum & molientẽ res nouas, cuiq; tyrannus parũ fidere debeat, appellabunt. Eſt alter aut in ſtudijs literarũ aut in re ruſtica occupatus: uafrum dicent & uerſipellem, & cuius cogitationes ne mo ſatis queat explorare. Multa loquitur alius, illuſorẽ & temerarium nuncupant. Paucorum eſt uir uerborũ: uulpeculam, & qui plus condat quàm promat: multumq; ab hoc cauendum adſeuerant. Denicq; nihil uſquam eſt tam ſanctum, tam illibatum, quod ij uulturij contagione fœdiſsimę linguæ non polluant. Quapropter mea qui dem ſententia, ſi quis aduerſus auſter nos ad hos ſcopulos adegerit: eos imitandos exiſtimauerim, quos ad Strophadas tempeſtas impulerit: qui quãta poſſunt maturi tate, ſeruatori Ioui ſacris libatis ex infami ſoluunt littore. Quòd ſi reflantibus uentis ibi teneamur, multæ iniuriæ & perpetiẽdæ ſunt & muſsitandæ. Quæ aũt certa huic malo medicina adhiberi poſsit, quoniam neq; ipſe autor medicinę Aſclepiades ſatis perſpexerit: eũ morẽ hoc loco imitabimur, quẽ apud Coos in uſu fuiſſe accepimus: ut palàm in tẽplo quo quiſq; morbo laboraſſet adſcriptũ eſſet, & quibus remedijs ægritudinẽ diſcuſsiſſet: ut ab eius exẽplo quo quiſq; maximè indigeret, poſſet inueni re. Vnde Hippocrates ille medicorũ omni æuo celeberrimus nobiliſsimos libros de medicina dicitur collegiſſe. Ego itaq; quoniam certi nihil afferri poſſe confido, lon gum centonẽ aſſuã, multãq; farraginẽ cõmiſcebo: quo ſit cuiq; facile haurire quod in rem maximè ſuã exiſtimabit. Nec mihi fraudi tribuatur, ſi quædam paulo amplio ra, & quaſi omnibus humanis calamitatibus accõmodata deſcripſero: quom ea im primis remedia moueãt, magnãq; habere uim credantur, quę omnia ulcera poſſunt cohibere omnesq; ægritudines ſubleuare. Non exiſtimamus uirum prudentẽ faci le de loco deijci & commoueri debere, neq; huc aut illuc leui impulſu uexari: immo uero tantum abeſt ut calumnijs cedendum putemus, ut cum fortuna crebrius, ſi ita

usui ueniat, concursandum censeamus, & fortiter ab eo ueritatẽ tuendam arbitrà-
mur. Turpe enim nimirũ & plenum summæ ignauiæ, maleficis hominibus pontem
oppugnandi tui dare: te uero insinuatis manibus oscitãter cælitus expectare patroci
nium. Quin exertissima uoce innocentiã testari, & hominũ ac deorum fidẽ ad præsi
dia iusticiæ implorare, testes accersere: aduersarij argumenta diluere, optare ut res
non ad pessimi uiri arbitrium, sed æquissimi iudicium excutiatur. Tulerat olim Cæ
sar per iram iniquam in popularẽ hominem sententiam. At ille Casarem, inquit, ap
pello: sed non iratum. & profecto Cæsar, quom deferbuisset ira, & iniquitatẽ senten
tiæ agnouisset, ei qui appellauerat, omnẽ iacturam præstitit, quando rescindere iudi
cium nõ placuit. Quom olim Caninius à C. Cæsare Germanici filio maiestatis ar
cesseretur, tanquam conscius cõiurationis quæ in eum fuerat parata: animose admo
dũ respondisse fertur: Si ego scissem Cæsar, tu nescisses. Quom M. Tullius argue-
retur, quasi & ipse de cæde Cæsaris aliquid præsensisset, utinam, inquit, Brutus &
Cassius me ad eam cænam inuitassent. Nihil enim omnino reliquiarũ superfuisset,
quæ nunc nos exercẽt. Ex his apparet eos, qui tam intrepide atq; audacter uerba
fecerunt, magna præsidia in conscientia sua & anteacta uita habuisse. Proinde à no-
bis imprimis uidetur elaborandum, ut nobis ipsis calumnia indigni uideamur: mu-
niamusq; nos eo uirtutis & innocentiæ uallo: ut si etiam omnes flagitiosi in nos sua
tela apparauerint, impressionẽq; in nos quanto fieri potest impetu fecerint, locum
non habeant tela, quo hæreant: sed impenetrabiles prorsus, ueluti Cenea illum lapi
tham finxerũt poetæ, deprehendamur. Ea enim est probitatis uis, ut & si aliquando
oppugnari possit, expugnetur tamẽ nunquã: ea deniq; facies, ut diu latere nequeat,
quin ceu flamma quæ paulo diutius compressa maiori impetu exiliat, illustrisq; a-
pud omnes uideatur. Quòd si illud etiam contigerit, ne unquã ad hominum famam
perueniat, immeritoq; euecta elidatur, haud sanè adeò ægre ferendum est. placet mi-
hi, inquit ille, mala fama bene parta. Alexander regium putabat male audire, quom
benefeceris. & Socrates principiũ bene uiuendi existimauit, malis displicuisse. Ad-
de quod ipsius conscientiæ magnificum præmiũ est: quom qui contentus non est, is
dubio procul rationẽ sui non habet, & se propemodum negligit. Quo teste suã cau-
sam non probat. Immo uero (ut dicam quod sentio) mihi parum dignus apparet, qui
sua bona non agnoscit. Videtur etiam illud parum perspectum habere, deum rerum
humanarũ & spectatorẽ & arbitrum esse, & locupletẽ uirtuti mercedẽ sumministra
re. Quod igitur in nobis est, omni ingenio operam demus, ne digni existimemur de
quibus uel improbi calumniam fingant. Hoc si erimus assecuti, non mediocrẽ indu-
striæ ac bonitatis nostræ mercedẽ nos accepisse iudicemus. Hoc igitur summum
& maximum est mea sententia, ad sedandum animũ, leniendasq; perturbationes re-
medium, summi atq; optimi dei testimonio probari, & se iudice calculum meruis-
se. alterum remediũ est, semper cõditionis humanę meminisse: nec modo sita in ocu
lis habere quæ quotidie nobis eueniunt, sed quæcũq; etiã euenire possunt: seq; ad o-
mnia parare, omnia meditari, ne quid improuisis cõtingat. Indignissimũ enim pror
sus sapiente uiro dicere, nunquam id putassem. Chrysippus admodum graphice &-
prudenter athleticæ uitam hominis comparabat: quòd non solum oporteat prospi-
cere, qua ratione, quaue arte ictus inferas: sed qua cautione, quaq; industria hac illac
aduersarij impetũ declines: & modo te subtrahas, modo clypeo excipias. Qui enim
ad omnia humana se comparauerit, ita ut improuido nihil eueniat, nunquam calum
nias, nunquã inuidiã aut malorũ odiũ expauescet: sed intrepidus & fortunæ minas
illudens animũ ad grauissima quæq; perferẽda instruet, nec inopinatũ aut parũ per-
spectum quicquã reformidabit: quando & Cyrenaici non inepte existimauerunt ea
maximè animum consternare, quæ minus prouisa offerebantur. Quòd si
quid præter expectationem leuius offenderit, omne id &
deorum benignitati acceptum referet,
& lucro imputabit.

Ad illu-

AD ILLVSTRISSIMVM HIPPOLYTVM
secundum, Card. Estensem.

SALVE princeps eminentissime, sit enim hæc tibi ineunte anno præfatio accõmodatissima. Cælius ille tuæ amplitudinis obseruantissimus tibi salutem mittit, & rectam ualetudinẽ ominatur. Et quom multa quæ ad hanc rem pertinẽt, uno propè impetu collegerit: ea tibi hac luce danda existimauit: non quia te digna, sed quia tu dignus, ut illis diu multa cum fœlicitate perfruare. Datum Calend. Ian. M. D. XXXVI. Ferrariæ.

DE SALVTE AC RECTA VALETVDINE COMMENTATIO CÆLII Calcagnini.

SECVNDO Romanorum rege Numa, qui totam fermè ueterum religionẽ digessit, constitutum est: ut Calendis Ianuarij, quem diem principem anni esse uoluit, solennia sacra solennesq; preces conciperent: hinc felicitatis sumpto argumento, quòd tum actum esset hibernum solstitium, & iam sole à tropico circulo capricorni retrocedente dierum interualla augerẽtur. Existimabat enim in rerum omnium principijs ad humana uota audienda deorum aures multo esse propẽsiores. Hinc scilicet factũ est, ut quotiens actiones publicas uel priuatas auspicarentur, solennia illa uerba præfarentur: quod felix, faustum, fortunatũq; sit: nec nisi auspicatis nominibus in omnibus rebus agendis uterentur. Nam & qui delectum militarem habebant, boni ominis nomina præscribebant: Statium puta, Victorium, Fortunatianũ. Et qui publicorũ redemptoribus uectigalia locabant, lacum Lucrinum omnibus alijs præferebant. Nos igitur amplissime princeps ueterẽ morem secuti, hac die qua primum annus exoritur, felicia omnia tibi ominamur, fortunarũq; ac dignitatis incrementa, quodq; omniũ præcipuum est, cõstantissimã tibi precamur salutem: quali Xenophilus musicus tota uita usus scribitur, qui sine ulla noxa, sine ullo ualetudinis incõmodo ad annos cẽtum & quinq; peruenit. Sicuti & Asclepiades medicus, qui cum fortuna eam sponsionẽ fecisse dicitur, ne medicus crederetur, si unquam inualidus ullo modo fuisset ipse: & uictor suprema in senecta lapsu scalarũ extinctus est. Multis certè modis ueteres amicis atq; omnibus ijs quos saluos esse optabãt, salutem ac felicitatẽ augurabantur. puta, aue, salue, Chremetẽ saluere iubeo, felix esto, Di te fortunent. & alia huiusmodi. Certè epistolæ in fronte consueto more salutẽ præferebant, atq; hodie præferũt. Apud Græcos tribus fermè initijs amicos amici salutabãt, χαίρειν, εὖ πράττειν, ὑγιαί-νειν, id est gaudere, bene agere ac bene ualere nuntiantes. Ex qua consuetudine Romani & ipsi solenni ritu sic epistolas inchoabant: Si uales bene est, ego quidẽ ualeo. Plato in quadã ad Dionysiũ tyrannũ epistola disquirit: an rectius gaudere, an bene agere scribatur in epistolis. eius hęc uerba sunt: Petis an rectius ponat in salutationibus gaudere: an quemadmodum ego solitus sum scribere ad amicos, bene agere. Tu quidem, ut aiunt ij qui tecũ in Delphis affuerunt, ita deum ipsum blande allo qui ac similiter scribere cõsueuisti: gaude, uitãq; tyranni iucundã serua. Ego aũt neq; deum hoc modo neq; hominẽ salutarim. Nõ deũ, quia contra illius naturã loquerer: nam procul à molestia & uoluptate diuinitas. Nõ hominẽ, quia sæpius detrimentũ & dolorem sibi affert uoluptas, hebetudinẽ in animo & obliuionẽ, insipientiã & pe-

tulantiam pariens. Hactenus Plato. ὑγιαίνῳ uero, id est gaudere, non solum matutino tempore nuntiabant, ut nonnulli putauerunt, sed & cæteris horis diei, quom primum sibi inuicẽ occurrebãt, ut apud Homerum Vlysses. χαίρετε, ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός, gaudete, ego autẽ uobis deus immortalis, mortalis uero minime. Immo & abeuntes hoc sæpe modo discessum indicabant. Polynices apud Euripidem è uita decedẽs, χαῖρετ', ἤδη γάρ με πολυβάλμῳ σκότος. gaudete, iam enim me tenebræ occupant. Et illud propemodũ prouerbij uice apud Græcos deijs rebus, quibus nuntium mittebant, indicere solebant, μακραὶ χαίρῳ, id est longum gaudere.

Philippides qui à cursu unius diei ἡμεροδρόμας cognominatus est, quom ad eos qui Athenis principatum gerebant, nuntium uictoriæ Marathoniæ attulisset, exerta uoce dixit, χαίρετε, νικῶμεν, gaudete, uicimus. & cũ dicto expirauit. Cleon Athenensiũ δημαγωγὸς, id est præfectus populi, uictoriã apud Sphacteriã habitã contra Lacedæmonios nuntians, hoc principiũ literis fecit, χαίρετε ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, Gaudete ô uiri Athenienses. Frequentior tamen & accõmodatior salutatio existimata est, ὑγιαίνῳ, id est beneualere, quom æquè ad corporis atq; animi sanitatẽ pertinere intelligatur. Sanè diuinus ille Pythagoras quom ad amicos scriberet, ita literas exordiebat: πυθαγόρας ἀρχύτᾳ ὑγιαίνῳ, id est Pythagoras Archytæ beneualere nuntiat, quem deinde alij frequentes imitati sunt: ita se existimãtes interiori exterioriq; homini feliciter ominari. Idem Pythagoras triplicẽ triangulum mutuo nexu conjunctum & quinq; lineis constantem in hanc formam:

quo symbolo apud amicos & sectatores utebatur, sanitatem nuncupabat. Quin & Pythagorici magnum illud iusiurãdum, quod τετρακτὺν, id est quaternariũ numerum appellabant: alij quidem perfectum numerum, alij uero sanitatis principium existimauere. Quam sentẽtiam Philolaus quoq; inter Pythagoricos magni nominis tuetur. Sed & Epicurus licet gaudij appetentissimus, in epistolis electioribus tamen ὑγιαίνῳ, id est beneualere, quàm χαίρῳ, id est gaudere, uti maluit.

Et quom in tragœdijs legimus, ἕλιπε κοὐ μέγα χαίρει, id est sanus esto & multum gaude: uidemus profecto bonam ualetudinẽ gaudio esse præpositam. Quippe sanitas ea est quę omnibus horis, omnibus locis optari debet: utpote qua ablegata omne gaudium, omnisq; hilaritas ac felicitas suis numeris caret. Ob id Philemon sibi precari solebat ὑγίαιν πρῶτον, εἶτ' εὐπραξίαν, τρίτον δὲ χαίρῳν, εἶτ' ὀφείλῳ μηδέν, id est sanitatẽ primo, mox recte agere, tertio gaudere, postremo nemini debere. At Plato in Legibus hęc nobis optãda proposuit, ὑγιαίνῳ μὲν ἄριστον, τὸ δεύτερον, καλῷ γενέσθαι, τρίτον δὲ, πλουτεῖν, optimum beneualere, secundum pulchrũ esse, tertium locupletari. Alexander Macedo quom celebrẽ illam in Isso pugnam esset decertaturus, ut Eumenes Sardianus in quadam ad Antipatrum scribit epistola: mane ingrediens in eius tentoriũ Hephæstion ille Alexandro charissimus, siue aliud agens, siue proxima pugna perturbatus, siue aliquo deo ita suggerẽte, sanus esto inquit rex. Quam salutationẽ quasi intempestiuam quom præsentes ægrè ferrent atq; auersarentur, & paulo minus ipse Hephæstion ex pudore cõcidisset exanimatus, Alexander hilari, ut solebat, uultu Hephæstionẽ amplexatus, Ego uerò, inquit, omen accipio: nos enim sanos ac sospites à pugna redituros intelligo. Antiochus cognomento Soter purgnam initurus aduersus Galatas, Alexandrum sibi per quietem præcipientẽ uidit: ut tesseram militibus τὸ ὑγιαίνῳ, id est beneualere traderet: atq; ita duce hoc symbolo admirabilem illam uictoriam adeptus est. Ptolemæus rex Aegypti Lagi filius ad Seleucum regem Syriæ scribens, planè consuetum ordinẽ peruertit. Quando in principio epistolæ τὸ ὑγιαίνῳ, id est beneualere, in fine autẽ τὸ χαίρῳ, hoc est gaudere adscripsit pro uale, prout testatur Dionysodorus qui Ptolemæi regis epistolas collegit. Pyrrhus Epirotes uir post magnum Alexandrum in re castrensi nulli secundus, qui multas fortunæ uicissitudines expertus est, quom Dis uota faceret, aut uictimas immolaret, nunquam aut uictoriã, aut regni incrementa, aut gloriam, aut opes rogauit: sed firmam ac perpetuam ualetudinem. cætera enim omnia facilia atq; expedita ei fore putabat, qui hac constanter frueretur. hac uero depulsa, dura ac difficilia omnia existimabat. In libellis quibus principis mandata cõtinebantur, ad eos qui magistra-

magistratus in prouincias proficiscebantur, illud erat primũ ac potissimum, ut curarent ualetudinẽ, & incolumes reuerterentur. Solenne erat Romanis annis singulis augurium salutis celebrare: quod diu intermissum ab imperatore Claudio reuocatum scribitur. Erat autẽ id, si Dioni credimus, nihil aliud quàm à Dis petere ut sibi liceret salutẽ postulare. ceu uero nec̃ salutem mortalibus liceret implorare, nisi hoc Di mortalibus permisissent. Pindarus diuitijs ac celebritati nominis sanitatẽ præponit his uerbis, ὑγιὴς δ' ἔπης ὄλβου ἀφθόνῳ, ἐξαρκέων κτεάτεσσι καὶ εὐλογίαν προσλαθέσ, μὴ μαστεύσῃ θεὸς γενέσθαι. Si quis cõiunctas sanitati diuitias possederit pro suæ necessitatis modulo, bonũc̃ ijs nomen addiderit, nõ est quòd is deus fieri adnitatur. Aesculapio quatuor fuisse filias accepimus, omnes à medẽdi facultate dictas, Hygĩjan, Aeglen, Panaceam, Iaso. Hygiæ comas dicasse ueteres fœminas, testis est Pausanias. Nauem Asclepiadeam cognomine celebrauit Hippocrates in Epistolis. Religione ueteri constitutũ fuit, ut qui salutẽ, Semoniam, Setiam, Segestam, Tutulinam inauspicato nominasset, is ferias obseruaret. Harum simulachra fuerunt in circo. Segestam nominare sub tecto religio fuit, ceu uero id segetibus inauspicatum foret.

Fortunæ reduci, cuius adhuc imaginẽ in larario illustrissimi ducis fratris tui uidemus, quin & Iunoni sospitæ templa erecta sunt, illi Romæ, huic Lanuuij, quam Cicero cum pelle caprina & hasta & scutulo calceolisc̃ repandis nobis expressit. earũ utrac̃ tuendæ saluti præsidebat. Aristo Chius omnem uirtutẽ ὑγιείαν, hoc est sanitatem, appellabat. At Plato nuncupatim uirtutibus omnibus nomina imposuit: temperantiã animæ sanitatem, iustitiam pulchritudinẽ, prudentiam oculum, fortitudinem manum nuncupans. Profecto Græci temperantiæ tantum tribuerũt, ut eam σωφροσύνῃ uocauerint, quasi σώζουσαν τὴν φρόνησιν, ut uoluit Aristoteles. uel ut Socrati placuit apud Platonẽ, quasi σωτηρίαν τῆ φρονήσεως, id est prudentiæ conseruatricem. In foribus Delij Apollinis duo hæc carmina inscripta fuisse accepimus:

Κάλλιστον τὸ δικαιόπαθον, λῶστον δ' ὑγιαίνειν,
Ἥδιστον δ' ὃ τυχεῖν, ὅττι ἔκας θ' ἐρᾷ.

Perpulchrum iustum est, uerum optimum habere salutem:
At dulce est, si quis quod cupit illud habet.

In conuiuijs tres crateras in usu fuisse proditũ est, primum Ioui olimpio, secundum Heroibus, tertium Ioui seruatori dicatum. Quod etiam Sophocles uidetur παυσίλυπον, id est curarum sedatorẽ appellasse. Fuit etiam Athenis templum Διὸς σωτῆρος, id est Iouis seruatoris, quẽ eundem ἐλευθέριον, id est liberalem dixerunt. Huic mos fuit post cœnam libare, quom conuiuis omnibus salutaris ac bono genio consecratus calix circunferretur. Myscelus & Architas feruntur Delphicum Apollinem simul adijsse percunctaturi, quonam loco ciuitates conderent. Architas locum petebat opulentiæ, Myscelus salubritati accõmodatum. Illi deus Syracusas, huic Crotonem ostendit: quarũ altera in opulentiæ, altera in salubritatis prouerbiũ cesit. Hinc illud κρότων θ' ὑγιέστερος, id est Crotone salubrior. Cuius rei testimoniũ illud facere potest, quòd breui tẽpore ea urbs spectatissimos athletas & clarissimos philosophos edidit. Inter quos Milo pancratiastes & Pythagoras philosophus longe prẽstiterũt.

Sanitas à peritis definiri solet mediocritas ac temperamentum facultatum corporis, quæ calore, frigore, humore siccitatec̃ continentur. harum temperies si seruari posset perpetua, medicus nescio quis, ut scribit Galenus, homini immortalitatẽ polliceba tur. Hæc ὑγίεια à Græcis dicta, quam Aesculapij filiam finxit antiquitas, licet hoc quoc̃ Palladis cognomen apud autores inueniam. Huic Ariphron Sicyonius hymnum cecinit: quem hoc modo imitari quàm interpretari malui.

O qua nec altera uetustior est cælitum,
O una cunctis expetita sanitas,
Quodcunc̃ reliquum est uitæ, tecum utinam
Agam, & una omnium contubernalis sis mihi.
Quicunc̃ enim fortunis fruitur aut liberis,
Aut est aliter obnoxius Volupiæ,
Te una fauente cuncta habet propitia.

Afflant & illum Charites, & si media hyems
Rigeat, tamen uer illi flosculos parit.
Absente te, sunt cuncta dura & aspera.
Nec grata prorsus cætera est felicitas,
Quin esse planè desinit felicitas.

IANO PATRI VOTVM

Iane pater radijs aperi felicibus annum,
Atq; iocis plenos delicijsq; dies.
Pauca precor, paucis sed sint magna omina uotis:
Sis bonus Hippolyto, sit bonus ille mihi.
Tu facilis mea uota deûm rogo perfer ad aures,
Atq; meas facito pondus habere preces.
Sic diuina tuo accedant fastigia templo,
Deneget amplexus nec tibi Carna suos.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO Hippolyto Estensi, domino suo, Cælius Calcagninus S.

PLATO ita omnia quæ in cælo & sub cælo sunt discreuit, ut alia (ea scilicet optima sunt conditione) semper esse dixerit, nunquam fieri: alia uero in postremã rerum classem reiecta à natura, semper fieri, nũquam esse tradiderit. At ea quæ à Græcis meteora dicuntur, in qua parte naturæ censeam, nondum habeo satis exploratũ, quom neq; semper sint, neq; semper fiant, sed alteram quandam naturã sortita sint planè admirabilem & paucis admodum cognitã: quom nonnunquam appareant, semper exolescant, & propè esse desinant antequã esse incipiant. Ita uenti expirantes absumuntur, nubes & nebulæ priusquam attollantur in imbrem soluuntur, iris, halo, parhelij nihil sunt, nisi inanissima spectra, dum spectantur furtiua quadam & ignota ratione se oculis subducentia: ut hoc modo etiam natura uideatur sagacibus mortalium ingenijs illudere uoluisse, ne quid sit uel ultimum uel citimum uel medium, de quo certi aliquid asseuerare possit curiosa mortalitas. Hęc uero ego quom anxie cõmentationes Aristotelis Peripateticorũ principis aliquando excuterẽ, existimaui mihi ad memoriæ subsidium in epitomen redigenda. De quibus quom tecum princeps amplissime facerem, teq; ijs sicuti & omnibus alijs optimis disciplinis oblectari cognouissem, in testimonium summæ erga te fidei atq; obseruantiæ meæ protinus exscribenda & mittenda ad te duxi: ut ad sphæram illam planè admirabilem reliquaq; instrumenta & libros Mathematicos, quos habere soles in delicijs, hęc quoq; fiat accessio: breuis illa quidem, sed multorũ uoluminum argumentũ complexa. Quòd si Virgilius Aestæ regi honori futurum existimauit, in medio cælo columbam telo appetere, eamq; in terram deijcere: profecto neq; tu tuo isto acerrimo ingenio indignum putabis, è media aeris regione abstrusas illas naturę causas in terras aduocare. Bene uale, & Cælium maximum tuæ uirtutis admiratorem tua gratia dignum puta.

PARAPHRASIS
TRIVM LIBRORVM METEO RORVM ARISTOTELIS, PER Cælium Calcagninum.

AQVÆ Meteora appellamus, id est sublimia, & in media cæli regione coalescunt, & mista imperfecta definiri solent à philosophis: tũ quòd quatuor elementis non constant, uti cætera corpora: tum quòd pleraq; nõ subsistunt, sed interim dum fiunt, & fiunt & abolentur. Horum causa opifex, remotior cælum, proximior sol. Materia, unde confiunt, ignis, aqua, aer, terra. Locus media regio, quam natura frigidam Seneca, Aristoteles natura calidam, sed euẽtu frigidam ait. Nam quom aer sublimior atq; igni attiguus sua uicinitate ferueat, citimus uero repulsu radiorũ solis bis incalescat, utrunq; calidum esse oportet. Medium uero, quòd utraq; absit ratio, frigidum esse par est, accedente præsertim antipariſtasi, id est contrariorũ obluctatione. circumuẽtum enim utrinq; frigus in medium cogitur: & quo magis angitur, hoc uehemẽtius repugnat, natura scilicet hac ratione contraria moderante. Quæ uero ad hunc locũ euehuntur solis radijs excitata, aut calido & humido constant, suntq; aquæ cognata: aut sicco & calido, & igni congenera censentur: illum uaporẽ, hanc exhalationẽ appellamus. uapor grauitatis, exhalatio agilitatis plus habet, eoq; altius attollitur. Flãmæ itaq; quæ in sublimi apparent, ceu quæ torres, stipulæ, capræ, uolantia sydera & cometæ appellantur, hæ proueniunt exhalatione: multitudine tantum & raritate posituq; & forma differũt. hinc etiam ea quæ Græci uocãt phasmata: imagines scilicet uariæ in aerea exhalatione uarios colores præse ferẽtes. Nam si album igneo misceatur, puniceum: si nigrum rursum igneo, purpureum, aliæq; id genus imagines fiunt. Hęc exhalatio quotiens rumpitur fit chasma, id est hiatus: apparetq; profunditas, quàm βάθος nũcupant. Exhalationi etiã cometem uidetur ascribere Aristoteles, licet Democritus cœtum errantiũ stellarum, Pythagorici unam errantẽ stellam dixerint: cui Hippocrates comã accedere putat ex humore à solo attracto. Sed Aristoteles exhalationẽ circulari motu agitatã in sublimi. Is quom crineis ostẽdit, cometes: quom barbæ imaginẽ, pogonia. Cometem autẽ igneæ esse substantiæ hoc indicium est, quòd apparente cometa uenti perflant, & multæ siccitates sunt. Cur uero rarus cometa, cur sæpius extra tropicos, id est cancrũ aut capricornũ uideatur, parata ratio, quòd perraro tantus humor attollitur, qui simulachrũ cometæ facere possit: & quòd intra tropicos calore solis elatus resoluatur facilius. Eadem ratio galaxiam, id est lacteam uiam, ostendit. ea trãsit per geminos & capricornum. In hac stellæ innumeræ, quas sporadas, id est sparsas, nuncupant. Ex his halitus attollitur: in quẽ stellarum lumen infractũ, eum circulum reddit splendidum, qui galaxia dicituri: scut circa astrũ halos excitari solet. Eodem itaq; loco semper aspicitur, quòd stellæ nunquam inde faceſſant: & quidem extra tropicos ob eam quam in cometa diximus rationem. & de exhalatione quidem hactenus. Vapore autem constat pluuia, ros, pruina, nix, grando. nam quom sol aliáue astra aquosis ex locis uaporem extulerint, quando nil est uapor nisi aquæ halitus: & ille aliquandiu in aere pependerit medio, loci frigore coalitus: rursus uel pondere pressus, uel sole resoluitur: nunc maiore nunc minore impetu depluit. Quòd si uapor subuehi cœperit, nec tanta uis quæ in mediũ proueniat: caligo uel nebula efficit, quasi sterilis nubes, serenitatis plerũq; præsaga, quando facile resolui ac dissipari potest. Hinc naturæ uicissitudo agnosci potest, quæ humores attollit, elatos deprimit, ut rursus attollat. Hic est scilicet Oceanus ille circumfluus: quem ueteres theologi consecrarunt, eumq; autorẽ generationis dixerunt. Idem

uapor si modicus attollitur æstate, ros dicitur: neq; adeò alte subuehitur, nocturnoq; algore superueniente resoluitur in tenues stillas. Hic idem si temporis hiberni rigore congeletur priusquam exaquescat pruinæ nomen accipit. Ros flante austro, pruina spirãte borea exurgit, in nostro scilicet cælo. quod diuerso modo cõtingit in Ponto. Atqui Ros & pluuia ijsdem causis coalescunt, sola differũt multitudine ac paucitate: quo modo pruinã & niuem eandem esse ac diuersam statuimus. Ros & pruina diurno uapore concrescunt. Sed nix in nubem coit, agitaturq; & spumescit uentis allisa. Demum uictis nubibus in floccos abit & descẽdit in terrã. Ex hoc quoq; uapore grandini seminariũ est. Sed illud accedit, quod utrinq; calore obsidente, hoc magis frigus in medio coarctatur ac uehementius astringit. hanc Græci ἀντιπερίστασιν nuncuparunt, id est contrariorũ ambitũ. Hinc grandinis globi crassescũt: & si ex uicino loco ueniant maiore sunt mole & rotunda: si remotius, utrunq; abest. hæc rarius hyeme ac ęstate contingunt. Hyeme quidem quòd minus utrinq; calor urgeat, & media minus algeant. æstate quòd uapor calore iuxta attrahatur & absumatur, minusq; materiæ suppetit. Contrà, uere & autumno calidi atq; humidi tantum est, quãtum uapores attollat & antiperistasin proritet. Quòd certò probatur exemplo. Qui enim uolunt aquam cito frigidam reddere, eam prius in sole statuunt, & in Ponto qui ocyus uolunt circa calamos gelu inducere, quo pro pondusculis plumbeis uti solent piscatores ad cõfirmandos calamos in ea regione, aquam calidam offundunt.

Sicuti autẽ ex uapore in sublimi aquæ generantur, ut diximus: Ita in specubus & cauernis terræ uentus excitatus aquas gignit: uel ut rectius dicam, ipse in aquas eliquescit: quæ demũ in multitudinẽ congestæ fontes faciunt, & in flumina profluunt. Hinc persæpe euenit, ut terram fodientes & aquæ ductus parantes, non alte admodum aquam offendant. Quid? quòd terræ interdum magnis hiatibus absumuntur, aquisq; deinde obteguntur: ut facile intelligas aquas latitare, quæ terras erodãt: donec se ferre non possint, excidentesq; hauriantur. Sed & pro uastitate uoraginũ, fluminũ quæ effundunt̃ magna est amplitudo. Magnis itaq; uastisq; è montibus ingentes amnes erumpere nil mirum. qualis sub Caucaso, ubi nullus fundus inueniri proditur, & maris nomen habet. Hæc autẽ ita mutantur, ut terra arida sit quæ modo late restagnabat: quæ omnia proueniũt publica rerum omniũ uicissitudine, suaq; habent decretoria momenta. nec hoc modo fluminibus, sed & mari solet contingere: ut de Aegypto uidemus ab Homero proditum. Nos uero plerunq; latent, quòd non fiant protinus, sed longa temporum diuturnitate, ætas autẽ hominis sit uel quàm breuissima. Cataclysmus uero quo omnia exaquescunt, quasi hyems contingit. habet enim mundus, sicut annus, sua tẽpora: uer, æstatem, autumnũ, hyemẽ. Quòd uero quidã amnes perẽnes, quidam tẽporarij, nõ tam magnitudine aut angustia fit specuum, quibus aquæ recipiunt̃: quàm cõditione loci magis minusúe humecti, frigidiq; aut argillosi & aridi. Nec tamen qui perpetui uocant̃, suis carẽt periodis: ut aliquando desinãt, aliquando cursum repetant. Sed quis non admiretur totã aquarũ materiã, id est mare ipsum uniuersum, non illud quidem à fontiũ multitudine oriundũ: ita enim quidã putauerunt. nam quomodo riguæ & fluentes aquæ statarias aquas depromant? tot præsertim locis quot maria uidemus. & si mare fluere quidam putauerint, ꝙ in loca profundiora semper deferat̃: utpote quom euxinũ & Mæotis in pontum, pontus in ægeum, ægeum in siculum, siculum in sardoum & tyrrhenum, deniq; quod est inter columnas Herculis, totum in profunditatẽ defertur. Tum uero ab arcto in austrum, scilicet à summo in imum descendere maria pleriq; prodiderunt. Sicut alij opertam olim terrã aquis, mox astrorum suctu exoneratã, & maria nunc superesse quæ antiquam speciẽ referant. Alij mare sudorem terræ putauerũt: salisq; saporem in testimonium uocant: sicut in aqua etiam per cinerẽ eliquata salis sapor deprehendi solet. Non desunt qui mare aquarum conceptaculum & sedem ac seminarium uocent, ut cæteris elementis sua certa sedes est. Inde ergo aquas omnes excurrere & recurrere opinantur. At fluuij dulces sunt? dulcescunt scilicet per terrę uenas eliquati. Sed quom crassius mare sit, qui potest subtilioribus aquis & posculẽtis esse principium? Alij censent solem humecta depasci, & semper maria ipsa circumagi

quicquid

quicquid ineſt dulcis depaſcentem, quod reliquũ eſt ſalſum relinqui. quod fieri non poſſe oſtendimus, quom quicquid humoris attollitur, poſtquam ad mediam aeris regionẽ peruenerit, frigore denſetur & refluat. Tum ſi mari ſol aleret̃, ut cæteri ignes, alium ſemper ſolem eſſe oporteret: in qua hæreſi fuit Heraclitus: licet ignes etiam cæteros nõ uapores abſumere, ſed tantum attollere animaduertamus. Cæterum quom aſtra cætera pabulo non indigeãt, neq; ſolis more circumagant̃ maria, neq; id ſoli uidetur tribuendum. alioqui tantæ aſtrorum multitudini ac magnitudini quomodo pabuli materia ſuffecerit? Plato perfoſſam eſſe terram, & tartarum eſſe aquarũ theſaurum, quas euomat, ac reſorbeat, exiſtimauit, & pro terræ conditione colorem ſaporemq; mutuari. Sed rem eſſe cõmentitiam & fabuloſam, compertius eſt quàm ut rationibus refelli debeat. Nã flumina in mare nõ in terrã terminant̃: & ſi qua, ut Nilus & Iſter, ſubeunt ſpecus, mox prodire cognoſcũtur: atqui ita eſt, ignis cæli concauũ, aer proximũ, terra medium locum habet. Aquis mare tribuitur. in hoc quaſi mundi aluo craſsior omnis humor ipſumq; ſedimẽtũ ſubſtitit: tenuiſsima aũt quæq; pars in corpus abijt. Ipſum autẽ mare fluminũ accurſu nõ augeri, cauſa eſt eius magnitudo: in qua ita diſsipant̃, ut nihil poſsit accremento tribui. Sunt qui mare ab ipſis mundi incunabulis cœpiſſe putent, ijdem compar mundo futurum arbitrantur. Democritus olim terrã mari opertam, illud uero quotidie abſumi & nil fore aliquando ſuſpicatur. Res digna riſu, & Aeſopi fabulæ ſimilis: qui Charybdin bis abſorpſiſſe aquas ſcripſit, & primo montes, ſecundo inſulas apparuiſſe. quòd ſi tertio abſorpſerit, nullas aquas poſthac prorſus ſuperfuturas. At ſi ſol dum circumagitur dulciſsimam quamq; partẽ haurit & remittit: certè mare ſemper futurũ ſperamus, licet non eodem forte loco, quando locorũ faciem & fortunã mutari non negamus. eadem ratio nos mouet, ut non ideo mare ſalſum putemus, quòd ſol dulcedinẽ euocet. Nam tantundem regeri & bona fide reſtitui perſuaſum habemus. Salſedinem aũt à fluuijs inuehi exiſtimare, effuſæ eſt impudentiæ. At quæ de ſudore terræ commentus eſt Empedocles, meram fabulam ſapiunt. Nam quòd aqua per cinerẽ aut calcem eliquata ſalſeſcat, diuerſum eſt. ex aduſta enim terrę materia ſalſedinẽ mutuatur. Sic urina, ſic ſudor, ſic pabuli humani ſedimentũ, amarorẽ, uel quod proximum eſt ſalſedinem trahunt, aduſta ſcilicet terreſtri parte corporis infecta. qua itidem ratione contingit ut mare ſalem habeat. Nam ſolis & aſtrorum calor ex ſumma parte quod dulce eſt in uaporem reſoluit: ex imo uero, quà terrã ipſam attingit, exhalationem elicit aduſtæ terræ: quæ per mare aſcendens & rurſus elabens, ſalſuginẽ inuehit. huic rei teſtimonium addit harena in tenuiſsima grana diſsipata. Hinc nonnulli putauerunt terram olim conflagraſſe, atq; inde ſalſedinem accepiſſe, quanta ſit exhalationũ uis nõ intelligentes. Ea ratio facit ut ſpirãte auſtro, utpote calido, aquę ſalſiores ſint & craſſiores: quod cõtra euenit ſpirante borea. autumnales item ob æſtatem proximam utrũq; habent, & grauiores ſunt, & in pręceps ferunt̃ ocyus. Et quis nõ experit̃ quotidie aquam maris cæteris calidiorem? ceu quæ multam exhalationẽ retineat. Nam quæ ſemel aduſta ſunt, poteſtate calorẽ habent: calx, cinis, animaliũ ſedimenta, quorum præcipue uentres calidi. pars ergo poſculenta facile attollitur, cui ſi quid terrenæ concremationis inhæſerit, ſalſeſcit. Quin & nauigantes uaſculo cera obturato & in mare demiſſo aquam poſculentã colligunt: quòd pars aquæ dulcior per tenuiſsimos cærę meatus penetret, ſubtilior ſcilicet. at quę ſalſa & craſſa eſt excludit̃. Quom uero craſsior ſit, plus habere ponderis etiam neceſſe eſt. Suſtinet itaq; triremes, quę facile in fluminibus ſuo pondere ſubſidunt. id tu facile ſenſu uidere potes. Nam ſi ſalis multum aquis inieceris, ita craſſeſcunt, ut propè limus fiat, & in ea oua innatãt. Quod in ſalinis cõminus licet experiri, & in Paleſtinæ quodã lacu, in quo homines & equi abiecti uinculis etiã alligati ſuperferuntur. Hinc fabulæ traduntur, in Chaonia accolas ab Hercule impetraſſe: ut quoniam fons proximus piſces non educaret, ipſi ſales inde colligerent. Aquam ergo illam decoquunt, & tenui portione exhalante, ſubſidet pars craſsior modice ſalſa cãdore incredibili. eius rei calor cauſa eſt. Nam ſic Arabes calamis & ſcirpis cõcrematis, cineres in aquas demittunt, inde multum ſalis colligentes. Accedit illud teſtimoniũ, quòd ſi ueſtem marina aqua pelluas, ſordeſcit

descit: tantum abest ut sordes eluantur. At fluuiorũ calor & sapor nullus est, quic quid uero habent, à terra per quam fluunt mutuantur. Hinc sulphur & alia id genus redolent. Sic in Sicilia fonte quodam indigenæ aceti uice utuntur. sic apud Lingonas. Sic fons Scytharũ ita amarus est, ut amnẽ in quem influit uniuersum ingratum reddat: terra scilicet suas illis habitudines imprimente. sed de his hactenus. nunc de uentis. Ventorum causam soli & astris tribuunt, à terra calidum & siccum halitum elicientibus. Nam si uapor attollitur, ut in aquam exprimatur: ita subtilior hic halitus euocatur, ut spiritus fiat. Nam si spissiora euehuntur, tenuiora etiam & sicca igneq́ naturę euehi necesse est, quorum fœcunda est tellus. Neq; ijs credendum qui aerem, spiritum, nubem, substantia eadem arbitrãtur: eo tantum differre, quòd aer quiescat, uentus propellatur, nubes densetur & pendeat. Nam nubes uapor est calidus & humidus. uentus calidus & siccus est halitus. Quòd si aer, unde illi motus principium: ut defluuijs omnibus esse oportet. Certè non hoc facile constituant, qui uentum esse aerem agitatum & fluentem dixere. patet hoc quod diximus, quom maiorẽ modo, modo minorẽ spiritum attolli uideamus, pro quantitate exhalationis quę attollitur. item quòd pluuia uento, uentus pluuiæ concedit, quasi alter alterius locum occupet, utpote contrarijs causis exorti. nam rapto uapore, terra aret, unde exhalationis materia est. Cęterum ab arcto & meridie multi proficiscuntur uenti ac imbres, quòd sol inter utrunq; iter capessens, halitus attollat, neq; cõcoquat procul summotus. Ab ortu & occasu id rarius euenit, quòd euectos halitus uicinitate absumat. sic Etesię post æstiuum solstitium & canis ortum ab arcto spirare incipiunt, liquatis scilicet niuibus excitati. Die uero flant, noctu desinunt, quòd calor materiam suppetat quam noctis frigus extinguit. Contrà ornithiæ post brumã ab austro ueniunt, minus uehementes, minusq; continui, solis ui edomiti, quẽ subire uenientes ad nos necesse est. Venti autẽ in latus mouentur, quòd halitus euocati sursum ferantur: sed uel frigore meę regionis uel densitate nubis repulsi, quom rectà descendere natura leuitatis prohibeat, in latus inclinant: & more fluminũ excursu proficiunt, & augescunt. Cessant uenti sole materiã spiritus suo immodico calore dissipante. Item quom sol terrã exiccat antequã terra multam exhalationẽ effuderit: ceu si tenue quid in ignẽ abieris, quod priusquã fumum emittat, aduratur. Ob id circiter Orionis ortum usq; ad Etesias & prodromos qui octo fermè diebus ante canis ortum spirant, magna fit aeris tranquillitas. Sed & frigus idem agit calori, terram adstringens & spiritum intercludens. Ad uentorũ rationem spectat nosse Zonarum mundi distributionẽ: hæ quinq; sunt, media æquinoctialis, quòd sol circa eam feratur, & quom ad illam pervenerit, dies & noctes æquentur. Hæc ob immodicum calorẽ à plerisq; ueterum inhabitabilis existimatur, sed ætas posterior habitabilem esse cõperit. Duæ postremæ quod à sole procul recedant, & ad polos mundi uergant, immodico frigore habitatores excludunt, si plerisq; antiquorum credimus. posteri aliter iudicarunt. Inter has tres, duæ temperatæ, uitæq́ animantium accõmodatæ interseruntur. Nostram arctican, antarcticã alteram porrectam ultra æquinoctialem uocant. In utraq; similes rerum & uentorum euentus accidere suspicantur, eademq́ ratione uentos statuendos ex parte utraq; arbitrantur. Et sicut à nostro polo Boreas spirat, & non pertingit alterum polum: ita ex alterius poli parte alius flat Boreas, qui & ipse minime nostrum polum attingit. Neq; auster ab altero spirat, ut quidam putant: sed ab æstiuo tantum tropico, quẽ à cancro nominarunt. Sub media Zona uentos fieri negat Aristoteles, q; nullæ aquæ sint eo loco, ex quibus exhalatiões fiant. Proinde qui Etesias inde flare credũt, falluntur. Longitudinẽ & latitudinẽ nostræ habitationis aliter accipit Aristoteles quàm cosmographi. Latitudinẽ metitur ab oriente ad occidentem, id est à mari Indico ad Herculeas columnas quæ sunt in mari Gaditano. Lõgitudinẽ à meridie ad septentrionẽ, id est ab Aethiopia ad Mæotin paludem. Porrò latitudinẽ nostræ habitationis longitudine multo esse maiorẽ. & hanc quartam partẽ circuli non implere: illam, id est latitudinẽ, propè semicirculum complecti. Ob id Aristoteles inquit habitationẽ terræ secundum latitudinẽ, ad eius habitationẽ secundum longitudinem, amplius se habere quàm quinq; ad tria. Propemodum enim se habet ut sex ad

tria

tria, exili admodum parte excepta. Situm seriẽq; uentorum ita describit Aristoteles. Fiat circulus quẽ finitori comparemus, per eum sex ducantur diametri elemẽtis distinctæ. a significet ortũ æquinoctialem, ex diuerso, b æquinoctialem occasum, c meridiem, d septentrionem, e ortum solstitialem, f solstitialem occasum, g ortum hibernum, h hibernum occasum. Inter g & c ducatur linea, i k. inter f c ducatur linea l m. Hæc duodecim sunt elementa, quorum unicuiq; uentum unum adscribemus, a subsolanum, b fauonium, c austrum, d boream, e phœniciam seu cæciam, f africum, g eurum, h corum, i euroaustrum, k thrasceam, l libanotum, m aquilonem. Qui omnes præcipui sunt ita positi ut ex aduerso spirant. Inter hos quatuor eminent à quatuor præcipuis orbis partibus, Subsolanus, fauonius, auster, boreas. Ad austrum positi calidi sunt, ad boream frigidi, orientales austrinis minus calidi, occidentales minus borealibus frigidi. A parte boreæ plures exurgunt uenti ob humidam materiam quæ inde suppeditatur. Venti ex diametro oppositi non simul spirant, quòd ualentior infirmiorẽ coerceat. uenti oppositi flant plerunq; circa tempora opposita. Phœnicias circa æquinoctium ueris, africus circa autumnale: zephyrus circa æstatẽ, circa hyemem eurus. Venti oppositi aut idem aut oppositum faciũt. eurus & corus incipientes siccant, auster calet, boreas alget. subsolanus, phœnicias, eurus tepidi. eurus inchoans siccus, desinẽs aquosus, subsolanus minus siccus, phœnicias seu cæcias pluuius. nam uapores & nubes in se trahit: unde prouerbium illud exijt, ad se malum trahit ut cæcias nubes. Fauonius, africus, corus, suffrigidi. corus inchoans siccus, desinens aquosus. auster, euroauster, libanotus, calidi. Auster noxius, libanotus humidiusculus, africi & noti naturam participans boreas. thrasceas, aquilo, sereni, & alios inhibent quòd uehementiores sint. Boreas grandinosus, aquilo niuosus, ambo frigidissimi, ambo corruscationũ autores. corus cũ ijs natura conuenit, boreas omnium saluberrimus. Et de uentis hactenus.



DE TERRAE MOTV

Ventos terræ motus causam esse putant. de terræ motu igitur ordine agendũ est. Anaxagoras ideo prouenire existimauit, quòd mundus ita distinctus sit, ut hemisphærium hoc nostrum sursum se habeat, illud quod tenent antipodes deorsum. Aer igitur qui ob leuitatem sursum fertur, in nostrum hemisphærium ascendere uolens, terræ

terræ occurſans eam permouet. Quæ ratio à ratione abhorret, quom in altero hemi-
ſphærio ſurſum ſe habeat, quod ad cælũ uergit: ut in noſtro experimur hemiſphærio.
nam ſi in terram aer nitatur, nõ aſcendere, ſed deſcẽdere, iure exiſtimabitur. Demo-
critus putauit terrã cauernoſam eſſe, & ſpecus habere plenos aqua, quæ exitũ quæ-
rens motum terrę faciat: id quod abſonum eſt. nam terra ſolida eſt, neq; tantos habet
ſpecus qui terrã permouere poſsint. Adde quòd neq; ſemper à terrę motu aqua ema-
net. Anaximenes Mileſius exiſtimauit terrã cõplutam deinde ſiccã rimas agere ac
diſſolui & corruere, & inde fieri terrę motũ. Nam & lutum primo bene compactum
mox friari uidemus. Sed hæc ratio laborat. Nam hoc ijs euenit quæ naturalẽ ſiccita-
tem non habent, qualem habet terra. Tum uero hoc agnoſceretur, & terræ ſruſta ui-
derentur ijs maximè locis ubi frequentes ſunt terræmotus: id quod nequaquam ui-
demus. Adde quòd in tam longo æuo iam terræmotus deſinere deberent, abruptis
ſcilicet iam magna parte & collapſis terræ membris. Tum uero Ariſtoteles ſuam
de terræmotu ſententiã aſſerit. Quom, inquit, terra naturaliter ſiccaſit, & aquę mul-
titudinem in ſe contineat, poſtmodum à ſole calefacta, multis præterea ſuopte natu-
ræ ingenio igneis corporibus in ſe conceptis multum quoq; in ſe ſpiritum compre-
hendat oportet. Qui ſpiritus quom multum & tenuitate & uelocitate ac uehemẽtia
polleat, facile intra terræ uiſcera huc illuc euagari ſolet. mox auctus exitum quærit,
& in altum more leuium corporũ euolare cupit. Quod quom non poſsit terræ duri-
cie circum obſiſtente, ſuo niſu atq; impulſu terram concutit. Atq; hoc eſt quod terræ
motum appellant mortales. Hic interdum uictor terrã proſcindit, & cum flamma ex
colliſione cõcepta effundit: interdũ nullã habet comitẽ flammã. Sępe etiã cõtingit ut
nõ totus ſed parte tantũ expiret, pars reliqua incluſa terrã exagitet. Neq; obſtat ter-
ræ ſoliditas atq; opacitas, quin ſpiritus ſeu exhalatio intra terrã à ſole cõcitet: quom
tamẽ lumini repugnet, ne penitiores illos terræ meatus penetret. eſt em̃ calor quẽ
men ad penetrandũ multo fortior, id quod ex obiecto igni pariete conſtat: quẽ calor
traijcere poteſt, lumẽ traijcere nõ poteſt. Atqui & illud ab exhalatione & ſpiritu ter-
ræ motũ prouenire atteſtat̃, quòd tranquillo plerunq; aere motus ille efficit: tũ quòd
noctu & circa ſolis ortũ plerunq; incipiat. q̃ ſi id luce eueniat, meridie maximè cõ-
tingit, ſole tũ uehemẽter in terrã incumbẽte. Sed & locis cauernoſis id maxima par-
te euenit, intra ſpecus ſcilicet ſpiritu excitato. Adde q̃ uere & autũno ob frequentiã
pluuiarum hoc ſæpius accidit. Vim etiam ſpiritus non modo in aere ſed & in anima-
lium corporibus experimur. ſpiritu enim clauſo intremiſcunt, atq; hoc perſæpe à lo-
tij effuſione: & adeò aliquando, ut non queant conſiſtere. Quid quòd aliquando id
ita ſenſu compertũ eſt, ut pudor ſit inficiari. Nam quom motus terræ ingruiſſet, non
prius deſijt quàm terra in multam molem intumuerit in collis morem: quo tandem
diſrupto multa uis uenti igne admixta & cinere erupit: quæ Lipareorum urbẽ & ali-
quot urbes Italiæ proximas grauiter afflixit. Id circa Hieram inſulam unam ex Aeo-
lijs prius olim acciderat. Sed & ante motum hunc terræ ſol nõ raro ſine nube obſcu-
rus uidetur. Poſt occaſum etiam ſolis ſæpe occurrit nubecula in morem lineæ angu-
ſta & in longũ porrecta, futuri motus nũtia: ceu ſolet in maris fluxibus unda tenuis
prærrere, quam aquę filũ, id eſt τὸ ὕδατος νῆμα, maris accolę nuncupant. & hunc
circa ſolis deliquia frequenter accidere annotatum eſt, quòd tunc aere agitato multũ
flatus excitẽtur. Obſeruatũ eſt illud quoq; ad dies XL. terræ motũ portendi: quin
& in bienniũ promouiſſe, multitudine materiæ cauſam exhalationi ſuggerẽte pro-
ditum eſt. Quandoq; etiam ſubterraneus ingẽs fit ſonus, uel dum terra agitatur, uel
antequam agitetur, uento ſcilicet cauſam præbente. Hoc eſt quod aliqui inter prodi-
gia aliquando annotarunt, terram mugiſſe. Cum terræ motu etiam interdum pluri-
ma aquæ multitudo erupit, utpote uehemẽti ſpiritu impulſa. Id quod circa Achaiam
aliquando euenit, contrarijs ſpiritibus obnitentibus, ita ut cataclyſmus factus uide-
retur. Cõtingit autem ut ſpiritus incluſus aliquando unam tantum in partẽ incum-
bat, id quod admodum pernicioſum eſt. Sicut etiam interdum adſurgit in tumorem.
euenit etiã nonnunquam ut alternatim pellat & impellatur, & quaſi cõtrario motu
tecta inter ſe arietent: quod in ſe minus habet periculi, parte ſcilicet parti ſuccurrẽte.

& ha-

& hactenus de terræmotu. De tonitru & fulgure nunc agendũ. Anaxagoras existimauit ignem à suo delapsum orbe in nubem incidere. eius uero coruscationẽ esse fulgur. Quom extinguitur, stridorem fieri: hunc esse quod tonitru appellamus. Sed enim hoc parum consentaneũ rationi intelliget, qui nouerit ignem suapte ui sursum niti, deorsum uero nunquam. Quòd si huiusmodi motum uiolentum dixerit, uiolentiæ causam reddi oportuit. age uero, cur ignis nubilo potius cælo quàm sereno delabatur, etiã disquisitione dignũ putamus. Altera est Empedoclis sententia superiori simillima. nam ignẽ in nube ex radijs in se inuicẽ cõcurrentibus ac sæpius replicãtibus secerni putauit, tũ pari pacto eius coruscationẽ fulgur: stridorẽ uero dum extinguitur, tonitru appellauit. Sed res ipsa mẽdaciũ detegit. Nã si hoc uerũ, tum in omni nube eã fieri concursationẽ ac replicationẽ par fuit, atq; hinc fulgur & tonitru: quod sensus falsum testatur. Tum quòd quoties aqua sole aut igne incaluit, segregatio illa radiorum fieri debuit: quod planè à uero alienum uidemus. Quòd si in aqua id non accidit, neq; in nube accidere credendum est. Sunt tertio qui dicant: fulgur nõ apparere propter ignẽ. Sed quemadmodum percussam aquã noctu fulgere cernimus, eodem modo, dum se nubes collidunt, fulgorẽ excutere. Sed ij parũ uidentur rationem opticã tenere, & quæ refractione fiant intelligere. fit enim die coruscatio, non aquæ percussæ fulgor. Ea enim fulgere uidetur percussa, refracto ab ea uisu ad aliquod fulgidum. Idq; nocte uidetur, non die: quòd die maius lumen minus obtundat.

Aristoteles ueram causam explorans, duas asserit esse expirationes: alteram humidam, alteram siccã. Vtraq; in nubem eleuari solet: quoq; altius euecta fuerit, eò uehementius ob loci frigiditatem densatur. Exhalatio autem siccior & rarior à densiore conclusa, & exitum quærens ualido motu agitur: & densa nubis latera concutiens, eum sonitũ ciet qui tonitru dicitur. Is maior aut minor elidítur pro rari densiq; differentia, quem stridori illi cõmode possumus comparare, qui uulgo Vestæ & Vulcani risus dicitur, quom è lignis spiritus exitum petens crepitum facit. Verba sunt Aristotelis, οὓς καλοῦσιν οἱ μὲν ἀρ᾽ ἥφαιστον γελᾶν, οἱ δὲ τὴν ἑστίαν, οἱ δ᾽ ἀπηλιῶτ᾽ αὐτόν, id est, quem scilicet stridorem alij Vulcani risum, alij Vestæ nuncupant: alij eorũ minas. In uehementi autẽ concussione inflãmatio nubẽ scindens fulguratio appellatur. quòd si concepta flamma in imũ detruditur, fulmen uocatur: sine flamma autem rumpens, ecnephias & typhones reddit. Illud certum est, fulgurationẽ fieri post nubis collisionem, & tonitru eam posteriorẽ, licet prior ipsa oculis occurrat, uisu auditum anticipante: quod in longe feriẽtibus remorumq; impulsu certò colligitur, quom rursus attollantur priusquã plagæ sonus audiatur. Si ergo diligenter inquiratur, eadem causam secundum materiã super terram uentum, sub terra terræ motum, in nube tonitru efficit: exhalatio scilicet sicca fluens, mobilis, agitata. & hæc de tonitru satis. Quoniam ex eodem seminio ecnephiam ac typhonem, & si flamma adsit, fulmen fieri dixi mus: quid ecnephias à typhone differat, disserendũ est. Ecnephias perpetuo & continuo spiritu constat, typhon fracto & conciso. Idem contorquetur & rotatur, quom ecnephias rectà descendat. Typhon aliquid nubis secum conuehit, arbores & natigia contorta consternens tanta ui, ut sæpe ignem concipiat. Qua ex re illum mortales incensionem uel prestera nuncupant. Typhonem flantibus aquilonibus, ecnephiam dum iacent niues, fieri pernegant. At fulmen tenuis spiritus est, ignitus, de nube elisus. eius unam speciem argeta, id est fulmen clarum uocamus. Hoc non urere, sed dissipare tantum creditur. eius quippe mira uis: in reluctantia tantum sæuit. Aes clypeis inductum eliquat ligno incolumi, intactis uestimentis corpus aflat & ossa absumit. Alteram speciẽ densiorem obtusiorẽq; ὁλόφωτα κέραυνον, id est fumidum & ardens fulmẽ, uocauit Homerus: quod huc illuc peruagari annotatum est, quom Dianæ Ephesiæ templum cõflagraret. Fulmen semper præcedit spiritus. Quo fit ut quidquid fulmine iciendũ est, prius moueatur. de fulmine illud quoq; adnotari solet, si quid per uigiliã feriatur, clausis oculis mori: per somnũ, apertis. Quod fulmine ictum est, in diuersam partem semper conuerti. Omne animal statim expirare, homine excepto. Nunc de ijs ordine agendum est, quæ à philosophis mixta imperfecta dicũtur: quæ radiorum apparitione uel fiunt uel fieri uidentur: & primo

de ea quæ à Græcis halos, à noſtris area dicitur. Ea eſt circulus tam circa ſolẽ quàm lunam aliaq; fulgentia aſtra. Is fit ex radiorum refractione ad opticam rationẽ. Quæ cauſa una communis eſt iridi, uirgis & parhelijs. Fit halos uniformi & æquali nube ſub aſtro cõſiſtente, occurſans em illi luminoſus radius refringit: apparetq; ſub aſtro magnus circulus, cui halos nomen fecere. Ita enim ratio naturalis obtinuit, ut oculorum radius in habentia planã ſuperficiem impactus, aerẽ uidelicet aut aquã, retrudatur refringaturq;. Ex his quædã ſpeculorum figurã repreſentant, ut continua & denſa. quædam ſolos colores, ut quæ ex plurimis ſpeculis penè inſenſibilem diuiſionem habẽtibus conſtant: in ijs enim imagines non apparent, ſed tantum colores. Et ſiquidem quæ oculis obijciuntur clara ſunt, clari ſunt itidẽ colores. Sin aliquid ſe denſius admiſceat, uel ſi oculi radius paulo fuerit infirmior, minus claros colores uideri oportet. Aer coactus circa aſtrũ ex quo halo circulum fieri diximus, ſi denſior fuerit, pluuiam nuntiat. Quòd ſi euanidus diſſipetur, ſerenitatis eſt index: quòd ſi ex una parte diſcerpi uideatur, ex ea parte uẽtos preſagit. Facit enim eam diſtractionem uentus inde mouens. Halos autẽ non ex aduerſo aſtri, ut iris, ſed planè circa aſtrum efficitur. cauſa eius circularis formæ eſt refractio radij à ſigno ad ſignum. Vniformi enim & æquali conſiſtente nube, undiq; ab eodem ad idem æquales radios refringi contingit. Idem hoc Mathematici optica fieri neceſsitate demonſtrant. Statua-



tur linea a, b, pro radio obtutus: ita ut in a, oculus, in b, aſtrum circa quod halos fiat, præſcribatur. Circa hanc eo loco, ubi eſt nubes, tria ſigna in ambitu obſeruentur, c, d, f, ad hæc lineæ rectæ & æquales treis ab a puncto ducantur. Ab ijſdẽ rurſus tribus ſignis tres aliæ ducantur lineæ in b, punctũ, in quo aſtrum notauimus. Ex harum ſex linearum protractione tres magni anguli, ſeu tu obtuſos angulos appellare mauis, efficiuntur: eo ipſo loco quo inferiores tres cũ ſuperioribus tribus lineis concurrunt, in c, d, f. eſſe autem hos treis triangulos æquales certum eſt, utpote quorũ latera ſint æqualia. Ducãtur præterea lineæ ab angulis, c, d, f. quas cathetos, id eſt perpendiculares dixit Ariſtoteles, quòd à circunferentia circuli ad centrũ deducantur. Eſt autẽ centrum e, per quod recta linea a, b, traiecta eſt. Sanè ex angulis & lineis illis, ut dictum eſt, cõcurſantibus circulum oculis offerri neceſſe eſt. Quo fit, ut halos ſiue area circularis euadat. Fit autẽ ſæpius circa lunam quàm ſolem. Nam uis ſolis ad humores abſumendos multo uehementior. Nunc ad iridem tranſeamus. Iris nunquam orbem implet, uix aliquando ad ſemicirculum accedens, quãto ſol ad medium cæli magis prouectus fuerit, hoc mitior. Eo fit, ut ſub ortũ & occaſum maior uideatur. Poſt autumnale æquinoctium diebus ad brumã inclinantibus qualibet hora iris uideri poteſt: quom longiores ſunt dies, circa meridiẽ non apparet. Vix unquã plures duabus irides ſpectatæ ſunt. Iridi treis colores ſunt, puniceus, uiridis, purpureus. Fit iris quoties in rorulenta nube oppoſita ſolis radij refringuntur, ſolis imaginẽ malle exprimentes guttæ ex nube rorantes, uti parua ſpecula radiorum colorẽ, non planè figurã repræſentant. Ab ipſis autem guttis radios etiã obtutus noſtri refringi uero ſimillimũ eſt: quòd ab omnibus corporibus planis, qualis aqua, qualis aer, uiſum noſtrum refringi uidemus. Memoriæ traditum eſt, Antiphontem hominem infirmo admodum

admodum obtutu ſpectrum ſiue imaginem ſuam in ſe obuerſam ſolitum ſpectare. id ſcilicet faciebat refractio & uiſus infirmitas. nam apud eum aer uice ſpeculi funge/batur. eadem cauſa facit, ut trabes nauium curuatiores craſsioresq; in mari occurrãt: & flantibus euris rerum moles maiores ſuſpicamur. Quin & ſol & aſtra tum orien/tia tum occidentia maiora exiſtimantur, quòd uapores medij qui eo tempore ex/citantur, latius radios frangant atq; diſsipent. Quòd ſi aeri acceptum ferimus, id iu/ſtius aquæ tribuendum opinamur. Atqui hoc iris & halos differũt, quòd iris ex ad/uerſo ſolis & aſtri apparet, halos autẽ ſub aſtro. Iris ob denſitatem nubis nigrior, ha los albior fulgidiorq; uiſitur. Fulgidum enim per nigrum aut in nigro conſpectũ pu niceum ſe offert: ſic uiridia ligna multum fumi candidæ flammæ cõmiſcentia rubrũ ignem oſtendunt. & ſol per fumum & caliginem ſeſe puniceum profert. Qualis etiã eſt prima iridis refractio, utpote à paruis ac roſcidis guttis repulſa. Eo quoq; iris ab halo differt, quòd iris diuturnior eſt ac permanentior: nam halos ſtatim ſoluitur aut depluit. Quin & ſpirantibus auſtris iridis imago circa lucernas uiſitur: eadem circa remos rorãtes. Aqua itidem ſubtiliter ad radios uel manu effuſa, uel buccis aſperſa, iridem repreſentat. eſt autẽ præcipuus in iride color puniceus non purpureus. Nam & refractio & paruulæ guttæ ſpecula imitantes hoc efficiunt. Quæ omnia halo lon gealiter accidunt. Ex tribus coloribus iridis, puniceus ſit fulgido in nigro aut per nigrum emicante, ut diximus: hic non minus candoris habet quàm fulgoris. Quo uero longius radius protenditur, hoc umbræ magis particeps efficitur, atq; in nigrũ tranſit. Hinc eſt quod puniceo uiridis protinus ſuccedat. nigrum autẽ negationi bel le comparari ſolet. Quom enim delaſſatus uiſus defit, in nigrũ deſinit. ſic omnia lon ge proſpecta nigriora, minora planioraq; ſe offerunt. & in ſpeculis imagines, & nu/bes in aqua ſe præbent intuentibus nigriores: nec iniuria. Nam propter refractionẽ pauco debiliq; aſpiciuntur radio. ob id plerunq; accidit, ut nubem ſoli proximã intu/enti nullus color occurrat, ſed propemodum colore caſſa uideatur: hanc eandem, ſi mox in aqua reſpexerit, aliquo iridis colore perfuſam putet. Id ſcilicet facit radius fra ctus: qui ſua infirmitate ad nigriorẽ aut certè minus album, ac demum ad nigrũ per/ducit. Hinc igitur facile intelligi poteſt, à firmiore radio puniceum colorẽ proficiſci: qui debilior factus in uiridem permutatur. Quoq; longius ſe prouehit, hoc magis in purpureum abit. Si qui uero alij ſunt colores, inſenſibilis propè eorum eſt tranſitus.

Plures etiam occurrere nobis poſſunt irides: ea tamen ratione, ut quæ debilior & infirmior eſt ea ſit fortioris firmioriſq; imago: atq; ita ſubinde, ut quæ à prima longi us abſtiterit, ea minus polleat: minusq; ſub aſpectum cadat. Illud quoq; obſerua/tum eſt, colores poſteriorum uariare à prioribus ordine. Quom enim prior primo lo co puniceum, mox uiridem, poſtremo purpureum habeat: qui ſequitur primo pur/pureum, mox uiridem, tertio loco puniceũ habet: atq; ita deinceps. Sunt qui putent non tres ſolum, quos diximus, colores in iride agnoſci: ſed & xanthum, quẽ nos fla/uum appellamus. Ariſtoteles ob id non putat plures tribus colores iridi tribuendos eſſe. Siquidem flauus non eſt in iride per ſe color, ſed uiridis puniceiq; collimitium, & alterius in alterum tranſitus. Nam puniceum iuxta uiride ſitum albi flauiq; aſpe/ctum imitatur. Id aliquot indicijs probatur. Quippe ſi atra impenſe fuerit nubes, co/lor xanthus ſæpius ſe oggerit quàm puniceus: nigra nube uiridisq; coloris proximi tate id agente. Item quom color iridis puniceus ſoluitur, in flauum permutatur. Ad/de quòd in uerſi coloribus texturis corollisq; floribus contextis, hanc uarietatẽ aſpi/ci licet: uicinitate colorum ſæpe oculos perſtringente, ut quis qualisue ſit legitimus color non decernant. Eadem res operantes ad lucernam fallit, ita ut in deligendis la nis aut ſecernendis floſculis colorẽ pro colore perſæpe interſerant. In iride illa an/notantur. eam nunquam maiorẽ eſſe ſemicirculo, ſæpius minorem. Sole in ortu uel occaſu exiſtente maximã apparere iridem. Nam quãto ſol ſupra horizontem aſcen/derit, eo arcus minor apparebit: quom itaq; ſol in meridianum prouectus fuerit, tũc ſe anguſtiſsimã proferet. Ab autumnali æquinoctio omnibus horis iridem fieri con tingit. At circiter æſtiuum ſolſtitiũ meridianam iridẽ uideri negat Ariſtoteles. Po ſtremo de Parahelijs & uirgis dicendũ eſt. Fiunt autẽ Parahelij nube denſa ad latus

solis existẽte, in qua solis radius refringitur. Hos soles uocauit antiquitas. ob id inter portenta duos aut tres legimus apparuisse soles: quos imagines fuisse solis nihil dubitamus. Hoc ab halo & iride differũt: quòd neq; circa solem neq; sub sole, sed ad solis latus tantum uidentur. Fiunt ad latus & uirgæ, quas ῥάβδους Græci uocant: quom nubes scilicet cui solis radij illiduntur, neq; sibi cõstiterit, neq; ubiq; eandem rationẽ seruauerit: hic densa, illic rara: illic plus aquæ, hic minus habens: ex qua cadentes stillæ uti specula cõminuta solemq́; excipiẽtia uirgas iridi persimiles, id est uersicolores repręsentant. Hactenus de ijs, quæ supra terram coagmentantur, diximus. In posterum de ijs, quę intra terram exhalatione & uapore confiunt, id est de lapidibus & metallis dicemus.

ANTEROS SIVE DE MVTVO AMORE, CAELII CALCAGNINI.

ANTEROTI SACRVM.

Hic unus colitur, sed unus ille
Implet munia numinum duorum,
Et potest geminus uocari & unus.
Et quod uix licet æstimari: in illo
Bis unum duo non facit, sed unum.
Hæc uis scilicet Anterotis illa est:
Hæc uis mutua mutui est amoris.
Hæc binas animas coire cogit:
Atq; una geminum calere pectus.

MAGNIFICO VRBIS TRIBVNO ANTONIO Constabili equiti splendidissimo Cælius Calcagninus S.

Licet pietatem ac liberalitatem tuam plurima in ciues ac patriam officia testentur: tamen quoniã (ut Gręci putant) ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται, peculiare tibi in magnificis ædibus tuis elogium proposuisti, quo & beneficentiam & gratitudinem tuam in amicitia ostendis. Inscripsisti enim id quod familiares ac beneficiarios tuos summopere oblectat, Diligentes me diligo. Petijsti deinde à me: quid posset elogio maximè accõmodatum pictura exprimi. ne scilicet in tuum cubiculum, si pictura ab elogio dissideret, illud obijceretur: ἄλλα μὲν λεύκων, ἄλλα δὲ λεύκωνος ὄνος. Venit mihi protinus in mentem Platonici Porphyrij apologus: quo ille pulcherrime atq; aptissime ostendit, quomodo Amor adoleuerit: & cur Mutuus mor in lucẽ editus: de qua re in annotationibus meis recenter scripseram, quo loco indicaram, plerosq; latinorum falli, qui Anterota Amori infensissimum numen existimauerunt, quom ille potius Amori respondeat atq; satisfaciat. Placuit tibi rei argumẽtum. Accersitisq; pictoribus primi nominis omnẽ historiam iussisti graphicis atq; iconicis figuris effingi: & subinde à me quæsisti, ut super Anterote sententiam meam literis mandarem, quo tibi tota res planior atq; obuia magis fieret. Et quom in annotationibus materię compendia fuissem secutus, hic me paulo ampliorẽ prolixioremq́; esse uoluisti, illud crebrius repetẽs, ἀμαθέστερον πῶς εἰπὲ καὶ σαφέστερον. parebo lubẽs, & hoc omne militabitur bellũ in tuę spẽ gratiæ. Illudq́; te imprimis obtestabor, ne sinas hæc in cuiusquam manus peruenire. Aliud enim est unius uoto, aliud omnium, satisfacere. Bene uale, & tuum Cælium ama.

Rerum

RERVM SYMPATHIA, CVI ANTE/rota præfecit antiquitas.

NON modo nobis natura atq; his animãtibus, quæ homini proxima sunt, mutui inter se amoris igniculos ingenuit, uerum & abdita quædam cognationis semina inter diuersa impressit. coaluitq; deinde cõmune animorum fœdus: admirabilemq; inter rerum naturę opera societatem coniugauit: quam si in brutis abdicatisq; à ratione frequẽtem ostenderimus, quanto eam conuenientius dabitur in homine intelligi: nisi plus ille odio & cupiditati quàm bene suadenti naturæ tribueret. Animaduersum est enim inter columbos ac pauones, turtures ac psittacos, merulas & turdos, cornicem & ardeolas optime conuenire. uulpes & corui aduersus æsalona coniurant. Hæc parua auis est, oua corui frangens, cuius pulli infestantur à uulpibus. Inuicem hæc catulos eius ipsamq; uellit. harpe ac miluus triorchin socialiter persequuntur. Defendit tinuncu lus, quem κεγχρίδα Græci uocant, columbas: terretq; accipitres naturali potentia, in tantum ut uisum uocemq; eius fugiãt. Hac de causa præcipuus columbis eius amor: feruntq;, si in quatuor angulis defodiantur in ollis nouis oblitis, nõ mutare sedem columbas. Vrsi apibus mirifice blandiuntur, & tam diuersa alioqui animalia consentiunt. Panthera & camelus, pardus & leæna nõ modo blande inter se agunt, uerum etiam cõiugali fœdere copulantur. Illud etiam mirandum, pantheram à feritate animal dictum, grati animi testimonia præbuisse patri cuiusdam Philinis assectatoris sapientię, quom eius catulos in foueã delapsos exemisset. Aduersus crocodilũ ichneumon & trochilus cõmune prælium ineunt. Elephas, tantum animal, pecudibus infirmissimi ac hebetissimi generis adlectat. Ex his unus etiam traditur amasse quandam in Aegypto corollas uendentem. Ac ne quis uulgariter electam putet: miretur gratam Aristophani celeberrimo in arte grãmatica. Alius Menãdrum Syracusanũ incipientis iuuentæ in exercitu Ptolemæi, desiderium eius quoties non uideret, inedia testatus. & unguentariã quandam ab alio adamatam ferunt. Omnium amoris fuere argumenta gaudium à conspectu, blanditiæq; inconditæ, stipes quas populus dedisset seruatæ, & in sinum effusæ. Mentor item Syracusanus, & Helpis Samius, cũ leonibus familiarissime uixisse traduntur. Arietẽ etiam cõstat deperijsse Glaucen puellam Ptolemęi citharistriã. Est percelebris apud Sestion urbem aquilę gloria, educatam à uirgine retulisse gratiam, aues primo, mox deinde uenatus aggerentẽ: defuncta postremo in rogum accensum iniecisse se, & simul cõflagrasse. Quam ob causam incolæ quod uocant Heroum, in eo loco fecere, appellatum Iouis & uirginis: quoniam illi deo ales adscribitur. Immo uero, quod tu minime credideris, & anser Lacydẽ philosophum ita amasse dicitur, ut ei comes perpetuò adhęserit, nusquam ab eo non publice, non in balneis, non noctu, non interdiu digressus. Et ut prætermittã canes equosq; & id genus animalia homini coniunctissima uiuentia, etiam toto elemento à nobis seiuncta & magna Oceani mole condita, hoc inter se affectu atq; in diuersa pellici constat. Nam & Delphines aliquot puerorum amore flagrasse nouimus. Hortensius orator apud Baulos murenam adeò dilexit, ut exanimatã flesse credatur. In eadem uilla, Antonia Drusi tam familiariter cum murena egisse dicitur, ut inaures etiam addiderit: cuius rei nouitas multorũ hominum conuentum uidendi studio illexit. Musculus tantillus scilicet pisciculus balenæ, quandoquidẽ prægraui superciliorũ pondere oculi opprimuntur, infestantia magnitudinẽ uada prænatans demonstrat, oculorumq; uice fungitur. A pinna quæ inter cõcharum genera est, nunquam abest pinnother: quẽ iccirco & pinnophylacem uocant. Is parua squilla est. Quin & cancer eius dapis assectator præsto est, atq; hoc astu in uenatu utuntur. Pandit se pinna, luminibus orbum corpus intus minutis piscibus præbens. Assultãt alij protinus: & ubi licentia audacia creuit, implent eam. Hoc tempus speculatus id morsu leui significat: illa ore compresso, quicquid inclusit exanimat: partemq; socio tribuit. Pro-

ditum etiam est memorię, in mari concham esse acatij modo carinatam, inflexa pup
pe, prora rostrata, in hanc condi nauplium animal sepiæ simile, ludendi societate so-
la. duobus hoc fieri generibus. Tranquillo enim uectorē demissis palmulis ferre ut
remis. Si uero flatus inuitent, easdem in usu gubernaculi porrigi, pandicq; concharū
sinus auræ. Huius uoluptatē esse ut ferat, illius ut regat. tantus est etiam hebetissimo
generi societatis intellectus. Quin & immitissimū serpentū genus hæc amoris ille-
ctamenta sentire dicitur. Thoas puer draconē nutrierat dilectum admodū: pauensq;
serpentis naturam & magnitudinē metuens in solitudines tulerat: in quibus circum
uento latronum insidijs agnitaq; uoce subuenit. Sed hæc licet multæ sint admiratio-
nis naturæ opera, illa tamen possunt multo admirabiliora existimari: quòd ea etiam
quæ extremo loco damnata sunt, surda ac sensibus fraudata, his agantur blandimen
tis. Fœminas palmas aiunt in mares inclinari: eorūq; auras captare: nec fructus æde
re, nisi eorum puluere aspergantur. Quid uero est, quòd tanta est rutæ cum fico ami
citia, ut nusquā lætior proueniat quàm sub hac arbore? quid quòd cucumis longiori
etiā spatio diffusus ad aquā nititur, & seipsum producit pellectus humoris cognati
desiderio? Quis uerò non iuste miretur ab electro paleas, à magnete ferrū trahi, mo-
resq; pati? & echeneidis sale asseruati uim esse, ut aurum quod deciderit in altissimos
puteos extrahat. Hoc est scilicet naturæ imperium: hæc uis rebus insita, quæ uolen-
tes res ipsas ultro parere cogit. Hæc est quam συμπαθίαν Græci uocant, id est con-
centum & coniugationē eorum quæ natura procreauit. Qualis agnoscitur brumali
die, quom in fidibus ad concentum compositis, si neruiarū pars una attingatur, pars
relíqua ultro modulatu excitata respondet. Huic itaq; naturę consortio, mutuęq; ani
morum cōiunctioni, ueterū superstitio Anterota præfecit: eumq; existimauit mutuis
uinculis per quasdam uicissitudines ac reciprocationes animos & rerū genios illiga
re: hominesq; parum in amore gratos ulcisci. Hōc est scilicet quod apud Vergilium
Dido, si quod non æquo fœdere amātes Curæ numen habet, iustūq; memorq; preca
tur. Quo loco recte ac elegāter Seruius Anterota inuocari scribit. sed nō recte quis
sit Anteros interpretatur. Eum enim numen Cupidini contrariū existimat. deditq;
subinde erroris occasionē grammatistis, existimantibus in hoc nomine præpositio-
nem ἀντὶ contrarietatē significare, & non æqualitatē paritatemq; potius: ceu apud
Homerum ἀντίθεον πολύφημον, æqualem paremq; deis Polyphemum: quom hic u-
nus ex omnibus Dis Anteros propugnator defensorq; atq; ultor sit amoris maxi-
mus: & iccirco aptissime inuocetur ad eum plectendum, qui in amore gratus nō fue
rat, nec mutuas operas dederat. Adeò ut si quis paulo diligentius poetæ sententiam
introspiciat: & suo testimonio redargui Seruiū intelligat: & (ut ille ait) suis ascią cru-
ribus impingere. Nā qui amorē abolebat, atq; ex animis hominum incēdia Cupidi
nis expungebat, is non Anteros, sed Lethęus Cupido nuncupabat, atq; in tēplo Ve
neris Erycinæ colebatur facibus aquam infundēs. De quo lepidissimū poetam me-
minisse annotauimus:

Est prope collinam templum uenerabile portam:
Imposuit templo nomina celsus Eryx.
Est illic Lethęus Amor, qui pectora sanat:
Inq; suas gelidam lampadas addit aquam.
Illic & iuuenes uotis obliuia poscunt:
Et si qua est duro capta puella uiro.

Et nostræ quidem sentētiæ super Anterote minime desunt testes: Sudamq; duobus
locis subscripsisse animaduertimus. Et primo quidem, ἀντέρωτος ὁ μὴ ἀντιμισοῦντος, ἀλλ' ἀντι-
φιλοῦντος γραμματικὸς, παιδεύσας γὰρ ῥώμην τὸν κλαυδίου τοῦ μετὰ γαΐου βασιλεύσαντος, ἀφ' οὗ
πρῶτον μὴ πεπαιδεῦσθαι ὁ πονλίκος γέγονεν, ἄκουσας ἢ ἰδὼν ἀπίωνος ἢ μόχθου. φρόνης αὖ βιβλία πολλὰ
γραμματικῆς δύο. μὴ δεῖν δὲ τὸ ὑμνούμενον ὄνομα ἀντέρωτος γὰρ τοῖσδε τοῖς γυναίοις ὀνόμασιν
ἢ ἀλλήλους ἠγάπων. χαείτην γὰρ μὴ μελανίππου εἰς ἔρωτα ἀλλήλοις συνεπεσέτην. μὴ δὲ χαείτην
ἐρασὴς ἰδὼν, μελανίππος ἢ τῆ ψυχῆ ὁ ἐρώμενος εἰς τὸ φίλον τὸ γνῶθεν ἀναφλεχθεὶς ἰσόπιμον τὸ
πόθου κράτος γνησίκνυθ. Huius sentētia est, Apollonīū Alexandrinū grāmaticū qui
Romæ sub Claudio post Caiū imperāte professus est: à quo & Heraclides Ponticus
ortus

ortus fuit, auditorq; Apionis fuit, cuius duo libri feruntur de grammatica, Anterota nuncupatum fuisse. Quod nomen etiam in generosis seruatũ est qui se amarent mutuo. Chariton enim & Melanippus in mutuum utrinq; amorẽ inciderũt. eratq; amator Chariton, sed non minus Charitonis animum amabat Melanippus, pariq; amoris œstro urgebat. Nec sibi quisquam aduersus nostram sententiã rem factam putet, quod Apollonius item Alexandrinus Herodiani pater, paulo inhumanior sit, & δύσκολος sit appellatus: quasi hic & ille de quo diximus, ijdem sint: quom longe diuersi sint. Hic emẽ sub M. Antonino floruit in summa egestate, ille sub Claudio. Locus alter Sudæ quem adduximus hic est. μέλιτος, ὅτος ἐρᾶ νεανίσ ἀθλίως τῶν εὐγενόστων καὶ πλουσίων. μάρκιον δὲ ὢν τὸ γένος ἀπαιτητὴς καὶ ὥραν ἄμαχον. καὶ τοῦ μὲν ἐρασὴ μελίτου ὄνομα ὢν. τοῦ καλῶ ἢ Τιμαγόρας, ὡς φασιν. ὢν ἦ ἀπεγκτός τε καὶ ἀμείλικτος ὅτε ὁ πᾶς, καὶ οἱ πολλὰ προσέταττε καὶ ἐπίπονα κινδύνων ἐχόμενα τῶν δυσχάτων, καὶ ὁμῶ τὰ τοῦ ὀλέθρου ἐλάνοντα. καὶ ὢν τὰ πράγματα, καὶ κύων τὸ ἀγαθὰς καὶ θηρεύτικὰς ἐκ τῶν ἀλλοδαπῶν ἄγων, καὶ ἵππον αὐτῶν πολεμίων ἀπαγαγεῖν ὅτε δὴ γυναικείοντε καὶ θυμικὸν, καὶ ἄλλο χλαμίδια ὡραῖαν, καὶ πιαῦτα ἕτερα. καὶ τελευτῶν, ὄρνιθας οἱ προσέταξε κομίσαι, ὅτε δὴ προθύμως, καὶ οἰκέτας γενναίως θαυμαστὸς. ἐπεὶ δὲ καὶ οὗτος κατεπράξατο ὁ φίλος ἐκεῖνος, ἐδωρεῖτο τοῦ καλῶ τὸ μέγα καὶ τίμιον κτῆμα οὐ προφρονέστατος. ὁ ἦ ἀτρόμων ὤν, καὶ ὃν ποσσὸν ἀπεώσατο αὖρα τὸ δῶρον, ἡ τοίνυν μέλιτος φλεγόμενος τοῦ ἔρωτος καὶ οἰστρούμενος, καὶ ὡσὶ τάχιστα ἀχάλινον τῇ ἀπορίᾳ, καὶ ἀπαυδήσας ὡσὶ τοῖς ἀνιωμένοις τε μόχθοις ἅμα καὶ ἀπείροις, ἃ πολλῶν εἶχεν, ἀνέβορχεν ἐς τὴν ἀκρόπολιν, καὶ ἑαυτὸν ἔωσε κατὰ τῶν πετρῶν. ὃ μὲν ἡ ἱμερὸς δίκη τοῦ ὑβρίσεως παῖδα καὶ ὑποδρόπτων ἔασεν ἐπευχαρεῖν τοῦ τοῦ μελίτου θανάτῳ. οὐ ὄρνιθας δὲ ἀναλαβὼν, καὶ ταῖς ἀγκάλαις ὡδεῖς, εἶτα κατ' ἴχνια τὰ ἐκείνου θέων, ὥσπερ ὃν ἑλκόμενος βίᾳ ἑαυτὸν σὺν τοῦ δυσυχεῖ χορῷ ὧν τοῦ μελίτου, ὀρεινὸς φορῶν, βραδὺ καὶ δυσυχῆ τὸν ὁρῶντα αὐτὸν ἀποδεὶς οὖσαν. καὶ ἐσηκεν ἑστηλωμένον τοῦ πάθους τοῦ τὸν τόπον, πᾶς ὡραῖος καὶ γυμνὸς, ἀλεκτρυόνας δύο μάλα δυσμενεῖς φορῶν ἐν ταῖς ἀγκάλαις, καὶ ὡσὶ κεφαλὴ ὠθῶν ἑαυτὸν. Quæ uerba hoc fermè significant. Melitum perdite amasse Timagorã adolescẽtem Athenien sem bene natum ac prædiuitem, inuictumq; ætate: qui durus atq; inexorabilis erat: multaq; Melito difficilia, ac plena summorũ periculorum, quæq; certam perniciem afferrent, mandabat. Qualia uenaticos præstantissimos ex alieno agro adducere: aut equum ab hostibus generosum, aut pretiosam alterius chlamydem auferre, & id genus alia, tum uero & defunctis aues & ministros mira aliqua opera spectatos. Quę quom Melitus obijsset omnia adolescenti elargiebatur. At ille immitis ac pertinax munera parui pendebat. Quare Melitus amore & œstro succensus, & se despici ægreferens tot periculis ac difficultatibus defunctum, cursu in arcem proripuit, seq; per petras deiecit. Neq; iustitia adiutrix contumelioſum ac despectorẽ adolescentẽ permisit Meliti mortem derisui habere. Namq; aues sinu excipiens, & per eadem currens uestigia tanquã ui arreptus, sero illi uices reddẽs in amore, parem cum infelici Melito casum tulit. Proinde eo loco posita est statua, adolescens formosus ac nudus præstantes duos gallos sinu tenens, seq; in caput præcipitans. Ab his licet parum dissidentia, finitima tamen tradit Pausanias in descriptione Atticæ, quæ & sententiæ nostræ suffragiũ addunt. πρὸς δὲ τῇ ὁδῷ τῇ εἰς ἀκαδημίαν ἐστὶ βωμὸς ὁρῶντος ἔχων ἐπίγραμμα, ὡς χάριμος ἀθλιώτατος πρῶτος ὁρῶν ἀναθέτη. τὸν δὲ ὃν πόλῃ βωμὸν καλούμενον αὐτόρωτος ἀνάθημα εἶναι λέγουσι μυτοίκων, ὅτι μέλης ἀθλιαῖος μειρακιον ἄνδρα τιμαγόραν ἐραθέντα, ἀτιμάζων ἀφεῖναι τῆς πέτρας αὐτὸν ἐκέλευσεν, ὃν τὸ ὑψηλότατον αὐτῆς ἀνελθόντα. τιμαγόρας δὲ αὖρα καὶ ψυχὰς ἔχων ἀφειδῶς, ἀπαντῶν ὁμοίως κελεύοντι ἤθελε χαρίζεσθαι τοῦ μειρακίῳ, καὶ δὴ καὶ φορῶν ἑαυτὸν ἀφῆκε. μέλητα δὲ ὡς ἀρθαυόντα εἰδὲ τιμαγόραν ὃν ποσσὸν μετανοίας ἐλθεῖν, ὡς πεσεῖν τε αὖρα τῆς πέτρας τῆς αὐτῆς. καὶ ὅτως ἀφεὶς αὐτὸν ἐπελθύτησεν, καὶ τὸ ὠτοθύθεν, σταίμονα αὐτόρωτα τὸν ἀλάστορα τοῦ τιμαγόρα κατέστη τοῖς μειρακιοις νομίζειν. Quę uerba ita Domitius noster interpretatus est. In academiæ uestibulo ara est Cupidinis cum inscriptiõe, quia Charmus Atheniẽsium primus Cupidini eam dicaret. Arã uero quæ in urbe est & Anterotos, id est mutui amoris appellatur, peregrinorũ uotũ aiunt. Nam Meles Atheniẽsis Timagoram peregrinum hominẽ sui amore captum per cõtemptum ut se è summo saxi uertice deijceret, iussit. Quo circa Timagoras, qui uitã iam paruifaceret, cupereteq; in rebus omnibus adolescentis imperio obsequi, inde se præcipitẽ demisit.

misit. Quom aũt Meles Timagoram extinctum uideret, adeò eum facti pœnituit, ut ex eodem saxo ipse quoq; se deiecerit, atq; ita ipse quoq; interierit. Ex eo peregrinis institutum est, ut dæmonẽ Anterota Timagoræ ultorẽ appellarent. Huius autem uim & natales elegantissimo Apologo Porphyrius cõplexus est. Quem mihi subscribendum duxi, quòd meæ sentẽtiæ album calculum & (quod Græci dicunt) κολοφῶνα conferat. ὅτε τὸν ἔρωτα ἡ ἀφροδίτη ἐγέννησε, τὰ μὲν ἄλλα, καλόσε ἰὼ ὁ πᾶς τῆ γένναι ξαμένη προσήκων, ἀτὰρ ὀκνηρότερός γε ἐς μέγεθος δὲ κάλλος πρέπον, σὺν δὲ ἐπεδίδου τὸ σῶμα, ἀλλ' ἔμενε πλεῖστον χρόνον οἷος ἐτέχθη. ἀπορέετο γὰρ πῶς τὸ πρᾶγμα ἥτε μήτηρ, καὶ αἱ τροφοὶ τοῦ βρέφους αἱ χάριτες. κῆ φοιτῶσαι πᾶσὰ τῆ θέμιν, ὅπως γὰρ ἔχει σφίσιν ὁ ἀπόλλων, εὑρέσθαι λύσιν τινὰ δύρειν τῆ ἀτότου καὶ δαιμοσύνης συμφορᾶς. ἔσπευν δὴ ἡ θέμις, ἀλλ' ἐγὼ πάσω ὑμᾶς ἀπορεμένας, νῦν γὰρ ἔπω ἴσε τὴν φύσιν τοῦ βρέφους. ὁ ἔρως ὁ σὸς ὁ ἀληθινὸς ὦ ἀφροδίτη τοιόδε μὲν ἴσως καὶ μόνος, αὐξηθείη δ' ἂν σύμαμὲ μόνος, ἀλλά σοι δεῖ καὶ αὐτόρωτος, εἰ βούλῃ αὐξηθῆναι τὸν ἔρωτα. ἔστω ἢ αὐτὴ φύσις τοῖσδε τοῖς ἀδελφοῖς, ἀλλήλοις ἄπιοι δὲ αὔξης ἄμφω γένησθον. ὀφῶντες μὴ γὰρ ἀλλήλους, ἴσα βλαστήσουσι, θατέρου δὲ ἀκμὴ φθίνοντος, μειώσεται. ἔτω δὴ κύσι τὸν αὐτόρωτα ἡ ἀφροδίτη. καὶ ἀνέδραμέτε πᾶσα χρῆμα ὁ ἔρως, καὶ τὰ πρῶτα ἔφυσε, καὶ ὑγιὴς ἰὼ. ἅπερ δὴ ἐν διάντη τύχη κατεσυκὼς, ἄκρατα ἐσωμιλῆ πολλάκις πάθη, καὶ ποτὲ μὲν θάλλει, ποτὲ δὲ φθίνει, πάλιν δὲ αὔξεται. δεῖται δὲ ἀεὶ τὰδελφῦ σωόντος. καὶ μέγαν μὲν ἐκεῖνον ὁρῶν, μείζων φαίνεται Φιλονικεῖ, σμικρὸν δὲ ἢ ὀλίγον φωρᾶσας, πολλάκις σὺν δὲ ἐθέλων ἀκμαιαίνεται. id est, Quo tẽpore Venus Cupidinẽ peperit, pulcher alioquí ac uenustulus puer ille uisebat: ut quí nec tantillum à matre pulcherrima degeneraret. Cæterum haud quaquã excrescebat in magnitudinẽ ac staturam quæ pulchritudini responderet: sed manebat plurimum tempus eo habitu quo natus erat. Anxia igitur eam ob rem atq; inops consilij mater affligebaẽ: nec minus Gratiæ infantis nutrices. Itaq; oraculum Themidos adeuntes (nondum enim Apollo Delphis præsederat) orabant supplices ut ad insolitam ac nulla non admiratione dignã calamitatẽ aliquod remedium inueniret. tum Themis. At ego uos, inquit, hac solicitudine leuabo. Nec eẽ satis naturã & ingenium infantis uidemini perspexisse. Nã tuus iste uerus Amor ô Venus nasci forsitan solus potest: crescere autem solus non potest. Quòd si cupis ut adolescat, Anterotis opera opus est, quí reciproco amore, beneuolentiæ uices rependat. Erit autẽ ijs fratribus hoc ingenij, ut uicissim alter alteri mutuetur & largiatur incremẽtum: & si se mutuo intueantur, æquali propagine germinabunt. Sin uero alter deficiat, ambos pessum ire oportebit. hoc usa consilio Venus Anterotem parit. Quo uix dum edito in lucem, Cupido statim adolescere, enatasq; repẽte pennas explicare cœpit, & iam procero corpore incedere. Quí quom huic sorti obnoxius sit, miris plerunq; & inauditis cõflictatur erumnis. Nã interdum pullulat, interdũ defloresci: rursus augetur, ita tamen ut nunquam non præsentia fratris indigeat: quẽ si grandescere animaduerterit, longe grandior ipse effici contendit. Sin uero pusillum exiguumq; esse deprehenderit, sæpe uel inuitus elanguet. Ad hanc Cupidinis atq; Anterotis contentionem in amando pulcherrime Philostratus in Iconibus allusit, quom se miníme desultorios, aut sopitos, aut pomorum uoraces amores dicturum profitetur, sed eos tantum quí optimi sunt amorum. Si uero quatuor sunt longe præstantes: quorũ duo poma iaciunt, duo sagittas torquent ac retorquent; neq; fronte minas præseferunt, sed uicissim præbẽt pectora quibus spicula inhæreant. Philostrati uerba hæc sunt, quę subscripsi. καὶ ἵνα μὴ σὺν χορεύτας λέγωμεν ἢ σὺν σκιαθέοντας, ἢ σὺν καθεύδοντας, ἢ ὡς γάνυται τῶν μήλων ἐμφαγόντος, ἴσμεν ὅ, τί ποτε ὅποι νοσοῦσιν. οἱ γὰ κάλλιστοι τ' ἐρώτων. ἰόντε δὲ δὶς τέτρα ὄψας ἐναντιελθόντας τῶν ἄλλων, οἱ δύο μὲν αὐτῶν, αὐλιπέμπτοσι μᾶλον ἀλλήλοις, ἡ δὲ ἕτερα ὄψας ὁ μὲν τοξεύει τὸν ἕτερον, ὁ δὲ αὐλιτοξεύει. καὶ σφὲ ἀπαλὴ τοῖς προσώποις ἐπεστιν, ἁλμὰ καὶ σφῶν πρὸς ἔχουσιν ἀλλήλοις, ἐν ἐκεῖ πτερὰ τὰ βέλη πελάσῃ. Et ne quid quod ad hanc rem faciat prætermittam, de Anterote etiam in deorum natura Ciceronẽ meminisse animaduerto his uerbis. Tertia Venus Ioue nata & Dione, quæ nupsit Vulcano: sed ex ea & Marte natus Anteros dicitur.

Porphy-

PORPHYRII APOLOGVS IN XVIII. PARTES
digestus. Nam totidē arcubus cubiculi fornix clauditur:
ex his parti cuiq; distichon subscripsimus.

Mulciber adlectat Veneri, cogitq; uolentem:
Illa deum blande pellicit, ille deam.
Cypride natus Amor: natum excipit Ilithyia:
Illi fasciolas sedula Iuno parat.
Nymphæ arridentes, puero plena ubera præbent:
Sponte leo parui cruscula lambit heri.
Metitur sacrum ad fontem Venus aurea natum:
Et nihil à prima crescere mole dolet.
Quid facto sit opus Naturam & Pallada poscit:
Hæc atq; hæc Themidem consuluisse monet.
Dic dea qua natus ratione adolescere possit,
Diua Erycina petit, & pia sacra facit.
At dea turrigera crinem redimita corona:
Rursus, ait, Cypris est pariendus Amor.
Ad Venerem Mauors properat: comes hæret eunti,
Qui sero lucis nuntius ales erit.
Nam postquam iunctos nouit Vulcanus amantes,
Heu heu furtiuis texit utrunq; dolis.
Luteolos inter flores, dulcesq; ministras,
Iam Venus alterius mater Amoris erat.
Quem circa Charites solitis amplexibus hærent,
Atq; hilares soluunt dulcibus ora modis.
Euœ conclamant satyri nymphæq; renident,
Et cælum & terras mutuus urget amor.
Iamq; Venus artus æquabat Amoris Amori:
Creuerat inq; uices alter & alter Amor.
Arma laborantes illis Cyclopes anhelant,
Arma quibus misere pectora mille gemunt.
Nec procul hinc Phœbus testudine pulsat eburna:
Ad citharam sese frater uterq; mouet.
Atq; adludentes pietatis in alite sidunt:
Pomaq; per numeros hic rapit, ille iacit.
Iamq; chorus longe maior succreuit Amorum,
Iamq; cupidinea cuncta perusta face.
At geminum gemini monumentum & pignus Amoris,
Aethereo genitor summus in axe locat.

SVPER MAGNIFICI ANTONII CONSTA
bilis elogio, Me diligentes diligo:
HYMNVS.

Ingrata mens ac degener,
Nulla expiari uictima,
Nullis precatibus potest:
Meritisq; nullis tangitur,
Quin semper obstinatius
Se promerentes appetat
Infensiore aculeo.
Hanc hanc sodales eminus
Eliminare ab ædibus,
Exterminare à pectore,
Nos diligenter conuenit.
Numenq; Amoris mutui
Non desinamus poscere:
Vt nostra uota uinciat
Vno & perenni fœdere.
Nam multa multos legimus
Exempla morum tradere.
Hic ferre uitam cœlibem,

Hic

Hic uulgum inanem ſpernere,
Hic abdicare gloriam
Leuesq; curas admonet.
At illud eſſe clarius,
Multoq; luculentius
Dictum uidetur omnibus:
Quod dixit ille Antonius,
Fautor bonorum ciuium,
Defenſor unus patriæ,
Tribunus ille maximus,
Auroq; equeſtri ſplendidus:
Cui ni genus nomen daret,
Nomen daret conſtantia:
Qui longe auorum gloriam
Virtute præuenit ſua.
Rogatus ille publice:
Quo more ſummum principem,
Quo pharmaco omnem patriam
Ad ſeſe amandum allexerit:
Reſpondit alto è pectore,
Me diligentes diligo.

FINIS.

RHETORICAE COMPENDIVM CAELII CALCAGNINI, IN GRATIAM BARTHOLOMEI Ferrini inceptum.

Vbi agitur de inuentione.

OMNIN triplici genere uerſet omnis oratio, aut laudatiuo, aut deliberatiuo, aut iudiciali: laudamus qdē uel ab externis bonis, fortunę uidelicet & naturæ, ſi recte iis utimur: alioqui quom media ſint & trāslatitia, per ſe nullā inuehūt laudē. Naſci enim præclaris parentibus, opes magnas & clientelas, imperia etiam & uictorias illuſtres aſſequi, fortuitum eſt, non in manu noſtra ſitum, eſſe egregia forma, firma ualetudine, robuſta habitudine, uel naturæ uel deorum debemus beneficentiæ. Ea ſolum noſtra ſunt quę ex nobis pendent, quæ in animo noſtro poſita ſunt: boni mores, probitas, & quatuor illæ uirtutes ad quas cæteræ referuntur. Prudentiā ſcilicet quam Plato oculum animi in Legibus appellauit: Temperātiam, quę bona animi habitudo ab eodem dicitur: ſicut Iuſtitia pulchritudo, Fortitudo autem animi manus nuncupata eſt.

Vbi agitur de pronuntiatione.

In litteris enuntiandis multi etiam laudem conſecuti ſunt. certè Cicero hinc luculenta laude Catulum proſecutus eſt. Demoſthenes difficulter expreſsiſſe dicitur eam literā, quę prima eſt in ea quam profitebatur arte, Rhetorica ſcilicet. Tinea placentinus preculam pro pergulam barbare enuntiaſſe proditur. Catullus Arrium celebrato carmine proſcidit, omnibus uocalibus dure aſpirantem. quod uitium nunc peculiare eſt Germanorum. At noſtri contra exili adeò ſono omnes uocales enuntiant, ut non ſatis intelligas an habeo poſſeſsionem, an abeo diſceſſum ſignificet. Quid quòd Romani hac ætate ſibi principatum hac in re tribuentes, iure an iniuria neſcio, non modo nobis cæteriſq; Italis omnem laudem præripiunt, ſed quaſi opicos etiam ac barbaros fœdiſsima appellatione ſuggillant. Et profecto quædam ſunt uitia ita inſignia uel à parentibus uel à præceptoribus nobis tradita, ut par ſit eniti ut aliquando ea diluamus. Exemplo eſſe poteſt, quòd g literam alij craſſe nimis, alij quaſi Zeta, proferunt, quom ea medio quodam ſono ſit efferenda. Quid quòd dictiones in m terminantes, à quibus Græci perpetuò abſtinent, incertum eſt an m, an n, extremum habeant. Quom enim ea litera clauſis labris pronuntianda ſit, & ob id ſilentij nota ac timoris apud Ariſtophanem, quòm ciues

non

non audentes hiſcere, Sæpe illud μυ μυ immurmurãt. ex quo & apud nos illud Enianum prodijt, neq; mi quod minimũ eſt facere audent: hanc tamen pleriq; naribus inculcant. Sicut in ijs etiam uocibus quæ in u atq; m deſinunt, duplicem admittunt bariſmum, & eum de quo modo diximus, & quod o quarta uocalis pro quinta audiatur. Sic dictiones Encleticæ, quas Græci ὀξυγόνους dicũt, graui accentu pleriq; enuntiant, quom præcipiti, id eſt acuto ſint enuntiandæ. In ijs etiam monoſyllabis quæ in præcedentem ſyllabam accentum transferunt, quotus quiſq; eſt qui illum translatum agnoſcat? Quid de geminatis literis dicam, quę ſimpliciter eduntur, aliiſq; innumeris in hoc genere uitijs, de quibus longum magis foret quàm ſuperuacuũ diligentem mentionem habere.

Vbi de elocutione.

Quidam breuitate orationis ita oblectati ſunt, ut Laconiſmum in delicijs habuerint, ſic à Laconum more appellatum. Nam Lycurgus apud eos legislator, grãdi & oneroſo numero, breui aũt oratione ac ſuccincta ſimul & gladio uti uoluit. Hinc eorum ſcytale, hinc breuiſsimæ illæ uoces ἄκρα, ὀ. Hoc genere Phocion apud Athenienſes uſus dicitur. de quo Demoſthenes quotiẽs ad dicendum ſurgebat, uerborum ſuorum τὰ ἀκμὰ, id eſt aciem ſurgere teſtabatur. Meminerimus tamen illam breuitatem ſectandam eſſe, quæ cõmode omnia complectatur, ne in uitium incidamus de quo Horatius: Breuis eſſe laboro, Obſcurus fio. Item Siſenna quaſi emendator ſermonis uſitati quom eſſe uellet, ne C. Ruſcio quidẽ accuſatore deterreri potuit, quo minus inuſitatis uerbis uteretur. Dixit enim quædam eius ſputatilica eſſe crimina. tum C. Ruſcius, Circũuenior, inquit, iudices niſi ſubuenitis. Siſenna quid dicas neſcio: metuo inſidias, ſputatilica quid eſt hoc? ſputa quid ſit ſcio, tilica neſcio. Maximi riſus. ſed ille tamen recte loqui putabat eſſe, inuſitate loqui. Cicero optat oratori ſuo acumen dialecticorum, Sententias philoſophorum, Verba propè poetarum, Memoriam Iuriſcõſultorum, Vocem Tragœdorum, Geſtus ſummorum penè actorum. Regina rerum oratio, Flexanima, quæ πειθὼ: cui templum propè πιτὸ. Suadæ medulla in labris Periclis & Cethegi habitaſſe dicitur. Hinc Mercurius κύλλος ab Atheniẽſibus dictus, quòd ſine manu polleat. Quin & Hercules ille Ogmius apud Celtas, claua oleagina, & lingua mortales trahens. Pericles & Archidamus luctãtes. Protagoras τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν. Mirabili hęc compacta dicitur artificio. Nam ea pars qua ſuſtinetur, uim habet incredibilem. Dioſſa, homines inuentionem appellauere. Inuentioni diſpoſitio & coordinatio inhæret. Hanc oratoriam neruos immortales uocitarunt. His ſuperinductum eſt eximium quoddam tectorium, quod illi cutem, nos elocutionem diximus. Et quando ſine anima nihil moueri ſua ſponte poteſt, ſine motu autẽ nihil uiuum probamus, acceſſit ijs actio pronuntiatioq; quaſi ſpiritus quidam uitalis: qui nullo melius contineri poteſt uinculo quàm eo quam nos memoriam, theſaurum ac promptuarium rerum optimarum appellauimus. Hæ ſunt igitur partes quinq;, quibus imprimis præclara hæc imago continetur. Quæ profecto ſi aliquando ſub aſpectum noſtrum uenire poſſet, & diſcuſſa caligine mortalitatis noſtræ ſeſe oculis poſſet offerre, mirabiles ſui amores in animis noſtris accenderent. Hæc uero omnia licet ab ipſo imprimis oratore proficiſcantur, treis tamen priores partes ad oratoriam ſpectare, duas reliquas in ipſo ſitas oratore iudicauerunt: actionem ſcilicet & memoriam. De his autẽ omnibus hoc loco à nobis dicendum exiſtimauimus, tum ut hac ratione uia quaſi à nobis muniatur ad libros Ciceronis De oratore, quos ſumus hoc anno enarraturi: tum ut rerum clariſsimarum præſtantia animi auditorũ excitati intelligant, quãtam hinc frugẽ ſint habituri. Nam quom ratio & oratio à Dis immortalibus nobis conceſſa efficiat: ut brutis longe antecellamus: ſola eſt eloquentia quæ nos ſupra cæterorum hominum conditionẽ attollat. Cæterum quom eloquentiã dico, eam ſapientiã intelligo, quæ probitati cõiuncta ſit. Nam & Cato oratorẽ uirum bonum dicendi peritum interpretatur. Huius autẽ munus primum eſt, quid dicendum ſit inuenire, tum ut doceat auditorem, tum ut fidem faciat, tum ut in ſententiã alliciat.

De Pitho

De Pitho, Pisto, prosegoria.

Hoc autem facit argumentis. Argumentum enim est quo res dubia & incerta demonstrari potest. Porrò argumentorũ, quædam remota, quædam insita. Remota testibus & indicijs: quorũ alia humana, alia diuina. Insita sunt, quæ ex locis eruuntur. Locos dicimus maiores propositiones, seu ἀξιώματα, id est dignitates, quasi argumentorum promptuaria: alia è toto, alia è partibus, alia è genere, alia è forma, cæterisq́, de quibus in Topicis agitur apud Aristotelem & Ciceronẽ. exempli gratia è toto: Qui rempublicam labefecit, is leges etiam quibus respublica cõtinetur labefecisse putandus est. E partibus: qui in atrium irrupit, in domum irrupisse certum est. E genere: quod animal est, id aut rationale, aut irrationale est. E forma: si homo es, ergo anima præditus es, & id genus quæ Stoici in topicem speculãtur. Sed quoniam in omni disceptatione, quædam possunt nobis cõuenire cum aduersario, quædam sunt cõtrouersa, utraq́ ita libranda sunt, ut imprimis quo loco summa difficultatis uersetur, intelligamus. Hoc est quod Plinius Cęcilius causæ iugulum appetendũ esse confitetur. Sed difficile esse eum agnoscere, quis ille iugulus, ne forte pro iugulo humerum aut femur appetamus. Propterea sibi omnẽ lapidem excutiendum putat. Hoc est quod inquit Quintilianus: De multis dicitur, de paucis iudicat. Hũc iugulum rhetores statum causæ solent appellare. Is triplex est, prout earum generatria sunt. Aut enim orator in iudicio uersatur, aut extra iudiciũ. si extra iudicium: aut de præteritis agit, aut de futuris. De futuris deliberatio est seu consultatio, cuius finis honestum atq́ utilitas. Nam licet ex sui natura honestum ab utili seiungi non possit, tamen opinione hominum seiungi potest. Si de præteritis agatur, exoritur demonstratiuum seu laudatiuum genus, quod à Græcis ἐγκωμιαστικὸν à potiore parte nuncupatum est. Nam eius finis laus aut uituperatio. In iudiciali autẽ & forensi accusamus aut defendimus. Huius finis est absolutio aut condemnatio. In his ergo tribus generibus status etiam triplex consideratur. Sed quoniã in iudiciali, utpote in quo de fortunis & salute hominis agitur, plus ponderis est, impẽsius etiam id ac solertius considerari solet. Proinde tribus modis defensio annotatur, si quod nobis crimen ingeratur. Aut enim factum negamus: ut hominem occidisti. hominem non occidi. Hinc status coniecturalis emergit. Ad maleficium enim probandum coniecturis uti oportet. Aut certè ita nos defendimus, ut nõ hoc quod imputatur, sed diuersum quippiam factum asseratur. Sacrilegium admisisti. non sacrilegium, sed furtum. Incestum admisisti. incestum non admisi, sed adulterium. hæc defensio finitiua solet appellari, quoniam ad defensionem furti & incesti descendendum est. Dicitur etiã legitima uel legalis, quòd plerunq́ ex lege petenda sit. Tertia defensionis ratio est, si nos iure quid fecisse possumus probare. Clodium occidisti. occidi, inquit Milo, sed iure occidi seditiosum & pernitiosum ciuem, mihi insidias molientem. Hinc status iuridicialis assumitur, quod uerbum Cicero resormidat, an licuerit Miloni uim afferre Clodio. Hanc partem de eodem & altero dixit Archidamus.

Ratio, firmamentum, τὸ κεινόμενον.

Ad cognoscendum itaq́ genus causæ, tum qualitatẽ status, mox ad eruenda inueniendaq́ argumẽta quibus causam & institutum nostrũ tueri possimus, ne quid inane, ne quid præter causam aut certè quod nostrã causam offendat, ut optima quæq́ argumenta quasi in principijs & mox in subsidijs collocentur, magna cautio adhibenda est. Interdũ omnia colligenda sunt, ut eruptione, & ut elegãter inquit Quintilianus, uniuersitate depugnemus. Non est autẽ satis inuenire: nisi & suis quæq́ partes locis collocentur. Qua parte maximè dominatur prudentia. hæc enim, ut inquit Aristoteles, inter uirtutes eminet, & quasi architecti dignitatẽ sibi uendicat. Cęteræ autem uirtutes quasi opifices illi obsequuntur. Hæc itaq́ quæ solerter inuenta sunt, ingeniose partitur & suis locis accommodat. Hæc exordia prima fronte locat, tum narratione rem explicat, memoriter quid primo, quid secũdo dicere proponit. acriter sua cõfirmat argumenta, sicuti aduersarij accusationes fortiter diluit. Perora tione demum breuiter in compendium dicta colligit; & amplificatione auditoris animum

mum uel accendit, uel accensum in mitiorē statum reuocat, prout suæ cōsentaneum causæ intelligit. Exordijs uero beneuolentiā, attentionē, docilitatemq; sibi parat: uel ab honestate causę, uel à sua uel iudicis persona. Breuiter etiam summā causæ attingimus: uera omnia, certaq; dicturos proponimus: ita docilis fiet auditor. Quòd si magna & ardua uel ad ipsum auditorē uel ad cōmunem utilitatē pertinentia nos dicturos proposuerimus, tum merito attentionē merebimur. Hac autem parte uerbis cōmunibus & protritis uti oportet. Propter quòd Domitius Afer clausulas exordio tum exasperabat, ut plus fidei mereretur, si minus culta uideretur oratio. In deliberationibus hæc pars superuacua existimatur, quòd sit auditor satis per se paratus ad audiendum. Sic narratio aperta admodum atq; illustris esse debet, & quàm maximè fieri potest uerisimilis. Persæpe enim magis ueri facies quàm ueritas ipsa cōmouet. Nam quod uerum est, à solo deo, ut inquit Plato, agnoscitur: quid autē sit ueri simile homines cognoscūt. Quòd si hęc forte longior fuerit, & pluribus mēbris instructa, si lassus auditor, tum licebit in descriptiones aliquas aut historias euagari, leuandi tedij causa, & ut reliqua iudex libentius accipiat. In consultationibus etiā prosopopœias, id est imitationes personarum licebit effingere, ut quom mortui excitantur: quom mutis & inanimatis precarius sermo tribuitur. Quæ pars ut pulcherrima, ita difficillima omniū existimatur. Tertio loco partiendum putant, id est proponendum quibus de rebus simus dicturi: tum quòd nullum promptius memoriæ subsidium esse potest, quàm res ordine digerere: tum quòd ita iudices propensiores fiunt ad audiendum, & ea quę dicenda sunt, iam animo præsumūt. Procurandum autem est ne cōcisio magis quàm partitio ea uideatur. Turpe enim planè fuerit, orationem in frusta cōminuere. difficilis sanè hæc pars & prudenter libranda, præsertim quom sciamus Ciceronē male audisse in Cluentiana, quasi superuacuam partitionem induxerit. Alioqui hæc maximè laborem audiendi leuat: non aliter quàm iter facientibus multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia. Iam uero ea quæ in narratione & partitione à nobis in fauorem causæ nostræ proposita sunt, probanda argumentis & confirmanda sunt. Huc rationes & epicheremata omnia conferenda sunt. huc testes, tabulæ, iura, exempla, accersanda, neq; solum ea quę ἔντεχνα, id est artificialia, sed & quæ ἄτεχνα artificio carentia, in nostrum pręsidium sunt depromenda. Quæ uero ab aduersario nobis obiecta sunt, nauiter diluenda, ac fortiter repellenda sunt. Nam qui timide causam suam defendit, uidetur se criminis conscium tacite profiteri, neq; omnino à mala conscientia abesse. Hæc autem pars omnino magni momēti est, utpote qua tela aduersarij excutiamus, & infligta uulnera sanemus: atq; eo grauior est, quo difficilius medemur uulneri quàm uulnus inferimus. Tota autem hæc pars intentione uel depulsione constat. Si enim accusemus, prius est sua confirmare, mox aliena diluere. At si defendamus, prępostero more utendum est. prius enim aliena refellimus, mox nostra cōfirmamus. Hic uero præsenti & numerato ingenio opus est, sed tum præcipue, si res in altercationem ueniat. Acute autē & salse dicendum est, multoq; quàm cæteris in partibus incitatius. Ira aūt omnis absit, absint & conuitia. Quòd si quid fortè incidit quod adeò commode possis diluere, tum id uel tanquā uanum falsumq; abste præteriri profitearis, uel ioco aliquo dictóue est eludendum. Quòd si multa congesta sunt in te crimina, tum singularia libranda sunt, & cōminuēda: sicut flumina quæ in plures riuos deducūtur, minus periculosa sunt. Huc etiam exempla & iudicia sunt afferenda, uel mutanda criminibus nomina, pro auaro parcus, pro maledico liber, pro luxurioso liberalis. Quòd si cōmunia dixerit, & qualia Græci dicunt ἀνιαρέφοντα, in aduersarium retundenda sunt. quod genus arguendi & ingenij & leporis plurimū præsert: auditori profecto est iucundissimū. Accius interrogatus cur causas non ageret, quom apud eum tanta esset in tragœdijs uis respondendi: rationē reddidit, quòd ibi ea dicerentur quę ipse uellet: in foro essent dicturi aduersarij quę ipse minime uellet.

Extremā partē diuisionis occupat peroratio, à Græcis ἀνακεφαλαίωσις dicta: quo uocabulo satis patet, capita orationis breuiter esse repetēda, ut si quid fortè è memoria iudicis effluxerit reuocetur. tum ut in extrema parte sensus atq; affectus iudicis

refricẽtur. Quod licet apud philosophos uitium haberetur, præsertim Stoicos, apud oratores tamen pars est omniũ efficacissima. Sanè apud Athenienses præco oratori imperabat, ut hanc partẽ prætermitteret, præsertim quom apud Areopagitas haberetur oratio. Admonebat em̃ pręco ad dicendũ accedentẽ μήτε πεποιμιάζειν, μήτε ἀνακεφαλαιοῦσθαι. Etsi autem in prooemio & sparsim in alijs partibus affectus moueri par sit, huic tamen loco proprie conuenit. Quare hic omnia sunt uela orationis explicanda. Nam quom nihil citius lachryma inarescat, alibi producta miseratio cito exolescit, hic autem cõmode dicta tota in animo residet auditoris. Quod mirifice quidẽ Cicero in Miloniana. ó me miserum. ó me infelicem. reuocare tu me in patriam Milo potuisti per hos: ego te in patria per eosdem retinere non potero. Solẽt etiã non uerbis tantum & oratione affectus moueri, sed etiam factis. Sic reos squallidos, promissa barba & mutata ueste solemus producere. Sic M. Antonius uestem M. Aquilij diloricauit. Sic prætexta C. Cæsaris cruenta in foro proposita incredibiliter accensi sunt popularium animi aduersus coniuratos. Illud uero obseruandum, ut hæc opportune in suo tempore faciamus. Nam in exiguis causis aut priuatis excitare hos motus, planè ridiculũ sit: ceu si infanti soccos Herculis accõmodes, & pygmęis acrothinia, ut in prouerbio est apud Græcos. hoc enim planè mouere est fluctus in sympulo. Multi enim ridiculi & inepti existimati, qui imprudẽter hæc conati sunt. ut ille qui puerum protulit multum deflentẽ, quasi is calamitatem paternam defleret. Puer aũt interrogatus quid fleret, respõdit, se à pædagogo uellicari. Alterum autem dictum est: date puero panẽ, ne lugeat. Duo genera affectus, alterũ πάθος, alterũ ἦθος. hoc lenes affectus, illo incitati, continentur. Illud uero animo infigendum, neminẽ affectus mouere posse alienos, qui ipse primus suos nõ mouerit. Nihil enim incendit nisi ignis, nec madescimus nisi humore, nec res ulla dat colorẽ alteri quẽ ipsa nõ habet. Recte itaq; Horatius: si uis me flere dolendum est Primũ ipsi tibi. Pręsumendæ ergo impressiones illæ quę nos maximè moueãt, ut alios mouere possimus. quod qui optime facit, εὐφαντασιωτὸς à Græcis dicitur. In hanc partem omnes sunt nerui intendendi. Nam alijs docemus aut delectamus: hoc uero artificio euincimus atq; expugnamus animos iudicum. Quod si perfecerimus, tum planè uictoriam nobis paratam intelligimus. Quin etiam decet aliquando assurgere, & metas consuetudinis transilire, feruore & quasi ἐνθουσιασμῷ quodam incitatos. Nam de eo qui nunquam efferuescebat dictum est, eum hoc solum peccare quòd nihil peccabat. sunt enim nonnulli immodici diligentiæ exactores, qualis Callimachus ille cognomento texitechnos, quòd nimia diligentia artem labefactaret.

Tertiũ locũ dederũt rhetores elocutioni, quæ pars propria est oratiõis. Nam inuenire, & suo loco inuẽta accõmodare, ad alios etiã artifices pertinere potest. elegãter aũt et planè ac latine de re qualibet dicere, ad solũ pertinet oratorẽ: unde & apd' Grecos nomen inuenit. ῥητῆρα enim ex eo dixerunt, quòd ῥῆσις dictio sit. Nam & Homerus Phœnicẽ dicit datum Achilli, μύθων τε ῥητῆρ' ἔμμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων. Sic M. Antonius ille orator primi nominis multos se disertos, neminẽ eloquentẽ uidisse asserebat. Quòd diserto sit satis dicere quę oporteat: ornate ac mirifice, proprium sit eloquentis. Et profecto Asiani Rhodijq; & cæteri corrupti iudicij ordines alijs partibus præstiterunt, hæc una est quæ in eis desiderari potuit. Alij uulsam & fucatam orationem sectati sunt, alij cacozeli, alij antiquarij habiti sunt, alij uersicolorem illam Demetrij Phalerij uestẽ sunt imitati: & emblemata uermiculata, quæ Lucilius reprehendit, in admiratione habuerunt. Nec tamen uelim quicquã anxium esse in uerbis colligendis. oportet enim paratã habere supellectilem & copiam, id quod multa lectiõe & imitatione potissimi cuiusq; autoris & assidua exercitatione consequi poteris. Nam stilus optimus est dicẽdi artifex. Hanc ergo supellectilẽ in parato esse opus est, quã quasi è cõditorio & penu depromas. Nã se torquere, & in quolibet uerbo morari, hoc demũ est miserum esse & inopiã suã declarare. Nec sanè tanti uelim constare eloquentẽ esse. Sed & anus Attica non alia causa Theophrastum hospitem se dixit appellasse, nisi quòd nimis atticismũ affectasset. At ille facundissimus eloquẽtiæ institor res ac sententias imprimis habeat cõparatas: quibus deinde quasi

quasi tectorium uerba & orationẽ prætendat, ut iucunda & admirabilis fiat eius elo quentia. Optimus autem quisq; eligendus est, à quo phrasin mutuemus, id est elo quẽdi rationẽ. Eam in singulis spectamus uerbis, aut cõiunctis. Singula Latina sint, perspicua, ornata, & ad id quod facere uelis accõmodata. Coniuncta sint emẽdata, suo loco collocata, & figuris uariata. Absit enim utrinq; oportet barbarismi & solœcismi fœditas. Perspicua imprimis esse debet oratio, quod plane loqui Cicero appellat. quom enim oratio inuenta sit ut animi sensa explicemus, q̃ turpe sit eam ita obscuram esse, ut interprete egeat. Quare absit à nobis magister ille qui tenebris orationem inuolui suadebat, sæpe auribus auditorum σκότος inculcãs. Nam quom auditor sit modulus dicenti & moderator orationis, ad eius intellectũ omnia sunt contemperãda. qui secus fecerit, is perperã dicendi iure abutetur. Fugiendum itaq; insolitum uerbum, uti in mari scopulum, suadebat Cæsar. Ille, ut scribit Plutarchus, librum Heraclíti negabat se intelligere, multis uelamentis obuolutũ. Socrates ad eum percipiendum opus esse Delio natatore asserebat. Cauenda sunt etiam quæ à Græcis ἀδιανόητα uocitantur: Ea sunt quom uerba perspicua sunt, sensus ipsi minime possunt intelligi. Facit hic ornatus, ut oratio etiam sit uehementior: sicut ferrũ deterſum plus terroris affert hostibus. Fac, inquit miles ille glorioſus apud Plautũ, ut gladius splendescat, ut aciẽ præstringat in acie hostibus. Fulmina non ita terrerẽt, nisi multum secum splendoris cõueherent. Quid eo ordine speciosius quẽ agrestes quincuncem uocant: qui in quancũq; partem spectaueris, rectus est: sed & idem tum uitibus arboribusq; est accõmodatus, ut terræ succũ æqualiter trahant. Est aũt ornatus proprie in uerbis translatis: perspicuitas in proprijs. Ea demum oratio admirabilis est, quæ res subsequit̃, & ardua magnifice, tenuia tenui filo, mediocria mediocri prosequit̃. Quid enim est quod Vergilianũ illud admiramur, Sæpe exiguus mus, Procumbit humi bos. At illud quàm magnifice: Cõstitit in digitos extẽplo arrectus uterq;: nisi quòd illa suis uerbis, id est tenuibus dicta sunt, hoc grandibus. Dubitãt aliqui an liceat oratori uerba innouare: & sanè si parce, si tempestiue id fecerit, licet. Sic Augustus primus omnium munerariũ, reatum Messala, fauorem & urbanũ Cicero, ceruicem Hortensius dixere. Antiqua etiã suo loco posita quasi gemmæ atq; uniones enitescãt: quod religiosius factũ putabitur, si uel nouitati uel antiquitati uocis occurremus, quod Græci περιπλήθειν dixere. Nam ut ab obscœnis uel ab ijs quę obscœnis proxima sunt, abstineamus, uix necessariũ uideť admonere. Quom aũt princeps uirtus sit uitio carere, κακόζηλον in uniuersum uideať appellasse, qcquid est ultra uirtutẽ: quoties ingeniũ iudicio caret, & specie boni fallit̃: quod in eloquẽtia est omnium uitiorũ pessimũ. ἀπροσδόκητον, quom res suis locis non respondent, ἀχρήματον, quod male figuratum est. Medij autem generis exemplum illud habes apud Ciceronem in Verrẽ: Stetit soleatus prætor P. R. cum pallio purpureo tunicaq; talari, muliercula nixus in littore. Quam figurã ὑπάργιαν Græci dixerunt. Ita enim res oculis obijcit̃, ut geri, non cõmemorari uideatur. Inter cæteras uirtutes amplificatio exaggeratioq;: quæ pars ad incitandũ iudicẽ aptissima est. plus enim est, ut Quintilianus eleganter dicit, omnia dicere quàm totũ. Possumus prẽterea mediocria etiã crimina, mediocresq; uirtutes maioribus nominibus amplificare. cuius rei exẽplum illud apud Ciceronẽ in Verrem: Non enim furem, sed ereptorẽ: non adulterum, sed expugnatorẽ pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorũ religionumq;: non sicarium, sed crudelissimũ carnificem ciuium & sociorũ in uestrum iudiciũ adducimus.

Hac prætera parte sententiæ, uel ut grammatici uocant chrię, quasi lumina quædam clausulis interserũtur, circa quas minime anxiũ & sollicitum esse oportet. Quo uitio ætas Ciceronẽ subsecuta plurimum laborauit. Studuit enim ut omnis sensus in fine sermonis aurẽ feriret, ut nusquam propè sinat auditorem interspirare. Quod uitium apud Plinium Cęcilium, Cor. Tacitum, Senecãq; deprehendas. Ab hac enim ambitione minuti corruptiq; sensiculi prodeunt, & extra rem petiti. neq; enim possunt tam multæ bonæ esse sententiæ, quàm necesse est ut multæ sint clausulæ. illæ ergo optimæ haberi debent, quæ non accersitæ, sed ultro ueniunt, quæq; orationi lumen afferunt, & sunt quasi clauus purpuræ loco suo intextus. Cuius rei normam

& canona apud Ciceronem contemplari par est. ille enim omnes eloquentiæ numeros impleuit: nec parum profecit, qui sibi, quantū fieri potest, Ciceronem imitādum sectandumq; proposuit. Sunt qui pleni sui ferantur, nec iam assurgant, sed intumescant: quales Græci περῤῥησιάζοντας & μεγαλοῤῥήντας uocāt: & uerba ἀμαξιαῖα. Alij nunquam se attollunt, sed humi repunt: quo uitio Piricus, artifex alioqui celebris, laborauit. Is em̄ à tonstrinis & sutrinis & asellis suis nunq; manū amouebat, quo uitio perpetuam apud posteritatē infamiam est assecutus. Imprimis uero obseruandum est quis dicat. alia enim grauitas ac seueritas debetur uiro philosopho ac senatorio, q; cuilibet circunforaneo rabulæ. Quom Lysias elegantem illam orationē in Socratis defensionē condidisset, quam posteri admirati sunt, eam dicere Socrates recusauit: non minus quàm calceos Sicyonios induere, qui alioqui elegantes, uirili tamen pedi minus cōueniunt. Crassus Philippo consuli asserenti se nō habere senatū, respondit, se nō esse illum consulē habiturū, qui se senatorē non putaret. Hæc Crassum decuit, in alio libertas ea non facile tolerari potuisset. Pręterea nō parū interest apud quē habeat oratio. an apud principē q̄ solutus sit legibus, an apud iudicē qui nō potest nō secundū leges iudicare: neq; deprecatio, neq; misericordia quicq; iuuare potest. Quin & qua de re dicat, quodq; sit causæ argumētum, plurimū interest. Nam si in genere demonstratiuo uersamur, tū omnes ornatus, omnes phaleræ, omnia pigmēta sunt. Nam in forensibus causis, in quibus aut de fortunis, aut de salute periclitamur, prurientē orationem uix quisquam ferat. Senatoria autem & deliberatiua oratio assurgit grandius, suosq; habet dithyrambos, spondeisq; incedit operosa. In genere iudiciali omnia magis ad affectus & iram aut misericordiam uergunt, arte etiam maiore utēdum, ut furtim iudici insinuemur, & quasi in eius animū irrepamus.

Hinc etiam ratio compositionis in oratione uarias species sumit. Numerosa enim magis est, quæ circa laudem aut uituperationē uersatur, frequentioresq; in clausulis obseruat pedes Nam & soluta oratio suos habet pedes, non ea religione qua tenentur poetæ, sed aliquanto liberiores. In uersu metra, in oratione Rhetores malunt rhythmos appellare. Metra certos habēt fines, ultra quos proferri non possunt. Nam exempli gratia, heroicum hexametrū est, elegum pentametrum. Atq; ita cætera uersuum genera pręfinito numero includuntur. At in soluta oratione nihil pręfinitum, nihil determinatum, extenditurq; numerus quantum periodus fertur, ut finitam sententiā complectatur. Neq; sanè omnibus locis pedes isti oratorij annotantur, sed uel in principio, uel in clausula. ita appellant conditores oratoriæ artis finem periodi.

Quom autem uitiosum sit, clausulam in hexametrum terminare, aut ab hexametro incipere, probant tamen si principium ab hexametri fine auspicetur periodus, uel in hexametri principium desinat. Cui rei exemplo sit, Qui plurima curat negotia, non facile omnibus par esse potest. Incipit enim ab Ionico maiore & spondeo, & desinit in choryambū. Multo autē ratio pedum in oratione q; in uersu difficilior, ob incertā scilicet & uagam modulationē, quam aures non ulla perpetua norma moderatur. In omni autē uoce articulata, natura acutam uoculationem impresit, id est, ὀξεῖαν à Græcis nuncupatam: neq; eam nisi uno loco, quom cæteræ syllabæ graui tono efferantur. Eas autē syllabas longas aut breues aurium iudiciū metiatur. ex syllabis pedes, è pedibus comata, è comatibus uersus, è uersu colon, ex colo periodos efficiatur. Pedes quoq; longiores aut breuiores exire certum est, cum uoluptate aut molestia aurium. Quare alij ab alijs in clausulis ubi maximè sentiuntur, probari solent. longi quidem in re seria. Quòd si incitata feratur oratio, tunc breuiores impensius cōmendantur. Cicero triplicem annotauit pedum dimensionē, ita ut pes quilibet in duas partes diuidatur. aut enim pares esse, ut dactylus. Nam syllaba longa duabus breuibus par est, duoq; habet tempora. aut sesqui, ut pæon: qui tribus breuibus longam interserit: quæ proportio à Græcis hemiolia, à nostris sesquipla nuncupatur. aut dupla, quā Cicero altero tanto appellauit, ut iambus. Miror principem literarum ijs non addidisse tertiariam, seu tu mauis ὡπρίτῳ. Vnde hippium epitritum grāmatici uocauere: qui pes est ex diametro pæoni aduersus. Neq; ea ratione defendi potest, quòd pedes treis excedētes syllabas, numeros magis quàm pedes existima-

existimauerit. nam ea ratio ab oratione pæonem ablegaret. Cæterum autores in diuersa abeunt. Ephorus dactylum & pæonem, de quo modo diximus, frequẽtem habet, ceu à Thrasymacho inuentũ, ab Aristotele probatum, quòd ea longarũ & breuium contemperatio ei modulatior uideatur: spondeum & trocheũ, ob alterius tarditatem, alterius celeritatem fastidiens. Aristoteles dactylum ut ampliorem probat, iambum ut humaniorẽ familiarẽq; populo admittit: chorium ut nimis currentem respuit, quem ipse peculiari nomine chordacẽ nominat. Cicero, & qui Ciceronem secuti sunt creticum in principio probant, in fine pæonẽ tertium, uel Ionicum à minori. nam ferè nemo extremam syllabam dimetitur. hoc est quod Seneca dicit, quosdam sibi mirifice placuisse, seq; Ciceronianos putasse, quom ita periodum claderent, esse uideatur. Idem (quod & mihi probatur) si tamen modice id fiat, tenerisse multa uoluptate profitentur, si clausula in dichorium finiatur: ita geminatum uocat trocheum, ut illud in Quintiana ab ipso etiam Cicerone celebratum: Ita iactantur fluctibus, ut nunquã alluantur, ita postremo eiciũtur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant. Probatur ab eodẽ dochimus, qui syllabis quinq; coalescit, iambo scilicet & cretico compactus. rursus alij in hunc censum aduocantur, aut è familia eiciuntur, quos longum foret prosequi, compendium præsertim agenti. Alioqui in his superstitiosum minime esse oportet. nã simulac legendo ac scribendo multum profecimus, hi pedes se ultro offerunt, & non uocati orationem subsequuntur. Hoc est scilicet quod & Cicero persæpe admonuit: se quod numerosum est quærere, & magis compositionẽ non ἀρυθμὸν quàm ῥυθμὸν optare. siquidẽ ad poetas hæc pertinet. Sicut etiam oratores ipsos palæstritas esse nolumus, eosdem tamen ægrefe timus esse omnino ἀπαλαίστους. Hinc sunt illa Demosthenis fulmina contorta numeris. sic Pericles tonare ac fulgurare dictus est. Postremo illud non frustra admonendum puto, id optimum elocutiõis genus iudicari, quod quamfacillimum est, & minime indiget interprete: quod audientes naturali ductu persuasi, sperãt se quamprimum posse imitari: ubi autem periculum fecerint, se longe falsos opinione intelligent. ut quod de Phidiæ pictura dictũ est, id huic loco belle conueniat, μωμήσονται ὡς κάλλιον ἢ μιμήσονται.

Reliquæ partes duæ sunt, post elocutionẽ quæ naturæ magis q̃ industriæ debentur: memoria scilicet & pronuntiatio. De memoria autem prius nobis dicendum. hæc enim adeò necessaria est, ut ea deficiente, irritus sit omnis oratoris labor: quando hæc eloquentiæ thesaurus est & conditorium, cuius duplicẽ uirtutem dixere: cito percipere, & constanter retinere. Ob hoc ueteres Musarum matrẽ Mnemosynem dixerũt, & inter tres Musas apud Delphos consecratas potissimũ locum habet Mneme. Sanè non uideo quid orator efficere possit, si quę prudenter cogitauit, digesserit, expoliuit, protinus effluant. Id quod Curioni oratori euenisse legimus, qui totam causam oblitus est. Cuius rei culpam ille in magicum uenenũ reijciebat, quo sibi memoriã ademptam profitebatur. Messala sui nominis oblitus fertur, Didymus oblitus historiæ quam scripserat: alius seruorum. Nulla est enim pars in homine lubrica magis, & quæ facilius uitium accipiat. Hæc igitur omni ratione excolenda est. nam quom omnes oratoriæ opes hac contineantur, frustra cætera quæras, ubi hæc semel interciderit. Nam quomodo obiecta ab aduersario crimina diluas, si quid ille obiecerit, obliuiscare? Quom uero totius laboris quẽ nos exercẽdo perferimus, & quasi omnium lucubrationũ nostrarum pręmium sit extemporalis actio: quo hanc illo unquam tempore assequare, si memoria quasi uas Danaidum undiq; perfluat: si quod à nobis accepit, ceu malus creditor recuset exhibere? In ea eĩm uestigia quędam rerum imprimuntur: quę si exolescant, operã & impendium perdideris. Obstare memoriæ usum literarũ dixit Thoyth ille Aegyptius apud Platonem in Phædro. Et nos tamen uidemus arte imaginum & locorum eam adiuuari. nam locis pro cæra, simulachris pro literis, nos uti Cicero existimat. Eam artem à Simonide Melico inuentam tradidere receptissimi cõditores, quom triclinium Scopæ Thessali in quo discubuerat, in conuiuas corruisset: ipse aũt fortè euocatus à Castore & Polluce

exisset, in quorum laudem hymnum ediderat. Nihil est autē quod magis memori
am adiuuet quàm ordo. Serie itaq; sunt loca & sedes distinguendæ, ne crebritate &
frequentia confundantur. Rursus ne raritate memoria dissipetur, signa & imagines
aptæ constituendæ sunt ijs locis. Sit signum nauigationis anchora, sit militię sarissa,
rei rusticæ aratrum, quæ deinde relegentes in minimarū etiam rerum recordationē
redeamus. Nam quo quisq; ingeniosior ac promptior est artifex ad imagines recon-
dendas, hoc erit ad remetiendas etiam facilior. Ridetur merito Metrodorus huius
artis maximus iactator, qui in XII. signis, per quæ sol meat, trecētos & sexagenos
inuenisse locos profitebatur. Qui enim hoc fieri perspicue potuit? quom circuli illi-
us cœlestis partes nec certis terminis præfiniantur, & omnes ab imaginario animi
captu pendeant. Per partes etiā ediscere quod dicturus es, satius est, ne onere me-
moria fatiscat. Certa etiā signa, uel mauis notas appellare, apponendæ sunt: quibus
animus excitetur, & illustrior cuiusq; rei sedes efficiatur. Quid quòd expedit quæ-
dam obliuisci. Tenacius enim mox hærent, quæ prius exciderunt. Tacite etiam
ediscere & uoce sublustri pręstat, ut murmur potius quàm uox uideatur: quàm uel a-
lio prælegente, uel exerta uoce & sibi quasi obstrepente. Multi hac parte fuerunt
celebres. Cyrus in exercitu penè innumerabili omniū militum nomina tenuit. Mi
thridates duas & uiginti linguas (tot enim nationibus imperauit) calluisse dicitur.
Themistocles anno uno Persicam linguā perdidicit. Theodectes multos uersus
semel auditos protinus reddidit, ita ut nulla pars subsultaret. Cicero suo oratori
memoriam optat Iureconsultorū: quam qui assequi nō potuerit, præstat ut scribat,
uel certè aliud agat quàm frustra oratoriam sequatur: sic Isocrates forensem actionē
dicitur reformidasse, & in scribendis orationibus maluisse tempus exponere. Debe-
mus enim omnes naturę supellectilem excutere, & uires ingenij metiri. Sequitur
altera pars, quam licet primū naturæ debeamus, mirum tamen est quàm & ipsa arte
& exercitatione adiuuetur. Hanc Cicero nunc actionē, nunc pronuntiationem ap-
pellat. Actio motu continetur. est enim quasi quædam eloquentia corporis. pronun-
tiatio indicat. Hæc à Græcis ὑπόκρισις dicitur, cuius ea uis est, ut sine illa omnes affe-
ctus langueant, omnis orationis facultas iners sit ac propè demortua, omnis asseue-
ratio inanis. Non iniuria itaq; Demosthenes huic primas ac secundas & tertias par-
tes attribuit, ceu totius summa oratoriæ illa cōtineretur. Hinc uulgo dictum est, ma-
gnam partem Demosthenis abesse à Demosthene, quom eius orationes legūtur. Et
Aeschines nō frustra quom Rhodi luculenta illa oratio aduersus ipsum dicta multis
esset admirationi, magnum aduersario testimonium reddidit: τί δὴ εἰ αὐτοῦ θηρίου ἀκη-
κόατε. Quid si illam bestiā audissetis? Sic enim interpretatus est Hieronymus. Ae-
schinem aūt Demosthenes à splendore uocis λαμπροφωνότατον solet appellare. Hanc
in animis hominū dominari & quasi tyrannidem exercere Cicero affirmat. Sic Cn.
Lentulum plus opinione quàm eloquentia consecutum testatur. Sic C. Gracchum
in deflenda morte fratris, P. R. lachrimas concitasse. Hoc est quod Quintilianus
tradit, Hortensij scripta qui uiuēs diu regnauit in foro, apud posteros fuisse intra fa-
mam. L. Cotta, si Ciceroni credimus, ab hac omnem artē abdicabat, horridamq;
illam & rudis antiquitatis imitatricē sectabatur, quasi sola natura ad hoc sufficeret.
Qua in re toto stadio falsum existimamus. nam & si primas partes natura uendicet,
non tamē ars omnino excludenda. & sanè si quis tam deformi, tā illiberali uoce fue-
rit, ut nulla arte emendari possit, huic libenter suadeamus, ut ab hac institutione de-
cedat. Leo Byzantius ob staturæ paruitatē, quom Athenas orator esset profectus,
derisui primo habitus est: idem mox agens, admirationi fuit. Demosthenes difficul-
tatem pronuntiandi scrupis ore insertis dicitur emendasse. Idem se ad speculum pe-
riclitabatur. Ad fluctus uero se offirmabat aduersus clamores populares. Augustus
Cæsar operam dabat phonasco: ita moderatorē uocis appellabant. Quom autem
multæ sint uocis qualitates seu modulationes, imprimis enitendum est, ut uitiū ab-
sit, & sit castigata cū suauitate uocū explanatio: qualem Græci ὀρθοέπειαν uocāt. Ca
uendū itaq; ne in iotacismos aut lambdacismos Alcibiadis incidamus, ne ἰσχνότητας
imitemur. quales sunt qui uoce angusta & exili, quasi per obturatam tibiam uocem
disperdunt

disperdunt.absit πλατασμὸς, quom turgidis & ampullosis faucibus uocem amplia mus, quales Græci μεγαλορρῆπας uocitant. Absint etiam duo inuicẽ contraria uitia ἀκροστομία καὶ κοιλοστομία: quom summis scilicet labris uoces enũtiamus, uel quom uox quasi in recessu oris auditur. Quo uitio Hebræos & quosdã alios barbaros uidemus laborantes. Nolim etiam mihi Trachalum aliquẽ dari: qui adeò uocalis & clamosus fuisse dicitur, ut in Iulia basilica dicens ab omnibus tribunalibus audiretur. Sit itaq; modus. hunc facile inueniemus, si qua de re agatur, indicauerimus. Quom enim in grandiori stilo uersamur, qualem ἀδρὸν Græci uocitãt, uox materiæ respondeat, & in acri pugna acrior audiatur. Non enim ubiq; omnes uires exercendæ sunt, neq; omnis gladius omni certamini conuenit. Aliter luctam in stadio, aliter σκιαμαχίαν in ξυστῷ, aliter in iusto cõflictu conatus omnes nostros exponimus. Mediocris ergo cau sa mediocri sono, & medijs (ut aiunt) tibijs cõtenta est. Humile autẽ genus dicendi sermonem & quotidianam locutionẽ exquirit. sic Aesopus grauior fuisse dicitur, quòd in tragœdijs exerceretur: Roscius citatior q; comœdias ageret. Illi cothurnus, huic soccus cõueniebat. Rhinton & nudis pedibus prodijsse traditur, quòd planipedes fabulas tractaret. Sic alio loco doricum sonum, alio phrygium, alio lydiũ ad concitandos, uel pacandos animos adhibent incentores: sic tubam, sic tibiam, sic citharam, sic fistulam pro rerum & temporũ conditione probamus. Nulla autem re magis uox in officio continetur quàm frugalitate ac temperantia: exercitatione autem perficitur. exercitatio uero casta sit. Neq; enim uelim eam in canticũ exire, neq; effœminate ac muliebriter efferri. Nam recte ille dixit: si cantas male cãtas, si dicis bene cantas. Et Persius in eum inuehit̃ qui plasmate guttur Mobile colluerit patranti fractus ocello. Sit ergo uox uirilis & rei p̃senti accõmodata. Laudat̃ in Catulo suauis literarum appellatio. Fusca uox in Antonio minime improbata est, præsertim si lugubri & funesta in oratione se exerceret, si lachrymas moueret, si misericordiam incitaret. Ob hoc Cethegus suauiloquenti ore ab Ennio dictus est. sic denique omnes homines uoce ut æra tinnitu discernuntur. Cuius rei causa nonnulli putauere ab Homero μόροπας homines appellatos. Sit ergo uox lucida ac perspicua & explanata, sit suis locis distincta, & tẽpestiue liceat interspirare. Aut enim oratio ad periodum, quam circumitũ Cicero interpretatur, peruenit: quo loco πλάσιγμὴ, id est perfecta interpunctio adnotanda est ad perfectam sententiam declarandã. Aut confectum est κῶλον, id membrum uocamus, quom semiperfecta est oratio. & στιγμὴ, id est punctum adscribendum est. Aut ad coma peruentũ est, quod nostri cæsum uel incisum nuncupant, cui ὑποστιγμὴ, id est subpunctum conuenit, quom oratio ita suspensa est, ut animus nusquã conquiescat. Exemplo illud esse potest ex Milonia na. Etsi uereor iudices, coma est. ne turpe sit pro fortissimo uiro dicere incipientẽ timere: colon est. minimeq; deceat, coma est. quom T. Annius ipse magis de reipublicę salute quàm de sua perturbetur: colon est. me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse: colon est. tamen hęc noui iudicij noua forma terret oculos: colon est. qui quocunq; inciderunt, coma est. ueterem consuetudinẽ fori & priscum morẽ iudiciorum requirunt. periodus est. Hæc autem enuntiare sine mora ac respiratione, aut contextum orationis interrumpere, ubi minime par est, æqualis culpa & par uitiũ censeri solet. Virtus enim distinguendi, ut inquit Quintilianus, fortasse sit parua, sine qua tamen esse nulla alia in agendo potest. Illa quoq; inter primas obseruatio recte pronuntiandi habetur, ut uox sit æqualis, neue subsultet imparibus spatijs. Tum ne satietas auditorem afficiat: neue in uitium incidamus, quod μονοειδὲς, id est unus quasi aspectus à Græcis dicitur, opera danda est: ut nunc attollatur, nunc demittatur, nunc arrideat, prout magna uel humilia uel blanda lætaq; cõcipimus. Denique obseruare quid deceat, id à Græcis τὸ πρέπον dicitur, summum ac potissimum est in omni conatu oratorio. Hoc ut seruaret C. Gracchus, uocem q; pro specie rerum moderaretur, habuisse dicitur incentorem post se, habentem fistulã quam tonarion uocabat: hanc furtim inflabat, aut reflabat, prout incitandus, aut ab incitatione reuocandus erat populus qui eum in concionibus audiebat.

Ob hoc dictũ est, uiuã uocem multũ habere ἐναργείας, id est euidentiæ. Sic enim

legendum est: non ὑφηγείας, ut male scriptum est apud Quintilianum. Actionis alteram partem ad motum pertinere diximus, sine qua muta est & prorsus exanimis omnis oratoris opera. hinc Demosthenē Andronico hypocritæ, id est histrioni operam dedisse legimus. Hinc apud Plutarchum mandatum est literis, sæpe inter Ciceronem & Roscium certamen fuisse, uter pluribus modis eandem sententiā declararet: an Cicero dicendo, an Roscius agendo ac gesticulando. Hoc est quod frequenter accepimus, oratores quom se ad dicendum accingerēt, imprimis articulum conformasse. Varij enim & planè innumeri fuerunt motus tum corporis totius, tum capitis, tum cubiti, sed imprimis manuū atq; oculorū. His enim nō solum adnuimus aut renuimus, asseueramus aut repugnamus, sed propè loquimur, atq; animū audi-toris oculis subijcimus: & rerū quas dicimus ita fidem facimus, ut lingua pectori & linguæ pectus subscribere intelligatur. Otiosam illā & inactuosam actionē Cicero Callidio imputauit. An ista si uera essent, sic à te dicerentur: nō frons percussa nō femur: quom sic ageres, uix somnum tenebamus. Nam femur percutere, quod Athenienſium primus Cleon dicitur inuenisse, indignantes solebant: frontem autem percuti à Quintiliano improbatur. Alioqui uarij erant gestus ac motus, quibus pro tempore oratores utebantur. Cicero tradit Crassum optime indice usum: inclinatus in humerum affirmat, uersus in terram urget. Hic & medius pollici iunctus approbantibus & narrantibus & distinguentibus decorus. Ad os manum referunt deprecantes. Compressa manus iræ aut misericordiæ indiciū. Optime manus à sinistra parte incipit, in dextra deponitur: contra uitium putant, si à dextra referatur in sinistram. Sicuti neq; unquam sola manus sinistra recte gestum facit, dextrę se frequenter accōmodat. Alijs qui se intrepide dicere iactāt, habitus pacificator in statuis placet: qui inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure protenso, manū infesto pollice extendit. Pedis supplosio & in contentionibus probatur à Cicerone. Sunt & aliæ innumeræ gesticulationes, quas prosequi longum foret; præsertim quom nostra ætas earum plerasq; non agnoscat. Alioqui nimis actuosam & gesticulatricē actionem etiam ueteres improbarunt. nam & respicere lacunaria, perfricare faciem, excreare, & trochleis pituitam è pulmone reuellere, turbatam comam aptare, uitiosa existimarunt. sicut excursare in dicendo. Aduersus quod facientes Cassius Seuerus lineā popoſcit, & Flauius Virginius antisophistam quendam interrogauit, quot passuum milia declamasset. Et Domitius Afer urbane dixit, Suram Manilium non agere sed satagere. Demosthenes quòd immodice iactaret humeros, suspensa desuper hasta uitium emendauit. Male audijt Titius se modo in leuum modo in dextrum latus contorquens. Et de Curione patre hac illac nutante quesijt Iunius, quis in lintre loqueretur. De quo & Sicinius elegan-ter ad Octauium eius collegam unguētis delibutum,

Nunquā, inquit, collegę tuo parē gratiā refe
res, qui nisi fuisset istic, hodie te mu
scæ comedissent.

PARAPHRASIS IN PRIMVM LIBRVM ETHICORVM ARISTOTELIS, CÆLIO CALCAGNI no authore, ad Antonium Muſam Braſauolum.

NEA ſolum quæ à deo protinus rerum omnium autho re proficiſcũtur, neq; ea quæ proxime à natura pendent, ſuum ordinem tuentur: & ad authorem ſuum, in quo uoti ſumma repoſita eſt, & ex quo omnis boni origo perma- nat, conuertuntur: ſed & nulla eſt pars uitæ, quæ hoc bo- ni agendum deſiderio uacet: uel eam partem intelligas, in qua intellectus humanus uerſetur, quom artes exercet, aut quom in rerum cognitione uerſatur: uel eam ſpectes, in qua appetitus pollet, & animi inductio, dum agimus, aut deligimus quid agi oporteat. Ob id ueteres prudentia adeò exiſtimantur id bo- num præfiniſſe, cuius amore omnia rapiuntur: ſeu illud uere bonum ſit, ſeu tantum boni gerat imaginem. Bonum enim eſt finis, ad quem publice omnia enituntur. Et licet actionum humanarum non idem finis, idem tamẽ uotum eſt omnibus. Sunt e- nim actiones quædam quæ ſeſe contentæ ſunt, & in ſe ipſas decumbunt: quædam non ſe contentæ, opera quædam pariunt & quaſi perfunctionũ ſuarum teſtimonia. Et ſanè in ijs quæ præter ſe aliquod relinquunt monumentum, id quod relinqui- tur opus, multo ipſis actionibus eſt præſtabilius: utpote cuius gratia labor & perfun ctio illa fuerit ſuſcepta. Quom itaq; in uita hominum multæ actiones atq; artes exer- ceantur, multis præterea ſcientijs operam impendamus: hinc factum eſt, ut uarij fi- nes pro actionum artiumq; & ſcientiarũ conditione ſpectentur. Nam medicinæ fi- nis ſanitas: naualis fabricæ finis nauigium: facultatis militaris finis uictoria: familia- ris adminiſtrationis finis opum conquiſito. Sunt etiam quædam artes ſeu diſciplinę ea ratione inter ſe connexæ, ut altera ex altera pendeat, & gradibus ad optimatem quandam perueniãt, cuius gratia illæ omneis ſint inſtitutæ. Exemplo eſſe poteſt ars frenorum, aliæq; inſtrumentorum huiuſmodi equeſtrium opifices: quæ ſanè omnes ut exercitationi equeſtri inſeruiant comparatæ ſunt: quæ tamen ipſa equeſtris exer- citatio cum ſuperioribus illis quæ apparitorum uice funguntur: quin & omnes aliæ quæ rei bellicæ nomen dederunt, dubio procul facultati ac diſciplinæ militari obſe- quuntur. Qui honorũ gradus & in aliquot alijs artibus ac ſcientijs præfulgent: ſum- mum autẽ locum, ac ipſos, ut aiunt, faſces illæ retinẽt, quas noſtri optimates, Græci architectonicas uocant: earumq; fines potioris ac maioris prærogatiuæ ſunt, utpote quorum gratia reliquæ illæ minorum gentiũ accitę ſint. Neq; profecto intereſt an ſu premi illi fines ex meris actionibus oriantur: an præter actiones opera quædam & quaſi fœturas quaſdam relinquant: prout exemplo dictarum ſuprà facultatum abun de teſtati ſumus. In diluenda ea opinione quę bonum quoddam abſtractum ac ſe- peratum poſuit in mente diuina, idq; uniuerſale ex quo tanquam ab æterno quodam exemplari inferiora hæc bona proficiſcuntur, ſatius eſt paulo diutius immorari: & ſi aliquibus fortaſſe huiuſcemodi ſpeculatio: primo magis philoſopho quàm morali conuenire uideatur. Nã ad primũ philoſophũ hoc imprimis pertinet, ut quæ uniuer ſalia ſunt & in diuinitate poſita, ea altiore ſcrutetur indagine. Ad hanc difficultatem accedit, quòd nonnulli fortè exiſtimabunt parum grati animi teſtimonium uideri, ſi amicus aduerſus amicũ, & diſcipulus contra præceptorẽ cornua obuertat. Nam qui exemplaria hæc uniuerſalia, quas ideas ſeu formas potes appellare, introduxerunt, & præceptores fuerunt, & ſumma nobis amicitia coniuncti. quorum autoritas quo maior eſt, pluribusq; poteſt perſuadere, hoc impenſius nos pro ueritate ſtare opor- tet. Nam ſi omnes mortales decet ueritati laboranti opẽ ferre, nec alienas modo opi-

niones

niones in ueritatis gratiã refutare, ſed ſuas etiã atq; à ſe adſertas: certè hoc maximè philoſophos, id eſt ſectatores ſapientię, decet. Quid enim aliud eſt ſapientia, niſi ueritatis exploratio? quom ergo hinc ueritatis, inde amicitiæ nos moueat religio, potiorem ſanctioremq; eſſe oportet apud nos ueritatis dignitatem. Atqui eorum ipſorum argumentis, qui ideas aſſeruerũt, nullam eſſe uniuerſalem boni ideã, haud magno negocio conuinci poteſt. Aiunt illi eorũ non eſſe ideas, in quibus ſucceſsionem temporis, & prius ac poſterius, annotamus. Quæ cauſa effecit, ut numerorũ ideam eſſe pernegarẽt. Quom eñ numeri ſe mutuo nexu ſequant, & per accremẽta unitatis ſuccreſcãt: qui fieri poteſt ut una omnibus idea ſatisfaciat, priores ac poſteriores includens? Porrò quom hoc idem bonis contingat, aliaq; priora, alia poſteriora ceanſeantur: eorũ nullam eſſe ideã iure optimo dixeris. quòd ſi quis in dubium uocet, an priora poſteriora q; bona ſint, inde facile intelligat: q; quom alijs atq; alijs in prædicamentis ſita ſint bona, quorum prædicamentorũ per ſe ſubſtantia eſt, reliqua poſteriora utpote ſubſtantiæ adiacentia: hinc fit ut quodcunq; bonũ in ſubſtantia ſitũ eſt, id prius ac potius aſſeramus. Quod uero in prædicamẽto, qualitatis puta aut relationis, id poſterius ac infirmius iudicemus. Sunt enim huiuſmodi prædicamenta quæ ſua ope niti non poſſunt, & alienum præſidiũ quærunt, quaſi adnata, & propagines quædam ad ſubſtantiã, quæ ſola per ſe eſt, accedẽtes. Ex his, puto, facile eſt intellige re, in omnibus bonis cõmunem ideã inueniri nõ poſſe. Sed & altera ratione quoq; idearum cõmentatio refelli poteſt: quom enim bonum & ens inter tranſcendentia, id eſt ea quæ ſuo ambitu omnia complectuntur, à philoſophis annumerari ſoleant: idq; receptum ſit, quot modis unum tranſcẽdentium dicatur, totidem & aliud dici ſolere: ex eo quoq; facile intelligi & pro confeſſo haberi oportere, ens & bonum totidem modis admittendũ accipiendũq; eſſe. Quod per omnia prędicamẽta excurrens leui opera exploraueris. In ſubſtantia deum & mentẽ, ens & bonum æquè dixeris, in quali uirtutem, in quanto mediocritatẽ, in prædicamento ad aliquid, utile, in tempore opportunitatẽ, in loco diætam. atq; ita in alijs & bonum & ens pari ratione obſeruaueris. Quorum omnium prædicamentorum quum nullum ſit unũ ac uniuerſale genus, ad quod cætera omnia entia ac bona referanť. Nam ſiquod foret, tum abdicata prædicamentorũ multitudine, ad unum illud omnia reuocarentur. Quod quom nuſquã ſit inueniri, ipſaq; etiã ueritas reclamet, & exerta adeò uoce eos redarguat, qui ens aut aliquod omnino tranſcendentiũ ſummo faſtigio collocarunt: ceu decem illa Ariſtotelis prædicamenta ad unum illud referri poſsint: quom nomine forte id fieri poſsit, quòd ſubſtantia iuxta & accidentia iure entia poſsint appellari: ratione certè multum inter ſe diſcrepabunt. Quippe ſubſtantia ens eſt, quoniam per ſe nitetur. Accidentia uero entia ſunt, quòd ſubſtantiæ incumbant. quæ ratio quom uera ſit & confeſſa apud potiores philoſophos, nullumq; unum ſit ad quod omnia prouocent: illud quoq; confiteamur neceſſe eſt, boni ideã rem eſſe planè cõfictã & commentitiam, ad quam bona omnia quaſi in originem & fontem ſuũ referantur. Sed & nõ aliunde melius hæc ideæ cõmentatio coarguí poteſt, quàm ex eorum ſcitis & decretis qui has ipſas ideas cõmenti ſunt. Aiunt illi eorũ quibus una præſideat idea, unã quoq; eſſe ſcientiã: quo fit, ut ſi bona omnia ex una pendeãt idea, neceſſe quoq; ſit, omniũ bonorũ ſcientiã eſſe unã. Quod quom lõge à uero abeſſe deprehẽdamus, neq; ipſi autores aſſertoresq; ideæ ſuam ſatis ſententiam tueri poſſunt. Bonorum uero omnium non unam eſſe ſcientiã ex eo facile liquet, quod non modo quę uarijs in prædicamentis, ſed quæ uno eodemq; prædicamento cõtinentur bona, diuerſam rationem habẽt atq; animaduerſionẽ. eſto nobis exemplo, occaſio ſub prædicamento temporis. Hanc aliter imperator in arte militari obſeruat: ut comparandæ uictoriæ, aut eludendi hoſtis gratia tempora deligat, differat, aut præoccupet. Aliter medicus in curanda ægritudine tempus captabit ad uenã aperiendam, aut propinandum pharmacum. Sic in prædicamento quantitatis peritus medicinæ artis aliter mediocritatem uictus metietur, quom uel corpus ſanum alendum, uel ægrum ſanitati reſtituendum ſuſceperit. aliter gymnaſticę artis magiſter, quom pro cuiuſq; habitudine adoleſcentibus exercitationum modum præfinierit. Occaſionem uero & mediocri-

tatem

tatem nemo est qui in censu bonorum non ponat, uarijsq; rationibus præscribat, prout aliter atq; aliter necessitatibus humanis inseruiunt. Adde his, quòd aliquis forte in dubiũ uocet, quid hoc sit, quod Academici & idearũ laudatores αὐτοανθρωπον, id est unumquodq; ipsum uocitant: nec sine hoc pronomine rei naturã satis uideantur expressisse, atq; hoc ipsum ad ideam referendũ putent. Sed quid obsecro interest an ἄνθρωπον an αὐτοάνθρωπον, id est ipsum hominẽ dixeris: si utriusq; eadẽ ratio, eadẽ definitio sit. Quatenus enim homo est, homo simpliciter dictus, ab ipso homine nihil differet. Quæ enim eadẽ definitiõe cõcludunt, eadẽ quoq; esse necesse est. Quòd si hoc modo habebit, sanè neq; bonũ neq; ipsum bonum discrepat. Quæ igitur hæc frustratio est, inania uniuersalium simulachra, quæ nulla sunt, persequi: & non hæc potius particularia bona, quæ obuia & sub manu sunt, amplexari? Sed enim mihi uideor exaudire hosce amatores idearum inclamantes, atq; in eo hominem & ipsum hominem, bonũ & ipsum bonum dissidere maximopere cõtendentes, quòd hic noster homo, quẽ oculis & sensu attingimus, caducus & mortalis est, omnibus temporum iniurijs expositus: ille autẽ qui ipse homo dicitur, æternus atq; immortalis est, nulli temporum uicissitudini obnoxius. breuis autẽ æui & æternitatis differentiam neq; exilem esse neq; cõtemnendam. Sed hoc etiam si uerum fateamur, nihil tamen ad rem pertinere omnes intelligẽt: qui nõ de æui quantitate, sed de re ipsa ac existentia controuersiam natam intelligent. Nec enim temporis diuturnitas efficiat ut hoc illudue album nigrúmue magis sit, quòd diutius albedinẽ aut nigredinẽ tuatur. Diutius fortasse dici possit, albius certè aut nigrius dici nõ potest, siue omne æuum, siue unam dieculam tantũ colorem seruauerit. Vt multo mihi probabiliora dixisse uideantur Pythagorici, in serie & œconomia illa bonorum & malorũ quam induxerunt unum ipsum constituentes, ex quo bona cætera sint & dicantur. Sic enim & multitudinem uniuersalium declinarunt, & ad causam unam optimatẽ omnia retulerunt: quam autorem bonorum arbitramur. Quorum etiã sententiæ Speusippus sororis Platonis filius, eiusq; in academia successor subscripsit. Sed de his cõmodius & suo magis loco in Metaphysicis agetur. Nam hæc uniuersalia & à materia ablegata morali philosopho attigisse fortè etiã quispiam nimium putauerit. Necessario autem nos in hanc tractationẽ descendisse arbitramur hoc loco: ne quis relicta cõtemplatione uirtutis & actionum quę ad feliciter degendam uitam in medio hominum pertinet, nos ad uniuersalium & idearum cõfictas imagines spectandas transuersos agat. Sed ne qua latebra in quam perfugiant aduersarij, relinquatur, neu sibi calumniam factum iri clament, nisi omnia excusserimus, age & hanc quoq; ansam eorum tergiuersationis subtrahamus. Nec enim desunt qui nos sequius eorũ uerba interpretari conquerantur, quàm ipsi uelint accepta. Nec se quom de boni ideis mentionem habẽt, temere ac promiscue bona omnia ad ideam uocare. Bifariã enim fertè bona agnosci. Alia scilicet quæ sui tantum gratia expetuntur, ut bona frui ualetudine, aut multarũ rerum scientiam tenere. Alia non per se, sed eorũ quæ per se sunt, gratia. uel quòd ea efficiant, ut doctrina, sine qua non temere quispiam proficit: aut conseruant, ut studiũ ac meditatio: aut cõtraria depellunt, ut pars illa medicinæ quæ προφυλακτικὴ dicitur, causas arcet morborũ. Ea enim propagãdæ sanitatis gratia inuenta est. Quæ omnia licet bona absolute non dicantur, nemo tamen bona esse infitiabitur, ex quibus tantum utilitatis capessamus. Sed age his sepositis, spectemus priora & præcipua illa quæ se ipsis cõtenta diximus, an uni ideæ hoc debeant, quòd bona dicuntur. Sed percunctetur aliquis rursus, an ea per se bona existimemus, quę abdicato aliorũ respectu affectamus: ut sapere ac uidere: ut uoluptates assequi, quas bene actæ uitæ cõscientia nobis conciliat: ut honores adipisci, qui uirtutis ergô impendi solent. Quæ omnia tametsi alterius desiderio exoptãtur, detur tamẽ tantisper dum quod agitur peractum sit, ut quispiam sui gratia, non in alterius præsidium, ad hęc anhelet. Sunt enim qui nõ ultrà uoti pomerium extendãt. hoc si iure datum est, si multorũ cupiditas his metis consistit, quid obsecro nobis accõmodabit idea? quid præstabit utilitatis quã nemo agnoscit, nemo expetit sibi? Alterũ igitur oportet fateamur, aut sui causa nihil optari, sed omnia in ideæ gratiam deposci, quod quàm absurdum

dum sit ostendimus, aut ideam esse prorsus rem inanem, imaginariam, ac somnio si
millimã. Quòd si neq; his rationibus manus dederint, & reluctari adhuc pergant
aduersarij, contendentes hæc, quę diximus, ideo per se bona appellari, quòd ab una
idea pendeant: illud quoq; fateantur necesse est, unam in his omnibus per se bonis,
boni rationem constare. Sicuti una est albedinis ratio, ex qua niuem ac pysmithium
alba nũcupamus. Siquidẽ in utriusq; superficie is eminet color, qui oculorũ obtutũ
& uim opticã secernere potest ac dissipare. Quod quom in ijs quę per se bona existi
mant, multo secus euenire intelligamus: & honoris ac prudentiæ & uoluptatis alio
rũq; ejuscemodi lõge diuersam inter se rationẽ deprehẽdamus: nã honorẽ dicimus,
peruagatã apud homines de alicuius uirtute opinionẽ: prudentiã, eã animi uim quę
ex anteactis futura prospiciat: uoluptatẽ, eam tranquillitatẽ in qua hominis animus
acquiescat: atq; ita in cæteris aliæ & aliæ rationes colligant. Nõ est profecto q; in ijs
quisquã cõmune quoddã ex idea bonum cõminiscat. Quòd si quis etiã argutari per
rexerit, percunctetur q; quo nam igitur pacto tam diuersa in unã boni nomẽclaturã,
unumq; cõmercium conspirauerint, si hoc ideę beneficio acceptũ non ferunt. Num
id fortuitò factum sit, ut eorũ pleraq; quæ æquiuoca nuncupantur: an quod ab uno
omnia defluant, ut aquę ab uno fonte emanantes. an quod ad unum omnia reuocen
tur, ut lineæ à circumferentia ad centrum cõmeantes. Ego si mihi liberum iudicium
relinquatur, malim in eorum sententiam concedere, qui comparatione ac proportio
ne quadam rationum conuenire & collimare ea uniuersa inter se bona arbitrantur,
prout dici solet, ex quadam mutua collatione oculum corporis, animæ mentem esse
speculam, atq; alia huius generis quæ per analogiam dicuntur. Sed hæc multo sa
tius hoc tempore omittere: nam exacte ea scrutari, ut diximus, & ideæ rationes o
mnes ad coticulam explorare, tum maioris studij, tum altioris philosophiæ partes
sunt. Hactenus in eos disputauimus, qui sibi ideas confinxerunt: & rationes ali
quot perstrinximus, quibus eorum sententia refellatur. Nunc liberalitate nostra su
as sibi ideas precario habeant ac foueant, sit, ut ipsi uolunt, uniuersale quoddam bo
num quod de omnibus prædicetur, separatum ac discretum à materia, se ipso conten
tum. Tum uero cui usui nobis esse poterit? quid ex eo cõmoditatis ratiõibus nostris
accedet? quom id à nobis tam semotum sit, tam disiunctum à proposito, ut neq; ha
beri, neq; humana opera cõparari possit. Hoc enim illud est quod quærimus in quo
laboramus: bonũ scilicet illud inuenire, cuius auspicio ac præsidio felicitate aliquan
do perfruamur. Ad hæc non deest quod illi respondeant. Nam ut ingenue fatean
tur, esse illud uniuersale bonũ, quod ideam appellamus, tam disitum ac separatum
à nobis, ut neq; mancipio neq; usu capi possit: esse tamẽ eius cognitionẽ non solum
accõmodatam, sed etiam perneccssariã ad ea bona exploranda & conquirenda, quę
hic manu teneri possunt. Esse enim illud exemplar ac simulachrum quoddam æter
num, eorum bonorũ quorum desiderio hic flagramus: quod sanè cognitum ac per
spectum magna est nobis adiumẽta allaturum. Quod eorum responsum prima sanè
fronte quandam ueri faciem prę se fert. sed si altius scrutemur, nihil habeat ulla cum
disciplina coniunctũ, nihil quod ulli arti aut scientiæ opituletur. Quom enim omnes
artes ac disciplinæ bonũ quoddam sibi proposuerint, & in id incredibili studio adni
tantur: neq; aliquid prætermittant, ut huic desiderio aliquando satisfaciant: nõ pos
sent non imprimis uniuersalis huius boni, ex quo cætera defluãt, rationem habere.
Dignum foret præterea admiratione, si uniuersi opifices atq; artium exercitores, lu
criones præsertim & ad quæstũ faciendum semper accincti, tantã rerum suarum oc
casionem prætermitterent, quom ex eius unius boni cognitione tantũ illis compen
dium spõdeatur. Mihi profecto nõ fit ueri simile, tantã illis segnitiem aut socordiam
obrepere. Sed optem audire quid tandem aut textori aut fabro huiusce boni cogni
tio ad artem suam uel pernoscendam, uel absoluendam, cõmodi adiumentiq; sit alla
tura? an uero medicus altius ac locupletius est naturæ arcana exploraturus? an felici
us morborum inclemẽtiæ occurret? an imperator eligere locũ castris, milites instrue
re poterit sapientius, aut fortius ac fortunatius depugnabit, quom ideam perspexe
rit? Sanè, ut uideo, neutri inde accrescet fiducia, quom præsertim exẽpli causa tãtum

abs

absit ut medicus uniuersali uni homini suam operam accõmodet, ut neq; homini cu rationem, sed huic multo magis homini, id est ipsi indiuiduo polliceatur. Solet enim ars medicinæ nõ uniuersales & communes humani generis habitudines, sed priuatas ac proprias uniuscuiusq; scrutari, & pro morborum diuersitate remedia adhibere. Et de his quidem hactenus.

IN POLITICA ARISTOTELIS, CAELII CALCAGNINI PARAPHRASIS AD ANtonium Musam Brasauolum. 1

QVOM abunde perspectum habeamus, nihil esse ciuitatẽ, nisi cœtum ac societatem hominum iure congregatã: omnem aũt cœtũ ea causa conuenire, ut boni aliquid assequatur, quãdo omnes omnibus in rebus agendis bonũ habẽt in consilio, atq; id actionum suarum metã statuunt: persuasum quoq; illud haberi oportet, omnibus cœtibus bonum quoddam esse propositum, cuius gratia in unum conueniant: & quo maiores melioresq; sunt cœtus, & societates reliquas continent, hoc maius ac præstantius bonum appetere: quod sanè proprium est eius cœtus & conuentus, quam ciuitatem, seu ciuilem societatem appellamus. 2 Cæterum qui eius qui ciuitatis gubernationem obit, & regis, & patrisfamiliâs, ac domini idem munus eandemq; functionẽ putant, non recte sentiunt: quando eos multitudine & paucitate tantum, non etiam specie differre arbitrantur, ceu paucorum dominus, pluriũ paterfamiliâs, plurimorum ciuitatis gubernator, aut certè rex curam gerat. Ita enim rationem ineunt: quasi frequẽs domus, & infrequẽs ciuitas, & ciuitatis princeps, & rex nihil differãt prorsus. Nam qui perpetuò præsidet, rex appellatur. Qui uero ex formula ciuitatis nunc præsidet, nunc imperium fert, hunc administrũ ciuitatis uocitamus. Atqui hæc male inita ratio est: id quod institutã hoc loco disciplinam scrutãtibus facile constabit. Nam si lubet à cæteris exemplum mutuari, sanè quicquid ex multis coaluit, ut exacte quid sit intelligatur, ad ea usq; quæ indiuidua sunt comminui oportet: quando hæc minimę sunt portiones quæ in alias minores secari nõ possunt. Pari pacto obseruantes quibus ex partibus ciuitas coalescat, quæ pluribus paucioribusue segmentis constent, quid item inter se differãt, & quo artificio compactæ sint, exploremus. Quòd si quis ex cæteris à suprema usq; origine exemplum duxerit, nõ difficulter ex ijs, quæ ad ciuilem pertineant cognitionẽ intelliget. 3 Coniugabimus igitur primũ eos, qui non possunt non simul esse generationis causa, marem scilicet & fœminã: quod nõ ab humano iudicio, sed, quod & cæteris animantibus & plantis solet euenire, ab ipsa natura proficiscitur. Quando omnibus hoc insitum est desideriũ propagandi sobolem, atq; aliũ similem tibi quom ipse desieris, relinquendi. 4 Quod uero aliqui ad imperandum, rursus alij ad obsequendum geniti sint, naturæ acceptum ferimus: utpote quæ horum atq; illorum conseruationi prospicit. Fit enim natura ut quod ingenio prępollet, id imperium exerceat: quod uero mãdata corporis nixu obire potest, id pareat ac mores patiatur. Ob id domino imperare, seruo autẽ obtemperare expedit, & utriq; iuxtà salutare est. 5 Sic fœminã igitur seruũq; natura distinxit. Nihil enim fecit natura unum quod uarijs ministerijs sit accõmodatum, qualem Delphicum gladium fuisse prædicãt, multos scilicet in usus adornatum. Si quidem eo propter ferri inopiam, & ad mactandas uictimas, & ad sumendũ de sonti

bus ſupplicium utebantur. Non ſic natura, quæ unumquodq; ad unum opus accommodat. ita enim pulchre inſtrumenta comparata ſunt, atq; inſtituto reſpondent: ſi unum ad opus ſingula, non uarios ad uſus reuocentur. Etſi barbarorum hominũ conſuetudo fœminã & ſeruum eodem in cenſu habeat, eius moris cauſa eſt, quòd apud eos non temere inuenias, quod natura genitũ ſit ad imperandum, & apud eos ſocietas è ſeruo ſeruaq; conſiſtit. Ob id poetæ recte dixerunt, par eſſe ut Græci barbaris dominentur, quòd inter ſeruum & barbarũ natura nihil interſit. 6 Imprimis ergo duabus hiſce ex ſocietatibus & quaſi coniugationibus domus coaleſcit, fœmina ſcilicet ac ſeruo, id quod Heſiodus carmine indicauit. Imprimis domus & mulier boſq; adſit arator. nam bos ſerui gerit uices in pauperũ familia. Perpetua igitur quæ ſecũdum naturã initur ſocietas, domus eſt: unaq; ita cohabitantes Charondas ὁμοσύπνους, Epimenides uero Cres ὁμοκάπνους uocat. ceu tu eodẽ loco dormiẽtes, ad eundemq; fumum degentes dixeris. 7 Tum uero quæ pluribus è familijs initur ſocietas & conſuetudo, non perpetuæ & quotidianæ habitationis gratia, ſed ad cõmunem omnium utilitatẽ, pagus ſeu uicinia dicitur. Et hæc omnium maximè uidetur ex inſtituto naturæ propagata: ceu quædam colonia ex una eorum familia, qui idem lac hauſerunt: in quam demum & ipſi & qui ex ipſis eorũq; liberis progeniti ſunt, abierunt. Sic primo ſingulæ fuerunt ſub regum imperio ciuitates: at nunc etiam gentes ex primis illis uidelicet ciuitatibus propagatæ. Ita enim reges ciuitatibus & quæ ab ijs deductæ ſunt coloniis præſident, ut maiores natu domibus ac familijs præeſſe ſolent: ex quibus pagi & uiciniæ corriuarũt, ad ius conſanguinitatis latius producendum. Id quod Homerus etiam attigit: At iura miniſtret Quiſq; ſuis natis & coniugibus. Nam antequam ciuitates unum in cœtum conuenirent, ueteres ſparſim hic atq; illic habitabant. Sumpto ergo ab humana conſuetudine exemplo, cuncti putant Dis ipſis regem imperare. Nam & hac ætate & olim mortales ſub regibus degebant. Quorum ergo ſpeciem ac formam adſciuere, eorum quoq; uitas ac mores ſibi uendicarunt. 8 Ea tum demũ ciuitas appellatur, quæ multis ex uicis, ſeu tu eos pagos mauis appellare collecta eſt. Hæc eſt ea in qua rerum quæ ad neceſsitatẽ uitæ pertinent, copia large ſuppetit. Cõſtituitur illa quidem uiuendi gratia. At poſtquam conſtituta & confirmata eſt, ad bene uiuendum etiã magna ſuppeditat adiumenta. 9 Omnem itaq; ciuitatẽ natura conſtare uel ea cauſa cernitur, quòd primę illæ coitiones ſocietatesq;, ut oſtendimus, natura cõſtant. Nam hæc illarum ſcopus eſt, atq; ad hanc omnes illæ domus uidelicet & pagus inſtructæ atq; inſtitutæ ſunt. qualis autem ſit unius cuiuſq; rei natura planè finis teſtatur: ſiquidem quom omne quod genitum eſt ad ſummũ peruenit incremẽtum, & planè abſolutum eſt, tum deniq; eius naturam agnoſcimus: & hunc quidem hominem, hunc equum, hanc domum eſſe profitemur. Adde quòd omne id cuius gratia aliquid fit, & ad quod omnes tendunt rationes, hoc iure optimũ dici & exiſtimari ſolet. Atqui neceſſaria ad uitam aſſequi, & nihil noſtris uſibus accõmodatum deſiderare, hic finis eſt, hæc humani uoti ſumma, huius compotẽ fieri & optimum eſt & iucũdiſsimum. Quod quom nõ aliter liceat adipiſci, quàm redactis in ciuitatẽ hominibus, profecto & aptiſsimã uitæ & ſecundum naturam eſſe ciuitatẽ confiteamur neceſſe eſt. Quin & hominem ciuile animal & ad concilia & ſocietates procreatum dicamus. Contrà uero eum, qui ſuapte natura (nam fortunæ iniuria ciuitate carere poteſt) eum aut plane exprobratur: Haud tribus, haud ius, haud domus ulla tibi. Et ſanè quem tam peruerſis moribus natura informauit, eundem contentioſum ac refractarium eſſe oportet: quod ex uolatiliũ magna parte cognoſci poteſt. 10 Hinc facile uideas hominẽ animal multo magis ad ſocietatẽ natum quàm uel apes uel ullum aliud animantium, quæ Græci ἀγελαῖα, nos cõgregatilia uocitamus. Certum eſt enim nihil abſq; cauſa fieri à natura. Hoc eſt quod ex omnibus ſoli homini data eſt orationis facultas. Nam in cunctis uox aut moleſtiæ aut iucunditatis teſtimonium facit. iccirco hanc etiã bruta participant animantia. Hactenus enim ijs natura indulſit, ut moleſti ac iucundi ſenſum indiderit: & quomodo utrunq; inter ſe ſignificent, edocuerit. At nobis

nobis data est præterea sermonis uis, qua inter nos commonefaciamus, quid utile, quid incõmodum sit. Et subinde quid iustum, quid iniustũ: soliq; alia huiuscemodi & sentiamus & dijudicemus. Quapropter domus & ciuitas non aliunde quàm hominum cœtu & collectione consistit. 11 Et, quod forte mirius uideri potest, ratio peruincit, ut credamus secundum naturã ciuitatem non solum domibus ac familijs, sed nobis etiã singulis priorem & antiquiorẽ esse. Nam totũ prius & antiquius partibus suis esse oportet. Siquidem id prius est, quo abolito unà protinus cætera abolẽtur. Quòd si totum aboleatur, nulla dubitatio est quin partes cũ eo omnes depereãt. Auulsus enim pes aut manus à corpore, iam pes ac manus esse desinit: nisi quis forte pedem & manum impropria uoce & planè æquiuoce nuncupauerit. Nam sic uulgo lapidea manus, manus dicitur: cui sanè quæ abscissa & detruncata est à corpore comparari potest. Nam partes quas proprie partiũ nomine dignamur, & actu & facultate præditas finiũtur. Quibus duobus quom primum carere cœperint: iam tum nemo iuste partes appellauerit: nisi æquiuoce & promiscua uoce, ut diximus. Ex ijs hominum concilia quas ciuitates uocamus, natura priora esse quàm singuli mortalium sint, perspicuũ esse potest. Quom enim nemo seiunctus à cõmuni hominum cœtu sibi satis esse possit, planè non secus se habet ac se habeant reliquæ partes à toto abiunctæ. Quòd si quis inueniri possit nullius indigens rei, & qui cõmuni hominum consuetudine æquo animo carere possit, sibi ipsi abunde sufficiens, profecto nõ erit æquum hunc ciuitatis partem appellare: quin aut ferã aut deum iure appellabimus. Siquidem in confesso est, omnibus cõmunis huius cõsortij desiderium insitum esse à natura. & eum qui primus homines inter se conciliauit, & in unum conuentũ illexit, summorũ bonorum autorem iudicamus. Alioqui sicuti hominẽ perfectionẽ naturæ suæ nactũ, & lege ac ciuili disciplina imbutum, omniũ optimum animalium existimamus: ita si à lege desciuerit atq; à iudicijs, omnium animalium nequissimũ arbitramur. Nihil enim perniciosius iniustitia, quę uim habeat atq; arma manu teneat ad offensam. Atqui homini uis neq; arma unquã sunt per innatã uirtutem ac prudentiam defutura, quibus perperã atq; improbe uti possit. Abdicata itaq; uirtute impijssimum immanissimumq; fieri, tum ad omnem libidinem atq; ingurgitationem efferi necesse est, ceu qui omnẽ iustitiã exuerit, quę una est maximũ iure congregati cœtus uinculum. iure enim ciuilis societatis ordo & institutio cõtinetur. est aũt ius quo iustum atq; iniustum dijudicamus. 12 Abunde hactenus diximus: quibus ex partibus ciuitas coalescat: nunc à re domestica sermonẽ exordiri necessarium duximus, quòd ciuitatis incunabula à domibus & familijs proficiscãtur. 13 Porrò domesticæ rei partes sunt, serui ac liberi. quòd si ad suprema ac minutissima usq; descendamus, tris rei familiaris supremas partes, dominum ac seruum, uirũ & uxorem, patrem & filium statuemus. de quibus seorsum agendum putauimus, ut quid unaquæq; sit, & qualẽ esse oporteat cognoscamus. Primã δεσποτικὴν Græci, nos dominicam: alterã γαμικὴν, id est coniugalem: tertiam Gręci certo nomine non dixerunt, nos patriã uel paternam possumus appellare. Non desunt præterea qui rei familiari quartam partẽ addant, eamq; potissimã iudicent: Græci χρηματικὴν, nos quæstuariam non absurde fortasse uocitabimus: quòd in conquisitione eorum quæ usui sunt familiæ uersetur. Sed hanc quoq; scrutabimur, ne quid quod ad rem faciat prætermittamus. De seruo autẽ ac domino primum sermonẽ instituamus, si quid forte cõmodius dicere possimus, quàm hactenus dictum inueniamus. 14 Sanè scientia quędam uidetur dominatus, id est domini functio, quam eandem domesticę ac ciuili & regiæ administrationi nonnulli crediderunt, ut antea diximus. Sunt etiã quibus dominatus præter naturam uideatur: quòd ex natura homines nihil inter se differant, sed lege tantũ introductũ sit, ut alij liberi alij serui habeantur. Quod quom repugnet naturæ, nemo recte iustũ appellauerit. Quod enim repugnat naturę, idem uiolentum esse oportet. 15 Quom uero confessum ac testatũ sit, possessionem rerum quæ ad uitã necessariæ sunt, in parte rei familiaris contineri: profecto & disciplinã illam qua duce necessaria illa comparamus, in eiusdem rei familiaris parte computabimus: quando citra possessionẽ rerum necessariarũ fieri nõ potest ut quis-

quam aut uiuat, aut bene uiuat uitam quam ueteres uitalem nuncuparunt. Sicut autem in cęteris artibus quæ ſuis terminis includuntur, apta atq; opportuna inſtrumenta adhiberi neceſſe eſt, ut ſuſceptum opus aliquãdo perficiatur: ita in re familiari ut ſua parentur inſtruanturq; inſtrumenta, conſentaneũ eſt. 16 Ex inſtrumentis uero alia omnino anima uigent, alia prorſus ſunt inanimata. Gubernatori ſanè nauis clauus quo nauim dirigit, inanimatus eſt. At miniſter cui prora cõmiſſa eſt, anima uiget. ſiquidem omnibus in artibus miniſtri uice inſtrumenti perfunguntur. Eodem exemplo poſſeſsio neceſſaria inſtrumẽtum eſt quoddam ad uitam. Inter ea autẽ quæ poſsidentur, multitudo inſtrumẽtorum cenſetur, in hoc autẽ cenſu inſtrumentum quoddam animatũ eſt ſeruus: quod ſanè inſtrumenti genus præcipuum eſt & omnibus alijs inſtrumentis præferri par eſt. Nam ſi more ſeruorum muta inſtrumenta ad nutum domini ſuas partes obire poſſent: quemadmodum Dędali aut Vulcani tripodes fama celebrat, quos poeta cecinit ſua ſponte diuinum in certamen prodijſſe: pari pacto & pectines texerent, & plectra citharã pulſarent, neq; architecti opificibus, neq; domini ſeruis admodum indigerent. 17 Ex inſtrumẽtis ruſus quæ ad uitam degendam accõmodata ſunt, alia eius generis ſunt, ut eorũ uſu ac poſſeſsione cõtenti, nihil præterea ab ijs requiramus: qualia Græci πρακτικὰ, id eſt actiua dixerunt. Sic ueſtem pro amiculo, ſic lecticam ad geſtationem poſsidemus: ex quibus uſum tantum capeſsimus. Alia ſunt inſtrumenta quæ ad alterius cuiuſpiã rei factionem aduocamus, non cõtenti mera ac ſimplici eorum poſſeſsione. ſic nobis pectinem paramus, non ut pectinem tantum habeamus, ſed ut textrinã etiam exerceamus. Quom aũt factio & actio, ita enim ποίησιν καὶ πρᾶξιν interpretamur, ſpecie differant: different etiã inſtrumenta ad hanc aut illam apparata. Sanè uitam in actionis non factionis parte collocabimus: ob id & ſeruus in uitæ ſubſidiũ inuentus ad actionem, nõ ad factionem pertinebit. Ex quo facile intelligi poteſt, ſeruum in priore illo inſtrumentorum genere annumerandum: quod per ſe nõ alterius gratia uidetur appetendum. 18 Quod ſanè inſtrumẽti genus ita in noſtra poſſeſsione eſt, ut quaſi rationem habeat partis ad totum, quæ pars ita ſe habet, ut non modo alterius pars ſit, ſed omnino in alterius poteſtate ſit ac mãcipio. quæ habendi ratio & ijs conuenit, quæ à nobis poſsidentur. nõ modo enim noſtri partes, uerum & noſtri quoq; iuris ſunt. Quare de domino ac ſeruo ita ſtatuemus, dominum quidem ſerui eſſe dominum, non etiã abſolute eſſe ſeruí: ut ſcilicet in manu ac poteſtate ſeruí conſtitutus ſit. Contrà ſeruum non modo ſeruum eſſe domini, ſed abſolute eſſe domini, utpote qui uel gentium iure uel ciuili in domini uenerit poteſtatẽ. 19 Hinc patet, quæ ratio ſit ſeruí, quæ facultas. qui enim conſcripto naturæ ſuus ipſe non eſt, ſed alterius pendet arbitrio, hic natura ſeruus dicitur. Idemq; alieni mancipij eſt: qui licet homo ſit, domini tamen poſſeſsioni obnoxius eſt. Cuiuſmodi inſtrumentum eſſe diximus, quod ſui cauſa poſsidetur ac ſeparabile eſt. 20 Ad hæc illa oboritur quæſtio: an ullus ſit ex præſcripto naturæ ſeruus: an ulli expediat ſeruitutẽ ſeruire: an omnis ſeruitus à natura abhorreat. Sed hæc nõ habent difficilem indaginẽ: & ex ijs quæ uſui uenire ſolent, facile cognoſcentur. Nam imperare & obtemperare non modo inter neceſſaria, ſed utilia etiã cenſent. et à primis uſq; natalibus natura animãtia ita diſtinxit, ut alia ob ingenij præſtantiam imperent, alia deteriore conditione damnata obtemperent. Imperandi autẽ & obtemperandi multę ſunt ſpecies. hoc enim imperium quod q; præſtabilius eſt, quo ea quæ morem gerunt, meliora præſtantioraq; ſunt: utputa hominibus imperare multo ſatius quàm feris. Omne enim opus quo illuſtriores nactum eſt opifices, hoc illuſtrius ſolet exiſtimari. Et profecto quom hinc alius habet imperium, inde alius dicto audiens eſt, opus aliquod horum opera fieri oportet, quod plus minusq; laudis promereatur: pro eorũ captu, quorũ intereſt obire mandata. Certè in omnibus quæcunq; ex pluribus in unum coaleſcunt, ſiue ea ex coniunctis ſiue ex ſeparatis conſtituantur, aliquid eminet quod imperare, rurſum aliquid ſubſidet quod obtemperare uideatur. quod in animatis facile uideri eſt, ſi totam naturã perluſtremus. Animi enim imperio, corporis ſeruitio utimur: niſi ſi fortè peruerſa aliqua uiuẽdi ratio naturę bonitatem labefactauerit. Quin & in ijs, quæ

quæ uitę immunia sunt, quiddam est primum in morem harmoniæ, cui deferatur imperium. Nam & in concentu acuta uox dominatur: & inter elementa ignis omnibus præstat. Sed hęc forsan à suscepto proposito aliena sunt, & ad physicā cōtemplationē magis pertinent. nunc ad diuerticulū redeamus. Omne animal imprimis anima constat & corpore. anima naturæ ordine corpori dominatur, corpus animæ paret imperio. Naturæ autem ordine ideo diximus, quòd nonnullis aliquando secus eueniat, nō naturæ præscripto, sed consuetudinis & institutionis uitio corruptis. Sed nos ab ijs qui rectè cōstituti sunt, nō ab ijs qui à naturæ bonitate degenerarunt, testimoniū accipi uolumus. In huiusce modi enim hominibus plerūq; deprehenditur corpus animæ præpostere dominari. Decreto autē naturæ in animantibus duplex uiget imperium. horum alterum dominico, alterum ciuili, comparamus. quippe anima domini cas partes agit in corpus: mēs uero ciuili ac regio more appetitus & perturbationes coercet. Ex quibus perspicuum est, tam animā corpori, quàm partem rationis compotem parti ratiōis exorti, & ex natura & ad utriusq; utilitatē dominari. Quòd si uel æqualitas uel per uices imperandi cōditio utrinq; statuatur, eam conditionē impense obfuturam certū est. De homine ac brutis animalibus propè id sentiendum. Nempe mansueta meliora sunt feris. Vtriq; autē satius, ut homini pareāt: & hoc ad salutē tuendam aptissimū. De mare & fœmina eodem modo iudicandū. Alter enim sexus natura melior, alter deterior. Quare illum imperare, hunc obtemperare, consentaneum est. Quæ ratio ut ad cæteram hominum uniuersitatem transferatur, & natura præstantes imperēt, minus præstantes obtemperent, oppidò salutare est. Quinq; autem fermè sunt notæ, quibus degener illa seruitus intelligitur. Qui enim tantum inter homines præcellunt, quantum anima à corpore, aut homo à brutis præcellit: ijs ex prærogatiua naturę principatus debetur. rursus qui tantum à dignitate humanæ naturæ abscesserit, quantum uel corpus ab anima, uel fera abest ab homine: hos ad seruitutem natos iure censeamus. At qui omne studium & omnes conatus curationi corporis impendunt, ij facile insitam à natura seruitutem declarant. Quin & qui ita geniti sunt, ut eorum maximè interfit, alterius imperio obsequi: & qui uolēs in aliena potestate esse potest, hunc damnatum ad seruitutē à natura rectè existimabimus.

Sunt & quibus est omnino aliquis rationis sensus, sed obstrepente appetitu illi minime audire possunt: qui hoc tantum à brutis differunt, quòd bruta habenas omnino rationis nō sentiunt, & quò appetitus inclinat, eò prona differuntur. Adde quòd eorum quoq; usus non admodum diuersus est. Nam & serui & bruta mansuefacta præsertim, solo corpore nobis adiumēto sunt. Ex quo & iumenta maiores nostri appellarunt. 21 Sed quid multa? quom natura ipsa ita corpora distinxerit, ut eorum qui ad libertatem atq; imperium nati sunt, recta & ad seruiles operas inepta succreuerint. At eorū quibus indicta est seruitus, robusta ac bene habita ad necessaria onera perferenda natura confirmauit: abunde scilicet indicans, si ingenui ac liberalis hominis corpus ad agendum ciuilem uitā sufficeret. ea in belli ac pacis munia diuisa est. Non ierim tamen inficias, quin hæc interdum peruerso ac immutato naturæ ordine eueniant, ut in seruili corpore liberalis anima, aut seruilis anima in liberali corpore uersetur. Sed non institutum naturæ, non etiam lapsum ac deliquiū, obseruandum existimamus. Certè tanta est uis bene cōstitutæ habitudinis, uti si corpori præcipua quædam & qualem deorum simulachris tribuimus, forma contigerit: eum hominē dignum putemus, cui reliqui uolentes pareant. Quòd si hoc efficere potest corporis pulchritudo, quanto hoc iustius animæ tribuamus? cuius natura ad diuinitatem propè accedit. At illud nos plerunq; transuersos rapit, quòd non ex æquo animæ atq; corporis pulchritudinē oculis metimur. Quam si cōminus assequi ac specta re possemus, mirabiles profecto sui amores accenderit. Hactenus puto cōmode ostendimus, alios ad libertatē, ad seruitutem alios institui à natura: & ijs quidem imperare, ijs obsequi, & par esse & ad felicitatem humanā pertinere. 22 Quod autē ij qui in diuersa abeunt & omnem seruitutem indignā putant, non omnino absurda sentiāt, hinc facile colligi potest. nam bifariā seruum ac seruitutem definimus, lege scilicet ac natura. Est autē lex, gentium cōsensus: quo ita ab omnibus sancitum

est,ut quæ bello capta sunt,ea cedant uictoris mancipio.Hunc certè consensum,seu tu mauis ius gentium appellare, eorum multi arguunt, qui etiã in legum pensitatione assidui sunt, ceu id ab iniquo oratore fuerit persuasum:indignum putantes quem uictũ ac subactum in seruitutẽ eius abire, qui uiribus præstet, & uim afferre possit. Quę sententia à multis sapientum asserta est,à multis item explosa. 23 Huius uariationis causa est,quòd uirtus nixa potẽtia plurimum pollet, & quodammodo in reluctantes manum potest iniicere. Quicquid enim fortius ac præstantius est,id alicuius boni prærogatiua uidetur excellere. Hinc late illa peruasit opinio, uim nõ longe abesse à uirtute. Sed in hoc uno quæstionis modus uersatur:quod iustum alij putant beneuolentia sibi imperium parare:alij cõtrà, malunt eum qui uiribus præstat, uim ac dominatum exercere. 24 Verum inter dissidentes sententias animaduertendum est: eos qui negant uirtutem priorẽ præsidere ac dominari debere, nihil afferre se dignum aut quod facile alijs possit persuaderi,& si ipsi sibi uideantur nõnihil affine iustitiæ in medium afferre. Siquidem lex quid iustum & dicitur & putatur:lege aũt introducta est seruitus, qua bello capta corpora uictori cedunt. Hanc itaq; seruitutẽ iustam arbitrantur. sed enim iustam & iniustam fateantur necesse est. Iustam quidem ut proposito seruiant.iniustam, si bellum iniustum & ex iniquis causis susceptum fuisse conuincatur. Præterea quis tam amens qui ingenuum & seruitute prorsus indignum seruum dixerit? Sic enim & clarissimis ortos natalibus seruos esse contingat. Quin & ex seruitute in seruitutem relabi, si aut rursus capiantur, aut captiui iure belli ueninat. Licet ij ut suam tueantur sententiam, huius fortunæ homines non seruos sed barbaros uocent. Sed quom hoc ferunt, inuiti superiorem illam sententiã asserunt, de qua diximus,nõ alios esse seruos, quam eos, quibus seruitutem natura ingenuit.alioqui nulli omnino sint serui. Hos autẽ ubiq; & perpetuò seruos esse fateri oportet. illos aũt nusquã & nunquam. Eadem fermè de nobilitate sentiunt. Quosdam scilicet esse nobiles non domi tantum & quando suæ sponte sunt,sed ubiq; etiam si per iniuriã fortunæ in seruitutem cadant. At barbaros domi tantum esse nobiles. Ceu uero quædam sit simplex & absoluta seruitus, quædam conditione præfinita. Ad quod Helena apud Theodectem uidetur alluisse.

Prognatam utrinq; me deorum sanguine
Quis, oro, seruam iure nuncupauerit?

Cæterum huius sentẽtiæ assertores seruum ac liberum, nobilem & ignobilem non aliter uidentur,quàm uitio & uirtute definire, existimantes sic è bonis bonos, ex ingenuis ingenuos nasci, ueluti ex homine homines, ex feris feræ generantur. Quod sanè perpetuũ est naturæ institutum, uerum quod non semper ad exitum potest perducere. 25 Liquet igitur non ab re dubitationẽ incidisse:& quod alij secundum naturã liberi,alij serui sunt ita hactenus declaratum puto, ut iam uix quisquam dubitare ausit, quin à natura quibusdã insita sit libertas: quibus obsequi eos deceat, quos natura ad seruitutẽ progenuit. 26 Quòd si permutato rerum ordine aut imperium arripiat,quem seruire oportuit:aut seruiat,quem dominari par fuit,id magno utriusq; malo fore minime dissimulauerim. Ita enim receptum est natura, ut idem toti ac parti, idem animæ & corpori prosit. Seruum autẽ partem esse domini constat, quasi animalem quandam corporis partem ab eo auulsam ac separatã. Quare certum est nihil non esse in rem domini,quod non idem seruo sit profuturũ. Hinc seruum ac dominum mutua beneuolentia natura coniunxit. Quod secus euenire ijs certum est, qui uiolenter ac lege coacti dominantur & seruiunt. 27 Ex his quæ diximus facile perspici potest, domini potestatẽ & reipublicę administrationem,neq; omnino alias imperãdi formas, eandem inter se rationẽ habere, ut nonnulli existimauere. Aliter enim natura liberi ijs dominantur qui natura sunt serui:aliter unus in re familiari familię prẽsidet, aliter in ciuili moderatiõe liberi atq; æquales pari consensu rempublicã administrant. 28 Sed enim dominus non ab imperandi scientia nomenclaturã habet,sed à natura qua factus est ad imperãdum. Idem de seruo ac libero dictum puta. Nec tamẽ negarim,scientiã esse quandam seruilem, quandam liberalem: certè seruilis disciplinæ ludum quidam Syracusis aperuerat, & mercede

mercede autoratus ad seruilia ministeria pueros instituebat. Fuerunt & complures huiusce modi seruilium artium disciplinæ, qualis coquinaria condiendis obsoniis præfecta, ad alia hoc genus seruitia inuetæ: ex quibus aliæ necessitate, aliæ honestio re quodam gradu censentur. Est nanq; seruus seruo, herusq; hero potior, ut tritū est sermone prouerbium. Domini autem scientia ad hoc pertinet, ut seruis bene utatur. Nec enim seruorū possessione, sed usu dominus agnoscitur. & hęc profecto scientia nihil habet, quod admodum sit aut excelsum aut glorioſum. Quod enim seruum cal lere oportet, ut faciat: hoc scire dominum oportet, ut iubeat. Ob id nonnulli liberali ter educati, hunc laborē auersantes, uicarium quē Græci ἐπίτροπον uocant, sibi sub stituunt, qui hoc imperandi munere perfungatur: ipsi interim aut reipublicę admini strandæ, aut philosophiæ studijs uacant. Illud postremo nō prætermittam: eam disci plinam quæ in acquisitione consistat, siue illa ex militari opera iure suscepta, siue ex uenatoria pendeat, ab utraq; earum de quibus modo mentionē habuimus, domini ca scilicet ac seruili, multo esse diuersam, & cum ijs plane nihil habere commune. & hæc quidem hactenus domino ac seruo cōstituta sint. 29 Nunc ea quæ ad uniuersam possessionē & conquirendi rationem spectant, discutiamus, ab instituto modo ordine non abscedentes: siquidem de seruo iam dictū est, qui possessione con tinetur. In limine autem huius disquisitionis ea protinus occurrit dubitatio, an disci plina conquirendi facultati rei familiaris eadem sit, aut eius certe pars uel ministra. Quòd si ministra ac munifex, an eo more inseruiat familiari, quo textorię solet texto rij radij opifex, quā Græci κερκιδοποιϊκὴν uocant: an potius ut æraria statuariæ. Nec enim utriusq; idem ministeriū. Prior illa instrumenta accōmodat: altera hæc materiā subministrat. quom materiā dico, statumen illud intelligo, quod subiacet artifici, ex quo scilicet opus succrescit. Sic se lana textori, sic æs statuario substernit, unde illi te la huic statua conficiatur. 30 Conquirendi autem disciplinam nō esse eandem ei quæ rem familiarem administrat, hinc patet: quòd illius munus est necessaria comparare, huius uero cōparatis uti: nam quæ alia obsecro partis & in domesticum horreum cōgestis utitur, nisi rei familiaris disciplina? 31 Sed hoc rursus in dubium reuocari potest: an eius pars, an certe diuersa quædam species sit existiman da. Nam si accurati patrisfamiliās partes sunt, prospicere ut pecunia & rerū necessa riarum possessio suppetat: Pecunia autē & possessio rerum necessariarū multas de ducatur in partes: illud primo explorandum uidetur: An agricultura eius pars sit disciplinę, cui conquirendi ratio incumbit: an certe diuersum ab ea genus. Sed enim hæc ipsa conquirendi disciplina circa uitam & alimentum maximè obuersatur. Ali mentorum autē multæ species, ob id animantum quoq; brutorū atq; hominum uitæ complures sunt. Nullum enim est animal quod sine alimento uitam degat. A multi plici aūt alimentorum genere multæ rursus uiuendi rationes profectæ sunt. Sic fe rarum aliæ gregatim uiuunt, aliæ solitudinem colunt, prout cuiusq; uitæ ac moribus magis consentaneum est. Siquidem nonnullæ carniuoræ sunt, & uiuis animalibus uescuntur, nonnullę frugibus, nonullæ promiscuis terræ pabulis. Natura enim om nibus secundū mores & uitæ instituta alimēta partita est. quom igitur naturæ instin ctu nō omniū idem palato blandiatur, sed alia alijs animantibus probētur: id quoq; euenit, ut uescentiū carnibus & pascētium fruges uitæ inter se differāt. Eodem pro pè modo differunt hominū in degenda uita rationes. Nam qui maximè desidiam ha bent in delicijs, pastionē uillaticam exercēt, atq; ijs citra laborē & propè aliud agen tibus, ex mansuetis animalibus uictus suppeditat. Et quom pascendi ratio mutare lo cum animalia frequenter cogat, ipsi quoq; unà cōmeant, & uiuam quodammodo a gricolturā exercent. Sunt qui malint rapto ac præda uitam traducere. nec profecto unum est prædę genus: uenantur alij, piscantur alij, qui aut paludes aut stagna, aut flumina, aut certe mare accolunt. Sunt qui auibus, qui feris tendant insidias. maxi ma tamen pars mortalium terrā altricem agnoscit, & mitioribus fructibus uitam su stinet. Vitæ itaq; species penè totidem sunt, quot perfunctiones ad uiuendum opor tunas natura nobis proposuit. Et hæ quidem, quas diximus, pastio uillatica, agricul tura, prædatrix, piscatoria, uenatica, neq; commutationes obeunt, neq; per cōmer

cia alimentum parant. & hæ quidem ſimplices ſunt. At aliæ ſeſe inuicem cõmiſcent, uiciſsim præſidium poſtulantes: ut quod uni deeſt, altera ſarciat: quo ſcilicet nihil deſit ad uitam opulenter ac iucunde obeundam. Sic nonnulli paſtoralem & prædatricem, nonnulli agriculturã & uenaticã coniungunt. Atq; ita alij hũc in modum prorſus ut natura exigit, neceſsitatibus ſuis proſpiciunt.

32 Hoc profecto ſtudium inquirendi pabulum, ita omnibus natura ingenuit animalibus: ut nõ modo ab ipſis incunabulis, ſed poſtquam etiã adulta ſunt & ad grandiorẽ ætatem prouecta, hoc unum maximè agant. Nam quædam ab ipſo generationis exordio tantum ſecum alimenti conuehunt: quantum interim ſatis ſit, dum ætas & uires ſuppetunt ad exteriores pabuli conquiſitionẽ. Huius generis ſunt, quæ uel putredine coaleſcunt, uel intra calices ouorum conformantur. Quæ uero uiuipara ſunt, certum ad tempus intra ſe alimentũ habent, cui nomen à lactis natura inditum eſt. Atqui quòd in animalium natali atq; infantia decernimus, idem hoc ad eam ætatem referendum eſt, quom iam perfecta ſunt, & in ſuam quodammodo tutelam peruenere. Illud quoq; libenter dicamus, plantas, herbas, arbores, frutices, cõmuni animaliũ utilitati prodijſſe. Cætera uero animalia uſui hominum genita eſſe, & quidem manſueta tum uſus tum cibi gratia, at fera uel omnia uel certè plurima, & cibum & alia adiumenta, ueſtem puta & multa huiuſcemodi inſtrumenta nobis ſubminiſtrant. Quòd ſi illud pridem à nobis pronuntiatum eſt, nihil imperfectum aut ſuperuacaneum factum eſſe à natura: nõ eſt profecto quod dubitemus, ea omnia in hominũ gratiã naturã inſtruxiſſe. Ex his facile colliges, bellicã diſciplinam certo quodam modo in acquiſitionis partem annumerandam eſſe. In confeſſo enim eſt uenatoriam bellicæ artis partem eſſe: quanõ modo aduerſus feras pugnemus, ſed in eos etiã homines arma uertamus, qui ad parendum nati, parere detrectant, & per contumaciam mores nõ patiuntur. Huiuſmodi bellum iuſtum eſt, utpote quod auſpicijs naturę geritur. Ex his igitur conſtat, unam eſſe acquirendi ſpeciem, quæ ſecũdum naturã pars ſit rei familiaris: eamq; aut iam paratam eſſe, aut protinus parari oportere, quo ea præſto ſint, quę in uita degenda expetuntur, tum ad ciuilem ſocietatẽ, tum ad familiæ cõiunctionem retinendam.

33 Ex his conquiſitis & comparatis ſibi ad uſus neceſſarios, ueræ ac dignæ homine libero diuitiæ conſtant. Quarum collectio ac ſuppetentia, non enim uideo quo alio nomine αὐτάρκειαν interpretemur, ad bene ac beate uiuendum comparata nequaq; infinita aut intermina eſt, ut poetico potius quàm philoſophico more uidetur Solon dixiſſe: Nõ homini præſcriptus opum ſtat terminus ullus. Stat enim profecto, & ſicut alijs in artibus euenit, ita & in hac nullum eſt inſtrumẽtum uel magnitudine uel multitudine infinitum. Sanè diuitias appellamus inſtrumentorũ multitudinem accumulatã ad rem familiarem & urbanã inſtruendam. Ex his quæ hactenus diximus liquet, artem eſſe quandam conquirendi, ijs qui rem familiarẽ & publicam curant propoſitam à natura: eiuſq; rei cauſam inſuper expoſitam ſatis arbitramur.

34 Eſt aliud quoddam præterea acquiſitionis genus, quam maximè uocãt, & iure uocari debet pecuniaria. Quo in genere nullus uidetur diuitiarum finis, nullus acquirendi terminus. hoc plerique unum idemq; ſuperiori ob uicinitatem tradiderunt. At ſi diligenter animaduertamus, neq; omnino idem eſt, neq; ab eo admodũ alienum. Eſt enim ſuperius illud ſecundum naturã: hoc uero nihil habet cum natura coniunctum, ſed à peritia & arte potius profectum agnoſcimus. De quo hinc dicere ingrediamur. Omnis rei quæ in poſſeſsione noſtra poſita eſt, duplex eſt uſus. ſanè uterq; ſecundum rem ipſam, ſed nõ eodem modo ſecundum rem ipſam. Alter enim proprius, & ad eum finem cuius gratia res inuenta eſt. alter non proprius, neq; ad eum finem, cuius gratia res inuenta eſt. exemplo ſit calceus. Huius enim duplex eſt uſus. ſutrinæ mancipi ut uendat & quæſtum faciat, ex eoq; uel pecuniã, uel cibum paret. Patri uero familiâs, ut induat, aut familiam inſtruat. utriq; profecto uſui eſt calceus. ſed mancipi, præter proprium calcei inſtitutũ. Non enim idcirco inſtitutus eſt calceus, ut cõmutetur & lucrum afferat artifici, ſed ut pedi inducatur, & neceſsitati inſeruiat. Quod idem euenit alijs in rebus, quas poſsidemus: quibus extra proprium & optimatẽ uſum permutationis etiã cõmodum acceſsit. Permutatio uero naturæ

inde

inde sumpsit initium: quom alijs mortaliũ plura, alijs pauciora quàm necessitas postularet, suppeterent. Ex his, puto, exploratum haberi potest, pecuniarium quæstum non esse ex eo acquisitionis genere, quod pendet à natura: siquidem in permutationis locum successit, quo fieret cuicp paratius id quo maximè quisq; indigeret. 35 Permutatione autem nihil opus esse in ea quæ prima est communio, id est domestica, certum est: sed in ea quæ iam latius propagata est, & tanquam colonia in plurima abijt familiarum diuortia. Primi enim illi in medium uiuentes omnia habebant communia: hi uero priuatim ac seorsum habentes plurima, plurimis rursus indigent. Suis itaq; necessitatibus prospicere cupientes permutationem facere coacti sunt: quam ad hanc usq; diem non paucæ barbarorum nationes exercent, uicissim alia dantes alia accipientes, nihil præterea cogitantes nisi utilia utilibus commutare, & alieno commodo suo satisfacere: uinum puta tritico atque alijs huiuscemodi rebus cauponantes. 36 Ex his facile colligas, hoc permutationis genus nõ esse præter naturam, neq; ulla pecuniarij quæstus specie contineri, quom planè duce ipsa natura inuentũ sit, quo mortalibus large omnia suppetant. Atqui ab hac pecuniarum exercitatio seminariũ habet. Neq; id ab re factum. nam quom peregrino præsidio opus esset uitæ, conuehentes ea quibus indigebant, & rursus exportantes quæ superfluebant, necessariò pecuniæ usum inuexerũt. Non enim facile est, ut quæ natura postulat, omnia importari possint. Ob id permutationis loco constituerunt inter se quiddam dare & accipere, quod & utile foret & facilem haberet permutandi usum uitæ gratia: ferrum puta & argentum, aut si quid est aliud huiusmodi. Quod sanè ab initio simpliciter & magnitudine ac pondere tantum præfinitum est. Postmodum uero & signum impresserũt, ne semper in disquisitionem ac dubiũ quãtitas uocaretur. Est enim nota, quæ nummo impressa est, quantitatis testimonium. necessitas itaq; cõmutationis quom nummo ingressum & autoritatem dedisset, subinde alia pecuniariæ institutæ species prodijt, forsan & ipsa à primordio simpliciter introducta, mox admonente rerum experientia maiore arte instructa, utpote iam intelligẽs qua & quali ex permutatione plus lucri fieri posset. Hanc ob causam pecuniaria institutura circa numi conquisitionem uidetur præcipue uersari, illiusq; opus hoc esse potissimũ, spectare ac cõminisci, unde ingens pecuniæ uis corrogari possit, ceu quæ diuitiarum opifex sit, & ad cumulandam pecuniã neruos omnes intendat. Siquidẽ plericp diuitias pecuniæ magnitudine metiũtur, quod imprimis circa illam & numarius quæstus & pecuniaria institutura exerceatur.

37 At si quis diligenter obseruet, & numus, & lex qua numus censetur, inane quid & minime secundũ naturã persæpe inueniet. Si enim ij quibus usui esse debet, propositũ mutauerint, neq; ad necessitatẽ, neq; secundum naturam eo utantur, protinus æstimationẽ suam amittit, & ullius utilitatis esse desinit. & iam ille locuples ac bene numatus eo etiã indigebit alimento, quo contenta solet esse natura. Quàm uero absurdum est eas appellare diuitias, quibus affluẽs fame pereat: ut fabulis proditum est de Mida illo, cui ob insanum auri desiderium Di dederunt, ut quicquid illi appositum fuerat, in aurum uerteretur. 38 Quamobrem qui sapiunt, alias à pecuniarijs diuitias quærunt: & recte prudenterq; id faciunt. Multum enim interest an quis pecuniarium quæstum, an ueras diuitias quæ pendent à præscripto naturæ, in uotis habeat. His enim constat disciplina familiaris, quam œconomicam uocant. Quæstu autem pecuniaria institutura seu negociatio, pecuniæ opifex: nõ equidem omnibus modis neq; per se numũ pariens, sed ex pecuniæ tantũ permutatione. Eius enim omne cõsiliũ circa numũ uersatur, eusq; puppis & prora, ut dicitur, est numi permutatio. 39 Nulli ergo mirũ uideri oportet: si diuitię huiusmodi, quæ à pecuniæ institutura & ratione rei numariæ augendæ proficiscuntur, in infinitum abeunt & nusquã finem inueniũt. Sicut enim medicina in accuratione sanitatis nullum habet terminum quo sistat: & pari pacto cæteræ artes suum finem in infinitũ producunt, neq; metam offendunt, ad quam conquiescant, sed quanto fieri maxime potest, finem sibi propositũ maiorem auctiorẽq; reddere student: & eorũ quę ad finem perducunt, series fine aliquando cohibetur. Finis enim est rerum terminus, quo inuento

uento non est quò ulterius promoueri possit. Sicut igitur cæteræ artes, ut diximus, neq; præstitutum finem habent, neq; certo loco desinunt: ita & pecuniarij quæstus finis finem non habet: eius enim scopus est diuitias augere, & pecunijs pecunias accumulare. Contrà autem rei familiaris siue œconomicæ scopus nõ est in re augenda collocatus, neq; laborat in infinita opum conquisitione. Quapropter in ea operæprecium est diuitiarũ omnium modum statuere, tametsi longe secus fieri uideam. Omnes enim præpostere opes in infinitũ augent, pecunias immodice congerentes: cuius erroris causa sita est in ea uicinitate conquirendi, quæ ex æquo rei familiari & pecuniariæ negociationi cõmunis est: nam utriq; sanè propositum est conquirendi studium. Sed non itidem utriq; idem usus propositus est. pecuniariæ enim negociationi possessio pro usu est. œconomicæ autẽ usus est rerum partarũ fruitio; quibus tantisper contenta est, dum necessitatibus prospiciat. at illa intermina est, & possessas opes semper amplificat. 40 Nonnulli ergo hac uicinitate decepti existimant hoc esse præcipuum disciplinę familiaris munus, rem augere & pecunijs excubare: neq; ab hoc deduci possunt, quin putent conseruandam quantum fieri potest aut exaggerandam in infinitum, rem pecuniariã. Quam eorum opinionẽ illexit magis uiuendi quàm bene uiuendi studium. Quom ergo in infinitum abeat diuitiarum cupido, instrumẽta quoq; diuitiarum, scilicet pecunias ipsas, diuitiarũ ut sibi persuaserunt opifices infinita exoptant. Nam qui bene uiuendi studio tenentur, ita diuitijs modum statuunt, ut intra usus ac necessitates corporis eas præfiniant. Qui uero uiuere malunt quàm bene uiuere, summã uoti conquirendi amplitudine & fortunarũ mole metiuntur. Hinc altera illa species, augendi scilicet pecuniã, profecta est. Nam quom habendi uoluptas & possidendi desiderium immodicũ sit, immodica sint necesse est quæ hoc quoq; desiderium expleant. Quòd si hæc acquirendi sitis parũ hac processerit uia, tum id alia ratiõe atq; industria conantur efficere: omnẽ corporis atq; ingenij uim, in alios licet usus paratam à natura, in subsidiũ prouocantes. Neq; enim ideo data est mortalibus fortitudo, ut pecuniã paret, sed ut animũ obfirmet. Neq; pecuniæ gratia rei militaris & medicinæ disciplina data est: sed illius quidẽ finis uictoria, huius sanitas est. Nihilo tamen secius illi omnes animi & corporis uires ad pecuniæ studium conuertunt. Ceu uerò hic sit appositus omnium finis, ad finem uero omnia niti par est. 41 De quæstu itaq; pecuniario minime necessario, & quis is sit, & quam ob causam in eo multi simus, dictum est: & quòd alius sit ab eo qui necessitatibus inseruit: Et quòd œconomica sit ex instituto naturę & ad uictum pertineat: neq; uero in infinitũ promoueat, suis finibus circunscripta. 42 Liquet iam puto quod ab initio in disquisitionẽ uocaueramus, spectet, non spectet ad patrem familiâs & gubernatorẽ ciuitatis πῆ χρημαλιστικῆ quæstum facere. Perspicuum enim fecimus, id obuium ac paratũ esse oportere. nam sicuti ciuilis administratio homines non parit, sed à natura accipit, ijsq; acceptis utitur: sic oportet naturã animantibus pabulum uel à terra uel à mari uel aliunde sumministrare. Quemadmodum uero id partiri ac dispensari expediat, hæc patrisfamiliâs curatio est. Eadem enim ratione neq; ad artem textoriã pertinet lanas facere, sed factis & concinnatis uti: & quæ pannis conficiendis idonea & cõmoda, quæ rursum parum idonea sit & incõmoda, internoscere. 43 Cæterum iure aliquis dubitauerit, cur quæstum facere in parte rei familiaris censeatur, medicina nõ censeatur: quom certum sit ita familiæ sanitati, ceu uictui & reliquis alijs necessitatibus esse prospiciendũ. 44 Et sanè certa quadam ratione pertinet ad patremfamiliâs & gubernatorem ciuitatis sanitati prospicere: certa etiam ratione non pertinet, sed ad medicũ. Sicut & rem pecuniariã curare partim interest patrisfamiliâs, partim non interest: sed eius qui pecuniæ inseruiat, & se totum illi mancipauerit. 45 Hæc autem pecuniæ curatio ad naturæ præscriptum dimetienda est, ut diximus. naturæ enim est cõsuetudo, ei quem genuerit alimentum apparare. nam unde quodq; animal gignitur, inde tãtum quantum alatur, relinquit: ex quo intelligitur, quęstum faciẽdi artem tam ex animãtibus, quàm ex fructibus, naturam magistrã docuisse. 46 Quom uero ars faciẽdi quæstum, ut uidemur nobis abũde dixisse, gemina sit; altera institoria, altera œconomica: hæc

hæc ſanè neceſſaria eſt, & cõmendatione digna: illa deſultoria ac degener merito ſu gillanda, quod decreto naturæ non conſtet, ſed alterius partis iactura ac detrimento. Quo fit, ut iure mortales colybiſticã ſeu cãpſoriam oderint: quòd in ea fiat numo à numo acceſsio: & ex pecunia pecuniã lucrifaciat. Denicp̃ prępoſtere & præter maio rum inſtitutũ, pecunia exerceat. Cõmutatiõis enim gratia introducta eſt: fœnus au tem ſeſe maius efficit atp̃ amplificat. ita enim nos fœnus à fœtura appellauimus, ut τόκου Græci ἀπὸ τοῦ τίκτειν. Siquidẽ ita in fœnore numus numũ parit, ut cætera quoq̃ animantia ſimiles ſibi fœtus pariunt. Quare hic pecuniarius quæſtus, quem fœne brem appellamus, præter naturã eſt omnium maximè, & apud omnes gẽtes merito reprehenſionem incurrit. 47 Poſtquã de familiari diſciplina ea cõmode per tractauimus, quæ ad notionẽ pertinent: iam quæ ad uſum ſpectant, excutiẽda ſunt. Quæ ſanè omnia elegantẽ ac liberalem ſpeculationem habent, experientiam uero perneceſſariam. 48 Quæ autẽ in quæſtu faciendo utiles partes ſint, in iſs decet bonum patremfamiliâs imprimis experientẽ ac diligẽtem eſſe: ut perſpectum habeat, quæ nam ſint optima multamq̃ utilitatem allatura: atq̃ ea ubi & unde com parari poſsint. exempli cauſa: qui equi præſtantiſsimi, & in ruſtica paſtione qui bo ues, quę nam oues cæteris præferantur, quod æquè dictũ de cæteris animalibus pu ta. Siquidem eum qui familiam curat expedit intelligentem eſſe ac experientiam ha bere: quæ potiſsimũ inter ſe comparata præferri debeant, & quibus ex locis optima uel ſecus conuehantur. Alia enim aliis in locis potiora ſunt. Noſſe quoq̃ oportet a grorum cultũ: & quid è nudo glabroq̃ ſolo, quid è cõſito petendum ſit: quid rurſus e mellificio, quid aliis ex animalibus uel natatilibus uel uolucribus: è quibus multa ſo let utilitas patrifamiliâs accedere. Quãdo hæ ſunt in honeſtiſsimo rei familiaris quæ ſtu faciendo primæ ac potiſsimę partes. Eius autẽ partis, quam deſultoriam ac dege nerem inſtituram appellauimus, præcipua pars eſt mercatura: quam trifariam diuidi mus. In exercitoriã ſcilicet, in uellaturã, & ſtatariam negociationem, Græci ναυκλη ρίαν, φορτηγίαν, παράστασιν uocant. Harum altera differt ab altera, quatenus hæc plus habet ſecuritatis, hæc plus utilitatis affert. Secunda pars eſt fœneratio. tertia planè mercenaria eſt. In hac cenſentur uiles & ſellularię artes à Græcis βαναυσοι nuncupa tæ. Cenſentur & hæ, quæ citra ullum artificium, ſolo miniſterio corporis inſeruiũt.

49 Eſt & tertia quædam ſpecies faciendi quæſtus, inter hanc proximã & ſuperiorem illam media. Habet enim nõnihil naturæ conſentaneum, habet & quid huic deſultoriæ affine. Nam ex terra & ex iſs quæ terra progignuntur, infrugiferis quidem, ſed planè utilibus, quæſtũ facit. ex ſylua cædua puta & fodinis metallariis. at hæc rurſus in multas partes ſcinditur. Siquidem multæ metallorũ ſpecies fodiun tur è terra. 50 In uniuerſum eas partes attigiſſe hactenus ſatis eſt. Nam par ticulatim exacteq̃ de omnibus dicere operæprecium quidem foret ad opificia decla randa, ſed graue atq̃ operoſum in iſs diu uerſari. In iſs opificijs ſanè multã artem ha bent, in quibus minimum fortuna dominatur. Sordidiſsimę autẽ & imprimis ſellu lariæ, in quibus corpora plurimũ inquinantur, præcipue aũt ſeruili conditione dam natæ, in quibus corporis exercitatio præpollet. Præ cæteris autẽ degeneres, in qui bus uirtus minimum locum habet. 51 Nec deſunt qui de iſs luculenter ſcri pſerint, ceu Chares Parius, & Apollodorus Lemnius, de cultu agri tam nudi quàm conſiti, atq̃ alij de aliis huiuſcemodi opificijs. ad quos autores quibus hæc ſtudium eſt explorare, cõmode ablegari poſſunt. Sunt etiã quædam ſparſim dicta ab iſs qui accurate ac nauiter rem familiarem tractarunt. Quæ omnia colligi oportet. accõmo data enim ſunt ad eum inſtituendum, qui facere quęſtum elaborat. Quale illud Tha letis Mileſij. eſt enim id ſcitum quoddam rei faciendæ conſentaneum, quod in cuiuſ libet animum cadere poteſt: & ſi Thaleti ob ſapientiã tribuãt, quom tamẽ in uniuer ſum cuilibet accõmodari poſsit. Quom enim illi exprobraretur philoſophiæ ſtudiũ ceu infœcundum atq̃ infame ob paupertatẽ, per aſtrorum peritiam proſpexiſſe dici tur adhuc ipſa hyeme ſequente, futurã oliuarum ubertatem, & nonnihil pecuniarum collegiſſe, quod pro arrabone futuri olei dedit, commercatus exiguo ſanè precio,

quic-

quicquid oleę apud Miletum aut Chium natum foret, nemine ſcilicet plus offerẽte. Poſtea quom fœturæ tempus ſuperueniſſet, multis qui ſibi oleum optabant, protinus quanti uoluit diuendidiſſe, atq; inde magnum quæſtum feciſſe. qua ratione amicis cõmode probauit, philoſophos facile ditari poſſe, ſi modo in eam rem animũ inducant: ſed hoc illis non eſſe curæ. Thales igitur in hunc modum dicitur ſapientiæ ſuæ documentum dediſſe. ſed ut paulo ante diximus, hoc poteſt in uniuerſum quæſtus faciendi inſtrumentum exiſtimari, ſi quis uni ſibi poſsit uendendi facultatẽ adſciſcere, quam μονοπωλίαν Græci nuncuparunt. Quod genus quæſtus nonnullæ ſibi ciuitates uendicant, quom pecunia indigent, utpote cõpendiaria ad diuitias utentes uia. Sic in Sicilia quom quidam mancipum multum haberet pecuniæ congeſtæ apud ſe, ex omnibus ferrarijs fodinis ferrũ coemit. Quod deinde mercatoribus commeantibus in Siciliam ſolus uendidit, non ita magnum precij exceſſum faciens, tantum tamen ut duplum quæſtum faceret, & pro quinquaginta talentis centum lucri faceret. Hoc quom Dionyſius reſciuiſſet, eum quidẽ pecunias iuſsit exportare, ſed Syracuſis eſſe diutius noluit, quòd mercaturæ rationẽ inijſſet eius rebus inutilẽ. & hic quidẽ propè idem, quin & illud ipſum ſpectauit, quod Thales. Vtriq; enim conſiliũ fuit ex priuata ac peculiari uẽdendi facultate diuitias ſibi parare. 52 Hæc autem non modo ad rem priuatam, ſed & publicam etiã cognoſcere, perquam utile eſt. Nam & ciuitates perſæpe indigent pecunia, & huiuſcemodi quæſtus eis ſunt opportuni, non ſecus ac patribus familiâs: immo aliquando etiam magis. Ex quo nonnulli hanc rei publicæ partẽ ita amplexant, ut in ea ſola ſe exerceãt. 53 Propoſitæ ſunt à nobis ab ipſo uſq; initio tres rei familiaris partes, herilis ſcilicet, paterna, & cõiugalis. Ex quibus poſteriores duæ, altera uxori, altera præeſt filijs, ſanè utriſq; liberis ac ſuæ ſpontis, non tamen eadem imperij ratione utens. Nam uxoria præfectura ciuiliter ſeſe habet, paterna uero regie. Quod enim ad uxoriam attinet, maſculus fœminis natura potior, niſi fortè præpoſtere ac prẽter naturã cõtigerit. Quod uero ad patrem ſpectat & filios, par eſt ut quod antiquius ac perfectius eſt, minus antiquo ac minus perfecto præficiatur. Ideo uero uxoriã præfecturam ciuiliter ſe habere diximus, quòd ciues alioqui natura & conditione pares ijs tamen pareant qui magiſtratu funguntur. ſed in eo diuerſa ratio eſt, quòd ciuilis principatus alternatur: qui modo magiſtratu fungebatur ac præerat, mox abiurato magiſtratu obſequatur & morẽ gerat. Atq; ita per uices homines alioqui natura æquales, nunc dicto audientes ſint, nunc alios moderẽtur, interim à cæteris habitu, oratione, atq; honore differentes. Id quod Amaſis rex Aegypti ſapiẽter de pelluuio dixiſſe fertur. Is enim ex humili ordine fortunę beneficio ad regnum prouectus quom ſe contemptui haberi ab Aegyptijs intelligeret, pelluuium aureum quod ita in regia expoſitum fuit, ut nõ ipſe modo, ſed & alij in eo pedes lauarent, conflatum in numinis ſimulachrum, lucuſento urbis loco conſtituit. Quòd quom deinde religioſe ab Aegyptijs ſalutari acceperet, populum accerſi ad ſe iuſsit: docuitq; ſimulachrũ id quod tam pie uenerarentur, ex pelluuio eo conſtare in quo olim promiſcue omnes ſordes eluerent. Tum addidit ſe illi eſſe perſimilem, qui à poſtremo ordine ad regium faſtigium promouiſſet. Ob id eos neq; ægrè neq; inuitos decere regio imperio eſſe obſequentes. ea dexteritas & tam accõmodatum exemplum ingenium Amaſis commendauit, & Aegyptios in officio retinuit. Quòd & ciuilis imperij uiciſsitudini belle accõmodari poteſt cui uxoriam præfecturam ſimilem eſſe diximus: uno eo tantum differre, quòd in hac nunquam fit imperantis cõmutatio, ſed naturæ ordine mas ſemper fœminæ dominatur. At illud quod pater in filios gerit imperium, regium eſt. Quod enim aut ætate patriæ poteſtatis, aut per amicitiam exercetur imperium, aut quod per ætatem præeſt, hoc regij imperij ſpeciem habet. Ex quo Homerus egregio titulo Iouem honeſtauit, quom dixit, Parens hominumq; deumq;: ſic omnium regem appellans. Natura enim differre oportet regem ac reliquis præcellere: genere autem cæteris parem eſſe, quod idem maioribus natu & progenitoribus accidit: illis ſi minoribus natu, ijs ſi ex ſe prognatis conferantur. Hinc igitur perſpicuum eſt, in re familiari

plus

plus studij adhiberi oportere circa homines quàm circa rerum anima carentiũ possessionem. Et longe plus elaborandum, ut illi in uirtute profectum faciant, quàm ut magnas possessionum accessiones faciamus, quas diuitias solemus appellare: quin & liberorum hominum curæ acrius incumbendum esse quàm seruorum.

IN ARISTOTELIS COMMENTATIONEM DE SENSV ET SENSILI PARAPHRASIS CÆLII Calcagnini ad Antonium Musam Brasauolum.

HACTENVS cõmentationem de anima fecimus abiunctam, quantum fieri potuit, à consideratione corporis: in qua singulas animę potẽtias, altricem puta ac sensibilem, appetitus promotricẽ, rationalemq; cõmode sumus prosecuti. Nunc ea nobis commentatio ordine prosequenda est, quæ animantia & ea omnia quę uitam sortita sunt spectat. Quo loco ea ζῶα, id est animãtia uocitamus, quæ sensu prædita sunt. Vitam autẽ habentia, id est ζωὴν ἔχοντα, ea intelligamus, quæ damnata sunt extrema naturæ conditione, utpote anima tantũ altrice adiuta, à sensu lõge disiuncta. Tum uero quę sint propriæ animæ corporisúe functiones, quæ cõmunes & promiscuæ utriusq;, exequamur. Quæ igitur de anima tribus libris explicuimus, ea ita certa ac persuasa habeamus, ut positionis uicem habeant: sintq; nobis ad reliqua probanda quasi posita in præsidijs. Ad reliqua ergo accedamus, quæ post animæ tractatum, ad animalium contemplationem gradum quodammodo faciũt: & imprimis ad ea quæ prima sunt ac præcipua. Sunt autem ea, quæ in animãtibus maxima obseruauimus, siue ea propria sint animalibus, siue cum ijs quæ tãtum uita prædita sunt, cõmunia. Ea inquam quæ hoc modo maxima & potissima sunt animantibus, ea quoq; animę & corporis iuxta promiscua sunt: ceu sensus, memoria, ira, cupiditas, atq; omnino appetentia. Adde ijs uoluptatem ac mœrorẽ, quorum altero cuncta allíciuntur, altero deterrentur: quando hæc ferè omnibus natura ex æquo impressit. His adde, quòd quædam sunt omnibus ijs cõmunia, quæ uita participant: puta ali, augescere, sibi simile procreare. Quædam certis tantum animalibus congruunt. Ex ijs quatuor præcipuè fiunt quasi optimates coniugationes, uigilia somnus, iuuenta senecta, respiratio expiratio, uita mors. De quibus omnibus seorsum differẽdum est, ut quid sint, & quibus ex causis proficiscantur: intelligatur. Ad illum quoq; qui se naturæ studiosum profitetur, spectat agnoscere, quæ sint aduersæ, quæ secundæ ualetudinis seminaria: quibus sanè affectionibus ea non permouentur, quæ uita carent. Quomodo enim quicquam expers uitæ, uigilet aut dormiat, pubescat aut senescat, spiret aut respiret, uiuat aut intereat, ægrotet aut conualescat. Hæc sanè ijs data sunt quæ uita potiuntur, & quæ uicissim mouentur aut quiescunt, augentur aut minuuntur, calore indigent aut refrigeratione, uigent aut intermoriuntur. Ex ijs facile agnoscas eum qui se speculationi naturæ addixit, in medicinæ considerationẽ desinere: & rursus medicæ rei studiosos inde suas cõmentationes exordiri, ubi naturæ cõmentatores conquiescũt.

Atqui ea omnia quæ diximus, animæ & corpori pariter esse cõmunia ex eo colligimus, quòd omnia partim sensum comitantur, partim duce sensu contingunt. Sensum uero tam ad animam quàm ad corpus pertinere nemo dubitauerit: qui animaduertat, neq; animam seorsum, neq; corpus abiunctum ab anima ui sentiendi pollere. nam sine sensorijs quomodo sensus esse possit nõ uideo. Cæterum ex his alia sunt

ſenſus πάθη, id eſt affectiones, ut ſomnus & uigilia. alia ἕξεις, id eſt habitus, ut memoria. quædam ad ſenſus incolumitatẽ inuenta, ut reſpiratio, iuuentas, ac uita. ſunt rurſus quæ ſenſum aboleãt, ut expiratio, ſenectus, mors, ægritudo. Senſum uero animæ cõtingere per inſtrumẽta corporis, & perinde anima abdicata ſenſum corporis extingui, in libris De anima cumulate diximus: & cur animãtibus ſenſus neceſſarij ſint, exquiſite cauſam reddidimus. Et ſanè uſq; adeò animantia ſenſu indigẽt, ut hoc uno maximè argumento animalis definitionem exornemus, & animal ſit nõ ſit hinc præcipue comprobemus. Ex ſenſibus uero duo ſunt & proprij & imprimis omnibus animãtibus accõmodati, tactus ſcilicet & guſtus. Tactus quidem, quòd hoc calida, ſicca, frigida, humida diſtinguamus, quibus natura animalis allicitur aut repellitur, ut in libris quoq; De anima diximus. Guſtus aũt alimenti gratia, quippe omnia animantia indigent alimento. Atqui guſtu cibum dulcẽ ſuauemq; à triſti & amaro internoſcimus, id eſt quid fugiendũ quidúe appetendum dijudicamus. Et profecto ſapor eſt eius partis affectio, quæ nutriendi facultatem habet: ea nimirũ eſt guſtus. Si uero duo ſenſus, tactus ſcilicet & guſtus, uim ſuã de proximo exercẽt, agũtq; in attigua: & ob id omnibus ſunt animantibus agnati. Cæteri autem ſenſus quiſcule per externa operantur, ijs tantum ſunt inſiti animalibus, quæ locali utũtur motu. Nam olfactus, auditus, uiſus, hi omnes ſenſus non niſi ex interuallo uſui eſſe poſſunt. Hos natura quibuſdam animantibus indulſit, ſalutis & incolumitatis gratia. Sunt enim ij quaſi præcurſores, qui admonent quas eſcas ſectari debeant, quæq; ſalutaria aut interneciua occurrant, ut illa quidem appetant, hæc refugiant & auertantur. Amplius illud quoq; accedit cõmodum ijs animalibus quæ prudentiã rerumq; delectum habent, ut multa ſibi cõmoda inde aſciſcant, & ſuis ſibi neceſſitatibus conſulant. Illis enim ducibus ac præmonitoribus multas rerum differentias concipiunt, ex quibus prudentia auctior fit atq; inſtructior ad res, tũ cognoſcendas, tum obeundas. Inter omnes autẽ ſenſus qui uitæ neceſsitates ſuppeditant, longe præſtantiſsimus eſt uiſus: qui per ſe ac ſuapte ui functiones ſuas obit. Nam ex accidenti alioq; reſpectu auditus ad animi inſtitutionem multarumq; rerum perceptionẽ confert. Quippe uiſus prerogatiua ac facultas ad innumerabiles propemodum differentias ſe protert. Omnia enim corpora ita colore perlita ſunt, ut non corpora ipſa, ſed colores tantum qui in ſuperficie eminent, uideantur. Ex quo alibi dictum eſt, colores primum, corpora per accidens ſpectari. Hinc facile conſtet tibi, cõmunia ſenſilia uiſu potiſsimũ percipi. cõmunia uoco, figurã, magnitudinẽ, motum, ſtatum, numerum. Quæ ideo cõmunia uocito, quòd hæc omnibus ijs quę ſub ſenſum ueniant, accidant: ut locupletius in ſecundo De anima demonſtrauimus. Auditus uero ſtrepitus ac uocis diſcrimina, quæ pauca admodum ſunt ſi uiſus differentijs conferantur, ſecernit ac dijudicat. ob id, ut paulo ante diximus, ad ſapientiam multũ confert. Sermo enim qui auribus hauritur, ad animũ bonis diſciplinis excolendum multam uim multamq; efficaciam habet: non per ſe quidem, ſed ueluti uocis atq; orationis ſequeſter: quandoquidem oratio nominibus coaleſcit, quæ ſigna ac notæ ſunt earum quæ in animo ſunt imaginum: quas non aliter quàm uocis preſidio, in auditoris animum inſinues. Ex quibus quęſtio illa obiter abſolui poteſt, cur capti oculis & ab ipſis uſq; natalibus cæci prudẽtiores fieri poſsint, quàm qui muti ſurdiq; nati ſunt: auribus ſcilicet plus ad prudentiã quàm oculis adiuuantibus. Ea cauſa fuit, inquit Plutarchus, ut parentes amanter, ut fit, liberos excipientes, eorum aures imprimis exoſcularen-tur. Sic enim ſignificabant, illos ea parte maximè poſſe proficere. Qua uero facultate ſinguli polleãt ſenſus, alibi iam abunde diximus. Iam à nobis de ſedibus & locamentis ſenſuum, quæ Græci ἀισθητήρια, noſtri ſenſoria appellant, dicẽdum eſt. Hæc autẽ nonnulli rerum naturalium proditores ex elemẽtis eorumq; qualitatibus explorare ſolent. & in cæteris quidem ſibi pulchre ſatisfaciunt: unus eſt ſcrupus, qui eos male habet. Quom enim quatuor ſint elementa, quinq; aũt ſenſus, nimirum de quinto ſenſu ambigunt, ad quod elementorum referendus ille ſit, non inuenientes. Conſpirat tamen in eam ſententiã omnium conſenſus, uiſum ad ignem referri oportere. Hoc eis illud perſuaſit: quòd non aliter rationem afferre poterant, cur eueniat, ut preſſo

ut preſſo ſuccuſſoq́ ſua de ſede oculo reſplendens quidam ignis & promicantes radij ſe porrigant: id quod in tenebris plurimum contingit, uel ſiquando genæ obducantur. Illa enim genarum obſtructio uicem tenebrarum implet. Quòd ſi hæc ratio idonea ſit, & ultra quam animus nihil requirat, tum alia ſe protinus ingerat dubitatio. Nam ſi uiſilis ille ignis ſentientẽ ac uidentem oculum latere non poteſt, ſeq́ ultro depromit: tum illud neceſſarium eſt, ut oculus ipſe ſe uideat atq́ ſuã in ſe uim retorqueat. Quòd ſi hoc uerum eſt, ut illi fateri coguntur, qui priorem illam de igne rationem tuentur: cur non hoc quieſcenti ac minime laceſsito oculo potius euenit? Quom ergo illam dubitationẽ extricare non poſsint, nos hanc fortaſſe multo meliorem rationẽ afferemus: quare ita eueniat ut compreſsi uel in latus impulſi oculi ſcintillent. Nam quom natura læuibus & deterſis ſuperficiebus, quales aquæ ſunt & ſpeculorum & marmorum, hanc naturam impreſſerit ut coruſcent & niteant, id eſt in ſummo fulgorem quendam emittant: qui proximum quidem aerem illuſtret, & finitimas tenebras diſsipet, non tamen late in morem lucernæ lumen iaciat: in confeſſo eſt, mediam illam oculi partem, quam natura cornea feneſtrauit pupilla, ea læuitate præditam eſſe. hanc μέλαν καὶ μέσον, id eſt nigrũ & medium oculi dixit Ariſtoteles. Simulac itaq́ quis oculum agitauerit, laceſsiuerit q́, ut dictũ eſt, illud euenit, ut quod ſpectat & quod ſpectatur in diuerſum abeat. Eius rei cauſa eſt, quòd agitationis illius celeritas efficit, ut quod unum eſt, geminatum uideatur. Nec enim hoc aliter euenit, niſi adſit ut uelox concitatio & obſcuritas præſidio ſit. ſiquidem uolucritas illa motus neruos opticos qui inuehendo uiſui præſident, diſiungit. Eo fit, ut quod quieſcentibus unum apparet, de ſua ſede motis multiplex iam appareat. Id aũt præcipue fit, luce abſente, quom tota uis oculi in ſe retorquetur. Alioqui læue illud ac deterſum & lubricum quod diximus, in tenebris lucere idoneum: cui rei experimento ſint piſcium capita ſale arida, & ſæpiæ atramentũ: adde & atramentum quod poſtremo picturis circumlini ſolet. Hoc ſanè non eueniat, ſi leniter oculum cõmoueas. ita enim quod uidet & quod uidetur, unum occurrit. Sed adhibita uolucri & concitata illa cõmotione, alterum ab altero ſecernitur: & nunc unum, nunc plura efficiuntur. Retorquetur enim & refringitur in ſe uiſus, quom pars oblæſa in partem obuertitur alteram: atq́ ita radij oculi in ipſum quaſi oculum illiduntur: quæ res multiplicat ſpecies occurrentes. Solet & hoc bene potis uſui uenire: nam uini impetus dum graſſatur in caput, pro digito eſt, & agitationis uicẽ implet. De uiſu Platonis ſententia eſt in Timæo: deos oculorum orbes participes feciſſe ignis illius, qui non urit quidem, ſed illuminando ſuauiter diem inuehit mundo. Intimũ ſiquidem noſtri corporis ignem huius ignis germanũ, ſincerum q́ per oculos emanare uoluerũt, in quibus lenis cõgeſtus q́ ubiq́ ignis huiuſmodi ſit: ſed per eorum duntaxat ſolidiorem anguſtam q́ medietatẽ ignis purior euolet: craſsior uero cohibeatur. Itaq́ quom diurnum lumen applicat ſe uiſus radio, tunc ea duo inter ſe ſimilia cõcurrentia atq́ commixta, quò oculorum acies diriguntur, ibi in unius iam domeſtici corporis cohærẽt ſpeciem: ubicunq́ uidelicet tam intimi quàm externi luminis fit concurſus. Totum igitur hoc propter ſimilitudinem affectionem eandem ſortitum, quom quid aliud tangit, uel ipſum ab alio tãgitur, motum huiuſmodi ad corpus omne per q́ id ad animam uſq́ diffundens, ſenſum efficit qui uiſus uocatur. At poſtquã in noctem diſceſſerit cognatus ignis, uiſionis radius euaneſcit. Nam in aerem ſibi diſsimilem erumpens permutatur atq́ extinguitur. Quom nullam habeat cum proximo aere, utpote ignis ſplendore carente, naturæ cõmunionem, idcirco uidere deſinit. Oppugnat Ariſtoteles hanc Platonis ſententiam, tum alijs rationibus, tum hac imprimis: quòd nequaquã ueriſimilis cauſa eſt uiſum in tenebris ceſſare, quòd ignis ille oculis datus extinguatur in obſcuro, neq́ lumini ſibi cognato continuari poſsit: quom uſu experiẽtia q́ cognitum ſit, eam eſſe ignis uim ut in tenebris plurimũ luceat & facultatem ſuam exporrigat. Siquidem omnibus perſuaſum eſt, ignem calidum & ſiccum eſſe, neq́ ab alio aduerſario quàm humido & frigido iugulari & extingui poſſe. Contraria enim inter ſe pugnant, neq́ aliunde quàm à ſuis contrarijs opprimuntur. Sic certè carbonum ignis & flamma ab aqua utpote ſuo ingenio contraria profligatur.

Si lumẽ igitur oculorum ignis foret, ut Plato asserit, quis dubitat, quin urinantium, id est eorum qui sub aqua natant, lumen & uidendi uigor in ipso etiam meridie abo leret? Sic frigore & glacie ingruẽte uisus maximè caligaret ac laboraret suo sibi con trario reluctante, quod igni ignitisq; corporibus usu compertum est euenire. Hæc Aristoteles in Platonis sententiã, quę obiter etiam Empedoclis opinionẽ infringũt. Fuit enim Empedocles in ea propè hæresi, in qua & Plato, is autem duplicem ratio nem uidendi attigit. quarum altera est, uisionem nostrã fieri prodeunte ab oculis lu mine, non multo secus ac si quis iter facturus noctu opaca, accensum ignẽ ita later næ includat, ut uentorum impetus minime reformidetur, flatumq; undiq; defendat: tum lumen quoplus diffunditur, hoc magis magisq; prosilit; neq; laterna coerce ri potest, quin late promicet, & radios laxe diffundat. Sic ignis ille primogenius o culis insitus, natiuis membranis, ceu tenuibus linteis incluſus per pupillã in orbem spargitur, & in exterius obiecta obambulat. Ea uero lintea profundum circumfluen tis aquę quasi ignis pabulũ sustinent. Quo uero latior est ignis, hoc laxius euagatur. hic alter est modus quo uisum fieri Empedocles suspicatus est. Alter uero est quom à rebus ipsis quæ uidentur, continuas defluxiones fieri arbitratur: quæ inde abrasæ ad oculos nostros cõmeent, & ibi hæreant, rerumq; ipsarum simulachra oculis im primant. Democriti sententia partim ab Aristotele approbatur, partim refellitur. approbatur qua parte uidendi facultatem ad aquam retulit: refellitur qua parte dixit læuorem fulgidum in summa parte oculi innatũ, imagines recipere rerum obiecta rum, atq; ita uisionem exercere. In eo enim fallitur, quòd in læuore ac tersa illa oculi superficie uisum constare existimauit: quom in ipso uidente uidendi uis sita consti tutaq; sit, non autem in summa illa parte leuigata & lubrica. imago enim quæ oculo obtruditur, quam ἔμφασιν Græci dicunt, uidentis oculum afficit, à re uisa ad pupil lam relata: ut quędam sit reciprocatio rei ad oculum, & rursus ab oculo ad rem. Quę speculatio ab opticis refractio dicitur: & quomodo tacita quadã naturæ ratione fiat, ostenditur. Hanc partem cognitam perspectamq; Democrito fuisse existimamus.

Siquidem periti triplici ratione nostrum constare obtutum putauerunt, & nos ui dere opinati sunt: per lineas aut rectas aut flexas aut refractas, lineas inquã incertas cogitatione perspectiles & corporis expertes. Ac per rectas quidem ea quæ in aere sunt uidemus: aut quę post gemmas pellucentes, aut cornu perspicuũ. hæc enim sub tilissima natura constant. Flecti autem lineas in aqua cernimus. Flectitur enim uisus propter aquæ materiã densiorem, quæ causa est cur in mari flexos procul remos ui deamus. Tertio modo refracta intuemur, cuiusmodi specularia sunt. Huius generis cælestis arcus affectio. Siquidem animaduertere oportet, uuidam exhalationẽ in nu bem uerti, subindeq; in exiguas sensim stirias rorantes. Proinde in occiduas partes uergente sole, necesse est arcũ totum soli aduersum uideri: siquidẽ uisus stirijs offen sis refringitur, ex quo fit arcus. Sunt autẽ stillæ non figuræ forma, sed coloris. est primus eius color rutilus, secundus puniceus ac purpureus, tertius ceruleus ac uiri dis. Illud profecto mirum uideri potest, cur imago illa quæ oculo propter læuitatẽ adlinitur, Democrito persuaserit, eius lęuitatis gratia uisum fieri: quom alia multa ui deamus æquè læuia ac detersa, quę tamẽ nemo uidere suspicatur: quæ dubio procul uiderent, si læuitas uidendi causam afferret. Reiectis ergo aliorum sententijs, suam Aristoteles asserit: uisum scilicet nõ ad ignem, sed ad humorẽ esse referendum. Nec tamẽ euenire, ut ea causa oculus uideat, qua humor est, aut uim aqueã habet: sed qua pellucet, quod ipsum ei cum aere cõmune est. Sicut enim aer accõmodatus est colo ribus suscipiendis, ea causa quia colorem nullum habet, & perspicuus est: non secus & pupilla oculi, tum omni caret colore, tum perspicua est. Quę res efficit ut uideat, o mnesq; colores facile suscipiat. Sed percunctetur forte aliquis: qui factum sit, ut quom aqua & aer perspicui sint, coloresq; suscipiant: naturæ tamen bonitas pupillã ex aqua quàm ex aere architectari maluerit. Respondet Aristoteles, ob id factum, quòd aer fluxior sit, minusq; subsistat: aqua uero plus habet constantiæ atq; solidior est. Hoc uero ad continendum uisum multo erat accõmodatius. Ad comproban dam hanc Aristotelis sententiã accedunt certa experimenta, quę omnem dubitandi

causam

cauſam ſummoueant. Diſſectis enim oculis protinus multus humor effluit. Ex quo eorum dubitatio cõmode ſolui poteſt, quam etiã Plinius propoſuit, licet minus ab-ſoluerit: cur oculus quaſi fons ſemper lachrymas paratas habeat, quæ pro tempore defluant: ceu uero riuus iugis eo loco ſemper præſto ſit, qui lachrymarum copiã no-bis ſuppediter. Viſum aquæ deberi illud quoq; oſtendit, quòd ſi quis fœtum utero exemptum oculis protinus ſubijciat, inchoatos oculos uidebit imprimis ſplendeſce-re: ut id facile intelligas à natura aquea proficiſci. Adde ijs quòd in ſanguine præ-ditis, pars alba oculi quę pupillam continet, multum habet adipis. Quod ideo à natu ra prouiſum exiſtimatur, ne humida illa pars pupillæ quam aquea materia cõcretam diximus, gliſcente frigore cõgeleſcat, atq; inde offenſam capiat. Hinc ſcilicet euenit, ut quanto uelis frigore ingruente, nunquam tamen ea pars ulla hyemis inclemẽtia aut uentorum ui noxam contrahat. Quoi neceſsitati in ijs quę ſanguine carent, iuſte ac liberaliter omnia omnibus natura elargita, diuerſa ratione prouidit: duricie ſiqui-dem oculorum omnem externã illam iniuriam redimens: quippe rigor ac duricies pro munimento eſt. Sed enim qui uiſum fieri exiſtimãt, aliquo ab oculo prodeun-te, ſanè rem exiſtimant parum conſentaneam rationi: uel quatenus facultatem illam uidendi ad aſtra uſq; porrigi cenſent: uel quatenus certo ſpatio ab oculo progreſſam alicui alteri externo, puta luci ſolis uel aeri perſpicuo, cõiungi & cõmiſceri arbitran tur. Atqui Ariſtoteles, eam ſententiam quæ putat aliquid ab oculo progredi, & ſe protinus in locũ uel longe diſsitũ prorĩpere, nullis argumentis, ſed ſua tantũ autorita te oppugnat. Sed Alexãder in huius loci cõmentatione multis quoq; rationibus au-toritatẽ Ariſtotelis cõmunit: & probat illos qui in ea ſunt hæreſi, diſsidentia admo-dum rationi ſentire. Ex quibus probationibus nos in ſtudioſorum gratiã aliquot hoc loco congeremus. Plato & reliqui qui nos ita uidere opinati ſunt, ſi ab oculis quic-quam prodiret, quod rem aſpectui propoſitã pertingeret: ijdem ſunt qui uim intuen di igneam putauerunt. Quare illud ipſum ab oculo progrediens, nihil aliud cenſent quam igneum radium ab oculo effuſum ad rem quam ſpectamus. Ita enim rationem uidendi conſtituunt, ut ex radijs illis ab oculo portentis conus efficiatur, cuius faſti-gium à pupilla incipiat: baſis autem ea complectatur, quę uidentur. atqui hoc abſur dum eſſe multis rationibus conſtare poteſt: & illa imprimis. Radios enim illos qui emittuntur, corporeos eſſe neceſſe eſt. Nam quod incorporeum eſt, per ſe ad locum moueri non poteſt. Quom itaq; corpus ſit, qui fieri poteſt, ut remotiſsimo loco non abſumatur? quom cælum uidelicet aut locũ huiuſmodi longo interuallo ſummotum procul aſpicimus, præſertim quom illi ipſi radij ſua tenuitate facile in remota diſtan tia diſsipari poſsint. Imò id cõtra eueniat: quom enim cõniuemus, tunc acrius intue ri ſolemus: quamuis quom id agimus radij maximè attenuentur: & tunc omnis ra-tio ſuadeat, ut facile frangi atq; cõminui poſsint. Quòd ſi uenti ſuperueniãt, tunc ue-ro periculum ſit, ne radijs illis diſiectis obtutus omnis noſter depereat. Illa quoq; accedit dubitatio. quom radij illi tenues adeò ſint, cur non per genas clauſis & obſi-gnatis etiã oculis traijciant, ita ut cõpreſsis genis non minus quàm adapertis ſpecta re poſsimus. Et hoc profecto facile fieri poſſe uero ſimillimũ eſt: quom ſudor qui ra-dijs uiſilibus multo eſt craſsior, per genarũ meatus quotidie profluat: quin & uiſus ipſe per corpora ſolida, modo perſpicua ſint, qualia ſunt ſpecularia & lapis phengi-tes, tranſmeare ſoleat. Sed neq; illud intelligo, quomodo effigiem coni tueri poſ-ſint, faſtigiati primo, & deinde procedentis in baſim. Illud eſt enim flammæ inge-nium, ut in acumen deſinat. Quod contrà radijs euenire contendunt, qui ab acumi-ne in latum præter omnem rationẽ portenduntur. Ad hæc ſi radios emiſſos recte corpus eſſe diximus, nemo eſt qui dubitet ab ijs locũ occupari. Quòd ſi nihil eſt ua-cuum, ut multis rationibus probatũ eſt in Phyſicis, profecto corpus à corpore occu-pari oportebit. Atq; ita eueniet, quod ab omni prorſus natura abhorret, ut duo cor-pora eodem loco, eodem momento capiantur. Immo etiam plura, ſi cõtingat eodem tempore plures rem eandem ſpectare. Illud quoq; euenit, ut ſi in aere inſpiciamus, circa radios ab oculo progredientes fiat aeris ἀνάπτυξις, à noſtris circũobſiſten-tia dici poteſt. Quòd ſi in aqua, pari pacto circa radios aqua conglobabit ac denſior

fiet radijs impulsa: quæ res sanè obtutum nostrum interpellabit, facietq; ut ulterius procedere non possit. Id quod magis cõtinget, si plures eandem rem intueantur, & coni in eundem locum cõcurrant: ex quo necesse est eundem quoq; locum à multis corporibus occupari. Ex eo etiã augetur ratio dubitandi. Nam quom omnis motus exerceatur in tempore (quid enim aliud est tempus nisi mensura motus?) qui fieri poterit, ut radij ab oculo profecti momento tantum interuallum peragant, ad cælum puta ipsum extimũ pertingentes. In quo illud non possumus nõ admirari, quod pari tempore & proxima & longe summota uidentibus occurrãt. Quid uero euenit, si duo pluresúe sese ex aduerso respiciant? Certè illud necesse est: ut scilicet duo aut plures coni concurrant: sitq; alter alteri impedimento, ne radij suo fungantur officio. Quòd si ex conis unus forte sit imbecillior, tunc eum perrumpi ac penetrari fuerit necesse ab eo qui maiori polleat robore. quòd si æquales omnes habeãt uires, tũc nullo alteri cedente, omnes inutiles & sui muneris impotes fateamur cõsentaneum est. Præter hæc illud quoq; in disquisitionẽ uocat. quom corpus esse constet, quod ab oculis emanat, quod nã corpus illud esse dixerimus, aereũ ne an igneũ. Nã horũ utrũq; subtilissimũ esse persuasum est. Sed enim absurdũ est id esse aereũ, quom aer ante oculos atq; adeò ante ipsam pupillam propositus sit: ut superuacaneũ planè sit aerem alium ab interiore promptuario emitti. Reliquũ igitur est, ut sit igneum, nam & hoc subtilitate longe præstat. sed enim quom ignis natura atq; ingenium sit leuitatis gratia ferri in sublime: obsecro te quomodo ignei radij in terram deijci deferriq; poterũt? illud ergo incõmodũ huic assertioni præsto foret, ut in alto posita suspicere tantum possemus. Atqui humi posita uel recta linea oculis proposita prospicere nullo modo possemus. Neq; enim id fieri posset, nisi igni uis afferretur: quam iniuriam natura longe propulsat, & nil uiolentum diuturnum esse patitur. Adde quòd peraquam nullo pacto noster obtutus deferri posset. tanta enim est ignis & aquæ simultas, ut cohæresceré nunquã possint, sed opus sit protinus alterum ab altero aboleri. Atq; id ocyus eueniret, si aqua crassior, si tenuissimi radij. Absurdum autem prorsus, exiens aliquid alicui obtutum uidere & extendi usq; ad astra, uel usq; ad aliquid exeuntẽ aspectũ coniungi & conferi, ut quidam dixerunt. Quom interim dixerit Democriti sententiã, redit rursus ad eam, quã superius dixit: & quoniã cõstituentes ex igne aspectũ dicebãt ipsum uidere fieri aliquo exeũte ab oculis, in uniuersum, instans contra hoc exiens alicui ab oculis uidere ipsum fieri, remouens hoc simul auferet ipsi & hoc quod ei cõsequens erat: cõsequebatur aũt & hoc, ex igne aspectũ esse. Huic autẽ non exeunti alicui ipsum uidere fieri, auferatur utiq; & refractionẽ fieri. Quoniã aũt simul ex dicentibus ipsum uidere fieri, aliqui quidem, usq; ad id quod uidet exponebãt exiens ab oculis portẽdi ut Mathematici: aliqui per radios exeuntes ab oculis & usq; ad ea quæ uidẽtur portẽtos, uidere nos dicũt. Conum enim aiũt ex radijs fieri fastigiũ habentẽ aspectũ ipsum: basin aũt id quod uidet, & hoc cono ambiri ea quę uident. & sic uideri base coni illa quę uident circumamplectente. Quidã aũt usq; ad certũ limitẽ dicũt lucem emissam ab oculis procedere, & postea cõmisceri luci exterius existenti. Et hoc ex ambobus constante, & coalescẽte luce ad certum limitẽ oculis incidente & annunciante oculorũ affectionem, & sic ipsum uidere fieri sicut Platoni uidetur. Vtranq; sententiã ait esse absurdam secundum Mathematicos, nihil aliud contradicens. Addit autẽ dicentes lucem exire, postea conseri luci uenienti à rebus uisis. dicit, quoniã dicentium ignem esse uisum hæc sentẽtia est, quam ipsi imprimis summouere propositum est. Dicetur autem & contra illos. Primum quidẽ quod necesse est, corpus esse illud quod emittitur. Nõ enim potest quod incorporeum est per se localiter moueri. existente autẽ corpore illo quod emittitur, quomodo non consumuntur ea quæ uident, tantum remota ab eo quod uidetur, quantum est cælum à nobis. Nam si tenuitate corpus emissum excellat, sed igitur magnitudo distantiæ sufficiens & maior ad consumendũ corpus, quod animalia habebunt: & si in tenuissimũ aliquid ipsum resoluatur. Nunc aũt nihilominus ipsum uidẽt quę animalia nata sunt: quando à tanta distantia uidere uel quando conniuent. Amplius si subtile sit illud quod effunditur, ut possit in tantum protentum nihil manifeste absumere

absumere à corpore à quo effunditur: quomodo non corruptibile est ab his quæ incidunt. subtilissima enim corpora non patiuntur. Apparet autem hoc neq; à uiolentissimis uentis potens subuerti à recto ordine. Amplius si ita est tenue, quare non conniuentibus profunditur per meatus in supercilio positos, & quare non uidemus & tunc? Multo enim tenuior fluxus radiorum ipsis sudoribus qui secernuntur per supercilia siue genas. Sed neq; genæ cõniuentium sic accõmodantur ad inuicem, ut non possint radij adeò tenues existentes profundi. Etenim si per solida perspicua possibiles sint pertrãsire: uidemus enim per talia quę lõge sunt, ut per specula & per lapides phengites: manifestum quòd & per pellẽ genę possibile est profundi. Amplius quare nõ in angustum desinunt radij emissi, sicut & omnia à quibusdã: effluentem enim aquam in progressu tenuẽ uidemus. sed & flamma in acutum desinit. hos autem radios per contrariũ dicunt emissos dilatari & desinere in basem coni. Postea si corpus emissum est, patet quòd & locum occupabit: si autẽ nihil est uacuum, profecto corpus per corpus penetrabit. Et duo corpora simul erunt in eodẽ loco: uel & plura si plures sint simul uidẽtes eandẽ rem. uel circumobsistentia erit: siquidem in aere uidemus aeris, si autẽ in aqua, aquæ. siquid igitur circumobsistentia. Neq; enim in oculum & in pupillam possibile suscipere circum obsistentem radijs aquam, quando in aqua uideamus: neq; per respirationem idem suscipere. Neq; enim respiramus à principio in aqua existẽtes. Quærendum igitur circumobsistentia aquæ ad quid circumobstabit, an per corpus per quod fertur conus? Vno enim uidente illius cono circumobsistet. & si secundus uideat, & tertius idem. Amplius secundũ quod iaciunt inuicem coni circumobsistentia erit. Sic enim particula coni circumobsistet coni particulæ, si unus uideat cuius coni particula comprehendit locum illum ad id quod uidetur. Eorum enim circumobstent particulæ conorum, quomodo si etiam isti uideant. Sed si omnes uident, necesse utiq; per se inuicem transire conos, & multa corpora unum & eundem occupare locum, quem unius coni particula occupat.

Amplius si omnis motus in tempore, secundum autẽ radiorum effusionem & extensionem ad rem uisam uidere, in tempore uidemus. Sed enim hoc impossibile est æquali celeritate motu in tẽpore moueri hoc interuallum & huius multiplex. Videmus autem simul in reflexo uisu si lux sit, ad ea quæ sunt propè, & ad ea quæ sunt ulteriora. Amplius si multi simul idem uideant, ex differentibus his etiam ferantur coni. quod quom fiat necesse est solui continuationẽ emissorum corporũ ad id quod uidetur. Diuidens autem hanc neq; uidere etiam possibile sit. Hoc autem ipsum necesse fieri uel si duo aliqui uideant inuicem differentia: sit autem ad rectam utrinq; uidentium uisile aliquod propositum. Si autẽ uideant non secundum se ipsos, sed alter ipsorum in altero ad rectam propositum, etiam sic necesse est per medium iacere conos inuicẽ, & incidi uicissim uel alterum per alterũ transire. sic autẽ rursus duo corpora fiunt in eodem. Amplius qui ex contraria uidentes quomodo uidere poterunt? Si enim coni occurrentes inuicem non procedent, uel sint æqualis roboris, ut neuter neutrum aspiciat. uel alter alterum respiciet, nondum autẽ & alter alterum.

Amplius si corpus sit effluens ab oculis quo uidemus, uel aer erit uel ignis. hæc enim subtilissima corporum quæ in nobis sunt. sed aerem quidem non est rationabile, est enim & ante oculos & ante pupillã aer. Frustra igitur interius emitteretur. Si aũt ignis quod emittit: hoc enim subtilissimũ & immotissimũ: ignis aũt desuper motus secundũ naturã, quomodo non sursum tantũ uidemus? Sed & subter nos & infra, & æquali celeritate & similiter. uel quid erit quod post emittatur ex oculis ignis in locum inferiorem mouens illud uiolenter. Amplius quomodo ea quæ sunt infra aquam uidemus? Omnis enim ignis in aqua extinguitur, uel quanto subtilius sit & minus celerius. Sed per uisum rationabile ferri ignem. aquæ enim pupilla. Amplius si ignis est quod emittitur oportebat ipsum & per diem & noctu uideri. Sed & splendeat aer, circa uidentes, si plures simul uideant in paruo aere confuso. nam dicere extingui per crassitudinem aeris tenebrosi, illum ignem qui emittitur ex uisu, absurdum est. multa enim aqua subtilior existens non extinguit ipsum. Si autem dicerent lucem emissam esse, demonstratur ipsis quòd incorporeum & non possibile

emitti & profundi, ut aiũt. fit enim ſecundũ habitũ ipſius quod illuſtrat ad id quod potens eſt illuſtrare. Propter quod neq; motus lucis eſt. ſimul igit uidemus, & quæ prope & quæ procul naturali illuminatione, quæcũq; illuſtrata ab eadem diſtantia poſſibilia ab eodem illuminari, quod erat impoſsibile ſi lux erat corpus. Quando autem habitus aliquid eſt ſecundum habitũ illuſtrantis illuſtratũ, & ad aliqua ſubſtantia, & lux corpus, manifeſtum. Et exin parum expectari ipſum affligi ab illuſtrante. & hęc quidem & talia diceret cõtra emittentes corpus ab oculis, donec ad rem uiſam perueniat. Sed neq; ab his quæ uidentur, rationabile, effluens aliquid incidere oculis, & ſic ipſum uidere fieri. Etenim quæcũq; ſequuntur impoſsibilia dicentibus ab oculis aliquid effluere, ſequũtur & ab his quæ uident. Amplius ad illos, & quòd non eſt poſsibile eſſe in tanta diſtantia uidentis, & rei uiſę ſenſum aliquem fieri, ſi hoc modo fiat ipſum uidere. Amplius, quomodo collectũ aliquod ſpectabitur? neceſſe enim tantum uideri quantum pupillæ ſuſcipit. tantũ enim excipiet effluxus. Quomodo autem nõ laborat uiſus tantorum & ſic continuorũ incidentium corporum exiſtens adeò patibilis? ſed de his quidem in alijs cumulatius dicitur. Ariſtoteles dicens irrationabile omnino dextrum aliquid alicui aſpectũ uidere & extendi uſq; ad aſtra, uel uſq; ad aliquid exeuntem cõmiſceri prout dicebant aliqui. Et alterius ſententiæ abſurditatem demonſtrans, cũ dicant continuari poſſe uſq; ad aſtra: abſurdũ enim tantum poſſe emitti corpus ex aliquo ſpectantiũ ut ipſum cõtinuari poſsit uſq; ad aſtra. Contrà dicentes autem cõmiſceri & emiſſam lucem, hæc ex luce dicens inquit.

QVOD STOICI DICVNT MAGIS FABVLOSA QVAM POETÆ, AD IMITATIONEM PLVTARchi, Cælio Calcagnino autore, ad Antonium Muſam Braſauolum.

NIHIL eſt aliud more Gigantum deos oppugnare, & eos conari è cœlo deturbare, quàm naturæ reluctari & eius ſcita reſcindere: quis non merito Stoicos Gigantes dixerit? qui non modo naturæ maieſtatem imminuunt, ſed eius omnino abrogant autoritatem, atq; ipſam conãtur aboleré. Nam quid aliud eſt homini affectus adimere, quos non fruſtra à natura ſed etiã utiliter datos Ariſtoteles exiſtimauit? Quòd ſi nõ iniuria Plato è republica, quam ipſe ſibi confinxit, exiſtimatur poetas depuliſſe: quòd inſanas & Dis parũ conſentaneas cõmentationes introduxerint: nihil eſt profecto quod in ſacrario ſapientiæ aut in Muſarũ proſcenio locũ uendicet ſibi Stoicorũ factio. Nullus eſt enim poetarũ, qui tam abſurdam atq; ſomniculoſam fabulã contexuerit: cuius inuenta ſi prodigioſis Stoicorum figmentis conferantur, nõ multo leuiora multoq; plus fidei habitura apud mortales uideantur. Cęneus apud Pindarũ tam duro tamq; inuicto corpore fuiſſe ſcribitur, ut nullo poſſet telo penetrari: ob id quom aduerſus Centauros depugnaret, nõ ictibus ſauciari potuit: ſed telorum multitudine & haſtarum ſylua obrutus, recto pede terram ſcidit, ut inquit Pindarus. Talus ille apud Apollonium, qui ter die Cretam inſulam excurrebat, totus ferreus, non ui, nõ armis, nulla deniq; mole ab Argonautis expugnari potuit: Medeæ tãtum ueneficijs ceſſit, & clauo ferreo à ceruice excuſſo ſuccubuit. At Stoicus ille Lapitha, ille porticus excurſor, quaſi ex adamante compactus, aut ſi quid eſt adamante magis ineluctabile, non

non modo non potest ui aut ferro sauciari: sed quod tibi uideri potest admirabilius, si quo forte uulnere fuerit confossus, si fuerit pectus hasta traiectum, si apertus mucrone iugulus, si ceruix recisa: nihil hoc tamen ad se pertinere existimabit: utpote qui in morem stipitis, nulli sit dolori obnoxius, nullum habeat in sectione sensum: sed quasi aut palperis aut titilles, rideat, & de sua sibi felicitate nihil ademptum suspicetur. Poetæ Centauros suos sibi confinxerunt, monstra scilicet ex natura humana & ferina compacta: quibus tamen hominis sensum reliquerunt. At noster ille porticus incola monstra multo horribilius ex homine effecit: ceu qui solam humanã effigiem reliquerit, humanum animũ ademerit. nam quid est aliud obsecro, amorem, beneuolentiam, misericordiã, humanitatem, clementiam, placabilitatẽ, cæteroscꝙ alios affectus, quos nostro generi natura immiscuit, auellere, quàm hominem in ferã commutare, ut neꝙ Circe, neꝙ Calypso atrocioribus ueneficijs usæ intelligãtur: quæ uiuentibus ac spirantibus hominibus hominem detraxisse traduntur. In poetarum fabulis legimus centimanum quendam Briareũ, & cẽtum oculis præditũ Argum fuisse: illum ad agendum industriũ, hunc ad lucubrandũ peruigilem. At noster Stoicus à disciplina ac professione factus ad omnia, nõ centum manus aut centum oculos exercet: sed totus manus omnia facile expedit, totuscꝙ oculus omnia perspicit: ut multo Lynceo perspicacior & trans cælum quę Di agant animaduertat, & quę ultra terras gerant peruideat oculo semper inconniuenti, & somno nunquam expugnabili. Quid de Cæneo dicã & Tyresia & hyæna inanissimis poetarũ cõmentis, quos nũc mares, nunc fœminas fuisse produnt. An non illud absurdius, philosophũ prodeuntem è porticu, nullo Veneris incentiuo percitum, nullo uoluptatis illicio permotum ex seipso omnia generare: non assuentem femori semiustum infantẽ, sed ex ipso plane capite, citra mulieris cõgressum, citra naturæ inuitamentũ, nõ Mineruã quidem, sed insanas & abruptas cõmentationes parientem. Manliũ nescio quem & Protagoram & alios quosdam Græci αὐτοδιδάκτους appellant: admirãturcꝙ, quòd plerascꝙ disciplinas hauserint doctore nullo: quorũ ingenium non cultum neꝙ subactũ facile per se largos prouentus protulit: ceu terra illa Cyclopũ, quę inarata & inculta omnia liberaliter sua sponte depromebat: Sic ad eruditionẽ nostri Stoici nõ studio, non longa lectione, non multa epotatione fuliginis opus est. nam ad ebibendas omnes disciplinas, & ad hauriendũ omnem prorsus Encyclopędiam satis est in porticu suũ nomen consecrasse. Nã sicuti sufficit uaticinantibus & phœbadibus in adyto & cortina substitisse, ut diuinũ illum afflatum quem Enthusiasmum uocant excipiant: Ita ad sapientiã & bonas artes ediscendas sufficit, Stoicorũ collegio nomen dedisse. Democritus ille Abderites cõfuso quarũdam auium sanguine prodidit totius auitij linguas omnescꝙ uoces & concentus uolucrũ intelligi ac percipi posse. At nostri porticus proceres non auiũ garritus, ut Apollonius ille Tyaneus, sed ipsas se deorum linguas, ostenta scilicet, prodigia, somniacꝙ interpretari posse pollicentur: nullumcꝙ est tam fabulosum & uecors poetarum commentum, quod illi ad normam & præscriptum naturæ non reuocent: ut de ijs illud belle dici possit, pulcherrime illos cum ratione insanire. Insulas quasdam cognomento Fortunatas ferunt, unde linea orbis decumana inchoat: ferũt & Hyperboreos mõtes sub cardinibus mundi positos, tanto esse cæli temperamento, ut constans sit omnibus ualetudo, tardeꝙ & uix tandem senectus accedat. at noster ille porticus inambulator, & Xenophilo illo celebri musico, & ipsa crotone sanior, nulla corporis nullaꝙ animi conflictatur unquam intemperie: sed & similares partes bene æqualiterꝙ constitutas habet, & dissimilares particulæ loco, numero, rituꝙ apto compositæ suo sine noxa aut interpellatione funguntur officio: ut apud Stoicos facile effici posse uideatur, quod cæteri pernegant medici. unus ille quem Galenus redarguit, pertinaciter asseuerabat: hominẽ immortalitate potiturũ, si calidum atꝙ humidũ ad eandem harmoniam ita coaptauerit, ut nunquam concentus ille desinat. At quanto minore labore hæc perpetuitas Stoico constat, si modo tota uita institutũ seruauerit, & ex porticu nunquã abscesserit. Lamias quasdam fuisse aiunt exemptiles habentes oculos, specillorũ more, quos domi exuant, resumant quom domo exeunt: ob id fit ut externa acute intueantur, ignorẽt

domestica

domestica: sed enim Stoicorũ filij longius aberrãt à scopo. Nam ij in luce illustri ac perspicua oculos adimunt sibi, in obscuro autẽ ac tenebris sumunt. Ea causa est, ut quæ in natura manifesta sunt, omnibusq; perspecta, ea nesciant Stoici: contrà quæ obscura & impedita, ac tenebris obsita, uel (ut forte rectius dicã) quæ in specu pleu/dologias demersa, ea tam bene uident, quàm qui per somnum corneis specularibus utuntur. Ii sunt qui diuina & humana fato obstringunt: qui Iouem ipsum supremum numen ad ineluctabilem cathenam alligant, folles æreos pedibus assuentes, & Saturnũ compedibus includentes: nõ secus profecto atq; Homerus: qui captum ac uictum Iouem à Iunone & Neptuno prodidit. Sed illud Homerus liberalius ac modestius, quòd quẽ uinctum dixerat, mox solutũ tradidit Aegeonis quidem uiribus, sed Tethidis beneficio. At Stoici inclemẽtius, qui ita Iouẽ deosq; omnes uinxerint, ut uindiciarum nulla spes supersit. Quid dicam quòd uolucrem etiã hunc animi captum, qui proprijs naturæ alis late omnia peruolat, breuibus admodum & angustis cancellis & quasi tenui cauea incluserunt? an non hoc est facto Aeoli simillimũ: qui Vlysis precibus uictus, uentos utre conclusit? Sic illi dum tẽpestates & fluctus metuunt, affectusq; nostros comprimunt, maluerunt cursum in Ithacã destituere, & apud Calypso subsidere, quàm se undabũdo mari cõmittere. Sed isti ipsi qui se tam arctis coercent angustijs, tã late rursus peruagantur, tam libera spatia mari terra cæloq; faciũt, ut nihil tã altũ abditúmue sit aut in excelsis cælestiũ orbiũ fornicibus, aut in subterraneis terrę penetralibus, quò non irrumpat eorũ hominũ pernicitas: ita ut omnino nihil allidant, quasi tu Iphiclũ super arẽtes aristas excursantẽ, aut Orionẽ super fluctibus prouolantẽ agnoscas. Nã uolucritas illa ingenij Abaris celeritati cõferri potest: qui sagitta uectus ab Hyperboreis Athenas paucis momentis dicit̃ peruenisse. Nã quæ de Bellorophonte & Pegaso scribunt̃, ea ad Stoicorũ admirabiles cõmentationes comparata historiæ planè locum obtinent. Plato scripsit, homines quosdam igneos apud inferos ijs præsidere, qui magnis uitiorũ notis cooperti sunt: quiq; diuturna impunitate prouocati licenter in omne peccandi genus prouoluti sunt: horum itaq; labes igni detergitur, ad eam propè rationem qua mappæ lino cognomento asbesto confectæ elui atq; expurgari solent: at multo minore negotio noster Stoicus quasi Psyllus uirulentiam hanc uitiorũ paucis preculis excãtat. Quom primum enim notum illud Epicteti auribus insusurrauerit, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, protinus omnes maculæ abeunt, omnia faceſſunt inquinamenta: fitq; ille prorsus ἀπαθὴς, & quicquid telorum in eum aut natura aut fortuna coniecerit, id protinus retunditur, & septemplicem clypeum obijciente ἀπαθείᾳ refringitur. In auitij genere cirin poetæ celebrant à pietate: hæc defunctum parentem quom nõ haberet quo loco tumularet. nam di sepulchrũ interdixerãt, in suo ipsius capite patrem humauit: eumq; quocunq; ferè secũ gestat. eius rei profert insigne cristam in summo apice prominentem. An nõ Stoici obsecro idem propè agunt: Nam suas ipsi cõmentationes quom non habeant cui ingerant, utpote cæteris eorum philosophiam explodentibus, necesse est ut in sinu gaudeant, suoq; recondant in capite, quas alijs nõ possunt obtrudere. Harpyias quasdã fuisse memorant, inauspicatas aues, quæ quicquid attigerãt, protinus inquinarent. In eundem morem Stoici, omnem partem philosophiæ quam attrectant, eam fœdiorem impuriorẽq; reddunt: ut bene actum cũ magistra uitæ existimandũ sit, si eam nunquam attigissent. In Hirpinis familias quasdam conditores ueterum monumentorũ tradiderunt, Vulcani munere, à quo se oriundas gloriabantur, fuisse quæ summa impunitate in igne obuersarẽtur. Ob id perpetuo senatus consulto immunes fuisse ab omni publico onere. Ophiogenum legatum miraculi gratia spectatum scribit Plinius in dolio serpentibus referto, nudum illos attrectantẽ non solum impune, sed etiam alludentes, & linguis blandientes: ut mutuæ cognationis intellectum facile habere uiderentur. Qui herbarum naturas scrutantur, adiantũ imprimis admirari solent: quòd aquis immersum, neq; madescat, neq; aquas concipiat: sed ita educatur, ceu nunquã aquas subiuerit. Paribus quoq; prærogatiuis Stoici nostri pollent: utpote qui medijs in ignibus non conflagrẽt, uirulento anguium dente perfossi non doleant, aquis oppressi non obruantur. Quid dicã? quom ægri ualeãt,

uicti

uicti non succumbant, mortui adhuc uiuant. & tamẽ si Dis placet, magni isti & admirabiles philosophi, cæteros insectantur, aliorumq; decretis oblatrant. Quin & naturæ scita contumelioſe rescindere conantur, affectus frustra, immo cum maximo mortaliũ malo datos asserentes, neq; iram cotem uirtutis, neq; ambitionẽ glorię inuitamentum existimantes. Perturbationes enim esse quasdam animi ægritudines. nullam aũt esse uel tantillam ægritudinẽ, quę iure laudari mereatur. Hæc profecto sunt ijs simillima quæ poetæ de Momo conscripserunt. Momum enim quendam fuisse dixit Hesiodus Nocte & Somno prognatum, hominũ ac deorum cõtemptorem. hic quom non posset recte facta ueris probris coarguere, confictis calumnijs cauillabatur. Nam & fenestratũ homini pectus, & bobus in armis cornua, & meliores Veneri crepidas esse oportere prædicabat. Quòd si æqua trutina rem libraueris, & ipsos Stoicos Momi discipulos agnosces, & Somno ac Nocte satos profitebere: quom non modo obscura, sed somniculosa etiam atq; adeò caligantia proloquantur. Nam quale illud somnium & quàm πρόδηλος? Fuit olim anus quædam Pronœa nomine, sagax admodum ac peruigil. Illa hoc omne quod aspicis, quod cursu inenarrabili cælestes secum rapit anfractus, fabrefecit. Illa solem, lunam, elementa, architectata est. huic summa, huic ima debemus. hæc suis illis rugosis manibus omnia perfecit. Ecquis hæc rogo nõ rideat? & multo fortè iustius quàm uel Sphærũ Platonis uel deos Epicuri monogrammos, qui neq; ipsi habent negocium, neq; alteri exhibent. nam uiri sapientissimi, cur uestram illam Pronœam anum magis quàm ætate integra matronam confinxistis? cui præsertim tantum oneris delegetis, quam tantæ molis opificem uel credatis, uel certè alijs persuadere nitamini. Aegyptij certè honestius, qui perennem ac rediuiuã deorum iuuentam uolentes significare, aspidem capiti sacrarum imaginum appinxere: quòd annis singulis hoc genus anguiũ ueteres exuuias ponat, & uernos inter frutices repubescat. Hi sunt ergo qui cum ueritate colluctantur tam licẽter, ut uictoriam sibi indubitatã polliceantur, nescientes quanta ueritatis uis sit: quæ oppugnari facile potest, expugnari uero nulla machina potest. Irriti itaq; & exibilati è corona abeunt, quoties in certamen descendere: non secus ac Sirenes abiuerint, quando cũ Musis certamen iniuere, depilesq; ac deplumes in mare se præcipitarunt, aspectum hominum nõ ausę diutius perferre. Hinc & apud Cretas Ἄπτερα nomen habent.

DE CITRIO CEDRO ET CITRO, COMMENTATIO CÆLII CALCAGNINI AD ANTONIUM Musam Brasauolum.

Vnde aduecta Citrius.

c ITRIVS peregrina est arbos, ex Mauritania primo, atque ab Atlante & Anchorario montibus in Mediam auectam putant, è Media in Italiam: quæ tamen deinde apud nos multum altitudine odoreq; degenerauerit. Semper frondescit, lauro similis foljs, cortice, odore, spinis distincta: proceritate, florisq; candore dispar. Huius poma primo uiridia, mox rutila: & quom maturuerint, fulua inueniuntur.

Quo loco ponenda.

Loca exigit austro expositа. uitandus septentrio. Si hoc non potes, lauro, oliua, aliõue munimine ambito: omni ratione frigidos flatus defendito. Hibernis temporibus

ribus ſolent in Italia ſtramine, cratibus, cæteriſq; id genus integere, in propinquo ig
nes facere, calcem, fimumúe aggerere. & quia non ſatis tutò hortis, ſubdialibusq; lo
cis credi poteſt ob regionis ſæuitiem, cubicularibus rhedis ſuſpenſa incumbente fri
gore in occluſa munitaq; ſpecularibus loca rapit, quom primũ uer affulſerit efferen
da. Citreta uero in quadrum aptiſsime cõcinnabis, longumúe produces. Alijs etiam
arboribus, modo analogiæ ratio habeatur, aut alternabis aut immiſcebis.

Qualis terra eligenda.

Terram ubi ponenda eſt, bene antè bipalio ſubigito, ad ſummamq; raritatem re
digito. Si glareæ aut argillæ credenda eſt, fimo prius inſpergito: aquam deriuato:
quando uolueris, deriuato. Nullam diei partem minus aptam ſapientiores exiſtima
uere. Hæc una eſt arborum, quę iugi, ſed lenta ſcaturigine gaudeat. aqua enim æſtu
ſitim leuat, hyeme calorem uegetat: modo ſit utroq; tempore egelida.

Quando ſerenda: quales ſcrobes fieri debeant.

Vere cõmode ſeritur: nec incõmode reliqua tẽpeſtate anni: ſi modo accurate ha
beas, & ſæpius aquã inuergas. Rigorem hyemis cauebis. non altas adeò ſcrobes pa
rabis: quo latiores patentioresq; feceris, hoc erunt latiores uberioresq; fructus. Scro
bem clibano ſimilem eſſe uolunt: imus quàm ſummus patentior ut laxius radices ua
gentur: ac minus frigoris hyeme minusq; æſtate uaporis, per anguſtum os admittãt.
Cum è plantario tranſtuleris, cum genitali terra transferto: adeò & poma libentius
in ſinu parentis quàm nouercæ adoleſcunt.

Quot modis Citrius paretur.

De ſemine.

Citrios parabis ſemine, propagine, inſitione. Duo priora tantũ attigit Plinius. In
aprico, & quantum potes ſubacto ſolo elapidatoq;, & munito ad incurſum etiã galli
nacei generis, eiq; ſimillimo, quo denicq; depoſiturus es, ſeminario locũ elige: quom
ſemen ipſum multo antea legeris: id plenius robuſtiusq; & plurimũ medullę habens
eligatur. In hoc puluinos faciebant: ſulco aquam inducito: cinerem admiſceto. No
ſtri uno ſemine contenti ſunt: ita ut acies lateris in meridiem ſpectet. Veteres terna
ſemina trianguli ratione inuerſo mucrone ſimul ſtatuebant: & tepenti aqua ale
bant, ſic maturius coalitura exiſtimantes. tu æquali interuallo grana ſerito: crebro
adluito: agnaſcentes herbas ſarrito. Sæpe repaſtinato. creſcenti ſoleas putres, ſpon
giamúe madentem admoueto: unde leniter humor effluat, & radices exhilaret. Ani
mantũ cadauera ſuffodito. his enim apprime lætari ſolet. Cinerem, hominũ ſuumúe
excrementa, noctu etiam lotium adfundito. Sic citreta pulcherrime tibi apparabis.
ſi dulcia uoles: mulſo aut ſaccharo, uel quod ueteres præſtare exiſtimauerunt, ouillo
lacte ante ſementem humectabis: quorum ſaporem nata denicq; referent.

De Citri propagine.

Propaginem ſic facies. medium flagellum diduces, lapilloq; diſcuneabis: & ſummo
capite fictili uaſi, qualóue inſerto incuruabis. Tum feraci ſolo ſeſquipedem obrues.
Aquam ſuperinſperges. hinc ramus pabula utrinq; mutuatus facile radicem iaciet.
quarto anno quom bene offirmatum agnoueris, à matrice reſecabis: illumq; mox, ſi
ita placuerit, in nouam propaginẽ traduces. Admirabilem alij rationem tentauere ra
dices in ipſa arbore ſollicitando traiectis per uaſa fictilia, uel qualos, ramis terraq; cir
cumpactis, atq; hoc blandimẽto impetratis radicibus, inter poma ipſa & cacumina.
In ſumma enim cacumina hoc modo petuntur audaci ingenio arborem aliam lõge
à tellure faciendi.

De Citri inſitione.

Inſitionem nõ uno modo facies, aut enim ſub ſolo cortice ſurculum abdes, quem
inſitiõi paraueris: quam rationẽ uideo ueteres damnaſſe, maluiſſeq; ut circa radices
truncus finderetur: quod priſci pertinaciter reformidarunt. Aut diducto etiam trun
co ramũ infiges: corticeq; & cæra aut intrita oblines, atq; obligabis: impoſito etiam
ceſpite pluuiam arcebis. Aut finitimum ſtolonem alieno libro leuiter reſciſſo conte
ges. aut eundem in perforatum truncum immittes: ibiq; habebis donec adoleuerit.
tum demum à genitali reſcindas ſtirpe. Creſcentẽ crebro irrigabis: à ſole, à frigore
defendes

defendes, suboleſcẽtes gemmas erades. Terram paſtinabis, ablaqueabis quom opus erit. Luxuriem ferro corriges: modus tamen adſit & cautio. nouiſsimam hanc rationem fruſtra quidam auulſionem exiſtimarunt: quom auulſione ſtolones parui auellantur: partemq; aliquã è matris quoq; corpore auferant ſecum, fimbriato quoq; corpore & ſeorſum non aliena in arbore adſerantur. Veris tempus tempeſtiuum eſt inſitioni, calidis locis adultum, frigidis præceps: creſcentem lunam obſeruabis. Videó & illum morem minime damnari ſolere: quom leuiter reſciſſo alienæ arboris libro Citrij gemmæ includuntur, obſtringunturq; diligenter, habita tepentis temporis ratione. Nec diu res ducetur, quom ignobilem ſurculum uidebis generoſo palmite efflorere. Inſitioni pyrum, morum, limonẽ, aſſyrium malum citrumq; mutuò commodas putabis. Erat & illa ratio deponendę Citri ſanè frequens ueteribus: durioremq; & iam adultum ſtipitem cubitali fermè longitudine, leuigatũ utrinq;, nodis & aculeis reſectis, prominentibus tantum gemmis inſignem, loco ſoli oſtenſo depone bant. Qui operoſiores erant, bubulo ſimo utrumq; apicem adlinebant, algamúe obducebant: aut ſubacta argilla utrinq; integebant: ſolumq; antea molliebant, crebro aquam inducebant, ab æſtu & frigore defendebant. Alij thaleam graciliorem multo & breuiorem ita ſolo immergebant, ut inferius obliquata paulo minus cubito extaret. Eadẽq; quã modo diximus induſtria curabaẽ: peculiaribus Citrio regiõibus per autumnum, noſtro ſub cælo adulta iam æſtate id cõmode fiebat. Noſtri priores inſerendi rationes & magis probant & frequentius utuntur. Nec uero eũ morem aſpernantur, quom Citrius ramuſculus delibratus alieno cortice induitur: obligaturq; ita ut limbi reſpondeant, frondes & id genus inuolucra aduerſus cæli intemperiẽ aſtringuntur. Peregrino enim in cortice ſuboleſcet, illumq; ante quadrienniũ in ſuum nomen adoptabit. Illud etiam antiquitus inſtitutum: ut ab humeris Citriorum orientem æſtiuum ſpectantibus ſurculi peterentur. Quí ſi forte longius afferrentur, rapo infixos optime cuſtodire ſuccum arbitrantur: ſeruariq; inter duos imbrices iuxta riuos uel piſcinas pyxidatim obſtructos.

De Citri educatione.

Poſtquam uero iam radices egerit, & adoleſcere incipiet pedamentis eius infirmitatem fulcies. Luxuriãtem compeſces: plagas cæra intritaúe oblines. hyeme ferrum non admouebis: erucas campasúe, ſubnaſcentes decuties: aut mulierẽ menſibus uexatam ſublatis ueſtibus, noctis ſilentio induces. Ne ad Citrium fuſos torqueat iubebis, promicantibus ramis frigora & uentos arcebis. Si locus minus aptus eſt, maceri as munimentaq; obijcito: æſtum temperato. utroq; tempore aquas irrigato. Vere ambitioſas uetuſteſcentesq; & luxatas partes amputato: quam amputaueris, intrita medeberis: ne frigore iuguletur. Ante omnia ut natus ſtipes in rectũ adoleſcat procurabis: in conum creſcere facies. laſciuientes ramos caſtigabis. Quom adhuc tenera eſt, calicem aqua plenum appendito: ex quo in arborem faſciam protrahe, quo iugi humore exhilareſcat, & ad ætatem cruſtam contrahat. ſi craſsiora Citria uoles, ramorum ſyluam decuties: quo illi pauciores relinquentur, hoc mala ampliora prouenient. Triplex eorum ſapor, dulcis, acer, medius. raro in Italia dulcis, arte tamen aſſequi poteris, quod in patrio ſolo naturæ ſponte obtigit. Nuper etiam accepimus, inuictiſsimos ſemper Hiſpaniarũ reges qui Chriſtianum imperiũ longe lateq; promouerunt, in heſperio orbe inſulas inueniſſe citretis admirabilem in modũ conſitas: ubi pomorum amplitudo & ſuauitas incredibilis. Quòd ſi toto anno in arbore Citria habere uelis: quod in Aſſyria peculiare, quibus etiam locis frequens eſt: eum morem ſeruabis. Quom legendi tempus aduenerit, partem quidem ſtringes, partem relinques: qua parte ſtrinxeris, genuina arboris feracitas alia ſubſtituet: quibus adultis, poterũt & priora illa decerpi, atq; ita ſubinde noua fœtura inuitari. Siquando uero ob frigoris magnitudinem aruerit, ne ſeca, neúe animum deſponde: ſed calcem aggerito, aquamq; irrigato, & quaſi exanimẽ in uitam reuoca. Sæpe enim uſui uenit ut aut ſummo è ſtipite aut à radice pullulet atq; repubeſcat. Tanta eſt enim huius arboris uiuacitas, ut quom extincta uideatur, repente frondeſcat. Sæpe etiam rami cortioſo cortice illudunt: quos quom aridos putaueris, mox germinantes admireris. ſi

quid tamen aridum est, resecato: reliquo parcito. Quomodo dulcia fieri possint, antequam serant, iam diximus. postquã uero adulta sunt, sic facies. Crassiorẽ palmitem cædes, in palmiq; altitudinem cauabis: mel super instillabis, arcebisq; soles imbrice: quom uero mel uniuersum hauserit, aliud rursus infundes: radicibus etiã lotium adfundes. Extuberantes gemmas, nisi qua parte mella propinaueris, expungito: cæteris parcito. Si calida in regione citretum habueris, sic facere poteris. Hyeme præcipiti & iam uere appetente, truncum obliquo foramine ab imo terebrabis: ita ut altera parte nõ exeat. Ex hoc humorem effluere sines tantisper, dum Citria protulerit: tunc foramen luto farcies. hac ratione dulce fieri quod medium est, cõtendunt. Nec non illud monumentis traditũ est: mutuo quodã naturæ affectu, quam sympathiam dicũt, Citrijs cucurbitas cõciliari: feliciusq; prouenire, ubi illæ in proximo satæ sunt: cineremq; ex earum restibus pulcherrime cõuenire. poteris & Citrios ad historiale opus cõuertere, si auertendi æstus gratia locum irriguũ paraueris, munitionibus frigora excluseris: mox uti magis placebit diriges aut circumduces, aut ages in quadrũ, palisq; cinges, loris obstringes. Ab ipsisq; incunabulis omnes formas docebis, & in omnia simulachra uariabis. Quam uoles etiam formã poma facile induent, si nascentibus quasi personã è ligno argillaúe, quã potissimũ cupies induxeris: atq; in ea adolescere imperaueris. Et licet cõmodissime illis medici ad euocãdos necandosq; humani corporis lumbricos, conditisq; Sacharo ad componendum fluctuantẽ stomachum utantur, opulentioribusq; mensis inter potiores lautities adscribantur, & ex eis eorũq; floribus odoratissimi latices eliciantur, multaq; omnino inde ueniat mortalibus utilitas: ea tamẽ rerum uarietas & pomorũ decor admirabilem solet spectantibus oblectationẽ afferre. Hæc fermè sunt, quę ad Citriorum curam obseruauimus pertinere. Quæ alicubi fortasse superuacua uideri poterit, quòd propter situs felicitatem sua sponte, nec ullius hominis cura adiuta proueniant. Nec enim tantũ aquarum irrigatio, reliquusq; humanæ industriæ cultus prodest: quantum ab initio consulere, ut quam commodissimo loco deponantur: ubi neq; æstus magnitudo, neq; uentorum intemperies obesse possit.

De Citrijs postquam lecta sunt.

Quom autem ad maturitatẽ peruenerint, ut diu seruari possint, noctu nubila, silente luna legito. Abdita inclusaq; cum ramo & frondibus, quà uentis uexari non possint, pendẽtia seruato: uel stipulis & bene aridis paleis recondito. Hæc deinde uestiarijs capsis inclusa, purpurã, holosericasq; uestes à noxijs uermiculis defendũt. Quas ideo uolunt à Neuio citrosas appellari, magno (ut puto) errore, quom à Citrij colore dictas constet. Citrium etiã à quibusdam medicam malum, à Vergilio aũt felicem nuncupatam censent: cuius pomum præsentissimũ uenenis remedium existimauere. Nec prætermissam eius mentionem ab Homero illo uersu, τηλόσε δ' ὀδμὴ κέδρου τ' εὐκεάτοιο θείου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει. Odorq; concisæ cedri citrijq; per insulam abibat. Quorum opinio quàm probabilis sit, discutiendum alijs relinquo.

De Cedro.

Aliam esse à citrio cedrũ satis constat: cuius succo ueteres ante olei usum, usos putant. Idæis simplex est, iunipero non absimilis, sed folijs maximè distat. Quippe cedro, durum, acutum, spinosumq;, iunipero mollius: excelsior quoq; iuniperus. Alijs duo sunt eius genera, maior & minor: minor etiam diuiditur. altera enim lycia, altera phœnicia: differunt folio. Nam quę durum, acutũ, spinosum habet, oxycedros uocatur, ramosa & nodis infesta. Altera odore præstat. fructũ fert myrti magnitudine, dulcẽ sapore. Maioris etiã cedri duo genera. Quæ floret fructum non fert, fructifera non floret. Satyrus ambas sine flore sibi rusticos attulisse inquit, cortice cupresso similes uidebantur: uerum scabriori. radices raræ corpore ambabus, atq; per summa telluris dispersæ. Nascuntur saxosis & frigidis locis. & in ea antecedentẽ fructũ occupat nouus. Fructus odoratus, pulcher, gustatuq; suauis, iunipero cætera quidẽ similis, sed niger gustuq; astringens, ut præ nimia acerbitate propè ingustabilis sit. durat in annum. tum quom alter subnatus fuerit, præcedẽs decidit. At ut Arcades uolunt fructus simul retinet ternos, id est anni proxime exacti nondum maturum, & tertij ante

ante præsentem iam maturũ atq; gustabilem, & tertium nouum ipsum demõstrant. semen eius cupresso simile. Quidam cedrelaten uocant: ex hac resina laudatissima. Materiæ uero ipsi æternitas: itaq; & templorum contignationes & deorum simulachra ex ea factitauerũt. Cedrinus est Romæ in delubro Apollo Sosianus è Seleucia aduectus. Hoc Syri & Phœnices peculiariter ad nauigia usi sunt: habent enim suis in montibus cum longitudine, tum crassitudine præstantissimas: quippe adeò crassescunt, ut sint quas ulnæ hominũ quatuor nequeant amplecti. addunt his ampliores pulchrioresq; comperiri in hortis. Cedro similis in Arcadia est arbor, quæ in Phrygia frutex uocatur. Quom autẽ cedri materies naturæ suæ sponte humorẽ emittat, ut fermè cæterę quibus est oleosus humor, nihil mirum uideri debet, si quando deorum statuæ ex illa factæ sudasse inueniantur.

De Citro.

Citrus cupresso fœminæ etiamnum silueſtri similis, folio, odore, caudice, in Mauritania & circa Hammonis delubrum frequens. Huius existimatio summa mensarum causa, eburneis pedibus subiectis: qua insania M. Cicero & Gallus Asinius notati sunt, quorũ mensæ sestertiũ undecies uenũdatæ sunt. Traditur & Iuba rex duas uendidisse: quarum alteri precium fuit sestertium quindecies, alteri paulo minus. Cõflagrauit incẽdio quam Cethegus decedẽs sestertium quatuordecies permutauerat. Vnius magnitudo celebris est, quæ ex orbibus dimidiatis duobus à rege Mauritaniæ Ptolemæo, quatuor pedum & semipedis per medium ambitum, crassitudine quadrantali: maiusq; miraculum in ea est artis latente iunctura, quàm potuisset esse naturæ. Nomio Tyberij Cæsaris liberto egregia admodum fuisse dicitur. Cuius materia erat tuber. hoc est, ut Plinius interpretatur, radicis uitium. Mensarum uero aliæ tigrinas, in uena scilicet crispas, quod longo euenit discursu: alias pantherinas in uorticem peruias, quod intorto uenarum ambitu cõtingit. Vndatim aliæ crispæ, ex quibus clariores quæ pauonũ caudæ oculos imitantur. Colore mulsi maximè nobilitãtur, leuitate plurimum cõmendantur: quam artifices comparant frumenti aceruis septenis diebus imponentes, totidem intermissis. Mirumq; ponderi quantũ ita detrahant.

E citro etiam naues fecerunt Veteres.

CAELII CALCAGNINI COMMENTARIVS IN VENETÆ CLASSIS EXPVGNATIONEM ad Hippolytum primum Card. Estensem.

R. D. Cardinalis Estensis prius lingua uernacula formauerat. Mox Cælio Calcagnino in latinitatem transferendum mandauit: qui ab Archetypo non decidit, neq; per unguem uariauit.

A D decimũ Calendas Decembris anno D. IX. supra millesimum post salutem humani generis reparatam, Venetorum classis magno impetu in agrum Ferrariensem irrupit, ferro atq; igni uastãs omnia fœdissime: eoq; die à Fornacibus ad Corbulas usq; peruenit. Postridie uero aduerso flumine, pari sæuitia ad Pollicellam contendit, qui locus ab urbe nostra milia passuum duodecim abest. Tertio demum die, qui dies in memoriã illibatæ uirginis Catharinæ celebratur, Ferrariæ dux Alphõsus, fraterq; Hippolytus Cardinalis, nullo adhuc iusto exercitu comparato, sed centum atq; octoginta peditibus tantum stipati, totaq; urbis nobilitate, sellularijsq; opificibus, & cæteris Estensis familiæ beneficiarijs ad signa conuocatis urbe exeunt, eo consilio, ut quanta fieri possit maturitate hosti late atq; impune grassanti occurratur, eiusq; impetus ac sæuitia refringatur. Cuius rei gratia opportunum existimauerunt in alterã fluminis ripam equites aliquot leuioris armaturę præmittere. Ea enim in parte hostiles copiæ uersabantur: iamq; ipsi Francolinum, unde ad urbem milia quinq; intersunt, atti gerant. Hippolytusq; cum præcursoria manu processerat diligenter exploraturus, quo loco agmẽ sistere, ubi cõmode tormenta expediri, classisq; si præternauigare niteretur, maximè infestari posset. Nec dum mille passus confecerat, quom Venetam classem passis uelis omniq; ope subeuntem prospexit. Quam rem actutũ fratri nuntiari iussit: & mox ipse re omni perspecta, speculatorijsq; nauibus abunde cognitis reuertitur. Tum raptim turmas instruere, tormẽtarias moles dirigere, omnia tumultuario administrare. Quæ nec dum satis explicuerãt, quom ingens triremis pulcherrime armamentis ornata cubitum, quem forte eo in loco facit aquarum uertigo, superauit. Cui parcendũ consulto putauerunt, dum propius accederet. Tum uero exclusis tormentis, adeò perterrita est: ut nihil sibi antiquius duxerit, quàm securitatis gratia in eum sinum, unde exiuerat, se referre. Adscitisq; sibi duabus triremibus, & alijs præterea nauibus, quas illi sustas & barbottas, ueteres uel biremes uel liburnicas appellabant, idem iter repetit: omniq; nisu flumen & munitiones nostras superare contendit. Quod illis primo facile uidebatur. Nostri enim de industria segnius agere, quo magis illæ sub ictum accederent. Sed postquã non leuiori molarium impetu quàm antea excepta est, consternatis omnium animis coacta est ingratis se in eandem stationẽ recipere. Nec sibi eo loco defuerũt nostri principes: abeuntemq; nauiter insecuti cum modico militũ præsidio, qui interea aduenerant, ad serum usq; uesperum tormentis incessere non desierunt. Nox persecutionẽ pariter & pugnam diremit. Remiges ad Pollicellam, ubi cætera classis cõsederat, principes in castra rediuere. & iam multa nocte Alphonsus dux ad curam rerum urbanarũ profectus est: Hippolytus Francolini cum milite noctem egit. postero die insigne actum est nihil: nec locum cõmutarunt classiarij, sed uniuersum in iaciendis uallis ac munitionibus instruendis consumpserunt. Quod non contentus Hippolytus per certos exploratores cognouisse, statuit ipse coràm cernere. Quomq; eam rem plurimum ad statum belli

belli pertinere intellexíſſet: ne Veneto præberetur muniendi ocium, fratrem per lite ras rogauit, ut quàm maturrime delectũ haberet militesq; ad ſe mitteret, quibus poſſet à caſtrorum munitionibus hoſtem auocare. Sed quom mira eſſet militum paucitas, neceſſe fuit rem in diem tertiũ diffindi. Interea hoſtes opus urgere, neq; die neq; noctu intermittere. Quæ quom Hippolytus tanta feſtinatione agi intelligeret: in ea enim re multam operã nauabat, ne quod hoſtium momentũ ſe lateret: & planè proſpiceret, ſi quid ocij amplius daretur, rem affectam fore, ita ut difficulter inde hoſtes extrudi poſſent, Sequenti die, qui in honorẽ magni apoſtoli Andreæ celebris habetur, ne res longius produceretur, ſtatuit belli fortunã experiri, ſi quo fortè impetu hoſtes loco eĩcerentur. Paratis igitur omnibus quæ ad eam rem neceſſaria uidebantur, edoctisq; cẽturionibus & primipilis ut milites haberẽt, mane copias exiguas ſanè, quibus urbanã & ex agris collectitiam manum ſuccenturiauerat, eduxit. Milites autem magno concurſu in opera hoſtilia impetũ fecere, admotisq; tormentis & iactis pilis oppugnare cœperunt. Et profecto tantus fuit quorundã militum, domeſticæq; nobilitatis ardor in eo congreſſu, ut ſpes eſſet munimenta, quæ iam magna ex parte affecta, & ſatis inſtructa uidebantur, expugnari poſſe: niſi miſcellanea opificum & agreſtium turba in negocijs bellicis minus callida, multitudine telorum ac tormentorum, quæ tum à claſſe, tum à munitionibus iaciebantur: perterrita & loco ceſſiſſet, & poſt aggerem, ubi attingi non poterat delituiſſet. Promptiſsimus igitur quiſq; aut confoſſus aut grauiter ſaucius. cæteri, qui auſi fuerant obſiſtere, à cõmanipulonibus deſtituti & ſe proditos rati de reditu cogitare cogebantur. Proinde hoſtes audaciores facti, agmine eruptionẽ fecere: magnumq; damnũ attuliſſent, ni princeps ipſe cum ala equitum & turma nobilium fortiter occurrens eos non ſine ſtrage intra uallum reieciſſet. Ex noſtris aliquot deſiderati ſunt, inter quos Herculis Cantelmi adoleſcentis nobiliſsimi caſus maximũ omnibus luctum attulit. hic enim dum animoſius hoſtes perſequitur, uſq; adeò ad flumen prouectus eſt, ut quom equũ retorquerere conaretur, arenis fluuialibus impeditus, aggerisq; altitudine interceptus à conſpectu ſociorum, ingruente ui hoſtium fuerit obtruncatus. Confirmauerat iam ſuos Hippolytus, maiorẽq; impreſsionem facere parabat: quom certus nuntius attulit magna auxilia hoſtibus aduenisſe, ſubſidiarias aliquot cohortes, & non contemnendum equitũ numerum. ille paucitatis ſuorum militũ conſcius, nec ſatis confidens tumultuarijs copijs, nuperrimo exẽplo admonitus, receptui cani iuſsit: ſuosq; incolumes reduxit, eo conſilio, ut hoſtem interea detineret, dum noui milites cõſcriberentur, & auxilia accederent, quæ iam aduentare dicebantur. Acceſsit & illud incõmodum, ut collectitia agreſtium & popularium manus, nec exiguus manipularium obęratorũq; militum numerus, de multa nocte agminatim è caſtris decederet: cui rei nec ratio, nec cõſilium ullũ adhiberi potuit. Quom itaq; Hippolytus & exiguitatẽ ſuorũ militũ ad quã peruenerat, animaduerteret, & iam certius hoſtiles copias auctas cõperiſſet, & res noſtras in magno poſitas diſcrimine intelligeret: quom illis animũ creuiſſe, noſtros fiducia excidiſſe, pro certo haberet: nihil opportunius duxit, q; mature caſtra cõmutare, ſeq; in tutiora recipere. Nec dũ eĩ præter Ludouicũ comitẽ Mirandulanũ cum aliquot alis, nec ijs quidem plenis, ex confœderatis quiſquam aduenerat. At Venetus ſolito ferocior accepto ſubſidio magnos ſpiritus induit, nec iam ſua tueri contentus, ultro inceſſere, agros incurſare, longe lateq; uaſtitatem facere, nec ſacris nec profanis abſtinere, omnia iuxtà habere. Nec facile tantæ atrocitati occurri poterat, tum ob eam quam modo diximus militum paucitatẽ, tum quòd aptiſsimo loco uallum iecerant: & à claſſe quæ ulteriori ripæ incumbebat, ad uallum pontẽ coagmentarãt: quo facilius utrinq; pro tempore ſuccurri poſſet. Huic loco lata ſubiacebat planicies: unde multa offerebantur itinera, quibus pro arbitrio poterant omnem regionẽ exagitare. Nec in proximo dabatur caſtrametandi facultas: quòd citra pagum, cui Rho cognomen dixere, ædificia omnia tam paſtorum quàm ciuium ſuccenſa nuſquã præſtabant, ut ſæuientis hyemis inclementia defendi poſſet. Quotidie tamẽ leues aliquæ uelitationes fiebant: & pro temporũ locorumúe occaſione aut iniquitate, nunc hoſtis nũc Ferrarienſis ſuperior abibat. Dum hæc

agerent copiæ Romani Pontificis, & iam cõscripti milites ab Alphõso in castra per uenere, nostriq; firmiori animo cõminus hostẽ aggredi, promptiusq; inire certamẽ non detrectabant: & antea ferocientẽ liberiusq; prouocantẽ Venetum perterrebãt, magnaq; damna afferebant. Nondũ tamen res iusto certamini credebatur, sed consulto ducebatur, dum Ludouici regis Galliarum subsidia, quę non longe abesse dicebantur, præsto essent. Quæ postquam affuerunt, Hippolytus castra promouit, & ut Venetum prius adeò insolentem ulciscereturcasiones omnes aucupabatur. neq; die, neq; noctu quietem dare: ipse uigilias obire, ipse improuiso superuenire ofcitantibus, terrere, cædere, fugare, nullum diem prætermittere, quo non aggeres, quibus hostis se tenebat, aut ipse per se, aut per duces copiarum tentaret, & locorũ situs perlustraret diligenter. Contigit autem nescio quo fato, ut quom die quadam comes Mirandulanus hoc munere fungeretur: tormẽtaria pila incerto autore adacta illum unum, quom propè inter quingẽtos equites uersaretur, propter aurem sinistrã percusserit, exanimatũq; ex equo deiecerit. Quæ res hostibus lætitiæ, nostris mœroris, plurimum attulit. Transactis igitur diebus aliquot, auctoq; iam satis nostro exercitu, decreuerat Hippolytus iusto Marte, omnibus copijs classem adoriri, & munimenta hostium expugnare: ni una difficultas sese obiecisset. Tantum enim excreuerat Padus, ut dubitandũ uideretur, ne hostis (quod facile factu uidebatur) interfecto aggere aquarũ molem supra cubitos tres induceret: inuitiq; nostri loco cedere, & tormentorum iacturã facere cogerentur. Satius igitur existimatum est summã belli admi huc in aliquot dies proferri. Et quoniam res humano consilio non posse administrari uidebatur, in diuina ope statuerunt omne consilium: indictæq; religiosissime omnibus templis preces deorum patrocinijũ exorarunt. Nam & noctem serenitas secuta est, uentusq; immutatus, & planè ex fluminis incremento plurimũ remissum est. Hac re lætus Hippolytus & Dis gratias agens, duces, centuriones, tribunos omnes admonuit, ut suos milites armatos expeditosq; haberent. Ipse diei crepusculo adusa conclamari iussit: assumptisq; legionarijs omnibus & aliquot grauioris armaturę equitibus, adductisq; tormentis propè hostes intra mille passus constitit: & subinde cæterum agmen pro loci opportunitate subsidere iussit. Mox ipse ex eo pago, cui Rho cognomen diximus, acceptis propè cohortibus, grauioriscq; & leuioris armaturæ equitibus in hostem profectus est. Nec Venetus pugnã recusauit, instructaq; acie extra munitiones se dedit. Et nostri licet pauciores numero, tamen quoniã sine dedecore redire non poterant, quom præsertim ultro prouocassent, felicitate etiã ac uirtute sui ducis freti, fortiter pugnã ineunt: quibus ille neq; hortando, neq; monendo usquam deerat, unoq; tempore & sapientissimi imperatoris, & fortissimi militis officio fungebatur. Magnum incõmodum nostris afferebat, præter iniquitatem loci: tormentorũ, sagittarum, & telorũ omnis generis innumerabilis penè numerus, quæ à classe pariter, & ex aggere iaciebantur. Ibi uero apparuit quantũ & militũ constantia, & imperatoris industria polleret. Facta enim impressione nostri & Venetũ gradu mouerunt, & fugientẽ intra uallum subsecuti sunt: attiguamq; munitionibus aggeris partem sunt adepti, quà mediam fermè classem spectabat. Hunc locum Hippolytus aptissimum existimauit, unde machinationibus directis classis & deturbari & infestari cõmodissime posset. Iam enim sibi animo præsumpserat nõ modo illam fugare ac depellere, sed debellare planè, & (quod mox euenit) ad deditionẽ cogere & captiuã facere. Minime igitur sibi cessandum in tanta rerum opportunitate, consternatisq; adhuc hostibus instandũ putauit. Raptim ergo machinas pertrahi, suisq; locis disponi iussit: & sine interspiratione omni molarium genere oppugnare, perstundereq; ad quartam usq; uigiliam non destitit. Nam ad id tempus lumen suum luna terris accõmodarat. Quæ res gesta tanto impetu, tantaq; nostrorum pertinacia maximum hostibus terrorẽ incussit. Tribus enim perfossis triremibus, multisq; actuarijs nauigijs labefactis, magnæ hostium lamentationes implorationesq; per nostem exaudiebantur. Hic Lauretanæ, Clodianæq; uirgini uotũ faciebat. Ille Patauini Antonij patrocinijũ implorabat: alius in Angelum Taruisanũ, qui tum classi præsidebat, insolenter conuitia iactabat, suamq; infelicitatem nunc deorũ inclementiæ,

nunc

nunc imprudẽtiæ mortalium imputabat. Quæ uoces &ſi nõnullis ridiculæ uiderentur, humanarum tamen rerum memores ad miſericordiam concitabant. Nõnulli interea, qui fugam auidius meditabãtur, nauibus aut grauiter attritis, aut in terram aliſis coacti ſunt ſe uictoris arbitrio permittere, & ſuppliciter fidem principis inuocare. Duæ tamen biremes & corbitæ aliquot cũ onerarijs nauibus & ſcaphis, quæ inferiore loco excubabant, à fuga ſalutem quæſierunt. Nocte autẽ illuni non placuit principi, ut continuaretur oppugnatio, cæcíq; ictus mitterentur. Sed omni ſtudio uoluit cæteras omnes tormentarias moles ſubuehi, & longa ſerie per ripam diſponi. Quibus ne quid forte hoſtium miſſilia, qui nequaquam in iaculandis excutiendisq; telis, quibus plurimum abundabant, ocioſi erant, poſſent officere: nouos aggeres & quaſi obijces extrui imperauit, quibus illa defenderentur. Et quoniã huic rei obeundæ operæ agreſtes, quæ caſtra ob hæc munia ſequebantur, telorũ hoſtiliũ metu perterritæ aberãt, militari manu & eorũ nobiliũ labore, qui cohorti prætoriæ adſcripti erant, res tota confecta eſt. Et ne cui parti minus conſultum uideretur, libuit principi in ea parte, quæ ſupra munitiones erat, præſidia ſtatuere: ueritus ſcilicet ne claſſiarij, ut ſe ictibus noſtrorum ſubducerent, quos ab inferiore parte cum magno malo fuerant experti, in citeriorem ſtationem, quæ munitionibus ſubiacebat, tranſirent: perſpecta induſtriè loci conditione, moles quasdam maiores uolebat eſſe præſidio: quod minus ex ſententia proceſſit, quom operæ agreſtes, quas etiã ſuprà deſuiſſe diximus, beneficio noctis uſæ, quæ adhuc multa erat, delituiſſent. Itaq; ad inferiora propugnacula, unde primum fortuna arriſerat, reuerſus, id quod ingratiſsimũ fuit, triremem unã reſciuit euaſiſſe. Hæc enim freta noctis ſilentio atq; obſcuritate, quanta fieri potuit celeritate elapſa eſt: taciturnitate autem tanta, ut uix remiges ſuo fungerentur officio. Quod eo facilius facere potuit, quoniam pleriq; funditores tormentorumq; impulſores & miniſtri tum forte ad ignem nocturni frigoris, quo penè obrigueranr, ſęuitiã molliebant. aliena igitur uel negligẽtia uel neceſsitas incolumitatem illi peperit. Nam primis difficultatibus ſuperatis, pauciſq; tantum ictibus exceptis breui in tutiora peruenit. Nec dum enim potuerãt totis ripis tormenta diſponi, quæ hos caſus auerterẽt: quod poſtea quom primũ cœpit illuceſcere, ſtudioſe fuit procuratum: & quom nauis oneraria triremis exemplo idem poſtea tentaſſet, eam facile noſtri in poteſtatẽ redegere. Appetente igitur die, & mature diſpoſitis per aggerem militibus princeps aciem direxit: omnibusq; ad ſigna conuocatis, & monitis ut fortiter pugnam capeſſerent, reliquiasq; hoſtiũ perſequerentur, claſsico ſignũ dari iuſsit. Tum uero milites agminatim tela coniecerunt, & magno impetu molares lapides pilasq; plumbeas ſubiectis ignibus excuſſere: quod primo factum eſt ea parte quæ munitionibus hoſtium erat finitima, & quaſi mediã claſſem ſpectabat. Hæc res non modo claſſem ipſam uehemẽter terruit: ſed & uallum, quem in ulterio re ripa Venetus parauerat, nec dum abſoluerat, penè omnem in fronte proſtrauit. Tanto igitur & ualli & nauium & militũ diſpendio cõmotus hoſtis, ſtatuit experiri, an ui remorum, ipſo etiam flumine adiuuante ſe periculo poſſet ſubtrahere. Anchoris itaq; ſubductis triremes duę, haud ſanè longo diſtantes interuallo citatiſsimo curſu ferebantur. Harũ prior quom in conſpectum noſtrorũ propugnatorum ueniſſet, quaſi inter cancellos deprehenſa, multis acceptis illatiſq; uulneribus noſtrorum deniq; tormentorum magnitudini ſuccubuit. & quamuis ad ſarciendas, oppilandasq; plagas materiarios, nauticosq; opifices ſtatim admouiſſet, ijs tamẽ omnibus aut uulneratis aut cæſis, factisq; laxioribus feneſtris deprimitur. Aegrè pauci remiges & epibatæ deſtituti omnibus fortunis euaſerunt. Quom hoc in cõſpectu ſuo factum altera triremis animaduertiſſet, conſilij pœnituit: & ſi tutò in priſtinam ſtationẽ redire potuiſſet, nihil feciſſet libentius: ſed regrediendi & procedendi ulterius ablata facultate, eodemq; impetu excepta, & undiq; perfoſſa, interfectaq; maiore parte claſſiariorum terræ deniq; alliſa peſſum ijt. Harum uotũ fuerat per loca noſtro aggeri proxima iter facere, ueritæ ne ſi medium fluminis tenerent, ad breuẽ inſulam, quę in ipſo amne extabat, ad aſſeresq; triremium quæ male coagmentatæ ad eam noctu fuerant depulſæ alliderent. Dum hæc ita gererentur, Alphonſus dux ab urbe in

castra peruenit: cognoscẽsq; quanta sapientia & felicitate totã rem Hippolytus ges-
sisset, se continere non potuit, quin ex lætitię magnitudine illum amplexatus frater-
na charitate exoscularetur, cõmunemq; fortunam gratularetur. Quæ fratrũ incom-
parabilis concordia omnium animos tacita quadam pietate cõmouit. Tum dua-
rum triremiũ præfecti singulari homines audacia diuersa ratione à superioribus con
silium fugæ ineunt. Nostras enim ripas uitantes, seq; à militum telis quantũ fieri po-
terat, subtrahentes: sola nauigandi peritia freti per meditullium fluminis exitũ quæ-
rebãt. Prioris uero triremis conatus hunc exitum est assecutus. Multum enim diuq;
tormentorum ictibus attrita, nec iam ualens repugnare diutius, sese ad ulteriorem ri
pam quantũ fieri potuit propè admouerat, quo facilius classiariam manum expone-
ret: sed impactę aceruatim plurimæ nostrorum pilæ molares, in eam partẽ nauis pe-
netrarunt, ubi nitrosi pulueris, cæteraq; ignis fomẽta adseruabantur. Quibus repen
te igni correptis maximũ concitatum est incendium, multiq; mortales concremati.
cæteri qui longius aberant, fugientes incendiũ se in aquas præcipites dedere. Al-
tera itaq; triremis, quæ illam adiectabatur, exemplo tantæ calamitatis perculsa, nec-
dum satis sub nostrorum ictum prouecta, ex longinquo tamen paucis ac leuioribus
plagis affecta, iamq; ex proceribus & præfectis aliquot amissis multitudineq; tre-
pidante abiectis armis cœpit clementiã principis obsecrare, pars etiam se fluuio de-
dere: quæ res profecto attulit omnibus miserabile spectaculum. Principesq; ipsi
sua sponte suoq; ingenio ad clementiam propensi, tela inhiberi iusserunt: & data fi-
de impunitatem polliciti eos in deditionẽ accepere. Sed plericq; facinorũ sæuitiæq;
suæ memores qua humana & diuina omnia permiscuerãt, phanaq; donarijs expila-
tis prophanauerant, antistitesq; ipsos fœdissime iugulauerant: cui rei testimonio es-
se potest Cymachlium atrocissime & barbaro potius more q; Italico uexatum: exi-
stimantesq; tot flagitijs nullam clementiã aut misericordiam parẽ esse posse: malue-
runt se flumini credere quàm optimorũ principum fidei. Nonnulli itaq; tabulis tra-
bibusq; & cæteræ supellectili nauticæ impliciti, prout cuiq; fortuna auxilium obtule
rat, adnabant. Qui autem cum triremi ad nostros uenere, non modo incolumitatem
adepti sunt, sed ultro etiã in libertatẽ sunt restituti. Tum prorsus Venetus animũ de-
spondit: omniq; spe deiectus est: quom nostros triremis potitos intellexit: nec minus
iam proxima collataq; pugna, quàm telis & tormentis obesse posse. Interea dum
nostri integras adhuc partes classis persequuntur, & quà naues confertiores uident,
ictus dirigunt, Triremi prætoriæ, alteriq; quæ illi adhæserat, ocium datũ est farcien-
di tabulata, & se reficiẽdi ex nocturno incõmodo. Hæc uero arrepta occasione, qua-
si aliud agens, furtim cœpit descendere: quod tam caute ac raptim factũ est, ut quom
nostris non licuisset eius cursum maioribus tormentis interpellare, leuioribus tan-
tum & minutis glandibus accisa euaserit. Quod ne forte rursus eueniret: euestigio
principes ad extremã propugnationum coronidem grandiores machinas subuehi
iusserunt, atq; id quidem opportune. Inuitata enim proximæ triremis felicitate præ-
toria, pari cursu ferebatur: magnamq; uim molarium & telorum in nostros effunde-
bat. Eaq; celeritate per tria fermè passuũ milia prouecta est. Sed continenter nostro-
rum molibus agitata, nec iam potẽs reluctari propè ripas ulteriores succubuit. Re
bus itaq; omnibus hac parte probe cõstitutis placuit tormẽta cõminus in reliquam
classem, munitionesq; citeriores inferri. Et ad eas quidem principes caduceatorem
præmisere. In ijs enim magna erat remigum, militumq; & Illyricorũ manus: promis-
saq; militibus impunitate si deditionẽ facerẽt, & remiges ac Illyricos arbitrio nostro
permitterent, quoniã consultationem producebant, diemq; eximi uolebant, tormen
ta admota sunt, acerrimeq; munimenta pertundi cœperunt. Illi magnitudine stragis
& uastitate perterriti se recipere ad classem studebant. Sed classiarij eodem terrore
perculsi perturbate ac impedite omnia agebant, nulloq; certo loco consistebãt. Itaq;
neuter neutri subsidio esse poterat. denicq; terrore uicti certatim se in aquas iaciebãt,
spe euadendi in proximã insulam, quam in flumine extare diximus. Alij igitur reie-
ctis uestibus, armati alij enatabant. pars clypeis peltisq;, pars truncis arborum inni-
tebatur. Namq; Hippolytus ab initio pugnæ, quo minus hostes possent naues expli

care

care, magnam uim arborum cædi, & in flumen proijci mandauerat: quæ tunc naufragis, & sese præcipitantibus auxilium attulissent, nisi fugientium multitudo, festinatioq; dum se omnes ijsdem truncis applicant, suo pondere se depressisset. Sed tum demum tetrũ oculis spectaculum offerebatur, quom fluminis cursu uecti in conspectum nostrorum militum peruenerant. Nec enim ulla ratione inhiberi poterant, quin sagittis, manuarijsq; tormentis & id genus telis miseros illos ac semineces confoderent. Quæ res uehementer animos bonorũ permouebat, homines potius quàm hostes cogitantium. nec ullum est exemplum quo magis facies huius mali repræsentari posset, quàm si quis demptis equis animo eam picturam concipiat, qua in mar Aegyptio Pharaonis excidium exprimitur. postquã uero liburnicæ nostræ & constratæ, quæ in parato erant, apparuere, ueriti hostes, ne nostri qui triremem & onerariam nauem fuerant assecuti, illos cõminus ex alia parte aggrederentur, sine mora omnes dissipantur: neq; uirtutis neq; fidei memores huc atq; illuc procursabant sua sponte in undas desilientes. Mirumq; prorsus uideri poterat, ipsam uiuendi cupiditatem plerisq; uitæ obliuionem attulisse. Multi tamen terrestri itinere euasere. aliquot præterea hostium naues, & omnis ferè patritiorũ manus, per canalem, quẽ Pollicellæ cognomento dixerunt, effugere. Minoribus etiam nauigijs & scaphis impune licuit per Padũ uiam capessere: in has enim nõ placebat grandiora tormenta absumi, quæ pertundendis tantũ triremibus reseruabantur. Nonnulli etiam quom res conclamatas intelligerẽt, ausi sunt immane facinus aggredi. Triremes enim aliquot harpagonibus colligantes in eam quæ medium locum tenebat, quo facilius cæteræ cremarentur, ignes iniecere. Malebant scilicet illas perdere, quàm incolumes in manus nostras peruenire. Sed nostrorum aduentus eas ab incendio uindicauit: uni ferre opem nullo pacto potuit, cui flãma uiolẽtius inhæserat: cęteris saluis potiti sumus, magnusq; nauiũ numerus in ditionẽ nostram redactus est. Harũ alias liburnicas, corbitas, onerarias, actuarias, cõstratas, existimamus appellari. In qbus promptiores quidam ausi repugnare obtruncati, captiui cæteri facti sunt. Inter cætera quę ad profligandos hostes Hippolytus parari iusserat, pontis etiã segmẽta nocte proxima afferri mãdauerat, quibus iunctis fluuius insterneretur, ipseq; cũ phalange & equitibus ac machinis ad infestandos euertendosq; hostes posset trajicere: sed bono quodam hostiũ fato factũ est, ut minime pons ipse, quom multo usui esse posset, in artus restitui ualuerit: itaq; nostris dempta est occasio dispersos ac palantes illos persequendi. Quã primò rem principes tulerunt ægrè, ueriti ne hostes spatiũ haberent se colligendi ac pugnam redintegrandi: discuneataq; protinus pontis membra ad debellatæ classis stationem deduci atq; ibi sarciri uoluere. Sed quom intellexissent hostes magnitudine terroris consternatos, de reparanda pugna nihil cogitasse: neq; fugæ finem fecisse donec Rhodigiũ, Rhodiginãq; peninsulam attigere: Dis gratulati sunt, quòd nullos transmisissent, qui fugientes persequerentur. Armato enim irritatoq; milite modus nullus cædi præscribi potuisset, quin ingentẽ prorsus stragẽ cõmisisset. alioquin ab agrestibus & paganis pessime habiti sunt. Certis autẽ de causis, quas minime necessarium puto adscribi, in ea opportunitate Rhodiginam expeditionẽ prætermisere: quam breui prorsus conficere poterant, si eodem tenore perterritis institissent. Speramus tamen fore posthac ut longe opportunius hoc ipsum agatur summi pontificis confœderatorumq; regum patrocinio. Ex uictoria in potestatem nostram triremes quindecim, signa sexaginta relata sunt, biremisq; una inter alias tantæ magnitudinis, ut ab initio actuaria triremis fuerit existimata. Nam reliquarũ nauiũ omnis generis numerum nemo satis queat explicare, quom multæ etiamnũ aquis obrutæ lateãt, quas summa diligentia quotidie erui ac reparari procurãt, nec id iniuria. Sunt enim egregiæ magnitudinis moles, omnibusq; armamentis instructissimæ. Hominum cæsi aut undis summersi supra duo milia. Et si nostri profecto in ulteriorẽ ripam traiecissent, uix nuntium habuisset tanta clades. Ex nostris toto bello non amplius quadraginta desiderati sunt. Tantulo impendio tanta uictoria stetit. Tanta felicitate ac celeritate parta uictoria: nam intra dies triginta uenetícum bellum cõfectum est; principes nostri ad sextum Calendas Ianuarij cum captiua classe ad urbem redierunt

rũt. Pręcedebãt octo triremes militibus et armamẽtis pulcherrime adornatę, ingẽsq́ nauium numerus directis roſtris, ceu mox pugnam inituræ. Claſsica tubæq́ & tormenta undiq́ obſtrepebant. Alphonſus ipſe dux in Marcellorum triremi (hãc enim ea familia priuato ſumptu inſtruxiſſe dicebatur) magnam ſpeciem triumphi præferebat. Hęc auri, armorum, clypeorumq́ fulgore ac purpura, captiuisq́ omnibus ſignis longe inter cęteras illuſtris. Hippolytus in lintre quotidiano cultu conſpicuus, non partitus uictoriæ decus, ſed totum penè in fratrẽ tranſtuliſſe uidebatur, hoc ipſo admirabilior quo rerum geſtarũ potius claritate quàm oſtentatiõe placere nitebatur. Appulſi deinde ad littus, excepti ſunt felicibus populi acclamatiõibus, qui ſe omnis ad id ſpectaculum effuderat, & utramq́ ripam mœniaq́ ipſa compleuerat. Nobiliores etiam matronæ duce Lucretia Borgia principe fœmina in pilentis occurrerant. Egreſsi mox nauibus in equis Alphonſus quidem paludatus, Hippolytus habitu ſacri collegij, tribuno & cæteris magiſtratibus urbanis ſubſequẽtibus, populo militecq́ præcedentibus ad forenſem Georgij baſilicã peruenere. Quo loco ſuggeſtu extructo uexilla omnia bello acquiſita, ſacerdotes ac æditimi ſolenni habitu & ſacrũ pæana concinentes excepere, quæ nunc templi faſtigio cernuntur affixa. Quom audirem hæc uarie referri ſolere, non modo apud externos, apud quos impune fama plurima fingit, mutat, inuertit, ſed etiam in urbe noſtra: alijs ob Venetorũ odium plurima ueritati addentibus, alijs ob noſtrorum inuidiam detrahẽtibus: operæprecium duxi omnia in commentarium redigere: quibus aut ego ipſe interfui, aut certè ab alijs compertiſsima accepi. Duabusq́ imprimis rebus ſtudui, & ueritati & compendio, cõſulto egreſsiones, deſcriptionesq́ locorum nauium & tormentorũ prætermittens. Incredibilem etiam Hippolyti in conſulendo prouidentiã, in agendo induſtriam, uigilias, hortationesq́ non libuit adſcribere, quòd hæc omnia maioribus commentarijs reſeruamus. Accerſitam etiam orationẽ non admodũ probauimus: quòd nobis compertum erat, ueritatem, ceu probam uirginem fuco minime indigere.

AMPLISSIMO VIRO THOMÆ FVSCO

Cælius Calcagninus S.

EM arduam ac prorſus difficilem propoſuiſti mihi Thoma uir maxime, laudandum ſcilicet ſilentium, quod nemo faxit qui ſileat. Proinde
R quiſpiam paulo argutior poſsit me meo calculo replodere, qui garriam dum cæteris tacendum conſulam. Spero tamen meam in te obſeruantiam, tuamq́ in me pietatem poſſe omnes calumnias facile diluere. Tibi enim uiro undecunq́ abſolutiſsimo quippiam negare piaculum eſto. Sed iure optimo de ſilentio uerba faciens Laconas æmulabor: ne uidear omnino à propoſito diuertere. Proximũ enim eſt, tacere, ac loqui pauciſsima. Bene uale tui

Cælij memor.

DESCRIPTIO SI
LENTII CAELIO CALCA
GNINO AVTORE

CONSEDERAM forte in Preneſtinæ fortunæ delubro o/cioſus, oblectabarq; imaginũ & picturarũ elegantia, quæ in eo miro artificio expreſſæ uiſebantur. Quomq; ad dextram oculos uertiſſem: ſeſe obtulit tabella admirabili artificis ingenio uariegata. Hic mons præruptus & confragoſus: cuius uerticem planum ac floridum fœmina ornatu regio, multoq; auro inſignis tenet. Nec ad eam patet uſquam aditus. Tanta eſt ſalebrarum immanitas. Duę præterea aſsiſtebant matronæ haud pari habitu, ſed nec diſpari habitudine, miluinis oculis, aſpectu uegeto, uiribus inexhauſtis. earum altera tortiles ac multiuagas catenas explicabat. Altera quadrato lapide nitens corollas ſutiles complicabat. At magna uis mortalium ore hiulco ad regiam fœminam inconniuenter aſpirabat: multiq; audacter magis quàm ſapienter ſuis uiribus freti nitebantur in ſublimia. uerum illos ſæuus fruſtrabatur euẽtus. Ea enim erat loci difficultas, ut plurimi in ipſis auſpiciis, alij poſt diuturnos labores præcipites ruerent: paucis & his quidem Ioue natis magni numinis auxilio datum erat ſuperas euadere ad auras. Erat autem deus ille totus oculeus, totus auritus, lupi corio ſemiamictus, pileolo Laconũ more obnuptus, laneis crepidulis indutus. Mouit uero admiratiõe quòd ego nuſquã os eius intuebar. & mihi omnino talis uidebatur, quales Græci aſtomos dixere. Huic homines illi excellentes ſacrum faciebant, non thure, non uictima, ſed auicula quam Græci κίχλαν, noſtri turdum putauere. Cuius aræ inſcriptum erat: Fide ſato. Dum uero ſacrum fieret linguis conſtanter fauebant. At hi ſi peracto ſacro liceſſent, matrona illa quæ catenas explicabat, lorũ in cuius termino lapis obſidianus traiectus erat, demittebat. Hunc aſtomus ille deus ori ſupplicum inſerebat, coarctantesq; illi labia obſtringebant. Tum diua fœmina ſenſim trahens in montẽ prouehebat. q; ſi caſu illi ora reſignaſſent, ó infortunatos homines, quibus præſentaria ruina imminebat, & q; quid eo uſq; itineris exantlarãt, deperibat. At ſi fortuna meliori ſuffragante eò peruenerant, tum demum corona cingebantur, ac magno plauſu è poculo quod regia fœmina propinabat epotabant: perpetuumq; æuum poſthac ſolutum curis & magna cum felicitate exigebant. Quom ego picturam hanc ſtudioſius recognoſcerẽ, ecce æditimus ad me accedens, Hoſpes, inquit, non indigna res eſt animaduerſione quam uides. Verum ne quid rei nouitate ambigas, accipe totius picturæ ſeriem. conſpicaris ait fœminam regio habitu in montis apice aureo ſubſellio inſidentẽ. Ea inquit eſt melior fortuna: quam Græci ἀγαθὴν τύχην aliàs ἀγαθοῦ δαίμονα, nos interdum bonum genium, interdum deam ſalutarẽ, aliquando etiam Felicitatem nũcupamus. Ex duabus uero matronis, quę catenas explicat Phroneſis eſt: nos Prudẽtiam dicimus. Altera Piſtis, id eſt inuiolabilis Fides, quę nihilo à felicitate deteriore ſunt habitudine. Nam & illis à deis genus eſt. & ſi uera uolumus fateri, niſi hæ forent, fruſtra illa expeteretur. At multi ad eam inhiant. Quid enim mirum omnes homines ſalutẽ exquirere? ſed qui abſq; duabus his hoc poſſet, nondum aliquis inuẽtus eſt. Ille autẽ quem abſq; ore uides, qualem aſtomon Græci, noſtrum quidam inorũ appellauere: is eſt deus quem Aegyptij Harpocratẽ, Græci Sigaliona, noſtri Silentioſum dixere. Nec prius (mihi crede) quàm huic litatum ſit, ad ſalutem patebit aditus. Nam cui parum exploratum eſt, in humanis ſilẽtio nihil ſalubrius, nihil etiã optabilius? loquacitate nihil turpius, nihil periculoſius? Pindarus Epaminundã laudibus tollens non facile alterum reperiſſe dixit, qui plura ſciret aut pauciora loquere tur. Natura hoc etiã palàm indicauit, geminas aures atq; unicã linguam nobis accõmodans

modans, quos (ut ait comicus) plura decet audire quàm loqui. Nam quòd aiunt Amyclas silendo periisse, quamuis à serpentibus deletas constet, uero tamẽ propius puto ob custodũ negligentiã id contigisse. Xenocrates iubebat pueros potius quàm athletas auribus focalia apponere: ne scilicet perditorum hominum audientes insanias eas regererẽt. Frequẽtibus comitijs interrogatus Democritus nunquid ob stultitiam aut uerborum inopiam taceret, at stultus inquit silere non potest. Bias Priene us ab Amaside Aegyptio olim iussus, ut optimã atq; deterrimam partem è uictima ad se mitteret, linguam elegit. Immo & ueteres non puerorum ora sed aures exoscu labantur, quasi hac parte magis quàm illa proficerent. Proinde index digitus salutaris nuncupatus, quòd eo res mortalibus saluberrima silentium indicetur. Et nox apud Græcos νύφρόνη dicta, quòd per silentium nocturnũ melius quisq; sapiat. Cum Alexander uno prælio Dariũ fugasset, quam regionẽ petisset omni cura uestigans, tamen explorare nõ poterat, more quodam Persarum arcana regum mira celantum fide: non metus, non spes elicit, qua prodantur occulta. uetus disciplina regum silentium uitæ periculo sanxit, & lingua grauius castigatur quàm ullum probrũ: nec magnã rẽ magis sustinere possunt ab eo, cui tacere graue sit: quod homini facillimũ uoluerit esse natura. Ita est profecto, utpote Græci dixere, σιγὴ σιωπῆς δὲ κρεῖσσον φρονεῖ, q; nihil silẽtio utilius. & ἀγλωσσα πολὺς εἰς ὄλεθρον ἄγαγεν, id est, Multos in permitiẽ lingua adegit. Nam quot hominum uerba per iugulum rediere? quid Stateriũ hominem Romanum, quid Pausaniam Lacedæmoniũ præter garriendi libidinem perdidit? quid contrà Leænam meretricẽ alioquin infamem honestauit: fecitq; ut publice apud Atheniẽses eius symbolum, elinguis scilicet leæna, proponeretur, nisi iuge silentium? Quid uictoriam Herculi contra Troianos tribuit? silentium profecto. unde & promontoriũ Sigeum adhuc celebratur. Huius certè utilitatis gnarus Pythagoras ante omnẽ eruditionem uoluit discipulos loqui dediscere, proposuitq; illis statum silentium, quam ἐχεμυθίαν uocauit. Hinc mysteriũ efficiendæ hirundinis: quòd garruli sint procul eliminandi: licet & temporarios amicos explodendos intelligi uoluerit. Versiculus Græcorũ celebris est, ψίθυρον ἄνδρα ἔκβαλε σῆς οἰκίας, eijce inquit nugatores ab ædibus. Interrogatus quidam quid sibi philosophia profuisset, respondit, ut tacere uellem ac possem. Natura profecto linguã nostram labijs ac dentibus uallauit, quod Homerus dixit ἕρκος ὀδόντων: ne uerba quæ nos irreuocabilia, ille πτερόεντα nuncupauit, facile ore prolaberẽtur. Plautus poeta ut ostenderet indicendum esse silentium silentio, cõmentus est uocis imagine sine uocali duabus cõsonis, st. Appius cæcus ob Herculaneum sacrum seruitijs inuulgatũ captus est oculis. Veteres Romani quantũ loquacitas obesset conscij, noluerũt arcanũ urbis nomẽ inuulgari: quòd urbiũ nomine cõperto hostes possint deos euocare: quod Valerius Soranus ausus enũciare, mox pœnas luit. Hoc est quod in sacris fauere linguis dicimus. neq; em̃ in lingua, sed corde nasci debet oratio. Hinc Angeronę simulacrũ ore obligato atq; obsignato, exemplum religionis antiquæ, ob hoc maximè silentium instituta: cui ad duodecimũ Calendas Ianuarij sacrificatur. Eadem causa Athenis ara colebatur, quam Dis ignotis dedicarant. Hoc est quod ille dixit silere bonis, quod linguam pascere. Cõtra garrulos sexcenta exierunt dicta ueterum. Sic ueritatis interpres Homerus uolens maximè Thersiten improbare, eum dixit ἀμετροεπῆ, id est immodicos sermones effutientẽ. Hinc Græci dixere loquacibus cunctis perforatũ esse extremum linguę apicem: hinc id genus blaterones πύγονες λαλεσίεργας, id est turture loquaciores. Et nullũ garrulum qui non odiosus sit: & δωδωναῖον χαλκεῖον, id est lebetẽ dodonę̃ dixere, quòd apud Dodonam puer æneus uento circumactus duodecim pariter pulsat lebetes. Bene, bene inquam, Melissius Mæcenas ultroneũ sibi triennio indixit silentium. haud minus sapienter dixit ille: stultus quoq;, si tacuerit, sapiens reputabitur, &, quisq; tacens sapit. Et illud Pythagoræ circunfertur πᾶς τις ἀπαίδευτος φρονιμώτατος ἐστι σιωπῶν, id est, Quisq; uel ignarus prudentia polleat si taceat. Ille item quom secretiora quædam peterentur, urerem inquit tunicã si eam putarem rerum mearũ consciam. Quom aliũ filius interrogasset, quando moturus esset castra, an tu solus respondit classicũ non audies? tanta erat taciturnitatis religio. Xenocrates

crates ille interrogatus cur taceret, respõdit, quia locutum esse interdum pœnituit, tacuisse uero nunquam. Hoc in primis liberos suos Lacones erudiebant, quos bomonicas appellabant. hinc uerbera, hinc dolores omnes constanter perpetiebantur. Ille quom uulpecula furto subrepta eius fermè latus uniuersum laniasset, obstinatius dolores perferebat. Triclíniorum etiam foribus inscripserant, Hinc uox nõ exeat. Signifex igitur ille egregius quom deum pingeret, eum more laconico pileolo contexit: quod tu ita interpretabere, ac esse debeant recondita quæcunq; tibi secretius fuerint credita. Vel quod in arbitrio cuiusq; sit largitate naturæ silentium tenere, loqui uero non æquè liberum: aut quod seruile uitium sit garrulitas, ad ingenuos silentij honestamentum attinet. Nam adulatores & maleuoli, item fœminæ, hoc imprimis laborant morbo. De quibus illud Plautinum exijt, nullam inuentam esse mutã omni seculo. &, γραῶν ὕθλος, & supellex muliebris est clamor. Implodentes uero palpum, & obtrectatores non silent, sed promiscuos sermones aggerant, dum audientium auribus ij laudes imaginarias, hi conuicia aliena infarciant. Hinc & illud: Nemo curiosus, quin loquax. Adagium etiam est de his qui noue re uoci parcere, λύκος ἔβλεψε πρότερος, id est, Lupus prius cõspicatus est: quòd raucitatem & difficultatem loquendi faciat prior inspiciens. Hoc est quod deum uides lupino uelamine obseptum. Nam & hoc genus animal dum prædam agit, ne hiscit quidem, quom soleant cætera clamore lætitiam indicare: quod belle corui exemplo fabulator Aesopus redarguit. Laneos item pedes uulgo deis attribuũt, quòd pedetentim & absq; strepitu ad ulciscendas malorum iniurias procedant: quo exemplo pictor deo laneos calceos induxit. De prudentibus etiam dici solet illud, ἀλώπηξ οὐ λαλεῖ, id est, Vulpes non garrit. Prudentes enim diligenter omnia potius circunspiciunt, audiunt ac rimantur: omninoq; id obseruant ne quid præter rem aut parum commodum loquantur. Immo cæteris illud obijciunt, ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὰ ἔχε, id est aut dic quippiã silentio melius, aut uocem tene. Haud mirum ideo si totus oculeus, totus auritus, deus effigiatur. At huic sacrum faciunt Ioue sati. maximos enim quosq; uiros Ioue natos putauit antiquitas. Hinc illud, Et mi genus à Ioue summo. &, Ὑμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι, id est, dignitas à Ioue: & χαίρετε κήρυκες Διὸς ἄγγελοι, id est, saluete præcones Iouis nuntij: quom de Talthybio & Eurybate loqueretur. Et illud ᾧ τε Ζεὺς κῆδος ἐδώκεν, id est, cui Iuppiter dignationem dedit. Hinc & Iuppiter dicitur, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, id est pater hominũq; deumq;. Et huiusmodi excellentes homines διογενεῖς, id est, Ioue genitos appellat Homerus. &, ut uera fateamur, Διὸς ἐκ πάντα τέτυκται ἄεισμα, ut ait Orpheus, id est ex Ioue bona omnia proferuntur. Quod & Plato ille diuinarum rerum conscius etiam existimauit. Sacrificãt autem turdum, utpote animal Silentioso gratissimũ: quod scilicet à garrulitate abstineat. De quo Eubolus prouerbium fecit κωφότερος κίχλης, id est tacitur-nior turdo. Minime enim garrientes turdi existimantur, sicut & τεττιξ ἀκανθίνος, id est cicada acanthina, & rana seriphia, & apud Platonẽ rana gyrina, mutę existimantur. Atqui sacrum fit apud aram cui titulus. Fide sato. nos enim Silẽtiosum colimus non eum quem Admiratione genitũ perhibẽt, ex quo philosophandi rationẽ prodijsse ferunt. Sed illum pulcherrimũ & maximis quibusq; Dis ac principibus optatissimum, quem fides peperit inuiolata, ac præfecit arcanorum custodię. Hic ille est cui postquam homines litarint, eis obsidianum lapidem colore nigerrimũ, quem ab Aethiopia Obsidius aduexit, ori infarcit. Cuius ea uis est magorum omniũ consensu, ut mutos ac prorsus elingues homines reddat. Et quoniam ut ad felicitatẽ perueniri possit, solum silentiũ non est satis, Prudentia accedens eos catena trahit, catena inquam uirtutum numero compacta. Nam se uirtutes mutuo nexu tenent ac subsequuntur, uelut illa multiplex annulorum series, quam Plato à magnete trahi conscripsit. Sic etiam scientiarũ ambitus ille fertur, quẽ Græci cyclopædiam dixere. Quod si contigerit malo aliquo euentu ut os resignẽt, ilico periculosus imminet casus. nec enim satis est cœpisse, quod bene cœperis. At si Dis bene fauentibus summa contigerint, præsto est Fides, quæ laborũ præmium rependat, cinctosq; immortalibus collis ad deæ salutaris solium perducat. Quę illi nepenthes poculum propinat, quale

Telemacho omnes curas excussit: & in futurum emeritis perturbationũ stipendijs felix æuũ degunt. Sic mihi æditimus picturæ seriem explicabat. sed ego mecũ cogitans animaduertebam Dis atq; hominibus nihil omnino gratius atq; optatius silentio: hinc agnoscebã Palladis & Erichthonij panathenaica, canephorosq; & cistas: hinc corybãtum saltus, hinc narthecophoros Liberi, ac thyrsos cõuolutos, hinc carbasinas baxeas Aegyptiorũ qui ἀκοινώνητοι dicti sunt, quòd nulli arcana religionis impartirent. Hinc Hieroglyphicas imagines, hinc sistra atq; aggeres coptitios, hinc Isidis opertanea & seclusa, hinc uiscum quo nihil religiosius apud sacerdotes Gallorum, hinc philosophorum fabulamẽta & Proteum illum incomprehensibilem, hinc numeros Platonis adhuc inexplicitos, hinc Samothracũ cabiros quatuór acierum Axiocersan Axiocersum & Casmilon, quos quidã Cererẽ Persephonẽ ac Plutonẽ interpretantur. Nam Casmilum Mercurium esse Dionysodorus existimauit. & si alij duos tantum putauerint, seniorem Iouem, & iuniorem Dionyson. Hinc Mithræ cornua, hinc bonæ deæ secreta. hinc despici sacra conquestos deos oraculo. hinc canem in puluinari, hinc Essenorũ adiurationes, hinc ipsum mysteriorũ nomen, quòd oporteat μυεῖν τὸ στόμα, id est os obsignare. Sic reges probant, quos in penitiorẽ amicitiam uolunt asciscere. Sic Numenius noxam contraxit quòd Eleusinias cærimonias retexisset: cui deæ in somnis se prostitutas conquestæ sunt. Sic Telemachum Vlysses admonet apud Homerũ, σίγα καὶ κατὰ σὸν νόον ἰσχάνε μὴ δ' ἐρέεινε, id est, subticeas & mente tua preme, neúe loquare. Sic ille, βαρβαρικὸν γὰρ ἡ κραυγὴ, ἑλληνικὸν δὲ ἡ σιωπὴ, Barbarorum inquit est cõclamatio, Græcorum silentium. Scio & quasdam nationes nutibus inter se non uoce conuersari: hac ratione tragicus poeta Theodotus quom tentasset ex Hebræorũ teleta quædam ad fabulam transferre, repente oculis captus est. Eadẽ causa Theopompus terrore panico, & animi perturbatione percussus uix potuit ueniam exorare. Immo uero & prudentissimi uiri aliquot in silentio summum bonũ statuêre, de quo forte licentius diximus quòd de eo priuatum sermonem susceperamus: non immemores dicti ueteris admonentis, ut tunc uerba faciamus, quom aut silentiũ nociturũ aut uerba sunt nobis profutura. Nã profecto ita est, ut Hesiodus dixit: γλώσσης θήσαυρος ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος, id est linguę thesaurus homini optimus est: dum illud seruetur, μηδὲν ἄγαν, id est ne quid nimis, & illud, πᾶν τὸ καιρὸς, quod in tempore omnia posita sint. Ex quo facile uir prudẽs sermonis ac silentij uices metietur. Felix enim uel sine anguino druydarum ouo, quisquis occasionis articulos intelliget.

IN SACRAMENTVM EVCHARISTIAE SERMO TVMVLTVARIVS CÆLII CALCAGNINI, PER EVM in cathedrali ecclesia Agriensi publice habitus.

VBIQVE excelsa, ubiq; ardua, & longe supra animi captum mihi occurrit diuinitas. nam si eam in solio maiestatis contemplari lubet, opprimor statim & succumbo in contemplationis limine: afflatus enim radiorum magnitudine, dum lucem quæro oculorum aciem amitto, & me quasi degenerem aquilam tanto soli imparem fateor. Demittens igitur oculos ad terras propitiatorem humanæ salutis, & reconciliatorem amissæ gratiæ perquiro: hic uero licet homo, licet mẽbris olim mortalibus cõcretus, tanta tamẽ sub caligine delitescit, ut sicut ad illũ propter altitudinẽ, sic ad hunc propter profunditatẽ conatus ingenij nequeat

nequeat peruenire. Quare omni uel naturæ uel doctrinæ præsidio destituto, una est fides, quæ opem ac suffragium polliceatur. Hæc uero me alis subuehens atq; in cælum extollens per immensa ac imperuia mũdi rapit: eaq; aperit, quæ recludi non possunt, ea declarat quæ intelligi nequeunt. Huius auxilio subnixus & suprema cæli & ima terræ perlustro: ipsumq; autorẽ atq; opificem rerum & unũ & trinum perspicio, cuncta è nihilo procreantem, nutu maiestatis omnibus moderantẽ, clementia sua fouentem ac sustinentẽ omnia. Huic paret natura, huic obsequuntur elementa: Allecta currunt, repulsa fugiunt: cedunt deceduntq; protinus ad sui autoris arbitrium. Quæ omnia faciunt, ut miracula, quæ de sacro Eucharistiæ sacramento, duce fide concipimus, multo minori admiratione mihi digna uideantur: de quo breuiter hoc tempore uerba facturus id præfari duxi opportunum: eam esse dei optimi maximi potentiam, eam uim, eam altitudinẽ, ut ad illam nulla possit hominis mens non dico peruenire, sed neq; aspirare. Quare nemo ingenij sui fretus acumine speret tam inscrutabilem posse indaginẽ penetrare. Quicquid enim magnum aut sublime concipi potest, longe tamen infra eius cogitationis fastigiũ subsidet. In eo uero spem omnẽ statuat, si cælitus adueniens spiritus radijs fidei mentem illustrauerit: quando hac magistra tenebræ excutientur, & tectoria arcanorum subducentur. Agnoscemusq; quàm incomparabilis sit bonitas eius qui salutem nostrã reparauit, quantam de nobis curam susceperit: qui non contentus ex deo se hominem fecisse, contumelias, uexationesq; innumeras, & crucem denicq; pertulit: ut syngrapham nostræ captiuitatis suo sacratissimo sanguine deleret ac dispungeret: pridie etiam eius diei, quo mortẽ nostram moriendo expugnaturus erat nõ omnino uolens nos destitutos relinquere: sed quasi bonus paterfamiliâs ac prouidus dispensator, quom testamentum condere statuisset: ex amplissima hæreditate quam possidebat acceptam à patre, nihil maius, nihil precios us habuit, quod amicis ac fratribus suis relinqueret, quàm sacratissimum corpus & sanguinem suum, id est seipsum uniuersum: ut haberent perpetuũ pignus & monumentũ amoris eius & salutis acceptæ, quo in omni calamitate & naufragio ceu amuleto aduersus cunctas fortunę minas, contra ingruentes hostiũ insidias uterentur, essetq; certum & inuiolabile in omni uita uiaticum. Res mira prorsus & inæstimabilis, quemq; morientẽ se posse uiuum ac spirantẽ in suæ posteritatis manus tradere: res mira sanè, si res ipsa & non magis rei autor cogitetur. Qui quom mori nequeat, immo uero moriendo resurgat: quomq; in res omnes latissime uim suam exerceat, immo uero sit ipse rerum omniũ causa: nihil admirabile est quòd à rebus, id est ab effectibus suis nunquã abesse possit. Hinc est quod deus unus licet, ubiq; tamen absq; substantiæ suæ cõcisione uno eodemq; momento diffunditur. Et quom nobis persuasum sit Christum nõ hominem magis esse quàm deum: quin eo magis deum esse, quòd non in humanitate diuinitas, sed in diuinitate consistit humanitas: nihil est quod negemus ei facillima esse omnia quæ homini difficillima existimantur. Licet itaq; corporis Christi proprius locus sit in supremo cęli fastigio ad parẽtis dextrã: tamen ex absoluta illa potestate qua pollet, nusquam est ubi nõ sit, quom lubet. Atq; ita aduenienti cuncta cedunt atq; assurgunt, ut quotiens in sacrum panem & uinum elicitur, uolens ac lubens subiectum decedat, ut intra uacuam alioqui superficiẽ Christi substantia recipiatur: qua ratione fit ut adiacẽtia sint, neq; sit cui adiaceant, nisi uirtuti diuinæ qua omnia nituntur adiacerent. Sic olim è uirginis utero exijt, neq; iniuriam pertulit uirginitas: sic clausis foribus irrupit ad apostolos, neq; cõfracta sunt repagula. Quæ res facilior cogitatu fiet: si nobiscum existimemus notam esse philosophorum propositionem: in annectendo, non in abstrahendo mendacium admitti: & ingenium humanũ à subiecto quotidie lineas, superficiemq; & id genus cætera sine fraude abiurare. Neq; sanè existimemus ita Christum in Eucharistiã recipi: ut in locum res locatæ recipiuntur: in ea enim indiuidua quadam & prorsus admirabili ratione constat: quando ubicunq; Eucharistia cõsecratur, ibi solidus atq; integer Christus excipitur: neq; in ea solum, sed in eius quacũq; portione. hæc est enim eorũ corporum quæ in gloriã recepta sunt prærogatiua: ut ad spiritus simplicitatem agilitatemq; conformentur, ita genij cælestes sine dispendio temporis facile omnia peruo-

lant: sic anima nostra tota in omni corporis parte censetur. nemo itaq; pro rei magnitudine aut muneris dignitate satis Christi uindicis salutis nostræ bonitatẽ extollat: qui ueritus ne in hac militia & peregrinatiõe immaniũ ferarum plena deficeremus, salutare pabulum, & quasi antidotum præsentissimam nobis sese ipsum propinauit: cuius præsidio freti non solum incolumes sed etiam intrepidi pericula omnia superaremus: quippe hic est panis ille subcineritius quem uidit Helias ad caput suũ, & surgens comedit & bibit: & ambulauit in fortitudine cibi illius usq; ad montẽ dei. Hoc uerum illud mãna, quo populus Israeliticus annis quadraginta saginatus ad terram melle ac lacte fluentem peruenit: quomq; innumeræ hostiles copiæ sese obiecissent, omnes in uirtute panis huius fusæ ac profligatæ sunt: in huius mysterio Moses & Aaron obstinatos reges ac ferociẽtes populos contudit. Sed nõ minus illud nobis semper memoria retinendum est: non prius hunc panem è cœlo affulsisse, quàm electus à deo populus per Aegyptium mare, quasi per parietes aquarum utrinq; subnixos transfretasset: id est uitia, cæterasq; animi labes eluisset: neq; optimũ maximum Christum se antea discipulis in cibum exhibuisse, quàm eorum pedes lauasset: quo scilicet tersi ac mundi per semitas ueritatis incederent: seq; ad inuulgandam salutẽ gentibus accingerent. ut cũ Esaia liceat nobis exclamare, Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem? & non sine causa, ex ueteri sacrorum institutõ sancitum est: nequis illotis pedibus aut manibus se in conspectum afferat summi numinis. Proinde quisquis tam opimum ac cæleste cõuiuium aditurus est, eum ante omnia oportet, ut ueterem hominem exuat, nouumq; induat: se deinde ac sua diligenter recognoscat, & si quid est uel puluerulentũ uel contagiosum, id omne excutiat ac detergat: ut cõmode eius corpus & animus fieri possit Christi acceptaculum, & spiritussancti diuersoriũ. Alioqui si secus fecerit id ei cõtinget quod auro minime obryzo ac depurgato: quomprimum enim igni admouetur aut in aerem eliquatur, uel in retrimenta resoluitur. Sic ille quasi Tantalus, ut est in ethnicorum fabulis, à deorum symposio reijcitur. Quare imprimis se quisq; ad conscientiæ suæ coticulam experiatur, & tum demũ audeat regio, immo diuino conuiuio præsentare & cũ ipso planè deo accumbere: quando nos Christus quidem merentes sed illustres diuinis epulis dignatus est honestare. Quom uero hi carnei oculi nostri mortali caligine hebetes tantam diuitiarũ amplitudinem tantiq; apparatus excellentiam nequeant introspicere, ad fidem rursus nobis est prouocandum: quæ ueluti Minerua illa Homerica, nubeculam extergat nosq; tam admirabilis spectaculi capaces reddat. Tunc enim diuino illo nectare epoto, tanquã Glauci gramine gustato, nõ quidẽ in mare, ut ille, sed in cælũ planè exultabimus: quando huius inextimabilis sacramenti ceu salutaris pharmaci, eauis est: ut multo plus nobis in recessu conferat, si modo digne ac merenter haurimus, quàm in fronte receperit: quandoquidem hanc dedit Mosi diuinitas sponsionẽ. Me quidem inquit uidere non poteris, sed posteriora mea tantum uidebis: raro enim causæ, at effectus quàm sæpissime agnoscuntur. Incredibile est itaq; quantum gratiæ, amœnitatis, ac tranquillitatis precio sum hoc sacramentũ, eorum animis inserat, qui sanctè ac pie

id delibauerint: & exuta mortalitate iam nihil caducũ, nihil terrenum sapiunt, sed cum ipsis angelis

in cælum rapti æternitate

perfruuntur.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI NICOLAO
Corrigio Cælius.

Si quid læserit hic minus politum
Aures molliter ac bene educatas,
Litas nectare, gratia, & lepore:
In nostro uitio impudentiaq;,
Ignosce tibi literate princeps.
Nam quicquid latet hic ineptiarum,
Iussu non puduit tuo subire.

AD ILLVSTRISSIMVM ET EXCELLENTISSIMVM PRINCIPEM NICOLAVM CORRIGIVM Cælij Calcagnini Amatoriæ magiæ compendium.

QVID ET QVALIS MAGIA.

ARNEADES ille omnium argutissimus, quo dissertante quæ rerum ueritas foret non agnoscebatur, quom olim pro uitio summa cum hominum admiratione uerba faceret: quemadmodum inquit nisi nox esset dies non esset,
c ita per Iouem nisi uitium innatum esset rerum naturę, uirtus frustra quæreretur. Totum enim hoc uirtutem esse uitio debetur, atq; utrunq; ita cognatione proximũ est, ut licet re componi, ratione tamen seiungi nunquam possint. hoc illud est quod persæpe aiunt specie uirtutis uitium incautis surrepere: quod ego quàm creberrime animaduerti: sed imprimis nuperrime, quom tua magnitudo princeps illustris monuisset, ut mecũ colligerẽ quid apud scriptores ueteres de potestate ac moribus ueneficarũ traditum esset, ita esse prorsus intellexi. Quandoquidem sub nomine magiæ quam Plato statuit θεῶν θεραπείαν, id est deorum cultum, sese nobis insinuauit uanissima iure nuncupata ueneficiorum disciplina: quæ legibus duodecim tab. & pontificum sanctionibus interdicta, falsò Zoroastrẽ autorẽ habuisse prædicatur. Ille enim quo mẽtis recessu quibusq; sacris deus optimus maximus coleretur indicauit, omni penitus superstitione abdicata. Nec ferẽ (quod sine piaculo dici liceat) cuiusquã nostratium sanctior exijt libellus, in quo uitæ instituta atq; animantium seminaria digeruntur. Non iniuria iccirco ueteres dixere, magiam solam artium tris alias imperiosissimas humanæ mentis complexã in se unam redegisse: medicinam scilicet, religionẽ, astrorumq; notionẽ, auida semper mortalitate præsciendi de se futura. Nos ergo si ita secreuerimus Magiam, ut altera sit diuinorũ atq; humanorum miraculorũ exploratrix, quam θεουργίαν pythagorici, altera execrabilium superstitionũ sectatrix, quam γοητίαν nuncuparunt, nobis (ut puto) nemo iure calumniã faciet. & eam quidem illum callere oportebat, qui Persarum regnũ susceperat, de qua Hostanes ille famigeratus cõmentaria cõscripsit. Hanc Pythagoras & Plato, qui lepide naturam ipsam Magam appellarunt, consectati sunt. eam Moses secretioribus tabulis inscripsit, & utriusq; instrumenti lumina affectarunt. Eam deniq; qui rite coluerit, iure magis, id est sacerdotibus, adscribetur. Hanc contrà Dryudę Gallorũ, hanc Britanni, hanc Brachmanes, hanc impudentissimus quisq; prosequitur: huius species innumeræ nunc tantum nominibus adscribendæ.

Alphitomantia quam ceu digito Theocritus ſignauit in Pharmaceutria, & aleuromantia per tritici ac farinæ excuſsiones. Alectromantia, quæ licet à gallis nomen compararit, ad cæterum tamen auitium pertinet, uel per tripudium ſoliſtimũ uel auicularem concertationẽ. Aſtragalomantia ex aſtragalorum iactu in picturatum libellum, qua imprimis noſtrates fœminæ uti ſolent. Tyromantia per caſei cõpages atq; hiatus. gyromantia quotiẽs ex circulis in leuã dextramue declinãtibus futura coniiciunt. Coſcinomantia per cribrum in Romanorum ſacris famigerata, Sternomantia de pectoris habitudine ac reliqua corporis membratura ſumens præſagia, milleq; id genus quæ ex omnibus articulis neuis ac uerucis nomina mutuari poſſunt. Quanto illud uanius, quia ſua ipſi quàm facile ueneficia retrudantur docent. Radix cyclamini, quæ à noſtris tuber terræ uocatur, in omnibus ſerenda domibus, ſi uerum eſt ubi ſata nihil nocere mala medicamenta. amuletũ uocant. Item contra magicas artes erit primum illud Homericũ Moly. dein Mithridatia & ſcordotis, & centaurium potu omnia mala medicamenta exigit per aluũ. Betonicæ ſemen qui quotidie guſtet, ei nulla nocitura mala medicamenta tradunt. Hydromantia per quam olim in aquis pueri Mercurium conſpicabantur. Catoptromantia prælígatis ad ſpeculum puerorum oculis. Axinomãtia belle ab Homero indicata, dum per ſecures experitur procos. Lecanomantia Aſsyriorum familiaris. chiromantia & metopomantia, quas grauis autor Probus atq; Ariſtoteles comprobant. capnomantia per fumi inuolucra. geomantia per puncta & lineolas. Aeromãtia per ſitus nubium, ut Ariſtophanes innuit in Nephelis, & per manubiarum iactus, & ea quæ fiunt in media aeris regione. item aruſpicium præpetũ inferarumue alitum uolatu: extiſpicium per uictimarũ ícora & inteſtina: quam Democritus ſalubritatis prænoſcendæ gratia comprobauit. Quæ præterea pecudum exta, uolatus, cantusq; auiũ: quæ monſtra, tonitrus, fulgura, ſydera: quæ ſortes, ſymbola, omina, auſpicia: quæ ſternutamenta, quæ muſtelarũ murium q; uel ſtridorẽ uel occurſus: quæ aures tinnientes, oculos ſalientes, foliorum crepitacula, pomorũ ſemina in ſublime iactata, bacilla, cortices, nomina, imagines, phialasq; ſexcẽtaq; eiuſmodi cõtemplatur. nam Galli uerbenaca ſortiuntur & præcinunt reſponſa. Omnium denicq; defamatiſsimæ, necyomantia, pſychomantia & ſciomantia, per cadauera, animas & umbras. Quas quicunq; appetit, parum prudentibus admirabilis, at recte ſentiẽtibus infamis ac præſtigioſus exiſtimatur. Cuius rei indicium id putabimus, quòd plerunq; hominum uiliſsima mendicabula & ignobiles mulierculæ has profiteri dicũtur, quæ magna quædã & incredunda pollicentur:

Siſtere aquam fluuijs & uertere ſydera retro.

Qualia iactat apud poetam Medea.

Sæpe ego quom uolui ripis mirantibus amnes
In fontes rediere ſuos: concuſſaq; ſiſto,
Stantia concutio cantu freta: nubila pello,
Nubilaq; induco: uentos abigoq; uocoq;.

Et mox: Te quoq; luna traho. Quę tamẽ nemo fieri poſſe exiſtimarit, quomodo enim excogitari poteſt, ut res ab immortali atq; immutabili opifice ſemel cõſtitutæ, ſtatos curſus habentes arbitrio humano immutari poſsint? non tanta uis nobis, non id uiris imbecillo generi. Quòd ſi quædam tamen aliquando pro opinione euadere uideantur, præter quòd in rebus ſympathiam quandam philoſophi approbarunt, ex cogitare debemus quàm facile noſtri ſenſus illudantur. Remum in aqua inflexum oculi interciſum putant. ſpeculo quodam modo repercuſſo præpoſtera facies inſpicitur. Colla palumbiũ aliter uorſa aliter itidem nitent: atq; alia innumera quibus olim probabat Arceſilas res omnino incomprehenſibiles eſſe. Hæ autẽ dæmonum præſtigiæ, qui de noſtro genere (ut Plato dixit) ludos faciunt: qui mentes mortalium his laqueis & errorũ inuolucris irretiunt. Nam & has ipſi homines, ut Apollonius Tyaneus exiſtimabat, docuerunt: quoq; modo ſibi ſacra & ſimulacra fieri deberent demonſtrarũt: ut ex reſponſo Proſerpinæ intelligitẽ, quod habetur apud Porphyrium.

Inſtituam mihi quale uelim fieri ſimulacrum.
Nata loco agreſti ſtatuas abſynthia circum,

Et mu-

Et mures celato quibus mos ædibus amplis
Incolere: hæc decora esse putes gratissima nobis.
Mox tus, styracem, myrrham, murumq́ cruorem
Admisceto simul: sacros mox addito cantus.
At statuas totidem mures quot gesto figuras,
Et lauri è trunco uiridi componito thecam,
Atq́ pias adiunge preces & soluito uota.
Hæc peragens me atra per somnum nocte uidebis.
Item alio loco quomodo dimitti queat monet:
Soluite serta, pedes liquidis & spargite lymphis:
Eq́ manu ramum laurus auferte uirentis.
Linea sitq́ omnis deleta omnisq́ character.

Si ergo cautius inspiciamus, agnoscemus malos dæmonas, quo facilius in nostrũ genus grassarentur, id genus superstitionum seminaria religionis prætextu infudisse: quam ita Lucretius improbauit.

Religio peperit scelerata atq́ impia facta.

Nec enim ea uere sunt quæ sub his præstigijs oculis obtendũtur: sed omnia ceu umbræ ac somnia, si quis propius aciem ingenij & quasi manu admorit, euanescunt, & faciles soluuntur in auras. cuius rei argumentum id quàm maximum puto, quòd per has artes plus uirtutis aut certiorem ualetudinẽ habet nemo, nec diuitiarũ amplius possidet. Quos lepide Cicero illudit, quoniã quibus diuitias pollicẽtur, ab his drachmas ipsi petunt. de hijs diuitijs sibi deducant drachmam, reddant cætera. Quòd si ea uera essent quæ recipiunt, nulli fortiores neq́ inuicti magis Achemenidum gente: accepimus tamen paucis Luculli legionibus succubuisse tot reges Magorum, quom tot medicamina tot herbas gemmasq́ nosse profiteantur quibus uictoria comparari possit. ijs nulli omnium fortunarũ locupletiores, quorum scilicet in manu Lotace dari solita à Persarũ rege legatis, ut quocunq́ uenissent rerum copia abundarẽt. Tum uero quæ flumina hijs obsisterent, quæ portarum claustra aditum intercluderent, æthiopide præmunitis? Nulli apud Eleos præpollerẽt in formę certamine, utpote medicamentum cõmiscentibus à Democrito traditum, quo pulchri boni & fortunati gignantur liberi. Bona autem corporis habitudine usq́ adeò præstarẽt, ut nemo magis. Panos certè nunquã reformidarent, quandoquidem eos uerbascum tollere autumant, si ea ratione adhibeatur, ut uirgo nuda ac ieiuna ieiuno imponat, & manu supina tangẽs dicat, Negat Apollo pestẽ posse crescere, quam nuda uirgo restinguat: atq́ ita retrorsa manu ter dicat, totiensq́ despuant ambo. Quis uero incantamina ui pollere existimauerit, qualia in cantharides: φεύγετε κανθάριδες, λύκος ἄγριος ὑμὰς διώκει, id est, fugite cantharides, lupus agrestis uos persequitur. Et illa in striges σύρνια πομπεύειν νυκτίκομα, στρίγγα δ' ὅλαον ὄρνιν ἀνώνυμον ὀκυπόροντε πνίκα, id est, Syrnia noctiuaga strigesq́ detestabiles inauspicati nominis & uelocis offocationis abigantur. Hijs præterea capillatiores nulli, ut etiã parua consectemur: ueluti quibus præsto est lysimachia. Lyentericus item nemo, quòd tragonia facile splenem exedat. Deniq́ nemo magis se tibi princeps excellens commendaret: non uirtutum magnitudine, quibus solis alliceris, sed hierobotane (sic enim uerbenacam dicunt) tantummodo fretus. hac enim perũctos impetrare quæ uelint, febres abigere, amicitias conciliare, nulliq́ nõ morbo mederi. Nam ita se excellere in amatorijs ac lenocinijs glossopetra comite spondent, ut facile queant Phædram Hippolyto cõciliare. Alia etiã maiora insanioraq́ profitentur, amnes reuocare, mare colligare, uentis animam adimere, solem inhibere, lunam despumare, stellas euellere, diem tollere, noctem tenere, antiquum chaos elicere. Ille item uoces auium coniectat, ille alios infatuat, sibi uni sapientiam uendicat. Ille sese complumat. Ille tanquam annulo gygis omniũ oculis se subtrahit. sed uanitates & deliria huiusmodi iam longũ est persequi. Nunc quæ ad amorũ illicia euocandamq́ lunã attineãt diligenter, quantũ tumultuario cõsequi potuerimus, explicemus, nil prorsus è nostris arculis adijciẽtes, sed aliũde omnia bona fide mutuantes; quãdo omne qcquid hoc belli est militabitur in tuæ spem gratiæ.

Ad amorum illicia.

Mulieres potiſsimum ad magiam accinguntur œſtro amoris inflammatæ, uel abdicati ac deſultorij amoris ſuſpicione. Nam ut uere inquit Euripides: mulier alioqui meticuloſa degenerq; ad robur atq; arma tractanda: ſed quoties ſe in toro læſam aduertit, haud alia mẽs fœuior. tunc omnes machinas, omnia cõmenta, omnes aſtus excutit, uel ut illiciat amatorẽ, uel ſuccubam propulſet. Exemplum dabit præ omnibus Theocritus, apud quẽ Simetra ita in Delphida bacchatur, ut primo laurus phitra & quędam id genus ſuggeri ſibi optet à Theſtyli, quo Delphidem reuocet iam à ſe per dies duodecim retorridum, & ad nouos amores deficientẽ: mox lunam fauora bilẽ precatur, infernæ Hecatæ ſupplicat, ut uotis ſubſcribat: in eius enim manu uim uenenis infundere, utpote quę plus polleat in ueneficijs Circe Medeaq; & flaua Perimeda. tum Iynga obteſtatur intercalari obſecratione (ea auicula eſt olim Echus filia Iouis ardor philtris accõmoda, quam noſtri uerticillam uocitant) amicum ad ſuas ædes pertrahat. tum primũ fruges ac laurus flammę iniijcit, hæc addens:

Vrit me Delphis, uro hanc in Delphide laurum.
Et uelut hæc ſtridet flammis ſuccenſa, nec uſquam
Cernimus ẽ tenui cinerem ſupereſſe fauilla:
Sic paribus flammis tabeſcant Delphidis artus.

Et ut liqueſcunt cæræ igni, ſic ille amore: utq; uenereus rhombus æneus circumagitur, ſic ille ad noſtros poſtes retrudatur. Dein furfures torret, & Artemidẽ inuocat, quæ adamantem ipſum & ſi quid adamante durius intra inferos potis eſt inflectere. Quæ ubi dixit, canes Hecates pręuij exululãt, in triuioq; ipſa Hecate uiſitur, ærataq; tympana concrepant. Hinc amoris reminiſcitur, & ſe cruciat: tum merum libat ter, euertendis alienis amoribus carmina ſuſurrat: quorum eum tantum obliuiſci cupit, quantum Theſea dicunt

Formoſam in Dia quondam liquiſſe Ariadnam.
Dein uelut hippomanes quod naſcitur Arcade terra
Pernices accendit equas percurrere montes,
Sic properet Delphis ad noſtras protinus ædes.

Poſtmodum chlenæ laciniam Delphidis monumẽtum ignibus obijcit, ac de amore conqueritur: qui ceu irudo ſanguinem depopulatur: recipitq; ſe in ſequentem diem tritas lacertas poculo admiſturam. Deinde Theſtyli unguina exhibet, quibus ſublimanarẽ lapidem Delphidis oblinat, ſummuſsimq; inhalet: Perlino Delphidis oſſa. Suos denicq; amores conqueritur: quorum initia repetit memoria, & interſitum carmen immutat in illud:

Vnde amor iſte meus, referas mihi maxima Phœbe.

Et parcas deierat, niſi in gratiam redierit, eum ad orci ianuas detruſuram: adhibitu ramq; deteriora quædam pharmaca ab Aſſyrio hoſpite indicata. Poſtremo lunã miſſam facit & cuncta ualere

Aſtra iubet tacitæ noctis comitantia curſus.

Hunc autem locum ideo curſim ac præpropere ſignaui potius quàm trãſtuli, quòd Virgilius eum licet mutuatus ſit, ſub alia tamen ſpecie cõformarit. Ille enim aquam & molles uittas & uerbenas pingues & maſcula thura: quæ ſic dici religionis gratia exiſtimamus, ne ſexus alter uſurparetur, quom aliàs non ferè mas uocetur ubi nõ ſit fœmina. Idem addit triplicia & diſcolora licia, præterea laurum fragilem, limũ durabilem, cærã liquabilem, & Daphnidis exuuias: eaq; adnectit carmina coronidi, quæ oppido penſitanda putamus in magia.

Fer cineres Amarylli foras, riuoq; fluenti
Transq; caput iace ne reſpexeris
Et alibi in opere ſerio
Falcibus & meſſæ ad lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ nigri cum lacte ueneni.
Quæritur & naſcentis equi de fronte reuulſus
Et matri præreptus amor.

Apollo-

Apollonius Alexandrinus, qui se Rhodium maluit appellari: ubi instrumenta ueneficæ Medeæ connumerat, imprimis è sanctuario ait exprompsisse uenefícium prometheum nomine, quo sacrum factura Hecate perlineretur. Id uero ait neq; æris ictibus penetrabile, neq; igni delebile, quod aquila lancinante primo natum sanguine prometheo fertur. Cui flos brachij magnitudine, colore croceo, caule duplici, radice carnis simillima & nigra ceu fagi humor. Legitur autem id non sine Promethei cruciatu, deinde septies Brimo inuocat, quę Persephone interpretatur. & hęc ita suo usui Flaccus Valerius accõmodauit:

Cingitur inde sinus, & qua sibi fida magis uis
Nulla, prometheæ florem de sanguine fibræ
Caucaseum tonitrum, nutritaq; gramina ponit.

Et quæ ille locupletius prosequitur uolumine septimo. De Prometheo Senecam intellexisse suspicamur quodam loco, ubi Medeæ pharmaca & deprecatiões explicat,

Quæ fert (inquit) opertis hyeme perpetua iugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei.

At Lelius, ut adhuc constat, ita suas magas instruit. philtra omnia undiq; eruũt. Antiphates illud quæritur, trochisculi, ungues, teniæ, radiculæ, herbæ, surculi, aureæ illices, bichordilæ inientium dulcedines. Apud Lucium Pamphile celebratur maga primi nominis, & omnis carminis sepulchralis magistra, quę surculis & lapillis & id genus friuolis inhalatis omnem istam lucem mundi sideralis in ima tartari & in uetustum chaos summergere nouit. At Flaccus Venusinus Canidiã præmuniens infodientẽ puerũ nobilẽ, exerta uti medulla & aridũ iecur amoris esset poculũ, inquit:

Iubet sepulchris caprificos erutas,
Iubet cupressos funebres,
Et uncta turpis oua ranę sanguine,
Plumamq; nocturnæ strigis,
Herbasq; quas Colchos atq; Hiberia
Mittit uenenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta ieiunæ canis
Flammis aduri colchicis.

Hanc alibi pallentem describit unguibus terram scalpere, & pullam diuellere mordicus agnam, laneamq; & ceream effigiem adhibere, hanc amantis, amati alteram, quibus barbam lupi & dentem colubræ adiungit. Huius deniq; enumerationis metas teneat Lucianus ille Samosateus deorum & hominum sallisimus subsanator, apud quẽ ita Bacchis Melittã monet, Græce quidẽ, sed nos ita latina fecimus: Haud res est magni precij ó Melitta: sed drachmã & panem accipe: ijsq; addi oportet præter salem obolos etiam septẽ, & sulphur & faculam. Hæc inquam anus excipiat, & cratera contemperet: solamq; illam bibere opus est. & ipsius uiri nonnihil adesse oportet, ceu uestem aut crepidas uel capillorũ aliquot, uel quippiam id genus. M. eius crepidas habeo. B. has è paxillo appendens sulphure suffito, & ignibus salẽ fundens utriusq; nomina pronuntiato, illius scilicet ac tuum. ex sinu deinde rhombum promens circumage, carmen quoddam immurmurans lingua præceleri, barbaraq; ac perhorrenda nomina complicans. Hæc tum ita feci, & mox Phanias, tum increpantibus socijs, tum Phœbide pro concubitu plurimũ exposcente, sed imprimis carmine adactus ad me uenit. Aliud me præterea docuit magni odij cõcitabulum in Phœbidem: ut eius scilicet uestigia obseruarem, eaq; quom præterijsset delerem, atq; illius sinistrum uestigium dextro pede inscenderem, & rursus dextrum sinistro: ac dicerem: te super inscẽdi, teq; superior sum. Itaq; quicquid indixit perfeci. Et de his quidem quæ ad amorem attineant hactenus. Reliquum est ut de his quæ lunam deducere dicuntur, uerba faciamus.

Ad lunam euocandam.

Opinioni huic quæ in hominum mentibus iamdiu sedere creditur, quòd luna trahi possit è cælo, occasionẽ uidetur dedisse eius defectus. Quẽ quom olim in Thessalia Aglaonice mulier nobilis & astrorum perita præuidisset, ut se in admirationem homi-

hominum erigeret, recepit paulo mox cælo lunam euocaturam: ſimulatiſq; carminibus, quom iam defectus obtigiſſet, ignarum rerum diuinarũ uulgus lunam detractam exiſtimauit: cui poſtmodum ſe opitulari poſſe tinnitibus & cõploſionibus ſperabat, conditionem ſideris miſeratũ. Cui ſententiæ Plinius noſter planè uidetur aſtipulari: quòd in deliquio lunæ ueneficia arguat mortalitas, & ob id crepitu diſſono auxilietur. Quo pauore ignarus cauſæ Nicias Athenienſiũ imperator ueritus claſſem portu educere opes eorum afflixit. Tametſi ab Alexandro ex Aphrodiſiade alia eius crepitus ratio reddatur. Quoniam ſcilicet luna in eclipticarũ cõiunctionum terminos incidente, & in conum ex umbra terræ factum propter ſolis diametrũ, & per lineares anguſtias magis luna propter celerem curſus motum frequentiusq; dictos caſus incurrẽte, crebriores fiunt lunares defectus. At homines æs & ferrũ quatiunt dæmonas fugantes, quoniam per id tempus cæli luminaria influẽtias in terram non demittunt bonum afferentes, & pernicioſos dæmonas à nobis arcentes. Ea uero imprimis cauſa Magi lunam detrahere profitebantur, ut uim quandam ſecretiorem in pharmaca deſpumaret ad humanas mentes euertendas, ſi quo modo id fieri poteſt. Nam ut ille inquit, uenena magnum fas nefasq; non ualent conuertere humanam uicem. Et de lunari ſpuma ita quidem Lucanus exiſtimauit:

Phœbeq; ſerena
Non aliter diris uerborum obſeſſa uenenis
Palluit & nigris terreniſq; ignibus arſit,
Quàm ſi fraterna prohiberet imagine tellus
Inferretq; ſuas flammis cæleſtibus umbras.
Et patitur tantos cantu depreſſa labores
Donec ſuppoſitas propior deſpumet in herbas.

quod alibi uirus lunare nuncupauit. Quæ autem uerba ſoleãt adhiberi licet oppido quàm difficile id uideatur inuentu, quòd ſacroſancta religio noſtra ſuperſtitionis illius traduces fermè radicitus extirparit: uideor tamẽ quaſi eorum quandam umbram aſſequutus apud Porphyriũ in epiſtola ad Anebonem Aegyptiũ. Cuius uerba haud paucis penſitanda ſi addidero ex Euſebij teſtimonio, ſyntaxi huic compendium faciam. Ea ſunt: Illud nullam mihi rationẽ habere uidetur, quòd non modo dæmoni aut animæ ſed ipſi regi atq; reginæ, ſoli inquã ac lunæ, aut alicui cæleſtium deorũ famuli nõnunquam & ſceleſti homines terrorem incutiunt, & multa falſo cõminiſcentes ad aperiendam ueritatẽ illos compellunt. Falſa enim profecto dicunt atq; impoſsibilia, quom cœlum ſe ſciſſuros & arcana Iſidis ædituros & membra Oſiridos Typhoni tradituros minantur, niſi Di reſpondeant. Quomodo enim ignobiles ac meticulo ſi nõ ſunt, qui ficto huiuſmodi terrore tanquam infantes moueantur. moueri autem eos iſtis Chæremon etiã ſacer ſcriba teſtat: & hæc illa dicit eſſe quibus maximè dæmones cogantur. Ipſe uero quibus utuntur rationes ac preces qua ratione ualeant non intelligo. Tu, inquiunt, qui è limo emerſiſti, qui ſedes in loco, qui nauigio nauigas, qui ſingulis horis formã cõmutas, & in ſingulis Zodiaci ſignis cõmutaris. His enim orationibus atq; hymnis hominũ obtutibus dicunt deum ſe ſubijcere, neſcientes q imaginatiõis ſuæ paſsionem illi tribuant. Si uero hęc ſymbolicôs dicũtur, quia uirtutũ ſigna ſuarũ ſunt, expoſitionẽ nobis obſecro horũ ſignorũ afferant. Nõ enim paſsio hæc profecto ullo modo credi poteſt. nam ſi ea ſolis foret, quemadmodum eclipſis ſic ab uniuerſis hominibus uideretur. Barbara uero uerba, & quæ nihil ſignificant, quid ſibi uolunt? nam ſi ad uerborum ſignificationẽ deus reſpicit, quacũq; uoce eadem res ſignificatur mouebitur. Non enim Aegyptius erat deus. Si autẽ Aegyptium forte fuiſſe fateamur, non tamẽ Aegyptia lingua, immo uero nec humana locutum exiſtimabimus. Quare aut magorum improbitate hæc omnia ſunt excogitata, qui noſtros affectus deo aſcribere auſi ſunt: aut aliter homines de deo cogitant quàm ipſius rei ueritas habeat. Hactenus Porphyrius ex latino interprete, quando nobis deerat Græci codicis facultas quom hæc ſcriberemus. At ego quom ex anu quadam iſtarum rerum bene conſcia accurate percunctarer ſuper his magorũ commẽtis, imprimisq; quomodo magia ad homines deriuaſſet, ea mihi in cubitum nixa

ſeq;

secq; baculo fulciens, sic blande ceu ex oraculo responsum dedit.

Apologus Magiæ.

Vanitas olim iuncta Miraculo furtiuo concubitu progenuit Magiam secundam cognomine: reformidāsq; ne forte Veritas cū qua perpetuas inimicitias gerit, à qua etiam paribus signis congressa sæpius profligata est, suum partū enecaret, illum Impudentiæ ac Timori iunctis cōnubiali fœdere cōmendauit. At illi in sinu Incomprehensibilitatis è uestigio collocarunt, mandaruntq; furtim & sub præstigiarū crepundijs æducandam. Quæ mox in grandiorē ætatem adulta, iamq; pinnulis præmunita euolauit in fatuorum arces: ibiq; nidulans Credulitatē peperit. Quę utpote parentis beneficijs grata, illā mutuo enutrit, & quasi ἀντιπελαργίζῃ, alioqui breui interiturā.

CAELII CALCAGNINI IN FVNERE BEATRICIS PANNONIARVM REGInæ, oratio.

SIPAREM corpori atq; animo uim natura tribuisset, ijsdemq; præsidijs utrunq; obfirmasset: nō esset hic nobis lugendi locus, non tam inexpectato funeri illa crymandum: quandoquidē maxima illa omni æuo Beatrix Pannoniarum regina, quo animo arridentem fortunā reflantemq; pertulit, qua semper magnitudine cum ea colluctabatur, et supra humanos casus mentē extulerat: hoc etiā se ab hac rerū uicissitudine, atq; ex hac fati immanitate potuit uindicare. Sed quoniam ita comparatū est, ut in nostra manu atq; arbitrio animus constet, positq; more humanæ sapientiæ uersari, ab omni necessitatis periculo abiuratus: at corpus fluxum, omniq; mutationi obnoxium, adeò hoc deorum beneficio fraudatur, ut nihil se ipsa fragilius aut incertius agnoscat hæc mortalitas. Quæ res maximè quom tam raræ, tamq; excellentis reginæ mors nuntiata esset, bonorū omnium & imprimis amplissimi principis & maximi Antistitis mei animū consternauit: ita ut lacrymæ & doloris impetus coerceri uix posset. Subibant enim magna illa & præclara regiæ maiestatis ornamēta: seu tu genus inspicias, quod est augustissimū: seu regni amplitudinē, quod se in Germaniam Pannonias q;, & in Scythiam usq; ad penitissimā illam paludem Mæotida propagat: seu tu illam uim & diuinitatem ingenij rerum omniū capacem inspexeris, nihil nō magnum, nihil non admirabile occurrat. Hinc Arragoniæ familiæ sanctitas, cuius imperiū ab antiquissimo illo Rhamiro Sancij filio ductum, Cantabriam maximamq; Hispaniarum partem profligato infestissimo Sarracenorū rege Bucchare suæ ditionis fecit. Hinc tanquā ex Argo naui magni artibus pacis, magni artibus belli Heroes. Hi maximum sibi imperium solerter omnia agendo adsciuere: nobilissimamq; partem Italiæ Campaniam, Calabriam, Apuliam, Samnites, finitimāq; Siciliam suo iuri adiecere. Hinc celeberrimus Beatricis pater Ferrandus. hinc clarissimi fratres Alphonsus, ac Federicus ambo reges, ambo uirtute ac fortuna memorabiles. Inter tot maiorum monumenta, tot familiæ exempla nata atq; ad gloriam educata Beatrix regina, omne hausit ab ipsis (ut aiunt) incunabulis, ueræ ac regiæ dignitatis decus. Quod deinceps dotale nobilitati Coruinę inseruit, Matthiæ regi fortissimo ac felicissimo iuncta. Huic scilicet omnia illa debēt summi regis præconia, omnes illæ laureæ. Illa effrenem atq; inter barbaros educatum animum incredibili prudentia molliuit. illa ad clemētiam, comitatem, liberalitatēq; traduxit. Hæc fecit, ut Matthia rege in terris nihil esset augustius

gustius, nihil apud posteritatẽ optabilius. Verum ergo ac rarum felicitatis humanæ exemplum, Beatrix regis filia, uxor regis, regum soror, reges etiam paritura, si quid esset apud mortales omni felicitate absolutum, nec lætis rebus aliquo dispendio fortuna interstreperet. Alioquin illa sapiẽtissime tam grauẽ iacturam redemit ingenio, cum sibi diuinæ indolis & iam maturæ uirtutis filium Hippolytum nepotem ex sorore optauit, illisq́ illibatissimis manibus aluit, atq; ad hanc magnitudinẽ, qua nunc ille pollet cõformauit, ac penè infantem ad summum Pannoniarum sacerdotiũ prouexit. Multa sunt profecto quę me in admirationẽ tui erigunt reginarum clarissima: sed quod huic optioni conferam, non habeo. Cætera enim puto humana industria, tuoq́ illo ingenij acumine geri potuissent, hæc una optio multum mihi præ se fert diuinitatis. tu enim nõ nisi deorum consilio atq; aliquo numine ita suadente absentem absens optare potuisti. Hæc igitur tanto reliquis tuis rebus gestis uidetur præstare, quanto maius est filium eligere, quàm peperisse. hoc casu, illud constat iudicio. Nec tua te profecto fefellit opinio. nam, ut reliqua principis mei insignia in maius ocium differã: qui enim possim tam paucis horis, quæ ad meditandum datæ sunt, rem tantam cõminisci? tam magna profecto animi gratitudo, tam tenax beneficiorũ memoria, huius rei opulentissimũ testimonium facit. Quis enim indulgentius aut maiori liberalitate perculsam iniuria fortunæ potuit re atq; opera sustinere? Quis lapsam regno promptius excitare, & quasi celebrem illam Græcorum ἀντιπελαργείαν imitari? Quis defunctæ memoriam maiori pietate aut grauiori gemitu prosequi potuit? Macti ergo fortuna uterq;, nec tu melius collocare beneficia potuisti, nec ille honestius rependere. Sed in his & deorum consensus, & fortunæ benignitas plurimũ pollet. Hæc tota tua sunt: pudicitiam nõ constanter modo seruare, sed etiam in alijs uindicare. grauitate citra regium supercilium uti. adeuntes ac supplices non solum comiter excipere, sed confirmare, atq; ad meliorem spem reuocare. Iustitiam admirabili condire clementia. Disceptationes dexteritate incomparabili sedare, populorum & ciuitatum saluti ac securitati consulere, bonisq́ artibus regna instituere. Efferatos animos emollire, bene educatis ingenijs fauere, literatos undecunq; accersere, eosq́ omni munificentia honestare: quo factum est ut in Pannonias omne fermè Latium ea tempestate migrarit, atq; in media barbarie Athenæ excitarẽtur. Illud enim usu compertum est, eos solos ambitu æternitatis laborare, qui digna memoria faciunt. Hæc uero illi tantum beneuolentię, tantum admirationis apud eas nationes latino nomini perpetuo infensas peperere: ut eam unam quasi cælitus demissam quę Pannonias illustraret, colerent ac uenerarentur. Hoc antea satis exploratũ, tunc maximè perspectum est: quom indignata improbitati fortunæ, Pannonas relinqueret, seq́ in fratris regna reciperet. Nemo enim lacrymis, nemo doloribus imperauit. Ipsę illæ augustæ arces, ipsa oppida, ipsa mœnia indignitatem rei detestabantur: seq́ optabant à suis sedibus reuelli, ut diutius optatissimo perfruerentur aspectu. At illa omni maior infortunio inuictum animũ perturbationibusq́ imperuium cõstanter ad summũ usq; diem, & quasi uitæ exodium seruauit: ostenditq́ animũ regium oppugnari posse, expugnari nunquã. Agite igitur proceres celebrate exequias, nunquam maioris fœminæ funus uidebitis. Cuius excellentiam atq; obitum mecum ipse repetens, decessumq́ & immortalitatẽ tantarũ uirtutum expendens, rationes omnes in eam summã redigo: quòd si ad desideriũ mœstissimi principis atq; optimi cuiusq; respicimus, inclyta fœminarum Beatrix parum uixit: si ad rerum quas gessit magnitudinem, satis uixit. Si ad contumelias fortunæ & rerum inclementiã, nimium diu uixit. Si ad memoriam operum eius, semper uictura est. Solatur me nõ nihil hæc ratio, facitq́ ut eam flere pudeat, quæ si sapientius cõsuluerimus, ex hoc rerum turbine ad meliorem uitam migrauit. Ibiq́ nunc felicius conquiescit, ubi nulla rerum intemperies, nullus mœror, nulla formido, æterna omnia, tranquilla omnia, & sempiterna felicitas.

CAELII CALCAGNINI IN FV
NERE HERCVLIS STROZZÆ ORATIO.

IDEO idem mihi propè accidisse, quod olim Polo histrioni contigit: ut non fictus neq; simulatus luctus mihi agendus sit hoc loco, sed uerus planè ac certus dolor exprimendus. Nihil hic fucatum, nihil ad imitationē effictum, ex uero, ex animo, ex re ipsa magnus mihi mœror incumbit, magna me cruciat miseratio, torquet iacturæ magnitudo, uexat indignitas ipsius rei. Quo maior mihi uenia debetur, si tanta pressus sollicitudine, si tanto perculsus gemitu minus assequi potero quod opto, nobilissimi scilicet ac exactissimi uiri laudes recensere. Quom enim mihi uenit in mētem, quantū Hercules Strozza, ille inquā Hercules omnium uirtutū clarissimum specimen, uel cognationis gratia, qua erat familiæ nostræ coniunctissimus, uel nōnulla opinione studiorum meorum, uel, quod malo credere, sui ipsius ingenij bonitate mihi faueret: quanto amore complecteretur, quantū propensus esset omnibus bonis prodesse: tum demum excrucior, enecor, ac doloris magnitudini me imparē fateor. Ergo illæ omnes acerrimi ingenij amœnitates, omnes illi benignissimæ naturæ flores exaruere. Tot annorum uirtutes, tot fœcundissimi animi lumina, dies una, hora una, momentum unum abstulit. Di immortales, quantum poterant homines animosius ad præclara excitari, si quo propius ad humani animi fastigium quisq; accessisset, eo minus in eum improbis ac flagitiosis liceret. Sed nimirum ita est, in eosq; solet uiolentius atq; acerbius uim omnē ac sæuitiam mors exercere, quos sibi promptius aduertit immortalitatem parare. Atq; hoc est, quod cum ijs plerunq; acerbissime actum uidemus, qui uel gestorum præstantia, uel literarum monumētis in posteros uitam propagāt. Cuius rei testimonia, quæ locupletissima sunt, si uel apud ueteres, uel in proximis seculis perquisiuero, facilius oratio nostra, unde soluat, quàm ubi sistat, est inuentura. Quanto enim quisq; ad cælestem gloriā maiori passu nitebatur, eo grauiori impetu fata manum iniecere, eo truculētius magnos conatus interrupere: ut testatius omnibus fieret, nihil esse in humanis tam amplū, tam paratū de quo sibi certi aliquid polliceri possit hæc mortalitas. Cuius sententiæ in nulla parte actionum humanarū desiderari possunt exempla: conspicuum tamen hoc & præsens, quod se grauissimū oculis offert, ut atrocitate ac magnitudine sua cætera omnia excellit, ita neminem potest naturæ suæ memorē non uehementissime consternare, ac recordatione nostræ imbecillitatis nō maximè permouere. Nec id quidē iniuria. Si enim Herculis Strozzæ ornamenta, quæ nulla parte cessant, in memoriam reuocemus: si decora, quæ undecunq; se offerunt, amplissima repetamus: mirifice hoc uulnus exulcerari uideo. Quis enim obsecro lacrymis imperet, quis eiulatus coerceat, agnoscens hominē nobilissimū, ex nobilissima Strozzarum familia, ex qua incertū an ille plus decoris, an illa maius ornamentū mutuaretur, tam fœde, tam immerenter iacentem. Mouent me hinc celeberrimæ familiæ præclara in hāc rempublicā merita, uel militiæ, uel domi, huic populo nauata: ex eo usq; tempore quo in Florētina nobilitate & opibus & uirtutum indole plurimū excellebat, necdum ad nostros transmigrarat. Quæ enim unquā ætas Francisci Strozzę fortissimi uiri nomen ex memoria huius urbis delebit? Quom patriam nostram ab infestissimo hoste occupatā sua uirtute ac militum robore in libertatem uindicauit. Nónne ille uobis, quirites, spes uestras, liberos, penates, opes deniq; omnes eiecto infensissimo nominis uestri inimico restituit? Nónne ille uobis pacem peperit, ac tranquillitatē comparauit? Primus ex hac familia Nannes actus patrijs seditionibus gentilium meritorū conscius hanc urbem sibi ex omnibus tutissimum diuersoriū ac perfugium optauit. Huic fortunas omnes, huic familiam omnem cōmendauit: qui cum ut maiori quodam uinculo iungeretur, Cōstantiā fœminam lectissimā ex antiquissima Cōstabilium sobole uxorem duxit: quàm autem

V feliciter

feliciter, nõ attinet hoc loco dicere, certè ita fœcundã, ut ex eo tẽpore Strozzarũ fe/
minarium latissime sit in omnẽ urbem propagatum, nec ulla fermè sit familia in hac
republica paulo nobilior, quæ necessitudine huius gentis gloriari non soleat: utpo/
te quæ suis titulis non modo Italiam sed aliquot etiã prouincias illustrarit. ex Nan/
ne autẽ, Di boni, quàm generosa soboles, quantus uirtutis nitor emicuit? Quis enim
Roberto grauior aut constantior? quis Nicolao aut liberalitate aut animi præstantia
grandior? aut etiam fœcundior? Hinc scilicet paternæ magnitudinis uiuum exem/
plar Carolus, hinc Sulpitius. Nã cæteros liberos, tantã spem nepotũ, festinata mors
rapuit. ex altero sexu Lucia, & formæ & pudicitiæ rarissimũ deus Boiardorum stem
mata profusissime honestauit. Ex Nanne etiã Laurentius ille totius gentilitatis flo/
sculus, maximi omni æuo principis Borssij deliciũ. Mirũ uero quantũ auito splendo/
ri addiderit Titus. Quo neq; alius amplioribus magistratibus functus, neq; in ciues
munificentior. Qui familiæ atq; honorum dignitati lumẽ literarũ adiunxit, æterna q;
monumenta ac minime posteris pœnitenda literis mandauit. Qui summas olim le/
gationes tanta autoritate, tanta obiuit ingenij dexteritate, ut neq; cõmodius, neq; fe/
licius quisquam antea. nec minus eo quãtum præstaret ingenio omnibus indicauit,
quom ducta Domicilla uxore Strozzarũ nobilitatẽ Rangonæ cõmiscuit. Nemo au
tem facile mulieris laudes expresserit: in qua uirili ingenio matronalis pudor adiun
ctus mirum omnibus atq; incredibile temperamẽtum reddebat. Ex hac clarissimos
sustulit filios, atq; ex his superstites nobilissimũ equitem Guidum, qui nunc seditio/
sissimam partem Flaminiæ à maximo principe præfectus, tanta cura, tanto modera
tur ingenio, ut iure omnibus mirabilis tam matura iuuenis prudẽtia uideatur. Hinc
& Laurẽtius editus, qui unus merito dici potest Mineruæ Charites cõciliasse: ea est
popularitas ingenio, ea promptitudo, ea comitas, ut nõ totius curiæ atq; uniuersæ ur
bis nuncupetur deliciæ. Quanta uero sit optimorũ fratrum pietas, nemo est uestrum
qui coram non inspiciat. Quàm mœsti uultus, quàm demissi, quàm lacrymosi, quan/
tus gemitus illo pectore tegitur? quantus dolor? si precarius animorum aspectus à
Dis impetrari posset, nemo est tam ferreus, tam adamantinus quin fletu ac miséra/
tione disrumperetur. Facta est enim suauissimi fratris iactura, iactura inquam non
ferenda, nullo tempore, nullo seculo reparanda. Hercules enim ille totius quæ us/
quam est amœnitatis, nobilitatis, uirtutis decus interijt: ille flos illibatus populi ex
cidit. Heu heu quò abijt illa animi acrimonia? illa uis, illud acumen ingenij, illa li/
terarum officina, illa poetices suauitas. Quantus erat in omni orationis genere, seu
uorsam seu prorsam conderet, Quanta naturæ indulgentia omnis generis carmen
effingebat: seu mordax Iambicum, seu grande Heroicum, seu dulce elegum tenta/
ret. Ita animose inuehebatur, ita feliciter insurgebat, ita blande ac suauiter concine/
bat, ut multi inuiderent, nemo assequeretur. Quanto lepore, quanta pronuntiabat
memoria? Semel etiã tantũ perlecta uel ordine præpostero repetebat, ita ut neq; hæ/
sitaret, neq; ulla syllaba subsultaret. Qua gratia nuper Thuscum carmen pangebat?
Qua facilitate lydios numeros contexebat, uiris exercitatissimis in eo genere admi
rantibus. Audiui ipse audiui Antonium Thebaldeũ, uirum latine ac thusce doctissi/
mum, illud serio asserentẽ, neminem Hercule felicius eos modulos tentasse, aut in
his celerius profecisse. Literas autẽ Græcas quanto impetu hauserat, quàm scite ac
facile omnes transmarinas ueneres asciuerat? Quàm graphice Homeri amplitudi/
nem ac uarietatem imitabatur? Quãtum nuperrime sum admiratus, quom magnos
quosdã ac plenos Heroicos ex Gigantomachia, quod opus magna cura sed maio/
ri ingenio conformabat, intonasset: quàm teres carmen, quàm uarium, quàm succi/
plenũ, quàm ut uno uerbo absoluã Homericũ. At nunc prò dolor, tam bellũ opus,
tã grauiter inchoatũ, summæ manus expers ac interruptũ iacebit. Credo mors sæua
atq; importuna illud ipsum cõsulto aduertisti, ut maximo ac pulcherrimo operi ob/
streperes, quo maiore ac certiore plaga rẽ latinã, nosq; ipsos offenderes, ipsumq; tan
tæ molis opificẽ ex altissima immortalitatis specula deijceres. Atq; neq; hoc ipsum ti
bi omnino ex uoto processit, quãdo tot eius etiã supersunt monumẽta, ut facile à tuis
legibus atq; obliuiõis iniuria eius memoria uendicet. Adde literaturæ cãdorẽ animi
incom/

incomparabilem, adde omnium doctorum beneuolentiam: quos omnes ita comple
ctebatur, ut neminem despiceret, nulli se præferret, bonis ingenijs plurimũ faueret,
& eorũ laudes prædicaret, atq; ultro tẽporibus gratularetur. Est enim ita natura com
paratum, ut nemo alterius, qui suæ confidat uirtuti, inuideat. Quantum autẽ omnes
eius ordinis amaret, hoc facillime potest indicari: quòd honestissimis hospitibus ita
ædes patefecerat, ut suo iure quisq; in eius domo uteretur. Illustres etiã, & magno ali
quo nomine insignes, non alibi libentius uersabantur. Excipiebantur enim princi
pes, ac nostræ religionis cardines, alijq; id genus proceres, tanta comitate, tam frugi
apparatu, ut in uniuersa Italia, apud omnes prouinciales, magnas ac excellentes ami
citias cõparasset: quas omnes uideor mihi uidere, tã tristi atq; inopinato nuntio con
sternatas. Quòd si externi atq; aduenæ ita hominẽ optime meritum colebant, ama
bant, admirabantur: quid mirum si dux maximus atq; omni præconio maior Hercu
les suffecto à patre indulgentissimo in tribunitiam potestatem, mox primas dignita
tis partes addixit. Macte igitur Hercules & parentis & sapientissimi principis testi
monio. Tu profecto ingenio, uirtute, honore, ac fortuna parenti minime impar. uno
tantum maior ille ac tu minor: quòd & illi habere, & tibi nõ relinquere, talem filium
contigit. Adiudicatã subinde dignitatẽ qua neq; maior, neq; honestior in republica
ulla optari potest, in solium paternum adscitus Alphonsus dux, & sanxit & maximo
consensu approbauit. In qua quom uix dum ex ephebis excessisset, quod nemini
antea contigerat, tam sollerter, tam sapienter se gessit, ut si quis animaduerterit quot
infortunijs, quot calamitatibus ea tempora perculsa sint, quom pestilentia ad inter
necionem urbem uexasset, mox Padus esset in glaciem cõcretus & proxima æstate
in agros omnes latissime restagnasset: dehinc Sequani gens infestissima multis die
bus impensa publica essent sustinendi, quom præsertim extremum malorũ populari
um fames non nostram modo urbem, sed finitimas etiam regiones, atq; omnem fer
mè Italiam inuasisset: nemo illi iure conferendus uideatur. Nam quis rogo quiri
tes, quis tot fortunæ telis sese agminatim ingerẽtibus restitisset? quis sæuissimis tem
poribus rectum clauũ tenuisset? At Hercules aliquo fato in ea tempora detrusus in
comparabili animi magnitudine, quà poterat huic & illi luxatæ reipublicę parti suc
currebat. Vidi ego ingemiscentẽ quom & summa rerum & ærarij penuria maximè
urgente paulo duriores, quàm aut populus, aut ipse uoluisset, fierẽt exactiones. Sed
quis uestrum obsecro absq; pecunia rerum necessariarũ quicquam egerit? quis pecu
niam sine exactione inuenerit? At ille non mediocri etiã cum dispendio patriæ ple
runq; in summa necessitate proprio ære opitulabatur. Atq; hæc omnia uobis data
& reipublicę. Quòd si uera fateri uolumus omni abdicata inuidia, neq; amantior hu
ius populi, neq; infelicior fuit quisquam. Extant tamen & in his rerũ angustijs pub
lica eius opera, & mœnia magna parte constructa, & portę ac pontes lateritij nouis
fossis additi. Adde & illa pietatis insignia, diuorum tutelarium basilicam multa par
te refectã: adde maximę uirginis transpontanam ædem eius autoritate à fundamen
tis conditam: adde tot pias erogationes, quæ mihi non mediocrem spem afferunt, e
um post obitum eò peruenisse, ubi beneactæ uitæ præmia consequatur. quod ut faci
lius fieri possit, & charissimi fratres & pientissima coniux ex clarissima Taurellorũ
familia, nec magis forma quàm modestia, & insigni quadam pietate in uirum memo
rabilis, tum obsecrationibus tum pijs largitatibus exorabũt. hoc est quod alioqui in
ualescentem dolorẽ nonnihil corrigit. Cum enim quotidie uideamus in rebus huma
nis nihil certi, nihil explorati: fluxas opes, lubrica regna & incerta: quom ea quam
tanto ambitu querimus, gloria res sit omnium uanissima: quom res desultoria sit ma
gistratus & crebrius ad immerentem accedens, ita ut neq; in felicitate, neq; in rerum
amplitudine quisquam sibi tantillum polliceri possit: quom uniuersa mortalium ui
ta sit innumeris acta miserijs, neq; aliquid sit homine aut infelicius aut superbius:
iam ego nihil uideo, quod ulli cõmodius aut felicius possimus precari, quàm prope
ram mortem ac minime cruciabilem, quæ quàm celerrime fieri potest nos manu fati
eximat, eripiatq; aliquando ex hac rerum uicissitudine, atq; in patriam reuocet. Quo
profecto in loco, si ex anteactis moribus hominũ exitus metimur, positus Hercules

nunc longe humana deſpicit: noſtriſq; lacrymis iraſcitur, qui ſummam eius felicitatem interturbemus. Proinde animi uim excitemus, idq; quod olim tempus eſt allatu rum uirili prudentia præuertamus. Certumq; ſit Herculem mortalem genitum, aut propediem aut poſt paucos certè annos hunc uitę mimum fuiſſe abſoluturũ: atq; interea uario fortunæ turbine uexari potuiſſe, quem euaſiſſe, maturæ atq; opportunæ morti acceptum eſt referẽdum. Euaſit autem eo demum tempore, quo ſibi perpetuo locum in memoria poſterorum comparauerat.

CAELII CALCAGNINI IN FVNERE HIPPOLYTI CARDINALIS Eſtenſis, oratio.

O ME miſerum atq; infelicem. nam unde iuſtius non oratio nem, ſed luctũ, nõ laudes ſed lacrymas auſpicabor, quàm ab incomparabili miſeria & calamitate, in quam me deiecit fortunæ uis, & ſæuiſsimi fati atrocitas. Me itaq; bis & ter miſerum atq; infelicem, cui ſine duce, ſine uia, ſine auſpicio dicendum eſt. Exceſsit enim is à mortalibus, qui mihi ad dicendum uires, ingenium, facundiam, ſuggerebat: ex quo principium omnium meorũ uotorum pendebat, in quo meta rerum omnium mearũ ſubſidebat. Elinguis ego & mutus planè qui poſſum de te uerba facere Hippolyte princeps & Antiſtes omnium quos ulla ætas tulit maxime & ampliſsime? Ad cuius magnitudinem expri mendam nullius quamuis diſertiſsimi atq; eloquentiſsimi oratoris facũdia unquam ſatis queat aſpirare: quanto id mihi minus liceat, hoc præſertim tempore quo dolor omnem mihi animum, omnẽ mentis conſtantiam deturbauit. Conſternauit ſcilicet me publica æquè & priuata iactura: quãdo eum principem amiſimus, in quo patriæ & noſtra omnium ſalus adnitebatur: in quo fortunati olim, ſed nunc mœſtiſsimi & infeliciſsimi fratris Alphonſi ducis fortuna magna ex parte conquieſcebat. Quom ergo mihi dicendi facultatẽ ademptam uideã, unum hoc ſupereſt ut lacrymis & ſingultibus, uel huic dolori, qui me acerbiſsime enecat, ſatisfaciam: uel tibi princeps omnium optime & clementiſsime, parentẽ. Quare uos lacrymæ, uos extremi doloris ſubſidium lacrymę omnes ſinus effundite, omnes aperite ſalientes: ingentem & interminam uobis effluendi materiã undecũq; depromit tam inexpectatus & acerbus magni Hippolyti obitus. Cuius quanto olim fuit uirtus & amplitudo maior atq; illuſtrior, tanto nunc deceſſus & mors durior & calamitoſior. Hinc nobiliſsimã & celeberrimam tota Italia Eſtenſem familiam luctu & mœrore deformatã uideo: ex qua ille patre Hercule duce, auo Nicolao marchione, di boni, quibus heroibus prognatus, incertum eſt plus ne fulgoris acceperit an inuexerit. Inde ſplendor ille inuictiſsimorum regum Aragonum per tot manus ductus, quanto nunc ſqualore hoc in luctu, hac in tam acerba clade obſoleſcit. Hinc enim materna origo ex Eleonora Ferdinandi regis filia. Nolo nũc altius lacrymas prouocare, & utriuſq; familiæ ditionem, bella, geſta, celebrata facinora euoluere. Nolo prolixius Cæſarum & utriuſq; Galliæ, Hiſpaniarumq; & Pannonię ac Sarmatiæ regum affinitates coniunctionesq; retexere: quando ſatis domi eiulatus ac planctus habemus, ne ab utroq; Oceano & ab aurea uſq; Cherſoneſo complorationes accerſamus. hic hic eſt uerũ & iuſtum & maximum argumentum, hic uera erumnarũ ſeges. Excellentis enim animi ornamenta & immortalis ille uigor è cœlo hauſtus tot conceptuũ fœcundus, rerumq; omnium maximarũ capax nobis ademptus à nobis deſideratur. Nolite exiſtimare quicquam in rebus humanis fuiſſe tam arduum, tam excellẽs, tam homini imperuium: quod & pruden-

prudentia tanti principis uel assequi uel aggredi non auderet, uel diligentia atq; industria perficere. Quod nemini mirum uideri oportet, quando inter magnas expeditiones natus, patre scilicet difficile illud ac periculosum bellum cũ Venetis gerente: mox infans penè adhuc inter crepundia & incunabula à Matthia rege inuictissimo Pannoniarũ in filium adscitus. Nullã em̃ ille rex prolem ex Beatrice Hippolyti matertera susceperat. Contigit autẽ eo tempore, quo ad Matthiam regem adductus est, ut Viennam urbem munitissimã rex expugnasset: in quam nõ prius ingredi uoluit, quam Hippolytum in amplexũ excepisset. Huic aduenientẽti toto exercitu per turmas instructo, tubarum clangoribus & felicibus populorum acclamationibus exceptus est: ut is iustius triumphus quàm lætitia nuncupari posset. Mouebat regem sapientissima indoles tantarum demum uirtutũ, quæ deinde ad frugem coaluerunt, seminariũ. Quare in ætate tenera adeò atq; præcoci primum ei post se locũ inter proceres atq; optimates attribuit: & Istrigoniensis archiepiscopatus opulentissimi dignitate, quæ prima & maxima est inter eas gentes, honestauit: quã deinde post clarissimi regis obitum Italiæ ac patriæ desiderio pellectus in Agriensem episcopatum cõmutauit. Cæterum dum rex ille uixit, nihil præclare, aut mirifice, aut fortunate gestum est, cuius non ex æquo gloria ad Hippolytum pertineret. Sed hæc quæ olim fuerunt ad lætitiam & hilaritatẽ comparata, nunc demum sunt maxima lacrymarũ & gemitus incitamẽta. Ita enim profecto est, ingentes calamitates non nisi ex maximis lætitijs proficisci. Atqui, pro dolor, quanti & quàm mirabiles profectus illis principijs successere, in Italiam redeũti quàm fortuna pleno sinu sese effudit. Audierat pridem Ludouicus Sforția Insubrum & Ligurũ dux, in Hippolyto tantę uirtutis ac ingenij incrementa. Summis itaq; studijs in partem curarũ & imperij accersitũ, pro archiepiscopatu imprimis Mediolanensi renuntiari, mox ad Cardinalem apicem prouehi procurauit, qua dignitate post pontificiã auctior & augustior nulla est, utpote quæ regiæ maiestati decreto patrum adæquetur: id quod maiore admiratione dignũ puto, quòd neq; ambitioni neq; auaritiæ id datũ nouimus, sed ueræ laudi & certissimæ gloriæ, quæ à sola uirtute proficisci potest. In ea regni administratione, qua prudentia, solertia, dexteritate usus sit, testatur opinio eorum populorum sempiterna, incolumitatem tranquillitatẽq; suam Hippolyto principi deberi testantium: quos omnes hoc tempore tam insperata clade consternatos allisosq; mihi uidere uideor. Subsecuta sunt deinde tempora Hercule patre adhuc superstite plena tumultus plena perfidiæ, Alexandro VI. pont. max. quom Cæsar Valentinus magnam partẽ Italiæ aut bello uexaret, aut in ditionem redegisset. In his abunde magnificum & fortunatum fuit sua tueri posse, & temporũ inclementiam declinare. Quod nõ solum factum est Hippolyti sapientia, sed & ipse Ferrariensem episcopatũ, Campanum uero archiepiscopatum & archipresbyteratum uaticanũ creuit. At sui eius auspicijs magnas accessiones fecere, quarum cõmemorationem & locus & dolor intercipit. Ne quis uero existimet Hippolyti prudentiam magnitudinemq; rebus tantum secundis perspectam esse. Ecce magna rerum cõuersio occurrit, & quasi ad fabulæ catastrophã peruenimus. Nã quom aduersus Ludouici principis generosissimi magnos illos & glorioſos conatus fortuna reflare cœpisset, inuictissimo Galliarum rege mouente, desciscentibus populis, suis cõiurantibus, Heluetijs sacramento renuntiantibus, unus omniũ Hippolytus, nec fortunarũ nec capitis periculo deterreri potuit, quin fidem constanter ad supremũ usq; diem seruauerit. Quæ res quom ei apud Gallos inuidiã calumniamq; concitasset, tantum abfuit, ut apud regem uoluntatẽ constantiamq; suam dissimularet, ut eam etiã ultro ac palàm profiteretur. Atq; adeò causam suam omnibus approbauit, ut mutatis animis, cuius laudi prius inuidebant, tum primũ grauitatem fortitudinemq; animi admirarentur, atq; amarent. Macte igitur fide, macte ausis præstantibus Hippolyte. Hoc est hoc est quod tu mihi persæpe cõmemorare solebas, multis olim Leone X. pont. max, præsente, magnum & insigne aliquod facinus iactantibus, te unum illud honeste atq; adeo uere prædicasse, te nihil unquã aut præter dignitatem aut præter decorum uel fecisse, uel cogitasse. Inter hæc patre defuncto, quom iam Alexander VI. pont. max. ab humanis excesisset: rebusq; Valen-

tini iam profligatis, & magnæ inter Gallos & Venetos contentiones emersissent, bellumq; illud cruentum & Italiæ penè interneciuum secundum Abduã foret decer tatum, ea moderatiõe usus est Hippolytus, ut regi victori satisfecerit, neq; Venetos patres quos mirifice semper coluit & obseruauit, offenderit. Quo tẽpore quom sua omnes repetissent, immo uero in rem uacuã derelictamq; inuasissent, familia Estensis extremã omnium peninsulam Athesis auito iure debitam recepit: qua ex re apud Venetum senatum noxam contraxit. Proinde quom primũ licuit spiritus animosq; resumere, nihil ad ultionẽ magis festinauit, quàm instructã classem Pado inducere, omnemq; agrum Ferrariẽsem ferro flamma, excidioq; deuastare. Quo in discrimine quantũ trepidatũ sit aljs cõturbantibus, aljs fugã molientibus, omnibus fermè animũ despondentibus, non possum sine cõsternatione meminisse. Vnus Hippolytus imperterritus, metuentes animare, fugientes retinere, omnes hortari, publice, priuatim, saluti ciuiũ consulere. Ille arma expedire, ille milites scribere, plebẽ ad signa uocare, tormẽta disponere: ille hostem ferocientẽ, ac impune excursantẽ coercere. Teneo memoria quom magnis imbribus ingruẽtibus, ipso scilicet brumali solstitio sæuiente, ille noctu dieq; nunquã intermittere, donec pulcherrimã illam & nulla ætate abolendam uictoriã fratri ac patriæ peperit, duodeuiginti triremibus, biremibus atẽ aljsq; nauibus innumeris partim captis, partim summersis aut igne consumptis, multis autẽ milibus fusis, tot opes, tot bellica instrumenta in urbem inuexit, ut iam multis seculis nihil fortius ac præclarius factum etiam hostes ipsi ingratis fateantur. Eius rei extant monumenta sempiterna, & naualia cõdita, & trophea posita, & hæc ipsa signa ac rostra è tholis augustissimi templi pendentia. Hæc inquam testimonia magnitudinis & uirtutis Hippolyti, immo uero æternę iacturę quam fecimus, & doloris ac gemitus irritamenta, quæ mirifice, & hanc plagam exulcerant, efficiũtq; ne unquam hiatus tanti uulneris occallescat. Accedit ad hæc memoria eorum temporum quæ subsecuta sunt, plena uicissitudinum & periculorũ. Quom imperator Maximilianus Noricos expugnasset, & dura obsidione Patauium Venetum q; agrum attriuisset: quom Iulius II. pont. max. victricia arma distringeret, quom diris & cõpijs nos persequeretur, maiestate Veneti senatus iam depressa, Florẽtina repub. magna parte conuulsa, Gallis ex Italia eiectis, urbibus aliquot nobis ereptis, ut iam de summa rerum ageretur, nisi tanto in rerum cardine præsens quispiam deus affuisset. At mirum plane dictu est, ijs in fluctibus, tanta in tempestate quanta moderatione Hippolytus rectum clauum tenuerit: quomq; alij res nouas molirentur, & Iulium indisquisitionẽ uocare ausi forent eiq; successorem dare minarentur: hic unus constantiæ & grauitatis obseruãtissimus nihil egit, quod hostes ad cõminiscendam alioqui calumniam acerrimi, ei iure possent uitio uertere. Quare aliquot à dignitate & exalbo purpuratorũ patrum deturbatis, hic titulos & existimationẽ, sacerdotijq; amplitudinem incredibili tum lenitate tum moderatione defendit. Nec tamen interea usquam defuit, quin patriæ quin suorum opes protegeret, qua cunq; posset ratione. Illa pecuniam, id est neruos belli, ille præsidia summittere, ille amicos uel nouos parare, uel ambiguos in fide retinere nunquã desijt. Si grati ergo esse uolumus ciues & municipes præstantissimi, salutem incolumitatemq; acceptam Hippolyto testemur oportet. Te optime ac fortissime princeps pro publica dignitate excubãte, hostes deuicimus, existimationẽ seruauimus, uitam defendimus: tibi ergo uni, quòd patriam habemus, quòd mœnibus tegimur, quòd late ac magnifice nomen propagauimus: quòd parentes, filios, & filij mutuo parentes coniugesq; inter se frui possunt: quòd opes ad dignitatẽ tranquillitatemq; possidemus, quòd deniq; uiuimus & spiramus, tibi debere, tuiq; esse muneris ultro testamur ac prædicamus. Quæ omnia uitæ & fortunarum præsidia in te olim posita, nunc uero amissa ac deplorata, mirum est quàm sæuientem dolorẽ exasperent, quàm me crudeliter & misere enecent. Quid uero de nobis tãtum uerba facio: quasi uero ad nos tantum hæc calamitas pertineat, ac non late serpat propageturq;: ut cõmunis sit hæc clades & uastitas, tum sacrosancto augustorum patrum collegio: quos inter Hippolytus diaconorum decurio frequẽtissimum ordinẽ ducebat, & in Basilica Vaticana sacerdotum prẽfecturã administrabat: tum po-

tum populo Romano, qui in eo principe & consiliorum & rerum gerendarũ, tuendæq; libertatis si quis aduersus casus ingruisset, magnam spem collocarat. Age & quoniam luctus magnitudo, & naufragij uiolentia me extra Italiam rapit, cogitq; reminisci non intestinæ tantum, sed publicæ ac externę calamitatis: quàm grauiter ac uehementer affici existimamus religiosissimum Gallorũ regem, illum inquam perpetuum Estensis familiæ & nostrę salutis propugnatorẽ, qui ab hinc triennio, quom Bononiam ad opt. max. Leonem X. salutandum & conferendi capitis gratia se contulisset: neminem ueniens aut abiẽs maluit, qui quom de rebus maximis, & ad summam Christianæ reipublicæ pertinentibus ageret, quàm Hippolytum principem: cuius consilio iudicioq; nihil tam difficile ac impeditum existimabat, quod facile expediri extricariq; non posset. Ludouicum uero Pannoniæ ac Bohemiæ regem quanto luctu obsitum putamus, postquam tam inexpectatum nuntium accepit. Subit enim animum prudẽtia illa in omnẽ partem parata, semper in numerato, semper sub manu exposita: subit fortitudo atq; animi magnitudo, tot euẽtibus explorata & perspecta, recenter etiam aliquot exemplis cognita: quom Budæ dissidente nobilitate inter se, alia atq; alia factione, palatinum (ita summũ magistratum post regiam dignitatẽ appellant) appetente, & propè ad cõserendas manus spectante dissensione: consternatis cæteris, atq; ipso rege frustra sententias exquirente, princeps meus, & felicitate orationis & salubritate consilij omnium animos erexit: oratoribusq; nomine regio missis, tum monẽdo, tum castigãdo, nobilitatem fluctuantẽ adeò ad concordiã, officiumq; reuocauit. Atqui prius in Baccensi consessu eadẽ nobilitas (sunt aũt ij ad quindecim hominũ milia qui ritu uetustæ gentis armati conueniunt) ita soluit imperiũ, ut iniquissimas omnino conditiones, & regi & optimatibus ferret, easq; sub necis cõminatione obtruderet. Quas quom segnius acciperent, & hinc rei iniquitas, hinc periculũ permoueret: eadem nobilitas exertis gladijs, ausa est in regẽ regiosq; cõsiliarios impressionẽ parare. Quo tẽpore Hippolytus de militis gregarij manu arrepto gladio, regem & optimates hortatus, ut bono animo essent: mallentq; occidione occidi, quàm iniquissimorũ hominum subire imperata: se enim paratum esse & pro rege & ante regẽ potius occumbere quàm tantũ ignominiæ perferre. Quæ uox à metu ad spem atq; audaciã ita cunctos excitauit, ut in eadem uerba consertim omnes iurarint. Ea res uulgata nobilium animos fregit, & ad mitiora cõsilia reuocauit. Mox quom de aduẽtu Turcarum, magnus & formidabilis rumor inuulgatus foret, cunctis quasi panico terrore perculsis, ipse unus imperterritus ultro prouinciam suscepit adeũdi loca finitima, quibus Turcarũ copiæ imminere nuntiabãtur. Et quom plurima obiter ad publicã salutem prospexisset, tum imprimis arcẽ Belgradi ad Sauum & Istri confluentes loco munitissimo positam accuratissime permensus ostendit, qua ratione inuicta inexpugnabilisq; reddi posset, & per quam exiguo præsidio retineri. Sed me miserum, dum perlustro Pannonas & Triballos, ecce sese oggerit Apollonia & Sarmatia Hercinio saltu separata. Hic aures animumq; pertundit, Sigismundi regis sapiẽtissimi ac semper inuicti lamentatio, Bonæ præsertim reginæ eiulatibus & cõclamationibus irritata: quę sobrini dulcissimi ac optatissimi obitu afflicta non inuenit ubi dolorem sistat, aut leuet, nisi flendo, Discq; autoribus tantæ iacturæ inuidiam concitando.

CAELII CALCAGNINI IN FVNERE ANTONII CONSTABILIS, ORATIO.

QVANTO fuisset satius me omni facultate orationis carere, quàm in publicum luctum, in meorum ciuium aut principum dolore inauspicatam & lacrymabilem hāc uocem exercere? Ergo ego ille, qui tanto semper studio & patrię felicitati & gloriæ incubui, qui multo maximam uitæ partem in principum meorum gratiam & domi & peregre consumpsi, huc tamē uideo & studia & rationes conatus meos reuocare: ut qui semper desiderauí mihi lætitiæ & gratulationis materiam dari, nunquā tamen in hoc grauissimum atq; amplissimum cōcilium uestrum appearem, principes atq; optimates mœstissimi, nisi luctuoso hoc amictu, infortunatis his uestibus indutus, aduersam meamq; calamitatē deplorandam. Timonem quendam fuisse ferunt inuisum pariter & infensum hominum generi: qui nunquam in publicos cœtus prodīsse traditur, nisi quom aduersa fortuna magna aliqua plaga populum Athenienſem percussisset. Quare ille nō aliter uulgo abominabilis haberi solitus, quàm aut coruí aut bubones, aut aues quæ incendiarię uocātur: quarum aspectu urbem lustrari, ritualibus haruspicum libris morē fuisse accepimus. En ego ille infelix inuitusq; & meo & publico malo in hunc censum nomē dabo: & quom sæpe aliàs ciuitatis nostræ iacturam defleuerim, nūc quoq; uobiscum in hoc atrocissimo atq; acerbissimo Antonij Constabilis uiri magnifici ac summis laudibus ornatissimi casu illacrymabo. Quid enim ego aliud possum q̄ in cōmuni omniū mœstitia lacrymas & eiulatus meos cōferre? Nam quàm stulte fecero, si tanti uiri an Heroís magis dicam laudes atq; ornamenta percensere tentauero, in tanta præsertim animi perturbatione, in tāta orationis paupertate: quibus etiam imparem futurum summū quemlibet oratorem arbitror, quantumuis animi constantiam & orationis copiam attulerint. Quòd si quantam cladem patria acceperit, quantum damni huius interitu ciues mei fecerint, quantum consilij maximus princeps amiserit: in memoriam reuocauero, uereor ne crudo adhuc uulneri intempestiuā manum admoueā, & ego ipse doloris magnitudini succumbam. Tantum scilicet abest, ut remedium ullum aliorum mœrori inueniā, qui sentiam me ita consternatum & destitutum animo, ut uix ad trahendum hunc infelicem spiritū sufficiā. Quocunq; enim animo atq; oculis obuersor, nusquam non occurrit insignis quędam species atq; imago calamitatis. Hinc generosa Cōstabilium familia mutatis uestibus in situ & squallore posita, demissis frontibus, obnupto capite, magnos uultu gemitus præse ferens, sed multo maiores animo tegens. En illæ imagines, illa decora ab origine usq; urbis nostrę belli domiq; parta, quàm deformata, quàm obsoleta prodeunt. Quòd si Athenienses sibi gloriæ duxere quod αὐτόχθονοι, id est, terra gèniti dicerentur: si Aborigines in Italia inter eximios titulos hunc sibi pręclarum putauere, quòd non aliunde oriundi terram ipsam, quam incolerent, primogeniam sibi parentem prædicarent: ut quæ alimenta præberet, eadem natalibus initia præbuisset: sanè Constabili familiæ, hæc quoq; antiquitatis prærogatiua eximiæ laudi iure tribui debet, quæ per manus tradita, uaria quidem fortuna, sed pari cōmendatione annos ab hinc mille ac ducentos & amplius in ciuitate nostra floruit: ex eo usq; tempore quo magna pars Italiæ nobilitatis, Gothorū ac Langobardorū acta incursibus, in his paludibus, quas nunc ad culturam redactas incolimus, bene auspicatū sibi perfugium inuenit. Troianos alij, alij Gallos aut Germanos autores generis iactent: hi uetustatem & incunabula gentis non peregre, sed inter eos ipsos lares in quibus creuerunt, ostendunt. In monumentis auitis legimus, Lancilotum Constabilem in bello quod aduersus Rhauennates gessimus, ordines duxisse & insignem uictoriā patriæ peperisse. Adempto enim hostibus prætorio uexillo, eorum audaciā ita fregit, ut non aliunde quàm à fuga salutem peterent. Hic Arnaldum filium genuit: qui Ferrarienſi

rarienſi claſsi præfectus Hadriaticos homines eo tẽpore naualibus prælijs præſtantes ad lacũ qui ex eo obſcurus appellatus eſt, fudit, fugauit, naues depreſsit, magnã manũ captiuorum intra urbem inuexit. Multi ſubinde memorantur longa ſerie, quorum opera inſignis ac ſalutaris patrię fuiſſe proditur, tũ in re militari & caſtrenſi negotio, tum multo maxime in toga & urbanis magiſtratibus: Aleduſius, Angelus, Odoardus, Iſaacius iure annulorũ donati & ſcientia iuris admirabiles fuiſſe traduntur. Quorum cõſilio molem Thealdi iactam ad arcendas Venetorum impreſsiones & magna circa munimenta adiuncta legimus. Inuidebant enim proximæ ciuitates coaleſcenti urbis noſtræ magnitudini, nec pati poterant tam felicia incrementa: ſperabantq; facile nondum bene confirmatas uires poſſe ſubuertere, ſi uno tempore inteſtinis ſeditionibus & bellis externis agitaremur. Et ut uerum fatear res noſtræ in magno fuere diſcrimine, ad ætatẽ uſq; Actij Eſtenſis. Qui primo honorario iure, deinde tribunitia perfunctus poteſtate, reſtinctis ſeditionibus, reſtituta urbi quiete, hę reditariam iuriſdictionẽ familiæ Eſtenſi reliquit. Sub cuius auſpicijs deinde incredibiles fecimus acceſsiones: eiq; nunc demum concuſſo propè terrarum orbe feliciter acquieſcimus. Sed quid ego intempeſtiue hiſtoriã ordior earum rerum, quæ magnitudine quidem ſua digna ſunt, ut uiuant in memoria poſteritatis, temporis tamẽ iniuria propè obſcurata ſunt: quom multa ſint recenter & intra memoriam patrum geſta, quæ ut tempore proxima ſunt, ita in conſpectu ac recordatione propè omnium uerſantur. Neq; hic aut Pauli aui paterni munificẽtiam, aut Arnaldi patris ſapientiam ſublimitatemq; animi & ſingula in omnes ordines beneficia enumerabo. Fuit uterq; equeſtri dignitate inſignis, uterq; ampliſsimi conſilij princeps. Ex Arnoldo præclara ſoboles nata & in domeſticis exemplis educata. Beltrandus qui Hadriæ præſedit, & ſummus rei diuinæ ſacerdos uitæ ſanctitatem & rerum maximarũ experientiam cum excellenti literatura coniunxerat. Lancilotus & Camillus, ambo fortiſsimi, ambo fide & ingenij pernicitate præſtantes, ſed horum uirtutem in primis ferè conatibus immatura mors extinxit. Sed quod illis ademit fortunę inclementia, illud deorũ bonitas cumulate in Antonio reſarſit. Hic enim ad ingraueſcentẽ propemodum ætatem firma & conſtanti ualetudine fuit, robuſto corpore & militari, id quod multa & ſolerti exercitatione fertur aſſecutus. Primam enim pubertatem in tabernaculis egit & caliga. Nihil recuſare quod ad fortem & cautum militem pertineret. Prima ſtipendia meruit ſub Ferdinando Aragonum rege, Di boni, quãto imperatore, ſub hoc alam duxit decurio. Mox ſub maximo eius ætatis principe Hercule duce Ferrarię tribunus militũ, & primipilus quingẽtarius res maximas aduerſus hoſtem inſultantẽ perfecit. Tunc enim Venetus, nauali pariter & terreſtri bello noſtrã ciuitatẽ premebat: pro cauſa noſtra ſtabat Italia, & audaciã inſolentiſsimi hoſtis magnis copijs retundebat. Illud noſtrorum animos ualde conficiebat, quòd Hercules dux diuturno morbo conflictatus, nõ erat par adminiſtrandæ rei militari, & omnia per legatum gerebantur. Antonius ergo in tanta rerum difficultate, adde & multorum perfidia, omnia induſtriè & prudẽtia incomparabili munia obire: nihil prætermittere, quod ad ſtrenuum certatorẽ aut prouidum ducẽ pertinebat. Nam & manu hoſtem ferire, & fugientem intercipere, interceptum uero ac debellatum ſeruare magni ac generoſi animi munus exiſtimabat. Dirigere autẽ aciem, loca cõmoda præoccupare, ſtationẽ caſtris metiri, imprudentes aggredi, annonam, aquationẽq; proſpicere, continentẽ dictoq; audientem militem habere, hæc præcipua in diſciplina militari arbitrabatur. Hac diligentia perfecit, ut magna apud ſuos in admiratione, apud hoſtes in timore haberetur. Cubante adhuc principe, euenit ut hoſtis magna impreſsione Argentam oppidum ditionis noſtræ oppugnaret: diuq; oppugnatũ ægrè ſe tuebatur. Iamq; obſeſsi ſuper deditione paciſcebantur: eius rei nuntius quom grauiter noſtrorum animos perculiſſet, decretum eſt ut ſine mora ſubſidio expeditiſsimi mitterentur. Sigiſmundus Herculis frater penes quem erat imperiũ, Antonium rogat, ut celer cum ſua manu præcedat, obſeſſoſq; in ſpe atq; officio contineat, ſe protinus cum reliquo exercitu affuturum. Is nihil moratus eò cõtendit, neſcio an maiore animo an pernicitate, eius aduentu confirmati animi noſtrorum, qui prius in deſperatio-

ſperatione uerſabantur. Victores hoſtes referre pedem, & dum ſaluti conſulunt, tanta fuit coſternatio, ut ſcalas, machinasq; & tormenta relinquerent. Mox aduentantibus reliquis copijs præcipites fuga non auſi ſuis ſe munitionibus tueri, diſpalati alij proximas paludes petierunt, magna pars in naues paratas conſcendit: quarum alij quot immodico pondere mox preſſę in Padi alueum ſubſederũt. Sed & paucos poſt dies, quom iã princeps à morbo uires reciperet, tumultuoſe nuntiatũ eſt, Liburnos & Dalmatas quæ magna pars fuit hoſtilis exercitus, Padum traieciſſe & Stellatã arcem inuaſiſſe: nec dubium eſſe, quin ea expugnata impune tota claſsis excurſaret in eos qui annonam & cõmeatus ſubueherent, totaq; belli moles Ferrariam transferretur. Quare princeps in ea trepidatione, quamuis nondum bene ſartis uiribus, ceruleum uexillum propoſuit: & proclamari iuſsit, ut qui ipſi bene uellent, & rempublicam ſaluam optarent, illi actutum ſequerentur. Hic uero facile fuit intelligere quantus foret populi ac ciuium amor in optimũ principem. Nam in ea turbatione quiſq; ſibi agmen fecit, ſe militem, ſe imperatorem ſecutus. Sed unus omnium longe ante alios emicans, Antonius fariſſa hoſtem aggreſſus inſultantem præclara & digna immortalitate perfecit facinora. Nam & rem noſtram in ancipiti poſitam reſtituit, nec prius deſijt hoſtem perſequi quam fracta fariſſa, & hebetato gladij mucrone, ante ſibi arma quàm uires aut animus deeſſet. Ergo ampliſsima principis oratione laudatus, magnisq; auctus muneribus, quot ciuicas, quot obſidionales accepiſſet, ſi in eam ætatem incidiſſet, quę pluris uirtutẽ quàm fortunas æſtimaret. Certè ea die profeſſus eſt princeps, ſe illi imperium & ſecuritatem regni debere. Sed hic quoq; me uideo imprudentẽ in id quod maximè declinabam incidiſſe, & rurſus hiſtoriam pertexere: cuius ego facilius ingreſſum quàm exitum uideo. Nam ſi ego quotiens Antonius ſingulari certamine aut iuſta manu, collatisq; ſignis dimicauerit, inducam in animum cõmemorare, ſanè oratio non eſt finem inuentura. Illud certum eſt, omnem eum ætatẽ in præclara inſtitutione & nauanda patriæ opera cõſumpſiſſe. Primi ẽm ineuntis ætatis anni, liberalium artium ſtudijs & ingenuis diſciplinis impenſi: tum adoleſcentia in ijs exercitationibus acta, quæ ad rem militarẽ corpus, animũq; præmuniunt. Nunc gymnaſtę operam dare, luctari, excurrere, natare, equitare, uenari, aucupari, ad palum, & apud laniſtam ictus inferre, aut declinare, cæſim punctimúe hoſtem ferire, haſtam uibrare, ſub armis hyemem iuxtà & æſtatẽ traducere, lanceis occurſare, ueri ac cõmunis Martis ſimulachra imitari. Ab hac educatione quaſi ſemente ad tantã deinde frugem rerum maximarũ peruentum eſt. Necdum tamen ueras ac uernaculas ipſius Antonij laudes attigimus, qui urbanas ac pacatas ſemper functiones, martijs & caſtrenſibus longe prętulit: neq; unquã bellum ſuſcipiendum exiſtimauit, niſi ut ſine iniuria demũ in pace degeretur. Hoc ipſe multis argumentis declarauit. Nam poſtquam res patriæ ac principis ſub externis bellis conquierunt, totus ipſe ſeſe ad reipublicę adminiſtrationem conuertit. Et ſanè ætas iam maturior ſuperuenerat, deferbueratq; ardor ille iuuenilis. Adſcitus ergo primum in ſecretius principis conſilium, non minus bonum ac prudentem ſenatorẽ egit, quàm ante fortem militem egerat. Nam quotiẽs ei ſententia dicenda fuit, ita caute ac circumſpecte rationes ſenſusq; ſuos explicauit: ut nihil temere, nihil non exacte cogitatũ ac prouiſum uideretur. Quòd ſi ſententia diuidenda fortaſſe fuit, tum ita partiri ac membra ſuſpendere, ut nihil non ad trutinam rationis expenſum intelligeretur, omnia ad æquum & bonũ referens, ſummi iuris immanitate ablegata. Illud uero ſemper habuerit perſuaſiſsimum, utilitatẽ ab honeſto diſiungi non poſſe: ſed ita mutuo complexu utrunq; eſſe coniunctum, ut uel utrunq; uel neutrũ abeſſe foret neceſſe. Erãt alij qui contenti utilitatis defenſione, auribus principis ſe cõmendarent. Horum ille acerrimus aduerſarius pro iuſto honeſtoq; ſemper fortiter depugnauit. Affectibus autem, odio, puta, beneuolentiæ, iræ, indignationi, cupiditati, ambitioni tantum abeſt ut ali quid unquam dederit, ut à nonnullis aliquando durior exiſtimaretur: quòd parum gratię, omnia uirtuti concederet. Quom tamen hoc foret ingenio, illud ſeruauit temperamentum, ut quod ad liberalitatẽ ac beneficentiam pertineret, nihil unquam amicitiæ denegauerit: quare illud elogium ſolenne omnibus atrijs & cubiculis eius uiſe

batur

batur: Me diligẽtes diligo: quo & ſe grati animi, & ſummum amicitiæ cultorem, teſtabatur. Quom ergo ſibi in urbanis ædibus, quas magno ſumptu, ſed maiore ingenio atq; arte cõſtruxit, cubiculum dormitorium hiſtoriis & exquiſitiſsimis picturis appararet, nihil putauit in ſummo fornice iuſtius imprimendũ, q; Anterotis, id eſt mutui amoris ortum atq; incrementa. Cui fabellæ, quom ego eam ex Porphyrio tradidiſſem, mirum eſt quanta illi ſuauitate applauſerit: tum uero & in omnibus parergis, quom amores poma iacientes effingeret, quom inſidentes ciconiis cupidines, quom alia huius generis ſymbola adderet, mores & affectus ſuos teſtabatur: ut nemini mirum uideri debeat, ſi & in Italia & in prouinciis magnas & celebres amicitias atq; neceſsitudines ſibi comparaſſet: quando nullo cõmodius philtro amor acquiritur, & retinetur, quàm ipſo amore: ut prædicabat Hecateon. ad eum itaq; ex Gallia, ex Germania, ex Hiſpania, magni & illuſtres hoſpites tam familiariter diuertebant, ut eos putares in ſuos lares cõmeare. Principes homines & purpurati Anſtitites tanta hilaritate & magnificentia excipiebantur, ut non lautius neq; copioſius apud regem excipi potuiſſent. Ad ſummã enim Antonij uirtutem ac liberalitatẽ Di immortales ſummas opes & magnum patrimonium contulerant. Nam excellentes illæ fortunæ Conſtabilis familiæ, induſtria ac parſimonia auorũ partæ, quæ in tot olim portiones ſectæ & modo quinq; fratribus cõmunes, in Antonij ſinum quaſi in unum alueum cõfluxerant: ex quo latè ad omnes utilitas & beneficẽtia propagabatur. Neq; enim ille more Aſpendij cithariſtæ intus canebat, ſed omnia ad communem uſum publicamq; cõmoditatem referebat. Hinc fores die noctuq; bipatentes, ad excipiendos peregre aduenientes hoſpites ſemper paratæ: quiſquis modo aliquo uel familiæ titulo, uel uirtutis elogio, uel artis cõmendatione, uel calamitoſa obrutus egeſtate, aut alias fortunæ uexatus iniuria ad Antonium confugerat: apud eum & dignã nobilitate ſedem & uirtuti atq; arti ſuę idoneum perfugium, calamitati autẽ remedium atq; aſilũ inueniebat. Hinc oratores magni nominis, hinc philoſophi naturæ interpretes, hinc poetæ frequentes apud Antonium uiſebantur.

CAELII CALCAGNINI IN FVNERE ALPHONSI PRIMI DVCIS FERRARIÆ III. oratio.

VÆ rationes imprimis maioribus noſtris perſuaſerunt Dux illuſtriſsime, princeps ampliſsime, proceres & ciues celeberrimi, ut in obitu ſummorũ uirorum, & præſtantiſſimorum principum funebris oratio haberetur. Altera ut
D res ſapienter & fortiter geſtæ in memoriã reuocarentur, & ipſa quodammodo uirtus ſuum præmium acciperet: altera ut mœſtis animis & ſuorum deſiderio perculſis, conſolatio & leuamen aliquod doloris adhiberetur. Hæc mecum ipſe cogitãs intelligo planè me ad utrũq; munus obeundum imparem eſſe. Quis enim eſt tam grauis, tam fœcundus, tam copioſus orator, qui Alfonſi ducis noſtri & principis celeberrimi uel laudes dicere uel res bello ac pace geſtas poſsit enumerare? in quibus facile quiuis unde ſoluat, ubi ſiſtat nemo queat inuenire. De me quid ſperem? cui præter tenue ac minusq; mediocre ingeniũ natura datum, doloris magnitudo mentem & conſilium omne expectore deturbauit. An ego afflictus & tam inſperato fulmine conſternatus, in funere mei principis, in luctu cõmuni, in deſiderio publici parentis, lacrymas cohibere, & orationis phaleras conquirere potero? Non mihi tantũ uel conſtantiæ, uel ſapientiæ, non tam ferreum pectus mihi Di dederunt, ut poſsim magnitudinẽ iacturę diſsimulare, & in

acerbo

acerbo luctu meorum principum, meorum ciuium, non omnes dolori habenas laxa re. Quòd si nauigantes excusso magistro & nauis gubernatore, quantum sibi immi neat periculi agnoscunt: quid nobis hoc tempore faciundum eo amisso duce ac mo deratore, qui omnia sua uota, omnia consilia ad publicam salutẽ ac populorum felici tatem dirigebat? Ergo sinite me in causa tam iusta, tam necessaria dolori indulgere, lacrymarũ uim effundere, in eiulatus & querimonias meo arbitratu debacchari. Nõ mine misero & tanta clade cõflictato iustius expectetis. Tu quidem Alphonse dux omniũ tui seculi maxime ita de nobis meritus es, ut tuas laudes omnis ætas omnisq; posteritas pro dignitate recenseat. Et sanè tua monumenta adeò sunt illustria, adeò splendida, ut in ea nulla unquã grassari possit obliuio. Potuit ergo infirmitas & con ditio nostræ mortalitatis precarium illum spiritum tibi auferre: ut excelsa & fœcun da tot uirtutũ anima debita in cæli parte aliquando conquiesceret. Tuæ uero sapien tiæ uel in secundis uel in aduersis rebus perspectæ, tuarum rerum feliciter gestarum memoriam nunquã profecto àbolere poterit: ut quom futura secula de magnitudi ne animi, de humanarũ rerum despicientia, de adeundis intrepide periculis, de pru dentia tractandæ rei bellicæ, de constituenda confirmandaq; pace uerba fecerint, tu protinus occurras, à quo rerum omnium agendarũ exemplum, quasi à Polycleti ca none petatur. Ob id non solum populi tuo subiecti imperio magnitudinem calami tatis intelligunt: sed Itali iuxtà & prouinciales te sublato ex rebus humanis, Italiam orbatam & magna splendoris sui parte destitutã fatentur. Sicut igitur tua pridẽ glo ria peruagata est orbem terrarum: ita & inexhaustus hic mœror late ad pleraſq; gen tes ac nationes pertinebit: præsertim quas non modo publica tanti doloris, sed do mestica & familiaris etiã ratio permoueat. Nulla enim est ex ijs natio, nulla prouin cia, quæ illustrissimam Estensem familiam cognatione & cõiunctione sanguinis nõ attingat. Illam sanè constat è Germania in Italiam uenisse tum primũ quom rex Ca rolus cognomẽto Magnus à Leone III. pont. max, aduersus Longobardorũ tyran nidem accerseretur: qua in expeditione quom multa dedisset uirtutis exempla, rex parta uictoria, eam Ateste, unde postea nuncupationẽ traxit, & aliquot in Euganea regione oppidis donauit. Ab eo tempore ad nostram ætatẽ anni septingenti duo & triginta intersunt. Deinde uero quom fama iustitiæ ac probitatis late increbresceret, Ferrarienses finitimis bellis & intestinis factionibus laborantes, Acciũ Estensem ui rum spectatæ industriæ ad componendos reipublicæ fluctus aduocarunt. Is adeò se gratum gratiosumq; omnibus præbuit, ut mox publico populi consensu ciuitati no stræ præficeretur. Et nunc agitur annus plus minus ter centesimus, ex quo hęc fami lia felicissime nostræ urbis clauũ tenuit. Quo tempore tãtos profectus fecit, ut quam luteam ligneamq; inuenit, nũc latericiam & marmoreã, auro argentoq; excultam ui deamus: & quæ antea uicinorum patebat iniuriæ, nunc multis urbibus atq; oppidis imperet, & hostiles impetus summoueat. At interim quàm generosa proles succre uit? Quot uiri bello & pace spectati emerserunt: ut non plures uel ex Argo nauí, uel ex equo Troiano prodierint. Quorũ nomina gestaq; fortia si uelim oratione prose qui, iustam historiam contexi oporteat. Sed ad proxima tempora & ad Alphonsi pa rẽtes nostra festinat oratio. Ex Hercule & Eleonora regis Aragonũ filia natus Al phonsus, decus olim & præsidium nostrũ, nunc doloris & squaloris nostri causa iu stissima. Hic prætermitto Augustam familiã Austriæ, ex qua perpetua serie tot Cæ sares. Prætermitto domũ Coruinam & Matthiam regem Pannonum: qui & magni tudine animi & celebritate nominis omnes longe ante se reges superauit. Quorum quisq; amplum & honorificũ sibi putabat cũ familia Estense cognationẽ iniisse. Vi detis iam puto undecunq; & Cæsarũ & regũ maiestate familiã Estensem subnixam, ut uario multiplicique nexu stemmata procurrant, Galliã, Hispaniã, Pannoniã Ger maniamq; unum in nodum adglomerantia. Quòd si more ueterũ populus antiqua rum imaginum in funus deferretur, multi profecto dies nec missus nec ferculorum caperent multitudinẽ. Neq; hoc loco pontificum maximorum, Calixti, Alexandri atq; aliorum necessitudines mihi attingẽdas putaui. Illud sanè iure affirmare ausim: in fami-

in familia Estense & amplitudinem regum, qui hominibus imperant, & deorum sanctitatem, qui ipsis imperant regibus, contineri. Sed hæc uetustissimæ ac fœcundissimæ familiæ communia sunt, illa Alphonso duci propria. Ingenium ad res omnes acerrimum: mirum enim dictu, qua felicitate artes omnes hauserit, etiam reconditas & ipsis artium professoribus incognitas. Sed duæ illæ fuerunt optimates, in quibus præcipuam curam & diligentiam posuerit: Primum ut populos suæ ditionis summa æquitate administraret, eosq; quatenus ei licebat fortunatos redderet: tum uero ut rem militarem tantisper exerceret, dum hostes retunderet, & paci quæ nihil esset insidiarum habitura consuleret. sed de hac postea. Quod ad populorum gubernationem attinet, illud certum est: Duo hæc inter se cõuenire oportere, ut princeps bene imperet, & populus se dicto audientem præstet. Erat ea in re mirificus artifex Alphonsus. Quom enim nosset iustitiam uirtutẽ esse aliorum gratia comparatam, & ob id alienum bonum appellari, quòd ex ea ad habentẽ nihil redundet, sed omne eius cõmodum ad reliquos proficiscatur: in hac ita princeps optimus se exercebat, ut ablegato omni discrimine se parem omnibus redderet: neq; pauperi quicquã addebat misericordia, quod diuiti subduxisset inuidia. Vnum erat apud Alphonsum discrimen, si quis plus polleret uirtute, moribus, industria: his fauebat impensius, hos fouebat indulgentius. Erat enim præ cæteris omnibus solertissimus ingeniorũ spectator. Sciebat populos nullo magis inuitamento ad amandum illici, quàm annonæ copia, quàm securitate. Itaq; semper illud habuit primũ in consilio, ut magnarum frugum in urbẽ conueheretur. Ad securitatẽ uero & perennem suorum defensionem, urbem nostram foueis, aggeribus, alioq; item apparatu munijt, & propè inexpugnabilem fecit. Quom igitur multo maxima Italię pars bello, cædibus, uastitate conflagrauerit: nos & dei optimi max. ope, & sapientissimi nostri principis cõsilio, extra omnem fortunæ aleã in alta pace uiximus. Nihil ergo mirũ, si omnes iuxtà ordines perpetuam & constantẽ erga eum fidem seruauerint, si pro eius incolumitate nullum unquam periculum detrectauerint. Quòd si bene gratum animũ testari uolumus, necesse est ut te Alphonse clementissime publicũ benefactorẽ, uerum patrię patrem fateamur. Nam quòd fortunis nostris fruimur, quòd intra lares nostros degimus, quòd uxores, filios, familiamq; citra omnem periculi suspicionẽ alimuus, quòd hunc spiritũ de cælo trahimus: tuę uni profecto pietati princeps mitissime acceptum ferimus. Atqui ex tantis beneficijs & cõmodis, quibus tu nos affecisti, quota portio in te uicissim redijt? nulla sanè. Te enim hoc uno cæteris præstare, & ob id esse principem cognouimus: quod plus laboris, plus ærumnarum, semper tibi adsciuisti. Nam quom fortuna statuisset apud omnes gentes uirtutẽ tuam ad illud tẽpus ignotam declarare, & famã tui nominis immortalitati consecrare, magnas tibi difficultates obiecit, magnos aduersarios subornauit: quos tu tamen & tua constantia & incõparabili altitudine animi superasti. Tritum est illud de Catone: neminẽ sæpius accusatum, & semper absolutũ. Quod in te pulcherrime torqueri potest, neminẽ sæpius domi forisq; in discrimen uenisse, & semper incolumem uictorẽq; euasisse. Quom pater primũ decesit, tui principatus auspicia in ea tempora inciderunt, quibus felicius multo putatum est, imperio renuntiare, quàm imperium adsumere. Tu tamẽ & iuuenis & imperandi adhuc expers, nisi te ad imperandum natura formasset, intrepide pericula omnia subisti, & inimicorũ conatus prudentia industriaq; tua elusisti. Mox quom Iulius pont. max. ad libertatẽ Italiã erexisset, suisq; armis uniuersam Europam collisisset, magnosq; illos spiritus Veneti senatus attriuisset: tu in tanto motu rerum, tantum abest ut quicquã amiseris, ut multo magis te tuosq; ciues in libertatẽ uendicaueris, præsidemq; illum Venetum, id est perpetuã suggillationem tuæ ditionis, depuleris. Mox alios bellorũ turbines inuexit fortuna. Quom Maximilianus imperator Carnos, Iulienses, Helicaonas numeroso exercitu uastauit, dura obsidione Patauiũ cinxit: quòd tu ut par erat Cæsareas partes sis secutus, in te Veneta classis impetum fecit, igne & ferro omnia crudeliter populata. Tu uero licet imparatus, licet potentissimus hostis insperate adoriretur, nihil tamen consternatus, tumultuario milite obuiã prodijsti: & Dis adiuuantibus septemdecim triremes, multas libur-

nicas ac biremes cũ omni præda & inſtrumento depreſsiſti, profligaſti, & in morem triumphi captiuas duxiſti: tibiq; apud omnes poſteros uirtutis ergò roſtralẽ coronã poſuiſti. Sed quanta deinde rerum mutatio, quàm fœdæ tempeſtates ſubſecutæ ſunt? quom apud Rhauennã Gallicus exercitus tua maximè opera Hiſpanas copias deuicerit: & mox quom te ratio rerum domum reuocaſſet, Heluetiorum impetu Gallus uictor Inſubriam & Liguriã amiſerit, & ægrè ſe reducem in Galliam recepe rit. Depulſo ergo Gallo, & Germano trãs Alpes Rhetias reuerſo, in te princeps ſor tiſsime tota belli moles, omnis hoſtium conatus incubuit. Hoſtis Hiſpanus & pontificius miles, ut poſſet impune in noſtram peninſulam traijcere, & Ferrariam uſq; o mnia libidine populari, conſtituit in poteſtatem redigere munimentũ, cui Proaſtiæ nuncupatio eſt, ſitum in ripa Padi, qua parte Aemyliam alluit. Tormentis itaq; & o mnibus machinis nocte ac die quatere, nullum interſpirandi tempus obſeſsis dare. Tum inuictiſsimus dux noſter Alphõſus rebus aduerſis ſemper maior & excellior, admirabili illo quo pollebat animi uigore, pleno paſſu, noctu ad hoſtem peruenit in eum uicũ cui Roſſettę nomen inditum: Pado uno & altero cõmeatu cũ quatuor ſuiſ Gallorũ alis & collectitia oppidanorũ manu ſuperato, quom iam illuceſceret in exercitũ iuſtum, ſed ſecurũ, & ſibi nimiũ cõfidentẽ impreſsionẽ fecit, magnaq; illũ occidione occidit: quom pleriq; à fuga conſilium caperent, pauci arma induere cogi tarent. ergo uictor & triumphator, relicta ſuis militibus præda, domum reuerſus. In quo illud memorabile: quòd Hiſpanos genus hominũ callidiſsimum nõ alijs artibus quàm ſuis petijt ac ſuperauit. Sed domina rerum humanarum fortuna, quæ noſtris ſemper rebus illudit, nõ tulit hanc lętitiam eſſe diuturnam. Quod enim Hiſpanus ui non potuit, proditione Proaſtiam in poteſtatẽ redegit. Quod ubi Alphonſus reſci uit, ablegata omni cunctatione protinus eò aduolauit, antequam maiores copiæ ſuperuenirẽt. Eò Alphonſus tormẽta iacere, ſcalas admouere nõ prius deſtitit, quàm Hiſpanis uictis, & ad unum omnibus conciſis, amiſſam arcẽ recepit. Qua in expugnatione molari lapide ex tormento excuſſo, uulnus in fronte accepit: quo ictu quom in terram procubuiſſet, pro exanimo in caſtra relatus eſt. Sed paulatim reuocato ſpiritu, cognitũ eſt non eſſe lethale uulnus, præſidio galeæ quam eo die induerat, id quod raro admodum facere conſueuerat. Sed ni me mea fallit opinio, tum optabiliorem multo illi mortẽ fuiſſe futuram puto, in medio ardore belli, fortiter dimicando, quàm quod modo contigit in lectulo longo morbo contabeſcere. Dictum enim uetus eſt: fortiſsimũ quemq; Mauors pignoratur. Cæterum iam me piget ac pœnitet longius à portu prouectũ eſſe, quàm deſtinaram. Quare uela colligam, ſi unũ illud addidero, eum in recuperãdo Regio Lepidi & Herbaria, ſed imprimis Mutina ueterũ omnium imperatorũ gloriã æquaſſe, in qua quid prius mirer neſcio. Tanta enim celeritate res acta eſt, tanta in uictos clemẽtia ac liberalitate, ut uirtutes ipſę inter ſe collidi & cõcertare uideantur. Certè quod olim Themiſtocles dixiſſe fertur, de populo Mutinenſi dici poſſe arbitror: eum ni uictus foret, funditus fuiſſe peritu rum. Nam ſeditione ciuili ac inteſtina conciſus, anguſtia etiam annonæ uexatus, authoritate Alphonſi pacẽ & concordiã reparauit: importata uero protinus magna ui frugum, ubertatẽ hilaritatemq; eſt adſecutus. Sed ó me parum ſapientẽ, qui magni heroís Alphonſi res geſtas remetiar, id eſt doloris & calamitatis noſtræ colligã incitamenta. Ipſi enim certum habeo nihil omnino mali eueniſſe. Quicquid euenit, euenit nobis. illud fortaſſe quiſpiã doleat, quòd rebus tot præclare editis, tanta apud omnes gloria parta, quom ſe fortuna mitiorẽ pacatioremq; oſtenderet, in media rerum tranquillitate atq; ipſa propè felicitate conciderit. ó fallacem hominũ ſpem. ó fragilem fortunam, & inanes noſtras cõtentiones, quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur & corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur quàm portũ conſpicere potuerũt. Altera ſupereſt pars, quæ ad conſolationẽ pertinet. quam nemo à me homine afflicto & doloris & mœſtitiæ pleno iure debet expetere. Crudũ adhuc uulnus, necdũ coaleſcens, manum artificis reformidat. & certè quom ego omnia diligenter circumſpiciam, nuſquam ſpes conſolationis affulget, niſi à uobis fratres animo & pietate coniunctiſsimi. Vos enim eſtis uiuæ imagines & ſpirantia Alphonſi ſimulachra. Sed re

tamen

tamẽ priuatim appello Hercules dux optime ac præstantissime: nam in te uno spes omnes nostræ, nostra omnia nituntur uota. Tu ille es, cui recepto iure gentium, imperium debetur. Tu enim non in fortunas modo, sed in pulcherrimũ glorię patrimonium successurus, tu relictos à patre Alphonso susceptur⁹ es fasces. Imo uero, ut uerius dicam, uiuo adhuc patre eos suscepisti. Nam tu omnium curarũ particeps, multo maximã imperij molem humeris sustinebas: & mãdata tibi munia tanta sapientia obibas, ut ætas iuuenẽ sapientia uirũ iam bene maturũ testaret. & certè ea est indoles tua, ea ingenij acrimonia, quę nihil imperuiũ sibi relinquat. Iã ab ipsa ineũte pueritia experti sumus quãta esset uis tua in dicẽdo, quàm acer in persuadendo, quom apud Hadrianũ pont. max. causam pro patre, pro patria, non egisti tantum, sed obtinuisti. Quare quom maiorẽ partẽ ætatis in literis ac pręclaris disciplinis attriueris: qd mirũ est, quodcũq; ætati deest, id cumulate studio ac diligentia sarciri? Tu uero tam literarũ cupidus ac studiosus, nullã tamen diẽ prætermisisti, qua nõ te Martijs etiã meditationibus dederis: aut equum agitare aut uectẽ iacularis: aut feras insequi & cum ursis atq; apris congredi: aut armato hosti lancea occursare. Fecit hæc explorata olim de tua uirtute opinio: ut quom Etruria suã tueri libertatẽ proposuisset, nõ alium præter te adhuc adolescentulum defensorẽ requireret. Quom uero potentissimo Galliarũ regi Ludouico gener peteretur, qui ex felici illa sobole progeniẽ propagaret, unus tu ex omnibus inuẽtus es, qui & nobilitate generis & præstantia uirtutis regiæ consanguinitati non minus ornamenti adderes quàm acciperes. Sed una est præcipua ratio, quæ ciuibus, quæ optimatibus, quę omnibus populis tuis suadet, ut optima & maxima quæq; de te sibi polliceãtur: summa scilicet probitas, sanctissimi mores, incredibilis modestia & humanitas illa inimitabilis grauitate coniuncta. Quæ quom omnium animos tibi deuinciat, authoritati tamen & maiestati principis nihil immi-

S nuit. Quid uero Di tibi negare ausint, quos tam religiose colis? tanta pietate uenaris? hi certè tibi pacatum imperiũ præstabũt æque & diuturnum. Illud uero tibi erit certũ & exploratũ tuę felicitatis testimoniũ, si nos omnes quàm felicissimos feceris.

CAELII CALCAGNINI PRO ALFONSO PRIMO DVCE FERRARIÆ, ORATIO AD LEONEM X. PONT. MAX.

IQVA ætas unquã aut ex magnitudine aut felicitate rerum gestarum gratulandi sibi materiam nacta est, ea propemodum tẽporibus nostris affulsit. Ea enim nuperrime contigerunt, quæ fortuna ipsa dubitauit an facere posset, antequam fecisset, certè apud posteros minime fidem habitura. Vidimus leuissimo impulsu maxima regna & uix multo tẽpore adulta consternari: iam ut nullũ certius testimoniũ immortalibus esse possit, deos res humanas procurare: & quamuis serius, nunquam tamen inulta sini malorum flagitia. Fallitur etenim quisquis hęc ingenio aut ope humana facta suspicatur. Deus ipse ultor, deus ipse hæc superbis posuit spectacula, & potentiũ ceruices confregit. Quando aliter fieri non poterat ut res nostræ aliquando trãquillitate frueren-

tur: nisi obijces prius, qui obuiam felicitatẽ auerterent, summouerentur. Quando enim sacrosanctæ sedi pontificiæ suum decus, suaq; autoritas reddi potuisset: ni prius infensissimi eius oppugnatores fuissent expugnati. Id quod multi quidẽ antea pontifices optauerant, sed præter summũ totius æui rectorem Iulium, qui posset adhuc inuentus est nemo. hic discordes semper aliàs reges animis iunxit. hic atrocissimos fidei hostes formidabili execratione exturbauit, hic fortissimo exercitu multas ac

munitiſsimas urbes in fidem recepit. hic inuictiſsimũ fidei cardinem Franciſcũm le
gatum ſummæ rerũ moderationi præfecit: cuius autoritate & acerrimi duces conti
nerentur, & urbes in poteſtatẽ redactę mores acciperent, & in beneuolentiã ſanctiſ
ſimæ ſedis reuocarentur. Eſt enim illud uſu compertum, fruſtra res magnas parari,
niſi adſit qui eas prudentiſsime & gerere poſsit & tueri. Fuerat quidem in eo rerum
turbine maximi pontificis prouidentia atq; incredibili patrũ conſenſu ad id munus
princeps noſter Alphonſus Romani exercitus imperator declaratus: ſed domeſti
cum periculum & multa pars regni adempta eoq; tempore imprimis recuperanda
auertebat. qui poſtquam rem feliciter atq; ex ſententia perfecit, eiectisq; grauiſsimis
hoſtibus, qui in uiſcera propè totius regni graſſabantur, eam partem imperij quæ o
lim per iniuriam parenti optimo fuerat adempta iuri auito reſtituit, & paternos ma
nes ultus eſt, & quaſi expiauit: melior deniq; rerum facies affulſit, datumq; eſt ocium
optatiſsimũ bellorum munus. Quo tempore ſummus ille nec mihi unquam ſine plu
rima præfatione dicendus Iulius, nihil mutans de iudicio, nihil ſententiæ ſuæ abro
gans, iuſsit, ut pro ueteri ac imperatoria cõſuetudine ampliſsimo principi uexillum,
& quaſi ſummæ poteſtatis autoramentũ præberetur. Et quoniam locorũ interual
lo, magnoq; montium interſtitio fieri nõ potuit, ut ipſe ſanctiſsimus pont. quod olim
fieri ſolebat, ſua illud manu daret: ei hoc imprimis munus mandauit, quem ex omni
bus maxima pietate proſequeretur: cuiusq; ſapiẽtiam ac felicitatẽ maximis in rebus
fuerat expertus. Ipſum igitur ampliſsimũ legatum per quẽ eccleſia modo priſtinam
dignitatem reparauit, nuncupatim ad nos ire uoluit: ea cauſa quòd neq; alius maior
huic rei obeundæ inueniri poterat, neq; alia res maior, quæ illi mandari potuiſſet. Et
alioquin par eſſe uidebat, ut qui tam diu in ſacra militia primas geſſerat partes, poſt
quam rebus pacatis eius opera deſiuerat pont. Ro. indigere, nec iam licebat tranſa
cta bellorũ neceſsitate ſacerdotij maieſtatẽ armis inceſtare, eas primas partes cãq; in
rebus omnibus fortunã in eius manus traderet, cuius induſtria in magnis rebus fuiſ
ſet perſpecta, quiq; pro incolumitate atq; dignitate Chriſtianæ pietatis nec fortuna
rum iacturam, nec capitis periculum recuſaret. Eſt enim hæc uetus Eſtenſis familiæ
conſuetudo, ſacroſanctæ Romanæ ſedi & omnia debere, & omnia cumulatiſsime
perſoluere. Teſtis beatæ memoriæ pont. Innocẽtius. IIII. quom Acelinus atrociſſi
mus eccleſiæ hoſtis cuncta deuaſtaret, unus Aldrouãdinus Marchio Eſtenſis auſus
eſt intrepide occurſare, fundere ac fugare. Multa huius rei teſtimonia afferre poſſem,
ſed quod cũ illo conferatur, alterũ non habeo. Nam quom multa fortunæ inclemen
tia rem pontificiã uexaret, Fredericusq; ille qui à rubore barbæ inuenit cognomen
tum, hoſtiliter eccleſiã perſequeretur & iam omnium rerũ difficultate laboraret Ro
manus exercitus: imprimisq; militũ inopia, quorũ magna uis aut cæſa fuerat in bel
lo, aut quom non procederent ſtipendia ad hoſtem deſciuerat, Aldrouandinus opti
me gnarus, neq; ſe ſine eccleſia eſſe poſſe, neq; ſuam erga eccleſiam cõmodiori tem
pore fidem & pietatem agnoſci poſſe: quando nõ erat ipſi rei numarię copia, filium
quem unicum habebat Florentinis ea tempeſtate opulentiſsimis pignori dedit: atq;
aliquot aureorũ milia mutuatus ingentẽ cõparauit exercitũ: quo ſæuiſsimũ hoſtem
repreſsit, & qua ratione uinci poſſet oſtendit. Sed hæc antiqua & ipſa ætate obſole
ta. Nuperrime uero recepta Bononia, cõcitatoq; inteſtino tumultu, aduolanteq; ho
ſtiũ ſubſidio: ſcis ipſe ampliſsime pater quãto in diſcrimine pars pont. uerſaret: niſi
obſequentiſsimus S. ap. filius dux Alphonſus raptim magnã manum coegiſſet: atq;
ampliſsimus princeps eius frater et ipſe inter purpuratos patres eminẽtiſsimus Hip
polytus mature affuiſſet, atq; hoſtiũ iter & cogitationes pariter interrupiſſet: quom
hoſtis fruſtrato conſilio & ueterem beneuolentiam & cognationẽ imploraret. Sed
optimi principes mei illud imprimis ſemper duxerunt, amicitias & cognationes re
uerentia S. Ap. metiri oportere. ea neglecta omnia fœdera ſubuerti. Quæ quidẽ eo
rum ſententia non modo ex debita religioni ueneratione inoleuit, ſed plurimis ac
maximis beneficijs confirmata per omnem præclariſsimæ familiæ ſe
riem deducta, iure quaſi hæreditario in opti
mos fratres deriuauit.

CAELII CALCAGNINI PRO ALFONSO PRIMO DVCE FERRARIÆ, oratio ad Leonem X. pont. max.

I rerum molem animus, aut animi magnitudinem uis dicendi posset æquare pater beatissime, multo cõfidentius addicendum accederẽ. Sperarẽ enim fortasse me aliqua orationis copia, quam facile potest res ipsa suggerere, mandatas mihi uices implere, atq; incomparabilem Alphonsi principis mei in istam sanctissimã sedem fidem atq; obseruantiam declarare, immensamq; illam populi Ferrariensis tum gratulationẽ tum lætitiam ad orationis præscriptum uacare. Sed causa est rerũ conditio, ut neq; ipsę animo concipi, neq; satis animus uerbis perstringi possit. Nam quo plures undiq; se offerunt meritorum rationes & lætitiæ causæ, hoc earum summa difficilius confici & expediri potest. alios una uel altera ratio, publica uel priuata utilitas deuinciat, uetera uel recentia beneficia cõmoueant. At principem meum innumeræ tum publicę tum priuatæ, tum ueteres tum recentes causæ ad obseruandum, colendum adorandumq; maiestatem tuam augustissime pater impellunt. Hinc summa Romani pont. autoritas occurrit: pro cuius admirabili potestate omnes principes, omnes reges, qui se Christianos meminerunt, summã deuotionem & cultum debẽt: & prout quisq; plus religionis & pietatis habet, hoc promptiorẽ propensioremq; se ad eius defensionem atq; incolumitatem tuendam præstare debet. Ex omnibus uero qui hoc nomine censentur, familia Estensis una omnium maximè pontificũ liberalitate aucta, muneribus locupletata, ornamentis illustrata, hoc officio astringitur. Cõstat enim memoria ab hinc annum propè trecentesimũ à Romanis adeò põtificibus euectã, ut præter maximos honores excellentesq; prærogatiuas, etiã à te. re. Gregorio eius nominis nono perpetua Ferrariæ, quam Actius Estensis imperatoris præsidio eiecto ecclesiæ recuperauerat, præfectura donata sit. Ac demum à Paulo II. eius nuncupationis, primus omnium felicissimus ille Borsius, ille inquam familię Medicum & parentis tui pater sanctissime maximus admirator, dux creatus & salutatus est. Sapientes sanè pontifices qui tam salubrẽ rationem inuenere, qua eam urbem intestinis seditionibus & quotidiano tumultu laborantẽ liberarent: ut quom eo tẽpore angustam adeò ac ligneam & maiore parte cratitiã darent, nunc ornatissimã & multa parte marmoream haberẽt: & quę tunc factionibus distrahebatur, nunc pontificias tantum partes tueretur. Nemini itaq; mirũ uideri debet, si uarijs casibus & alternante postmodum fortuna fidem perpetuo constantissime seruarit. Id quod maximè intellectum est Federico imperatore aduersus Innocentiũ IIII. & mox Acelino in pontificis partes hostiliter sæuiente: quo tempore Aldrouandinus Actij filius pro sacro sancta ecclesia excellentẽ sanè operam nauauit, atq; in magna pecuniarũ egestate filiũ pignori opposuit: cõductisq; nouis copijs & firma manu Ferrariẽsis populi subsequẽte rem Romanã magna acie profligatã, autoritatẽ pontificis fœdissime suggillatã, non restituit modo, sed auxit & cõseruauit. Testes mihi annales, qui sine adulatione, sine inuidia ueritatẽ testant. Sed & posterioribus seculis, quasi hæreditario quodã iure omnes ex ea familia principes tot reliquerunt gratitudinis ac fidei suę in Rom. pont. monumẽta, ut possent existimari acceptis paria fecisse, nisi & maximis beneficijs prouocati fecissent, & ea esset Rom. pont. amplitudo, ut uel leuissimũ eius beneficiũ nullo possit hostimẽto cõpensari. Alioqui etiã sub Romani. pont. patrocinio Estẽsis familię imperiũ ac dignitas pridẽ incolumis stetit. Nã quoties incumbentes hostes in eius perniciẽ autoritate atq; armis depulit? Quoties deuotissimã familiã & deditissimã urbẽ sibi seruauit? Et licet euenerit proximis annis, nescio quo Italię fato, ne qd scilicet esset expers à fortunę ac bellorũ incursu, ut ea uis, ea autoritas, illæ copiæ quę pro nobis toties steterãt, in nos, prò dolor, ab aliqua (ut fingũt poetę)

Tisiphone excitarentur: nosq; adeò acerbe atq; insenſe perſequerentur, ut ea cauſa tantum prioribus ſeculis ſeruati uideremur, ut eſſent in quos poſteriorũ temporum acerbitas ſæuiret: id tamen nõ ſine conſilio & numine deorum factũ putamus, quo maior Leoni pont.max. ex ſeruatis & reſtitutis clementiæ laus creſceret: atq; omnes ætates teſtarentur Romanã ſedem duos habuiſſe pontifices, quorum alter belli artibus, alter pietate principes omnes ſuperaſſet. Quorũ utrunq; ueteres Ioui opt.max. tribuerũt. Quo titulo illud planè memorabile, quòd bonitatẽ & clementiam magnitudini poteſtatis præferrent. Et lætari iure poſsit Alphonſus, uexationesq; ac bella omnia boni conſulere, ut tanto deinde tanti pontificis teſtimonio perfruatur: quo cuncta infortunia atq; aduerſa compenſat. Iiſdem te ac tuos olim artibus fortuna pater beatiſsime exercuit: ut quo uehementius uexarere, hoc tua & tuorũ uirtus ac magnitudo fieret illuſtrior. non enim falſo dictum eſt, multis fortunã parcere in pœnã: quo ſcilicet eorum laus ſit obſcurior & perpetuis tenebris obruta deliteſcat. Tu itaq; Leo ſanctiſsime, non modo expectationẽ de te olim, quom ad ſummũ faſtigiũ & longe ſupra mortaliũ conditionẽ euectus es, æquaſti: uerum longe, & toto (quod aiũt) ſtadio, ſuperaſti. Nihil enim tibi prius ac potius fuit quàm exercitos in mutua Chriſtianorum uiſcera gladios manu excutere: ignotaq; diu fœdera, & deploratã pacem reuocare. Id quod fortaſſe tardius uoto nonnullis contingit: qui parum meminerũt, ita euenire ex natura rerum: ut qui uehementer cõcitati ſunt fluctus, ſuperueniente deinde tranquillitate non protinus remittant, neq; prorſus miteſcãt, ſed priſtinos impetus, deſæuientibus licet uentis, adhuc magna parte teneant. Nemo tamen unquã dubitauit, quin diuina iſta ſapientia tua facile omnia moderarere, & ipſa etiam reluctante fortuna, in æquũ tutumq; pertraheres. Sed quo tardius per te in portum pater beatiſsime prouehimur, hoc magis anteactæ uim tẽpeſtatis agnoſcimus, hoc magis beneficium tuum experimur. Hinc ſe princeps meus S.T. omnia plenius debere intelligit: eaq; tibi ex uero & ex merito accepta profitetur. Magnum eſt enim à pont. Rom. probari & extolli, ſed à pont. Leone longe maximũ. Neq; ſanè tibi hoc nomen fortuito aut fruſtra obtigit: namq; apud gentes accepimus magnum illum malorum propulſatorẽ Herculem, & in ſacris literis illum noſtræ ſalutis autorem Chriſtum, cuius in terris uices agis, Leonem appellatum. Tu itaq; pontifex, tu Leo, tu magni Laurentij filius, tu gloria familiæ Medicæ apud omnes gentes & nationes clariſsimæ, addo & familiæ Eſtenſi ſemper coniunctiſsimæ, tu fautor bonorũ, tu ſtudiorum erector, tu pacis reſtitutor, non modo Alphonſum ducem tibi ſemper obſequẽtiſsimũ iudicio ac teſtimonio tuo ornaſti, uerum & maiorũ dignitati ac ſplendori reddidiſti. Tu florentiſsimas urbes fortunæ iniuria ereptas, tu oppida progenitorum eius ſanguine parta & hęreditario iure debita cõfirmaſti. Tibiq; Alphonſus dux tot ornamentis, tot meritis, tot beneficijs deuinctus ad pedes tuos ſupplex procumbit, & nos eius nomine procumbimus, non quantas poſſumus aut animo aut oratione proſequi gratias agẽtes M. T. ſed quãtas neq; animus capit, neq; oratio exequitur: Illumq; tibi perpetuo obedientiſsimũ obſequentiſsimumq; fore pollicemur. Tibi omne illius regnum, omnes urbes, omnes populos, omnes fortunas, omnes liberos, ſpiritum denique illum tot bellis ac periculis expertum probatumq; offerimus. hoc tuo iure uti potes. hunc pro dignitate tua atq; iſtius ſanctiſsimæ S. exiſtimatione & defenſione, in omnẽ caſum & diſcrimen, in omnia pacis & belli munia pro uoluntate & arbitrio tuo paratum trahe. Tu nos populumq; omnẽ Ferrarienſem tibi deuotiſsimum tuo feliciſsimo nutu excipe. Cuius utinam in te uoluntatem & in ſanctiſsimum Petri ſolium deuotionẽ aliquo modo poſſemus exprimere, utinã eius lætitiam ex parte aliqua enarrare. Videres pater ſanctiſsime nõ animata ſolum, ſed & mutos ipſos urbis parites, ipſas arces, geſtientes in admirationẽ & cultum: uideres fœminas, pueros, ſenes omnes ordines, omnes ætates diſcurſantes ad omnia deorũ puluinaria, pro ſalute Leonis pont. ſupplicantes: ex qua ſuã ſalutem pendere exiſtimãt. Audires uota & fœlices omnium acclamationes, qui pacem, ſecuritatẽ, dignitatem, fortunas, penates, liberos, bona denique omnia beneficij tui agnoſcunt & teſtantur. Tu itaq; quod feliciter cepiſti, & principem meum & urbem & populum tot beneficijs

neficijs tibi obnoxium diutiſsime protege & conſerua, & fac tuum hoc beneficium nobis eſſe ſempiternum. Nihil enim felicitati & diuinæ iſti maieſtati tuę conuenientius eſſe poteſt, quàm ſeruos & cultores tuos felices facere & perpetuò ſeruare.

CAELII CALCAGNINI PRO HERCVLE SECVNDO DVCE FERRARIÆ QVARTO ad Paulum tertium pontificẽ maximum oratio, ex locupletiori reſecta & in compendium redacta, & in publico cõſiſtorio per eum habita.

QVOM nulla re magis ſummi numinis bonitas ac maieſtas intelligatur: quàm beneficiorũ frequẽtia atq; adſiduitate, quibus nunquã deſinit humanũ genus augere & locupletare: eos profecto principes proxime ad diuinitatem accedere iudicamus, qui & liberalitate & beneficentia quàm plurimos mortales demerentur. Inter quos pater beatiſsime tu ſine controuerſia longe præcellis, tum amplitudine poteſtatis, tum liberali & benefica uoluntate. quod quom ſæpe aliàs multis ac locupletiſsimis ſignificationibus teſtatum reliqueris, tum uero nuperrime id planè declaraſti: quom Herculi Ferrariæ duci ac principi noſtro magna animi ac præſtantiſsimæ uoluntatis tuæ indicia dederis, easq; omnes difficultates, quæ hactenus (neſcio quo fato) inter ſacroſanctã iſtam ſedem & ſplendidiſsimam domum Eſtenſem interceſſerãt, non modo prudentia ac bonitate tua extinxeris, ſed eximia etiam dignitate nobiliſsimã familiam exornaueris, Hippolyto Eſtenſe felicis ingenij & ſpectatæ uirtutis Antiſtite in ſacrum cardinalium collegium cooptato. Qua ex re quom princeps noſter incredibilem lætitiam animo conceperit, non contentus eam multis argumentis declaraſſe, nos etiã ea ipſa cauſa legandos ſibi exiſtimauit, ut ſanctiſsimos iſtos pedes eius nomine exoſcularemur: tibiq; & eminentiſsimo huic ordini gratias, & ſi non beneficijs pares, certè quantas oratione conſequi poſſemus, agere niteremur. Res profecto ardua & ſummæ difficultatis plena, hoc munus pro rei dignitate & pro uoto magnanimi principis implere. Ad hanc difficultatem accedit: quòd non apud quemlibet pontificẽ mihi dicendum eſt, ſed apud Paulum non modo pontificem ſed pontificum etiam maximum: cuius ſapientia, autoritas, maieſtas quantum à pontificatu ſplendoris haurit, tantum uiciſsim in pontificatum refundit ac regerit. Sed ego planè imprudens, ſi tot ac tantarum uirtutum radijs perculſus, non rurſus caligantes oculos in tam eximiæ bonitatis umbra reficerem ac recrearem. Sedenim cogitãti mihi, tria occurrunt imprimis, quibus gratiarum agendarum ratio inuenta ſit. Autor ipſæ beneficentiæ: beneficij magnitudo atq; opportunitas: illius æſtimatio, in quem collatum eſt beneficium. De autore beneficentiæ, ſententia illa Criſpi Paſsieni mihi ſuccurrit, Multum intereſſe à quo quiſq; iudicium aut beneficium ſortiatur: quãdo ab ijs qui prudentia eminẽt, iudicium: ab ijs, qui fortunis præſtant, beneficium ſit expetendum. At quantum illi ſibi iure gratulari poſſunt, qui ex æquo & iudiciũ & beneficium tuum promerẽtur: in quo uno uirtus & fortuna propè inter ſe aduerſis ſemper frontibus depugnantes tam amice & concorditer conſenſere. Atq; hoc planè intelligi potuit, uel ex eo uſq; tempore, quo nondum in auguſtum hoc ſolium prouectus ampliſsimi ordinis princeps eras & dicebare: communiq; exiſtimatione atq; opinione mortalium faſces humani generis tibi ſummittebantur. Quanti enim illud (me iudice) æſtimandum: quòd homines rerum futurarum ignari de fortunæ iniuria conquerebantur, quæ

tur, quæ te tam diu ſublimi iſto faſtigio, tibiq; magnis de cauſis debito fraudaret. Ne/ ſciebant illi, neſciebant, non tam fortunę culpa id fieri, quàm arcano quodam dei maximi arbitrio, & inexplorata fatorum diſpenſatione, quæ te in ea tempora adſer/ uabat, quibus religio noſtra, utroq; propè cornu laborans & in ſupremũ diſcrimen adacta optimo atq; acerrimo propugnatore indigeret: quibus pontificia maieſtas fœ dis contumelijs ſuggillata uindicem atq; adſertorem exerta planè uoce flagitaret. Quom primũ igitur rei Chriſtianę præſidere cœpiſti, ad beneſperandum omnibus, qui religionem ſaluam uolunt, certiſsimũ quaſi ſignum exiſti. Quom enim omnes noſtras calamitates è duobus propè fontibus profluere intelligeres, populorum ſci/ licet flagitijs, & principum diſcordijs ac ſimultatibus, utriq; morbo prudẽs medicus ſine mora proſpiciendum cenſuiſti. Dimiſsis ergo per omnem orbem Chriſtianum ſacris expiationibus, indictiſq; publice pijs ſupplicationibus, quantum in te fuit pa/ ter beatiſsime populorum peccata eluiſti, deumq; noſtris pridem noxis iratũ propi/ tium reddidiſti. At quom reges inter ſe diſſidentes per nuntios atq; oratores pacare & in concordiã reuocare ſępe tentaſſes, neq; ea res ſatis ex uoto procederet, durum illud ac perdifficile iter ſuſcepiſti. Nõ ętas ingraueſcẽs, nõ longa & plena diſcriminis nauigatio te abſterruit, quin ſuperatis omnibus difficultatibus publicę ſalutis gratia quaſi œſtro quodam charitatis impulſus, tu maxime noſtri æui rector, tu inquã ex/ tremam partem Italiæ ad Varrum uſq; fluuium penetraueris. Hic uero nobile illud & omnibus ſeculis memorandum facinus perfeciſti. Reges enim maximos, poten/ tiſsimos, celeberrimos, qui non ſolum animis diſſidebant, ſed armis etiãm de impe/ rio, de ſalute, de ſumma rerum in eam diem dimicauerant, ab iniurijs reuocaſti, com poſuiſti, fœdus inire perſuaſiſti. prudẽtia & ui orationis tuæ obuertere arma in cõ/ munes religionis hoſtes compuliſti. & ne fluxa aut parum conſtans impoſterum ea foret cõcordia, neue ulla fortunæ iniuria aut mutatione animorum labefactari poſ/ ſet, Carolum etiam maximũ inuictiſsimũq; imperatorẽ affinitate quaſi Herculano nodo deuinxiſti. Quin & iuſtam claſſem ad retundendam immaniſsimi hoſtis auda ciam, omni bellico apparatu omnibusq; armamentis inſtruxiſti: qua fortiter & felici ter ad hanc diem in comitatu imperatoriæ & Venetę claſsis, littora Italiæ infeſta pri us & barbarorum incurſionibus expoſita defendiſti. Tu ergo noſtræ incolumitatis autor, tu ſeruator gentium & populorum, qui ſe pietati Chriſtianę addixerunt: eoq; nomine ciuica noſtri generis ſeruati merito tibi debetur. Et hæc quidem munimen ta aduerſus externũ hoſtem pater beatiſsime tua prudentia comparauit. Sed aduer/ ſus inteſtinos hoſtes, qui prætextu religionis, in religionis uiſcera graſſantur, quan/ tum & quàm tempeſtiuum illud fuit, quòd in ſacrum & eminentiſsimũ hunc orbis ſenatum eos proceres dicam an heroas cooptaſti, qui ſuarum uirtutum nitore, non hoc tantum ſeculum poſsint illuſtrare, & tanquam aurea candelabra ardeant in con/ ſpectu domini: qui innocẽtia, ſanctitate, exemplo, poſsint rationem uiuendi cæteris præſcribere. Hi ſunt ſcilicet quibus non leges conditæ ſunt, ſed ipſi condendis con/ ſtituẽdis q; legibus nati ſunt. Oppugnatoribus igitur ſanctæ religionis, ſi modo poſ/ ſint reſipiſcere, os eſt obſtructum. Cauſabantur illi antea ſe aduerſus ſedem Ro/ manam odia ſuſcepiſſe, quòd homines improbi & profligatis moribus rerum poti/ rentur: en frugi & integerrimi rerum potiuntur. quòd ignari bonarum artium ac di/ ſciplinarũ præſiderent: en quantum uis doctiſsimi & in omnibus rectis ſtudijs præ/ cellentes præſident. Antea (ſic enim illi calumniabantur) qui cenſu, opibus, factioni bus, gratia prępollebant, ſacra purpura inaugurabantur. Nunc omnis calumniæ lo/ cus ſublatus eſt: nam uirtuti, moribus, ingenijs auſpicio ac ductu magni pontificis Pauli ea dignitas debetur, debebiturq; dum ille habenas & clauum religiõis tenebit. Erit ergo aliquando tempus, quo poſteri res tuas maxime pontifex memoriæ prodi/ tas legẽtes, præcellentemq; omni laude principem ſibi optantes, uotis ſuſceptis Pau lum tertium nuncupabunt, atq; hunc unum à Dis immortalibus repoſcent. Veteres imperatoribus ſalutatis, felicitatem Auguſti, bonitatem Traiani precabãtur. At illi uno Pauli nomine felicitatem, bonitatem, animi magnitudinẽ, ingenij acumen, ma/ ximarum rerum intelligentiam, eorum deniq; omnium bonorũ quę in principe hu/

mani

mani generis requiruntur refertiſsimum aceruum agnoſcent. Et hæc quidem quæ à me compendio dicta ſunt, & quæ propè quotidie ab Hercule duce ac principe noſtro, iuuene quidem illo, ſed excelſi animi & acris ingenij iuuene de ſummo pontifice Paulo pleno ore cõmemorantur: non potui ſine piaculo demandataq; mihi prouinciæ præuaricatione prætermittere, ut qua poſſumcunq; ratione addictiſsimi uobis principis, ſi non expreſſam, delineatam ſaltem & adumbratã uoluntatem relinquam. Hinc enim accreſcit & pondus ueſtro erga illum beneficio. Nam quo maior atq; illuſtrior eſt collati beneficij autor, hoc iuſtius ac plenius quiſq; ſolet gaudere ac ſibi gratulari. De magnitudine autẽ beneficij illud uere auſim affirmare, tuum hoc pater beatiſsime iure maximũ exiſtimari oportere: utpote quo uno multa eademq; maxima beneficia contineantur. Nam citra ſuſpicionem uitam degere, emergere ex Euripo uertentis fortunæ, auitum imperium confirmare, noua ornamenta in familiam inuehere, hæc ſanè omnia nõ modo ſecuritatem ſed ipſam planè felicitatem comitantur. Ad hæc quo diutius optauit dux & princeps noſter cauſas omnes expungi atq; aboleri, quæ à ſe Romani pontificis animũ alienare uidebantur, atq; aliquod extare teſtimonium deditiſsimi animi ſui erga religionis Chriſtianæ principem: eo ſibi hoc beneficium iucundius obtigiſſe, atq; optatius. Ex quo facile poteſt, quanta in dato beneficio ſit laus, quom in accepto tanta ſit gloria. Et licet hac ſecum ipſe tacitus cõſcientia perfruatur, quòd neq; à ſe neq; ſub ſuo principatu huiuſcemódi turbæ atq; animorum cõmutationes initium acceperint: illud tamẽ uerum ac ſolidum gaudium animo capit, quòd ſe principe ac procurante finem inuenerint. Non ignorat optimo duci ac parẽti ſuo Alphonſo hoc idem fuiſſe deſideriũ, ſed uel fortunam, uel tam egregię uoluntatis pontificem defuiſſe, ut tota hæc laus, totumq; hoc beneficium tibi pater beatiſsime acceptum referretur. Tu enim non ſecus ac ſalutaris quidam genius cõcitatos olim fluctus pacaſti, ſurgentes uentorum turbines depuliſti, optatiſsimam cælo ſerenitatem induxiſti. In te deniq; res principis mei ac tranquilli tas populi Ferrarienſis tuæ maieſtati deuotiſsimi, quaſi feliciſsimo in portu conquieſcit. Quare hoc tantum beneficium nõ iam in memoria hominũ, quæ lubrica & temporum uiciſsitudini obnoxia eſt, ſed in ipſa arce æternitatis cõſecrabitur, quod nulla unquam temporis diuturnitas, nulla obliuionis iniuria poſsit abolere. Quis igitur admirationi locus, ſi optimus princeps, idemq; gratiſsimus beneficiorum æſtimator tantum ſe tibi debere profitetur ac prædicat, quantũ uix animo capere, oratione cerè explicare nõ poteſt, rametſi quacũq; ratione potuit, uultu, geſtu, oris, orationiſq; hilaritate lætitiæ magnitudinẽ præſe tulit. Frequẽti etiam ſupplicatione ad deorum puluinaria indicta, Dis immortalibus, tibiq; quẽ unum poſt deos immortales uenerantur, gratias quales & quãtas potuit teſtatus eſt. Quid uero ego de omni Ferrariẽſi nobilitate dicã? quid de ciuibus meis? quid de cæteris popularibus? omnes ordines, omnes ætates medius fidius, quaſi quo dã lætitiæ claſsico cõcitati excurſare, tibi acclamare, tuã bonitatẽ ad cælum ferre, te pacis autorẽ, te publicæ felicitatis parentẽ prędicare, tibi læta omnia ac diuturnũ pontificatũ precari. Ipſi profecto parietes, ipſa mœnia, ac deorum delubra geſtiebant ac precarium à Dis ſpiritum ſibi optare uidebantur, ut aliquo ſaltẽ nutu in cõmunionem publicæ lætitię admitterẽtur. Quom itaq; pater beatiſsime tot meritis, honoribus, teſtimonijs florẽtiſsimã familiã ac nobiliſsimos fratres obſtrinxeris, cumulaueris, amplificaueris, iure optimo idẽ princeps noſter nobis mãdauit, ut ſanctiſsimis iſtis pedibus rurſus aduoluti, eum tibi ſemper obſequentẽ ſemperq; in officio futurũ ſpondeamus, ita ut hominẽ uectigalẽ atq; oppigneratę fidei eſſe par eſt: tibi ipſum eiusq; principatũ, urbes, oppida, diuina, humanaq; omnia, quin & liberos pueros generoſæ indolis, totã deniq; cognationẽ Eſtenſem in tua ſemper fore poteſtate polliceamur, qui pro tuę ſanctitatis ac Romani pontificatus maieſtate conſeruanda ſanciendaq; nullum unquam fortunarũ aut ditionis aut ipſius ſalutis periculum deprecentur. Illud te uiciſsim pater beatiſsime uosq; patres eminentiſsimi rogat ac obteſtatur, ut imprimis uobis uectigalia iura feudorum renouare ac iuſiurandũ ſolennibus uerbis conceptũ placeat accipere: & quom ipſe ſe ac ſua omnia uobis dicauerit, addixerit, cõſecrauerit, uos itidẽ eum in fidẽ tutelãq;

recipere

recipere & receptũ in omne tempus patrocinio uestro fouere, tueri autoritate, præsidio adiuuare nõ desinatis, atq; hunc præstantissimum uestrum erga se animum ac iudicium cõstans & perpetuum esse patiamini. Reliquum est, ut te summe rerum arbiter deus, qui ecclesiam tuam fluctuantẽ nunquam destituisti, uosq; Apostolorum principes qui huic Vaticanæ sedi præsidetis, quosq; ego iure possum imperij Romani penates & conseruatores religionis appellare, uos inquam publica uice rogem ac solenni precatione obstringã, ut Paulum pontificẽ maximum in hac felici statione diu uelitis esse incolumem, eiusq; uota omnia plenis uelis fortunetis. nam licet ipse iam abunde multa ad gloriam gesserit, & apud homines immortalitatẽ nominis, & in cælo certam sedem cõmeruerit: ad conseruationem tamen rei Christianæ & publicam salutẽ uestri gregis pertinet, sæua præsertim imminente tempestate, tanti animi tantæq; sapientiæ pontificẽ & superstitem esse & in hac religionis specula quàm diutissime excubare.

IOACHELII CALCAGNINI PRO ORATORIBVS FAVENTINIS, ORATIO, AD Iulium II. pont. max.

NVNC demum agnoscimus, beatissime pater, non frustra effundi miserorum preces, nec optimi atq; immortalis dei aures occlusas esse ad gemitus eiulantiũ. nos enim post tãta nostræ ciuitatis naufragia, post tã innumeras fluctuationes, post tot rerũ omniũ discrimina, uix tandẽ ad Petri naui culã appulsi portũ prospicimus, & meliorẽ spem animo auguramur. Optaremus igitur pater sanctissime nobis magnam orationis felicitatẽ pręberi, ut tibi amplissimo Christi uicario aliqua parte gratias agere possemus, magnitudinemq; lætitiæ aliqua saltẽ ex parte tuæ sanctitati indicaremus. Sed in eũ locũ res uenit: ut tuorũ beneficiorũ mole oppressi neq; lætitię pares animos, neq; animis parem orationẽ habere possimus: ac merito uenia debebit, si recusantes atq; inuiti ingrata angustaq; oratiõe tua fuerimus in nos merita prosecuti. Quòd si aliud nihil proferimus, illud certè testatũ relinquemus: nullam fuisse unq; ciuitatẽ, nullũ populũ, qui rebus ex sententia procedentibus, gaudij tantũ conceperit, tantũ exultauerit. Videres enim pater clemẽtissime in urbe nostra postq; in tuæ sanctitatis ditionẽ redacta est, omnes ætatis ordines prę gaudio discursantes, delubra supplicitèr salutãtes, ac superis mira hilaritate agentes gratias: q; denicq; post longos errores ad suum pastorẽ, ad uerum dominũ denicq; redierint. Audires undicq; Iulij sanctissimi pontificis nomẽ resonare, felices undicq; precationes emergere, cuius denicq; prudentia atq; fortitudine augustissima sedes apostolica desinit hostibus esse ludibrio, & pristinam cepit auctoritatem reparare. Fuit enim antea, si uera uolumus profiteri, pontificię tantum dignitatis imaginarium quoddam simulachrum: quin præter leuissimã umbram nihil supererat. In ea, nihil solidi, nihil ueri, nihil integri quicq;. Excubabant alij: sed sibi laborabant, sed suorum cõmodis: alij grauissimo ueterno obtorpebãt. Tu sæuissimos tyrannos eieciſti, tu munitissimos hostes euertisti, tu solus ostendisti, Petrũ imperterritum, & clauibus & gladio posse dimicare. tu nauem in mari fluctuantẽ erexisti. Atq; hæc omnia, nõ tibi, non tuis, sed Christi unæ religioni præbuisti, cuius custodia cælitus cõmissa est tibi. Lætamur igitur & gratulamur nobis à tanto uindice restituti. Sed hæc fortasse possunt uniuersę nationis animos permouere, nobis uero adsunt peculiares gratulationis causæ. Nam quo res nostra quàm cæterorũ fuit fortuna incertior atq; agitatior, hoc etiam nunc lætitia cumulatior uideri debet. Quom enim

enim uenerit in mentẽ quot principum uicissitudines, quot hostium incursus, quot Barbararum gentium obsessiones pertulerimus, quotiens pro mœnibus, pro fortunis, pro liberis, pro salute dimicauerimus, adhuc animus meminisse horret. Sed & hæc ipsa recordatio prorsus est lætitiæ accessio, quom iam nos ex ea rerum alea ereptos esse intelligimus, tuisq; auspicijs in eam tranquillitatem deductos, ex qua non facile nos petræ Christi inhærentes quilibet impulsus allidat. Postquam enim cum hac sanctissima sede conciliati sumus, tuæ beatitudini perpetuã & constantissimam nullo q; tempore uiolabilem fidem pollicemur: obdurauimus scilicet ita animum ut posthac malimus sæua ac suprema omnia adire supplicia, quàm ab optatissima apostolicæ sedis ditione discludi: pro cuius imperio nos & fortunas quantulæcunq; suppersunt & liberos atq; ipsas animas libenter exposituros recipimus: eritq; huius nostræ fidei ac sentẽtiæ præsens oratio perpetuum testimoniũ. Tu quoq; omnis æui rector sapiẽtissime solito misericordiæ tuæ uultu inspice populum tuum Fauentinum supplicem, ac tam diuturnę calamitatis implorantẽ præsidium. Factus est enim prope rerum humanarum exemplum, tot cladibus uexatus, tot exhaustus tributis, tam crebra attritus agrorũ uastatiõe, tam lacymabili ciuium direptione allisus: ut præter uestigia & nudos parietes nil ferè sit q; Fauentinæ reipublicæ iure dici possit. Quare te obsecramus pater sanctissime ut à nobis hæc excutias temporum nubila, hanc fortunæ inclementiam tuo felicissimo nutu propulses, & quasi fatorum seriem miseris concilies. Illud enim ante omnia ad augustissimi pastoris attinet prouidentiã consulere: ut qui eius sub imperio futuri sunt, quàm felicissimi efficiantur. Atq; hæc ad immortalem gloriam uia: cuius tu ita utraq; manu, ut dicitur, possessionẽ arripuisti, ut & in cælis iam sedem felicissimam promerearis, & apud homines æternam tui memoriam collocaueris.

CAELII CALCAGNINI PRO ORATORIBVS FAVENTINIS ORATIO, AD HADRIANVM VI. pont. max.

LICET nobis persuasum sit, pater beatissime, nos publicã agere causam lætitię, quòd unus omnium integerrimi nominis, & magnæ celebritatis princeps ad augustum istud fastigium peruenerís, non hominum magis iudicio quàm dei nutu prouectus: & quòd nunc demum incolumis superatis tot maris ac terrarum periculis ceu sidus salutare Italiæ affulxeris: priuata hæc tamen & peculiaris est populo & reipublicæ Fauentinæ causa lætitiæ, tum quòd nos omnium maximè perpetua & singulari fide sacrosanctam sedem pontificiam sumus prosecuti, in cuius gratiam ad internecionẽ usq; sæpe depugnauimus: tum quòd ex conscientia rerum gestarum certior nobis spes arrideat optima quæq; optandi ac sperandi à tua magnitudine: uel quòd nuperrime post excessum Leonis sanctissimi pontificis respublica nostra in magnis rerum & periculorum fluctibus cõstantiam seruarit, atq; inconcussa permãserit. nam pleræq; ciuitates finitimæ, uel externis uel intestinis motibus perculsæ uix possunt solidam & absolutam lætitiam ad te pater beatissime perferre. nobis domi & foris certa pax mansit, tibiq; quamuis absenti, quamuis tot terrarum & regionum spatio disiuncto, quamuis uaria & incerta de salute tua nuntiarentur: tibi tamen uni semper excubauimus, tibi ciuitatem & tibi animos nostros, tibi omnium ordinum obseruantiam & cõcordiam seruauimus. Atq; hoc profecto lætitiæ nostræ accedit, quòd qui prius te absente multum extimescebamus, nequa nobis calamitas solidum hoc gaudiũ, & partam

hanc

hanc felicitatem præcerperet: nunc demum te dei opt.max.benignitate seruato, & ad nos, ut alij putant ex Hispania, sed ut nos putamus è cælo demisso, liberius iam licet & securius animo conquiescere. Te enim pastore ac duce præsente, non est quod oues tibi creditæ sub tuæ sapientiæ patrocinio ullos ferarum incursus expauescant. Et profecto eius pont.qui tãta hominum in se studia excitarit, partes existimamus: quos pacatos tranquillosq; acceperit, eos ipsos sibi omni auctiores felicitate restituere. Nullum enim maius bonitatis & magnitudinis est argumentum, quàm late in omnes benemeritos præsertim, felicitatem propagare: summumq; illud bonũ, quod nullum neq; locũ neq; tempus clementiæ & beneficẽtiæ suæ reliquit immune, quantum mortalitati nostræ licet, imitari. Hæc spes atq; opinio toto prorsus animo excepta, magna est huiusce gaudij, quod ad te afferimus, accessio. Hæc effecit, ut municipes nostri tria nobis potissimum in mandatis darent: imprimis ut sanctum hoc fastigium, ad quod diuina bonitas & tua te uirtus prouexit, recentemq; & salutarem aduentum tuum tibi gratularemur: tum ut urbem populumq; Fauentinum in manũ ac potestatem tuam obsequenter traderemus: postremum ut ciuitatẽ tuæ maiestatis studiosissimam, tibiq; singulari fide obstrictam enixe atq; omni animi captu cõmendaremus. Primo illo gratulandi munere neq; decuriones neq; populus Fauentinus sperauit uel nos uel quenquam maiore illustrẽ facundia pro rei dignitate ac magnitudine satis posse defungi. Neq; nos sanè existimauimus cõmodius uotũ reipublicæ nostræ implere posse, quàm si hoc omne quicquid est lætitiæ & gratulationis tibi significaremus à cõcepta spe salutis & utilitatis nostræ proficisci. Nam quom cæteras omnes uirtutes miremur, beneficentiam tamen & iustitiam præcipue colimus & charitate prosequimur, quòd hæ uirtutes ad societatis magis humanæ, quàm eorũ qui eas possidẽt, utilitatem paratæ sint. Est enim ita natura comparatum, ut id maximè homines amẽt, eoq; uehementer alliciantur, quod sibi cõmodo futurũ sperant. Nos itaq; eo maiorem lætitiam cõcipimus, quòd omnem istam celebratã bonitatem, prudentiam iustitiam, rerum maximarũ experientiam, istam animi magnitudinẽ ad rei Christianæ decus reparandum natam atq; institutam, excelsam istam aciem mentis ad res arduas & excellentes ipsamq; diuinitatem contemplandam exornatã, tot denicq; illustres animi dotes, tot eximia ingenij ornamenta ad nostras cõmoditates & honorum fortunarũq; accremẽta referimus, & ex his nobis bona omnia pollicemur. Sic enim nobiscum interpretamur, ei qui tot literarum præsidia ad pontificatum attulerit, non fore necessariũ, ut alieno magis quàm suo consilio acquiescat. Ei qui tam acri polleat sapientia, ut mores conditionesq; hominũ perspectas habeat, non facile uerba datũ iri: ut ad urbes Apostolicæ ditioni creditas pro præfectis tyrãnos, pro ministris depopulatores, pro conseruatoribus prædones mittat. Qui diss idijs & factionibus ciuium, non concordię & tranquillitati studeant: sperantes eo rem sibi fore in maiore quæstu, quo fuerit turbulentior: ceu solent piscatores fluctuoso & undabundo mari ampliorem capturã, maioremq; thynnorum uim retibus polliceri. Quæ res superiore tempore amplitudini pontificiæ plurimũ odij atq; infamiæ apud populos concitarat. Nam plericq; pontificum dum res alias agunt, dum ministris fidem habẽt (nolo gemitus & lacrymas miserorum in tam festa lætitia intermiscere) sed quod dixisse liceat, in urbibus ecclesiæ magnã insignemq; uastitatẽ fecere. Hæc te pontifice tantum abest ut fieri uereamur, ut multo magis spes omnes habeat, res in antiquam illam & optatã diu, non tamen hactenus cognitam felicitatẽ redituras: qua primæui patres coalescẽte adhuc piorum cœtu, quasi aureo suo seculo fruebantur. neq; enim periculũ est, ne mali & flagitiosi homines iustitia & seueritate tua minus deterreantur, quàm boni frugicq; bonitate & clementia alliciantur. Hoc est scilicet quod tuus aduentus tanta perfudit lætitia, quantã magis animo concipere, oculisq; & uultu præ nobis ferre, quàm oratione & eloquentia possimus exprimere. Hoc est quod tam propense tam eximia animi inductione sanctissimis pedibus aduoluti, tibi nos populumq; Fauentinum, urbem, aquam, agros, terminos, delubra, utensilia, diuina, humanaq; omnia in tuam & Apostolicæ maiestatis ditionem, uolentes, gestientesq; dedimus atq; addicimus. Nam sic cõmode existimamus, nos nostra nõ solũ recipere

& con-

& cõseruare, uerum etiam meliora augustioraq; reddere. Quæ enim tibi dicata sunt, qui dei opt. max. uices in terris obis, & deum nobis repręsentas, cõsecrari putamus, & religione muniri: ut nõ sine piaculo attrectari, uiolariq; possint. Atq; obiter hoc tibi chariora fore speramus, quo per te maioris æstimatiõis, & te prorsus digna euaserint. Quæ cogitatio pater beatissime tertium illum laborẽ quem respublica nobis demandarat, magna parte adimit: cõmendandi scilicet tibi urbẽ populumq; Fauentinum. Quis enim tam alienus à cognitione rerum humanarũ, qui putet oportere sua cuiquam cõmendari? Quotiens itaq; tecum ipse pater sanctissime cogitabis ciuitatem nostram iam nõ esse sui mancipij, sed in tuo planè ære tuaq; fide positam: toties non iam nostra sed tua interesse iudicabis, eam quàm optimã & fortunatissimã facere. Pacem concordiamq; ales, utpote qui perspectum habeas bello & discordia nihil esse ciuitatibus pernicioſius. Vbertatem copiamq; frugum induces: quòd inter bona popularia, nullum sit communius, aut optatius. malos & facinorosos coercebis, quòd eorum audacia bonorũ securitas non possit esse diuturna. præclara studia excitabis, ut egregia iuuẽtus in tuos titulos adolescens, te publicum parentẽ agnoscat. Prudentes castosq; moderatores ad nos delegabis, qui rem tuam ita procurẽt ut eorum studia omnia in cõmune excubent, nihil ad se pertinere arbitrentur, præter conscientiam & famã bene gesti magistratus: seq; tum demum abunde lucrifecisse arbitrentur, si gratiã & beneuolentiã tuam promereantur. Alioqui te principe bonis & de sancta sede bene meritis, neq; dignitatem neq; fortunarũ accessiones deesse possunt, sicuti rursus neq; cuiquam flagitioso scelus suum impune stare potest. Quare quod proximis annis execrabile & penè prodigiosum uideri potuit, id iam publice hominum interest: omnes scilicet bonos esse: quom persuasum omnibus sit, signum abs te erectum esse probitati, & hoc unum propositũ ad honores & sacerdotia curriculum, non iam fœnerari, non quæstum facere, nõ per malas artes grassari: sed mereri. Quare te maxime pontifex iure felicem appello, à quo uir malus nihil petere, bonus nihil non audeat expectare. Hoc est itaq; quod gaudia & gratulationes nostras exagitat, quod urbanas acclamationes publicosq; illos tinnitus & bombos suffrenare non potest. Hoc est quòd spes, uota, præsidia omnia in te locauimus, quòd tibi pectora & animas cõsecrauimus, quòd pro salute & dignitate T. M. nullum discrimen uel capitis uel fortunarum subire recusamus. hoc est quod tum deniq; à deo immortali summã uotorum impetrasse existimabimus, si diu nobis Hadrianum pontificem incolumem florentemq; seruauerit.

CAELII CALCAGNINI PRO ALPHONSO PRIMO DVCE FERRARIÆ, TERtio Apologia, ad Iulium II. pont. max.

QVOM superiore anno pater beatissime, uoluntas & consiliũ tuæ sanctitatis tum literis quas publice ad omnes gentes miseras, tum munitissimo apparatu exercitus, quem instruxeras, acceptum fuisset: incredibile dictu est, quanta opinio de magnitudine tui animi, de solertia tui ingenij, de amplitudine tuæ sapientiæ apud omnes homines concepta sit. Nemo fuit unquam ex his, qui summo in rerum fastigio cõstituti essent, qui tantum animos & spes omnium erexerit. Te unum uindicem publicæ libertatis, te populorum, qui diu per uim atq; iniuriam oppressi essent, ultorem, te Christianę pacis autorẽ perpetuumq; defensorẽ fore sibi pollicebantur. Videbant enim id quod erat, neminem ad tantam rem cõficiendam tot animi & imperij præsidia attulisse, ut tui

prorsus optio ad tam optatum tamq; illustre negociũ cælitus facta nõ humano consilio instructa uideretur. Quis enim discordes adeò reges, quis tam dissidentes atq; alienatos animos in amicitiam & fœdus cogere speraſſet unquam? Quod tu tam facile effecisti, ut uno tempore, & de hac tua cogitatione tam salubri tamq; expectata, & de toto negocio ex sententia confecto nuntius perferretur: adeò ut cæteris ante te pontificibus, non fortunam sed animum ac prudentiã defuisse omnes planè intelligant. Quam ob rem gentes atq; populi omnes, quibus & Christiana religio, & religionis maiestas cordi est, spem ceperunt per te unum rem Romanam pristinum decus & antiqua imperij ornamenta posse reparare. & profecto nec uotis omnium, nec tuæ sapientiæ felicitas defuit. Breui enim coactis magnis exercitibus & clarissimis regibus à sua sede excitis maiores instructioresue apparatus nulla unquam uidit ætas. Conuenerant scilicet & Galliæ & Germaniæ & Hispaniæ omnes tua autoritate in Italiam conuocatæ. Neq; ut plerunq; antea per suos duces maximi reges tanto munere fungebãtur. Vidimus inuictissimum Galliarũ regem Lodouicum: & acito em cautissime instruxisse, & pro signis fortissime dimicasse, & celeberrimam uictoriam reportasse, & fusis fugatisq; magna cæde hostibus, multas opulentissimasq; urbes partim ui expugnasse, partim ad deditionẽ coegisse. Vidimus & Augustum imperatorem Maximilianum munitissimas urbes sub imperium redegisse, longaq; & difficili admodum obsidione hostes exercuisse. Et hæc quidem summi reges in tuæ gratiam sanctitatis non sine plurimo labore, sæpius etiam cum capitis periculo perfecerunt. Tuis uero copijs idem hostis antea fractus terrore tui nominis, quacunq; pergeret adeò pauide cedebat, ut omne Flaminianũ bellum paucissimis diebus nullo aut certè per quàm leui discrimine confectum sit. Quæ omnia geri tanta felicitate pater sanctissime & olim gestiebamus & nunc facta tibi gratulamur: ita scilicet nobiscũ colligentes, ut attritis allisisq; hostibus tuæ sanctitatis impijsq; incubatoribus urbium Romanę ecclesiæ oppressis, & restituta uetere dignitate solio pontificis, certa denicq; & constante pace per te frueremur: & illi imprimis magna præmia tum fidei tum iudicij assequerentur, qui & tuam uoluntatem & fortunam fuerant secuti. Quam rem quom nunc aliter euenire intelligamus, longe illam spem, quam de tam optabili pacis conditione indueramus, frustratam uidemus, adeò ut unius belli terminus gradus & accessio alterius uideatur, ita ut difficile admodum sit constituere quando pacem, quando tranquillitatem, quietemúe habituri simus. Nam si causæ & prætextus bellorum sequendi sunt, non uideo quomodo unquam bella nobis sint defutura. Nihil est tam sanctum tam absolutũ in rebus humanis, quod si in ea re inuenitare, culpa & uitio labefactare non possis; sed ita semper maiores nostri censuerunt, bellorum & simultatum causas elidendas expungendasq; esse, si se offerant: tantum abest ut accersendæ comminiscendæq; uiderentur. Bella enim tantùm coactima gnisq; necessitatibus impulsi suscipere debemus, quærere autem & sternere sibi iter ad discordias, intemperantis sæuientisq; animi semper existimauerunt. Quod tam alienum atq; abhorrens à moribus tuæ maiestatis iudicamus, ut clementiã potius & mansuetudinẽ ei possimus imputare, quæ uictos & profligatos prorsus hostes suos postquam supplices manus porrexerunt, & suam culpam professi pœnam deprecati sunt, tam facile & tam clemẽter in fidem ac patrocinium acceperit, ut eodem tempore & conciliatos tuæ sanctitati & hostes fuisse nemo meminisset. Quæ res fortasse mira uideri potuisset, nisi sciremus clementiam & misericordiam ad omnes quidem principes pertinere, esse autem huius sanctissimę sedis & propriam & peculiarem. Quod quom ita se habeat, tantaq; hostes tuos qui & odijs & pessimis úoluntatibus, armis denicq; & insultatione tecum decertarent, humanitate promeueris: quantum tibi enitendum est, ut amici & fœderati, populariesq; tui, qui eandem tecum aleam subierunt, eosdemq; amicos & hostes cum tua sanctitate sibi habendos censuerunt, meliore conditione quàm hostes tui nunc apud te esse intelligantur. Et quibus, si quid tuæ sanctitati aduersi accidisset cadendum labendumq; à fortunis suis fuisset: nunc te incolumi, & rebus feliciter gestis sentiant hoc sibi esse præsidio ad salutem & dignitatem tuendam, quòd tuas partes & tuam uoluntatem secuti sint. Quid uero

uero aliud hostes tuos, qui nisi uicti conciliari tibi nunquam studuerunt, quid aliud inquam maioribus uotis & hilariori animo accipere existimas? quàm eos uexari qui pro te steterint, quosq; ipsi tua fultos autoritate offendere non potuerint. Quantum hac re gestire & tacito animi secessu exultare existimas, non modo ea causa quòd illos pessimis uoluntatibus persequuntur: sed quòd fore aliquando sperant, ut exutus spoliatusq; amicorum tuorum beneuolentia alienatisq; omnium animis, eorum iniuriæ pateas: & quam nunc subacti necessitate iram furoremq; dissimulant, cũ tua maxima calamitate (quod abominamur) & pœnitentia aliquando expleant. Sic enim ipsi augurantur, nõ hoc modo ad id proficere ut ueteres amici abs te disiungantur, uerum & noui parum sibi præsidij in beneuolentia tua, tuaq; amicitia statuendũ putent: proinde non modo negligentiores fiant ad ineundam cum tua maiestate beneuolentiam, uerum etiam eam reformident ac refugiãt: hoc ita euenire intelligentes, ut quos in periculis & rebus dubijs amicos appellaueris, in uictoria postmodum & rerum felicitate hostiũ loco habeas & persequaris: ita ut nulla alia ratione uicisse uideare, nisi ut hostibus parceres & in amicos & necessarios uictoriæ ius exerceres. Adeò ut si alterũ optandum sit, esse hostem tuũ quàm amicum præstiterit, quom illi parcere hunc perdere tui uideatur instituti. Percunctaris fortasse à me pater sanctissime, quem innuam, quẽ significem: quamuis non obscurũ est, neq; ambiguum, quis nuperrime illustria & oculatissima suæ in te obseruantiæ ac pietatis testimonia dederit: neq; incertum est, quem aperto Marte hoc tempore persequaris. Dicam tamen eum esse principẽ Estensem, cuius maiores ita in hanc sacratissimã sedem propensi fuerunt animo, studijs, uoluntate, ut eius dignitatem & amplitudinem semper propriæ saluti prætulerint: quorum tot in historijs & annalibus testatissima extant domi & militiæ beneficia. Hi sunt qui fluctuantem olim Petri nauiculam ope & opera sua confirmarũt: qui Gallis olim insultantibus aduersus autoritatem pontificis sese oggessere: qui Germanicam fidem, qui Venetas pollicitationes contempsere. Malebant scilicet cum sacrosancta Romana sede periclitari, quàm cum cæteris salui esse. Hi Acelinum atrocissimũ illum & nefarium hostem ecclesię fregere. Nec unus aut pauci ex hac familia, sed omnes hoc animo in sanctam sedem fuerunt. Quorum seriem si animo fuerit recẽsere, rem admodum ridiculam faciam, qui tot ætatũ historias mediter breui oratione complecti. Vnum illud egregium Aldrouandini Estensis facinus nequeo silentio præterire: qui quom olim pontifici Romanisq; rebus in maximo periculo constitutis propter inopiam rei pecuniariæ, paucitatemq; copiarũ opem ferre non posset, unicũ filium, quem forte habebat, apud Florentinos opulentissimos mercatores pignori opposuit: comparatacq; pecunia satis iustum exercitum instruxit, pontificemq; adeò laborantẽ, & à grauissimo periculo liberauit & in pristinam dignitatem restituit. His maiorũ institutis eruditus nobilissimus princeps, statuensq; sibi dignitatis & fortunarum perpetuitatẽ in tuæ maiestatis obsequio: exemplo scilicet transacti temporis monitus, in quo & ipsi egregiam operam nauauit, & ab hac sanctissima sede maxima præsidia & singularia ornamenta accepit: ita semper sese instituit, ut nihil unq; cogitaret, quod nõ honorificũ, nihil faceret, quod non illi salutare futurum speraret. Non tantũ ergo tibi beneficio deuinctus, non autoritate & religione solum astrictus, sed maiorum & patrum suorũ fide, instituto, ac cõsuetudine ab ipso ortu & crepundijs tuæ maiestate obæratus addictusq; fuit. Potes igitur pater beatissime tecum ipse cogitare, quãto certius ac rationabilius Estensi principi fidere possis, eumq; solita pietate cõplecti: qui non leui aliqua munificentia ad amicitiam tuæ sanctitatis allectus, quomodo plerunq; leues & temporarij amici parantur, non casu, non priuata aliqua utilitate inuitatus, sed certa & peculiari animi inductione, obseruantiam & fidem erga te perpetuam atq; irreuocabilem statuit. Cuius rei neq; rara, neq; parum explorata testimonia afferre possumus, nec ea quidem ætate obsoleta aut memoria expuncta, aut deniq; parum animaduersa: sed noui tate sua recentia & adhuc in recordatione omniũ constituta, adeoq; exposita, ut neq; supprimi neq; dissimulari possint. Scis tu pater sanctissime, & te hoc scire omnes sciunt, quãto in discrimine Flaminia & ipsius Flaminię caput Bononia uersaret: quom

Bentiuoli príncipes, & auíti imperíj & patríę recuperandæ cupidi urbem magno ap paratu repeterent: eſſetq; illis intra urbem & extra ingẽs popularium & amicorum factio, multi auxiliares, prompta & expedita omnia. è diuerſo tibi omnia difficilia, & populorum animi infidi, pagani alienati, montiũ incolæ infenſi: tui omnes trepidantes & de capite ac ſalute magis quàm de fide & rebus tuis ſollícíti, multoq; ad fugam quàm ad reſiſtendum paratiores. Nemo fuit ex finitimis príncipibus qui arma indueret, qui autoritatem tuam tueretur: non Veneti ſemper hoſtes, nunc ab occaſione amici: non Etruſci & Fluentini, nõ Vrbinates, non Sempronianí: non alíj innumeri, qui & ob uicinitatem poterant, & ob amicitiam debebãt eſſe præſidio. Solus Eſtenſis inuentus eſt, qui raptim tumultuario milite accurreret, Bentiuolosq; iam penè uotorum compotes quamuis multa & propinqua neceſsitudíne deuinctos exterreret, repelleret, fugaret: tuos uero exangues, conſternatos, rerum omniũ ancipites, confirmaret, erígeret, ſeruaret. Quo die hoſtem dixiſſe ferũt, ſe ideo minus dolere quòd fuiſſet repulſus, quoniam te propediem ultorem ſperaret: foreq; aliquando ut huius operæ & uíolatæ cognationís eum pœníteret. Ecce illa díes pater beatiſsime qua tu hoſtem ueridicum facis, & ſibi optimos príncipes male conſuluiſſe, quom tuis rebus conſuluerũt oſtendis. Quòd tantum abeſt, ut ipſe unquam reformidarit, ut neq; eum nauatæ operæ pœnituerit, neq; de iudicio & uoluntate erga te ſua quicquam ſit imminutũ. ita enim ipſe ſeſe geſſerat, ut niſi ingratiſsimus eſſe uelles, id quod à natura tua ſemper alieniſsimũ fuit: non poſſes non ſumma liberalitate & munificentia eum promereri. Nec uíolatam cognationẽ & neceſsitudínem labefactatã uerebatur, quí tuæ maieſtatí & ſanctæ religioní, cuius tu arbiter es, hoc totum condonaret. Illud uero quod tranſacto anno factum eſt, nónne certiſsimũ fuit ſingularis obſeruantiæ & coniunctionis erga te indícium? florentes rebus & imperio Venetos, qui ſummis uotis & incredibili ambitu Eſtenſis príncipis fœdus & amicitíam deſiderabant, magnasq; & minime aſpernandas conditiones offerebant, nõ ſolum reiecíſſe, ſed armis & bello infeſtaſſe, & res dubias & parũ exploratas tuæ ſanctitatis præoptaſſe: quom tamen & multitudine copiarum & firmitate imperíj & populorum fide ac cõſtantia longe potior Venetorum fortuna uíderi poſſet: quod compertius deinde poſtquam cum Gallis in aciem deſcendêre intellectum eſt. príncipia enim Gallici Roboris de loco mouêre: & niſi mature rex ipſe galeatus & accínctus cum ſumma procerũ & fortiſsimorũ hominũ manu aduolaſſet, fuſus, fugatusq; omnis foret exercitus. Quo tempore quantũ poſſet fortuna & melior cauſa cognitum eſt. Qui enim inſtructíore agmine, qui maiore copiarum numero muniti erant, quibusq; iam uíctoría ex magna parte affulſerat: neſcío quo pacto, niſi tacita quadam fatorum ratiõe & deorum imperío, ut qui tam diu & tuæ amplitudini & ſacræ religioní nullum honorẽ habuerant, iam tandem meritas pœnas ſubirent: leui impulſu (id quod adhuc benignitati deorũ acceptũ ferimus) repẽte fracti profligatíq; ſunt: ut ſi res aliter euenìſſet, Eſtẽſi protínus de faſtigio ac fortuna fuerit cadendum. Illud uero nónne plenũ ſummæ pietatis ac ſummiſsionis, quòd non prius cum fortiſsimo rege ſocietatem ínire uoluit, quàm eum tibi fœderatum eſſe comperiſſet, tuq; eam rem approbaſſes: quam omnẽ à nutu & renutu tuo non à proprío iudícío pendere uoluit. Rebus tamen tam prudenter, tam induſtrie, tam cõſulte adminiſtratis, tantiſq; in te officijs, nulla labe, nulla iniuria inſigni ſaltem labefactatis, quod dictu exhorreo, bellum patitur, malamq; mercedem tam egregie factorum recipit. ó conſilia mortalium parũ certa, ó ſpes lubricas & minimo fortunæ momento deciduas. Quis uero unquã putaſſet in hoc calamitatis Eſtenſem uenturũ eſſe? Quis hoc diſcrimínis aditurũ Iulio pontifice íncolumi? In quo ſitas omnes ſpes, omnia ſui regni munimenta poſita uolebat. Quis ad hoc neceſsitatis lapſurum unquã animo prȩcepiſſet, ut uel ei turpiſsime ac negligenter relinquendum eſſet imperium, aut in pontificis copias ducendus exercitus, dirigẽdaq; tela olim ad tutelam & deſenſionẽ illius parata. Quorum alterũ fœdiſsimum & plenum ignominiæ, impium alterũ & deteſtandum, utrunq; miſerrimũ. Sed quæ nam ratío in hunc tam dubium & incertum locũ rem deduxerit, nitamur obſecro aperíre. Nam omnino aliquæ rationes afferuntur, quæ quantum ponderis habeant

& quàm

& quàm idoneæ putari debeant, eorum uolo esse iudicium, qui & ingenio & multa rerum experientia callent causas prætextusq; bellorum ad æquitatẽ & æquilibrium redigere. Primo quidem aiunt principem Estensem ideo dignum esse iudicatum, qui tuę maiestatis hostis decerneretur, quòd præter iussa & uoluntatem tuam salem legi mandauerit, eiusq; uectigal instituerit. Tum uero quòd Centũ ac Plebem, duo oppida in agro Bononiensi sita, reddere distulerit. Tertium afferunt quòd triremes & tormenta quædam Venetico bello accõmodare neglexerit. Quartum & quod ipsi potissimũ argumentum putãt: quoniã populos nouis quibusdam portoriis & exactionibus exercuerit. Quatuor has fermè rationes colligunt, qui tuam causam tuentur. Sunt & alij qui se plus cæteris sapere profiteantur, qui prætermissis superioribus rationem unam tantũ afferant: quòd noua inita societate cum Veneris, alienatus sit animus tuus à Gallorum rege: & quoniam Estensis petenti tibi ut icto fœderi cum Gallo nuntium mitteret, non paruerit: hinc totius mali, omniumq; simultatum fontem deriuasse, & ea quæ superius diximus tectoria & meros prætextus esse, quibus belli honestas quæritur. Quæ ratio an uera sit, sicuti mihi parum exploratum esse fateor: ita quoniã ab omni honestate abest, & confictam & alienã à tuis moribus censeo. Et an tuus quidem animus à rege alienatus sit, neq; discutio, neq; omnino discutiendum puto. Scimus enim hominem ambulatoriæ uoluntatis esse, & pro occasione ac tempore immutare consilium. Proinde si quid est factum abs te ut illi suspicantur, quod neq; affirmare, neq; inficiari ausim: nihil tamen puto temere aut parũ prudenter aut sine causa esse abs te cõsultum. Sed ab Alfonso duce si quasi obiter ostendero, neq; id debuisse, neq; sine maximo periculo fieri potuisse: abunde illorum suspicioni occursum, & quàm uana inanisq; ea sit declaratũ putabo. Imprimis quidem tot extare in clarissimam familiam beneficia à maximis Galliarum regibus collata, tot monumenta cognationis & amicitiæ animaduerto, ut neq; inter eos dissidium quæri debeat: neq; si quæratur, possit impetrari. Nam præter id quòd nobilitatẽ Estensem è Gallia oriundam celebris fama est, quòd insignium & armorum eadem communio, quòd deinde affinitas datis acceptisq; uxoribus & quasi obsidibus uicissim crebrius cõfirmata est: accedunt paterna fœdera summo cultu semper obseruata, & nuperrime incredibili cõsensu & religioso iureiurando sancita, accedunt recẽtia beneficia, dum Gallorũ opera imprimis & auxilio Rhodigina peninsula, cuius autor est Athesis fluuius, olim à Venetis per uim atq; iniuriam occupata, Estensis imperio restituta est. Abhinc uero mense septimo, quom hostilis classis in agrum Ferrariensem impetum fecisset, ferroq; ac flamma latissime omnia uastaret, nemo fuit ex fœderatis & amicis qui maturius opportuniusq; opem tulerit, aut plures copias multorum mensium obæratas summiserit, maiusue adiumentum ad uictoriã & classis expugnationẽ præstiterit. His adde liberalitatem animorum, & pollicitationũ magnitudinem, quom rex inuictissimus & mihi nunquam absq; celebritate nominis nuncupandus, & per nuntios ac literas persæpe testatus sit, se libenter omne imperium pro Estensis incolumitate ac defensione expositurũ: nec Insubriæ modo ac Ligurię, totiusq; Cisalpinę regionis, quę sua ditione clauditur, sed Galliarum & reliqui uires regni non promptius pro salute ac propria existimatione quàm pro Alfonso euocaturum. Tantis igitur undiq; coactis meritis & tam recentibus nemo est pater beatissime, nisi planè rerum omnium ignarus, & quasi à communi sensu alienus, qui tuam sanctitatem existimauerit hoc (quod penè nefas duxerimus) aut petijsse aut optasse, ut à tam benemerito rege Alfonsus seiungeretur: & ea uincula soluere tentaret, sine quibus omnino constare non posset. Nec profecto unquam putarim tibi tantum ingratitudinis exemplum probatum iri. Quando enim amare & probare illum possis, qui beneficia ad alienam gratiã metiatur? Nec illi hoc faudi fruerit, si quo pacto tua sanctitas à rege foret alienata. Nec enim actutum mihi hostis fuerit, qui ei coniunctus sit, qui cum mihi simultates interceserint: si nulla præsertim in re illi manum ad me oppugnandum accõmodarit. Quæ deniq; inuidia est, me ab eo emolumenti quippiam aucupari, qui tibi non adeò fuerit amicus: habita imprimis eius rei ratione quòd te uolente atq; id maximè comprobante in fœdus & penitiorem cum

illo amicitiam coiuerim, & tu id temporis illi coniunctissimus inueniebare. quòd si tota res libero iudicio agatur, uel tibi hoc maximè optabile esse debet, sequestrum & quasi internuntiũ inueniri, qui dissidentes animos in amicitiã & concordiam possit reuocare. Offensionibus enim & iniurijs modum, amicitijs æternitatem debemus optare. Hactenus de rei honestate diximus, nũc de facultate atq; utilitate dicendum esset. Sed hæc adeò cum honestate coniuncta est, ut quom de illa dixerim, de hac mihi dictum putem. Quom enim regis merita in Alfonsum attigerim, facile eodem transcursu intelligi potuit, Estensis res omnes in patrocinio ac præsidio Galli sitas esse: à quo si animum uoluerit auocare, id sine interitu atq; internecione nullo pacto fieri poterit. Quòd si fortissimus potentissimusq; rex, qui uel ob uicinitatem uel ob fortunæ magnitudinem, uel copiarum apparatum facile maxima damna afferre potest, nihil omnino incõmodi attulerit: hoc ipso tamẽ Estensis pessum eat necesse est, quòd in tanta hostium occasione quasi circumuentus, ab ipsius præsidio sit destitutus. Cõmentitiam & confictam, ut putamus, causam hactenus persecuti sumus: nũc reliquas, quæ forte plus neruorum & roboris habere uideri possunt, attingamus. Et Alphonsum quidem tuæ maiestati aiunt displicuisse, quòd salem legi mandauerit, præter uoluntatẽ tuam, & eius uectigal instituerit. Plures causas hic iunctas uideo, sed in quam fieri impressionẽ oporteat non satis intelligo. Siquidem iustam belli causam putas, salem legisse, uideo totum humanum genus in te reclamare, quod sine sale uitam parum cõmode degi posse arbitratur: nisi Aegyptiorum superstitionem approbamus, quos pertinaciter à sale abstinuisse legimus. Alioquí ad iucunditatem etiam & lepores animorũ sales trãstulimus. Itaq; tibi nõ iam in Estensem, sed in uniuersum hominum genus classicum canendum est. An uero quod in agro Ferrariensi legatur, hoc est quod iniquo animo pateris? quę obsecro inuidia est, populum Ferrariensem ea re fraudari, quę omnibus animãtibus naturæ sponte proposita est? Quod tantum crimen admisit, quod flagitium, populus de sanctissima sede perpetuo bene meritus: qui & tibi olim quom ad Petri fastigium nondum esses euectus & fortunæ iniuria uexareris, tutum hospitiũ tranquillumq; secessum præbuit. An certè frustra hæc dicta sunt, & hoc unum te mordet, quòd præter uoluntatẽ tuam hoc factum sit. Nec sum adeò temerarius, ut de honestate tuæ uoluntatis mihi quærendum putem. Illud profecto sine piaculo dici potest, eiectis hostibus, & recuperata agri Ferrariensis libertate, cæterisq; fœderatis tuis luxatas olim uires regni adeptis, ita meritũ esse Alfonsum, ut uulgo suboleſcentem salem, etiam si nemo curam adhibeat, & legere posset, & lectum per recuperatores magistrosq; uectigalium dispensare. Sed neq; ei unquam T. S. uoluntas fuit adeò hac in re explorata: quin potius uel per tuos quæstores, ut quasi monopolio instituto Ceruiensiũ sal pluris indicari posset: uel per maleuolos infensosq; homines, qui resarcitos Estensi prouentus inuiderent: eam rem curari existimaret. Sed quid deniq; prẽter uoluntatem tuam facere unquã cogitauit? qui summis precibus & quasi supplex semper rogauit, ut sibi hoc uictoriæ fructu per te perfrui liceret: qui se nihil ausurum unquã sine tuo consensu professus est: qui tandẽ percepta uoluntate & cõsilio tuo, & à legendo sale destiterit, & salis cõcepta cula desierit, ut nulla in re non se tibi obsequentissimum præse ferret. At tu hoc fieri properantius uolebas. At deus ille nostri generis opifex affectus quosdam & ignicu los naturę, animo nostro impressit: ut quoad eius fieri potest, nos & nostra tueamur; quos ratione fortasse & maturiore cõsilio supprimere, extinguere certè ingruentes non possumus. Quam rationẽ obiter & in eum locum dictam uolo, ubi calumniam Estensi impingunt, quòd serius tua uoluntate Centum & Plebem oppida petenti tibi tradiderit, quæ oppida quom iure retineret, non uidebat cur à se repeti deberent. Hæc illi ob benemerita & singularem qua eum amplectebatur beneuolentiam, Alexander pontifex ante te tertius plenissimo iure olim concesserat, publicasq; tabulas quanta fieri potuit religione super ea re confecerat. Nec tu minus postquam in hoc humanum generis fastigiũ ascendisti, eam rem comprobasti: quom episcopus Bononiensis ea sui iuris assereret, suosq; prouentus imminutos quereretur: & te dissuptatore ea conditione lis sedata sit, ut Estensis in latifundijs tantundem prouentus

episcopo

epiſcopo adiiceret, quantum ipſe ex duobus illis oppidis colligeret. Res cõfecta tuo arbitrio, latifundia in agro Carpenſi deſignata ſunt. Aliquot anni rebus ita compoſitis tranſacti ſunt, Eſtenſis oppidis, epiſcopus latifundijs ſine rixa & cõtrouerſia potitus eſt. Nunc demum quę ſe erynnis obiecit, ut tantum concordiæ obturbaret? Vnde hæc animorum immutatio? ut tam repente repetas quæ Alexander mãcipio dedit, maloq; exemplo, quæ à prędeſſore tuo geſta ſunt immutes? propter quã cauſam Stephanus pont. cognomẽto VI, qui primus anteacta pontificum reſcidit, adhuc in omni poſteritate male audiuit. Autor huius rei Alexander, abſte probata eſt. & tamẽ mirantur Alfonſum quom ea repetita ſunt, non abieciſſe, non extrudiſſe. quaſi uero ea pauci negotij ſint, quæ in regni limite poſita ſunt, & quæ temere debeant abdicari: uel certè hi qui Alfonſo negotium faciunt, ea quæ ipſi ui & iniuria retinent reddituri ſint, ni extorqueantur: tantum abeſt ut quæ ſua ſunt ſuiq; iuris arbitrantur, alteri tradenda exiſtiment. Et tamen tanta eſt detrahendi libido, ut flagrante bello Veneto, rebusq; in ancipiti fortunæ conſtitutis, ab Eſtenſe tormẽta & triremes peti, & petitas ab ipſo tradi oportuiſſe dicant: ut quaſi ſpoliatus regni munimẽtis, hoſtium pateret iniuriæ. Quod tam apertum calumniæ genus non uideo cur pluribus refellam, quom ſe ipſam immanitas rei abunde redarguat. Quis enim unquam hoſtis tam improbe hoſti optauit, ut ademptis præſidijs & exarmatus obuius fieret contumelijs? Quod tamen perſuadendum putauerunt Eſtenſi, qui ſe eius incolumitatẽ appetijſſe profitentur. Sed fac etiam tradere uoluiſſe. Quam uero id arduum fuerat? hoſtibus tuis magnam Flaminiæ partem occupantibus, quanta cum difficultate, quanto periculo ne intercíperẽtur, id agi poterat? Nam quod de triremibus etiam fieri mentionem intelligo, ad quarum nomen adhuc Veneti inhorreſcunt: meminerunt ſcilicet has eſſe cladis ſuæ reliquias: ne iſtæ quidem omnino etiã quom maxime Eſtenſis uellet, tradi potuerũt. Luxatæ enim & transfoſſæ, & magna adhuc ex parte ſummerſæ non uideo quomodo eo tempore ad te tranſmitti potuiſſent. Sed neſcio quomodo fiat, ut hãc cauſam ſuppoſititiam omnino & remotiſsimã putem, quom poſt expugnatas ab Eſtenſe triremes, nec maieſtas tua hoſtes habuerit, nec uſu triremium indiguerit: licet non deſint obtrectatores & maleuoli homines, qui te illas appetijſſe augurentur, non quòd ulli uſui futuras ſperares, ſed ut uires Eſtenſis imminueres, & Venetis olim inimicis tuis obſequereris. Quod ego plenum inuidię, ſed & ab omni ueritate ac tuæ ſanctitatis more alieniſsimũ duco. Audio etiam Venetos, alioqui huiuſmodi accuſatiunculis penè geſtientes, hanc unã cauſam maxime deteſtari: uel quòd graue ipſis uideatur, tuam maieſtatem adhuc queri maiorẽ nocendi occaſionem non habuiſſe: quos ſi eo loco habet quo amiciſsimi haberi debent, eo magis gratulari ſibi debet, quo illis minus iacturæ attulit. uel quòd olim exulceratum animi ulcus non planè occalluiſſe ducunt, & hoc fœderis quod tecum nuperrime percuſſerunt, quantum fidei quantumq; firmamẽti habiturũ ſit nondum habẽt exploratum.

Sed quoniã aduerſarij tribus ſuperioribus argumentis, de quibus diximus, ſponte ſe parum niti profitentur, nunc ad id accedamus, quod firmiſsimum illi eſſe arbitrantur. Alphonſum aiunt populos nouis quibuſdam portorijs & uectigalibus exercuiſſe: atq; hic declamationes in auaritiam & habendi libidinẽ cõminiſcuntur, exiſtimationemq; optimi principis falſis accerſitiſq; accuſationibus apud T. S. onerãt. Nos uero reiecto uerborum fuco, ademptiſq; argumentorum perſonis, rem totam excutiamus. Liceatq; mihi imprimis ab ijs percunctari, quæ nam ea ſint portoria aut uectigalia, quæ tãquam innouata obijciuntur. Mecũ profecto cogitanti, quæ ad rem publicam aut priuatam, ærarij aut fiſci aut peregrinorum pertinent, nihil occurrit, quod in deterius cõmutatum aut exauctum exaſperatumue ſit. Immo uero & multa ſe offerunt, in melius conuerſa aut deminuta & lenita aut prorſus abrogata. Si enim quæ ad publicam rem pertinent diſpicio, uideo populares coactiones, quæ tributim conferuntur, & pro ratione cenſus exigi ſolent, uix ad dimidium ſummæ quam ante Alfonſum ducem attingebant, nunc peruenire: quam rem totam ſi Antonij Conſtabilis tribuni plebis ſapientia & moderatione adminiſtratã fatemur omnes, quanto magis principi hoc ipſum debemus, cuius optimi tribuni ſumma eſt optio. In re

priuata ſummam etiam tranquillitatem uideo: ſecura & feſta pace fruuntur omnes, nulli diuitiæ fraudi ſunt, neminem facit ſontem fortunarum magnitudo: id quod facile uel me tacente ex habitudine & habitu hominum intelligi poteſt. Summa enim omnibus hilaritas, feſtiuitatis & iocorũ plenæ domus. Audiui ego hoſpites aliquos pulchritudine & moribus urbis captos profeſſos eſſe, ſibi hanc deliciarum & uenerum urbẽ uideri. Et profecto quis eſt adeò à Muſis & Gratijs alienus, qui ædificiorum molem, ornamenta ædium, templorũ faſtigia, ſtudiorum amœnitates, mercium uarietatem, non amet pariter atq; admiretur? Quę omnia quom indies illuſtriora fieri uideamus, non uideo quod certius publicæ & priuatæ ſecuritatis teſtimonium afferri poſsit. Fiſcum autem quem reipub. lienem eleganter Plotina Traiani uxor appellabat, nulla parte uideo in membrorũ perniciem intumuiſſe: exhauſtũ potius & exuctũ: quom tributa quę in conſtruendorum mœniũ rationem improbe admodum atq; impudenter iam multis annis extorquebantur, ut ad fiſci rationaria referrentur, iuſſu Alfonſi ab humeris populi excepta atq; adempta ſunt. Aerarium cuius præfectus & arbiter eſt tribunus, tantũ abeſt ut priuatas opes flagellet, & ullum incrementum acceperit: ut uix illis ſatis faciendo ſit, qui munera publica obeunt, & ſtipendia populo faciunt. Quod autem ad peregrinorũ & hoſpitum cõmoda pertinet, quid eſt quod non his hoc tẽpore & facilius fit & opportunius? Nam & exactiones illæ pro ſyngraphis, ſine quibus tranſuehi & certa loca præterire non licebat, expunctæ ſublataq; ſunt in perpetuũ. Nec tamen omnia attingo, quæ ad hanc rem facerent. Hoc enim tantum nunc propoſitum eſt nobis oſtendere, Alfonſum in ullo uectigalis genere nihil nouum aut acerbum inſtituiſſe: multa emendaſſe, & quaſi ad officiũ redegiſſe. Quod à me abunde hactenus abſolutum puto. Si enim neq; in re priuata, neq; publica, neq; fiſci, neq; ærarij, neq; peregrinorum quicquã adiectum exauctũq; eſt, quibus omnes portoriorum & uectigalium ſpecies continentur, nihil eſt præterea quod abofficio meo requiratur, nihil quod ab aduerſario optimo principi obijciatur. Vna tamen adhuc ſupereſt calumniæ latebra, quod in magna rei pecuniarię angustia & in ſumma temporũ difficultate ab optimatibus & opulentioribus ad ſuſtinendã bellorũ procellam pecuniã mutuatus ſit: quam ſi aperuero quid perfugij aut latibuli aduerſarijs ſuperfuturum ſit neſcio. Nec iam quicquã pater ſanctiſsime æquiſsimũ iudicium tuum morabitur, quin omnibus calculis delatorum audaciã condemnes, in ſolitamq; gratiam & beneuolentiã Alfonſum ſuſcipias. Quom enim ad rem militarẽ nihil æquè neceſſarium exiſtimatũ ſit, quàm rei pecuniariæ facultas, qua militibus ſtipendia perſoluantur, & annonæ caritas à caſtris arceatur: adde barbaros homines, qui in Italiam accíti ſunt, nihil maiore uoto quàm aurũ Italicum appetiſſe: quorum amicitia, ut puto tuæ ſanctitati exploratiſsimum eſſe, & auro paratur, & retinetur auro: ad utramq; igitur rem Alfonſo opus fuit innumerabiles ſumptus facere, & incredibilem pecuniam expedire. Cui quom fiſcus minime par eſſet, quis opportuniorem comparandi pecunias modum comminiſci potuiſſet, quàm ab amicis qui re nummaria pollerẽt, eas mutuari: qui modus neq; ulli grauis eſſe poteſt propter opulentiam, quom ab opulentis tantum exigantur, neq; moleſtus propter gratiã, quom ab inuitis nihil extorqueatur. Quod ergo nouum uectigal inſtitutum eſt? quod portorium? Tantum uero abeſt, ut hunc parandi pecunias modum aut texerit, aut diſsimulauerit Alfonſus, ut quom Veneti nauale bellũ intuliſſent, nihil prius habuerit, quàm hoc poſtulandi genere apud tuam ſanctitatem uti. Quæ pro ſua liberalitate & pecuniam dedit, & centurias decem ſubſidio miſit. Quod eo grauius eſt hoc tempore, quo impatientius uideri ſolet, unde minime ſperauerat uulnus accipere. Videtur igitur tua maieſtas neq; hic quicquam admiſſum eſſe dignum piaculo, neq; quod iure reprehendi poſsit. Sed fac etiam hos prætextus & calumnias quas oratione complexi ſumus iuſtas eſſe belli inferẽdi cauſas, ut maleuoli & delatores homines uideri uolunt, ecce iam omnes abolitę ſunt. Nõ uis ſalem legi, non legitur. uis Centum & Plebem reddi, reddita ſunt. Triremes & tormenta mitti cupis, mittentur. Diſplicent tibi uectigalia quæ Ferrariæ exercentur, ex arbitrio & uoluntate tuæ ſanctitatis immutabuntur, imminuentur, & abrogabuntur. Quę nam igitur ſupereſt uel ficta belli cauſa

cauſa pater beatiſsime, uel quo deniq; cõmento aduerſarij Alfonſum oppugnabũt? utor quidẽ omni ingenio, omnia excutio, ſi quid forte uſquã deprehendã: nihil intactum, nihil inexploratũ relinquo, in bona cauſa Momum induo: nec tamẽ proficio. In publicis priuatisue actionibus, in militaribus & caſtrenſibus inculpatior ſincerior q; Eſtenſis occurrit. Sed fingamus eos belli prętextus, qui nulli ſunt, & ſummos eſſe & plurimam uim habere, tuæ tamen magnitudinis eſt, & ſupplici Eſtenſi, & ad omnes nutus tuos parato quãtaſuis offenſiones remittere: atq; omnibus oſtendere, te non minus clementia quàm fortitudine præſtare. Superaſti tu quidem & euerti ſti hoſtes tuos, ueteresq; iniurias ultum iuiſti. En tẽpus, quo non minus ad ignoſcendum quàm plectendũ te propenſum oſtendas. Nec te pigeat pater ſanctiſsime ea benignitate animi qua hoſtes proſecutus es, amicos & fœderatos tuos promereri. Ne ſi poſt longas iniurias & detrimenta Eſtenſi reconciliere, ea de te fama prouulgetur, quaſi nunquam amicitiam repetas, niſi iniurijs & offenſionibus ſatiatus. Quæ ratio clementiæ qua in Venetos uſus es plurimũ detrahet, ceu non pietate nec facilitate naturæ, ſed iniuriarũ magnitudine fatigatus peperceris. Quo magis tibi nũc enitendũ eſt, ut omnes intelligant hæc abs te genuina quadã & peculiari animi bonitate facta eſſe. Et profecto nihil eſt quod reges & principes magis deceat, q; animi moderatio & cõtinentia: ut quantũ cæteros imperio & poteſtate præcellunt, tantũ ſibi ipſis humanitate & facili animi inductiõe dominent. Qua cauſa & in ſceptris regũ Aegyptij cucuphum auem, quã nos ciconiam putamus, ſubiecto hippopotamo ſuper impone bant: quòd pietas impietatem, clemẽtia inclementiã debeat ſupprimere. Quoi rei & natura teſtimonium attulit: quæ quom apibus aculeos dederit, eum ſolis regibus ademit: quaſi ſolis illis inhoneſtũ ſit iraſci, inhoneſtius iram exercere. Et quoniã quanto quiſq; eſt in altiore ſpecula poſitus, tãto eius dicta & facta omnia illuſtriora ſunt, magisq; in oculis atq; ore omnium poſita: non deerunt qui dicant te, non amore uirtutis, nec exercendæ tyrannidis gratia in Bentiuolos & mox in Venetos arma mouiſſe: ſed libidine ac cupiditate profundendi ſanguinẽ & propagandi imperij: quorum alterum ad iniuriã humani generis, alterum ad infinitam cupiditatem, polluendamq; partæ exiſtimationis gloriam pertinet: exiſtimabuntq; te omnes non iudicio ſed naturæ uitio bella ſuſcipere. Proinde nunquã bella & rixarum cauſas defuturas: quæ ideo aliquãdo appetendę ſunt, ut demũ in pace, & tranquillitate uiuatur. Quòd ſi maieſtas tua (ut audio aliquos aſſerentes) nulla alia cauſa hæc omnia in Eſtenſem molitur, niſi ut plurima cõmoda, maximamq; utilitatẽ in populum Ferrarienſem accumulet, libertatemq; & immunitatẽ afferat: non uideo pater ſanctiſsime quàm cautę hæc ratio abs te collecta ſit. Graue eñ admodũ eſt & periculoſum, urbiũ ſtatus, inueteratos præſertim & longo tempore adultos, uel in melius cõmutare: atq; id uix fieri poteſt, ſine pernicie & interitu populorum. Sicuti quidam etiã morbi, quom in aſſuetudinem abiere, curari non poſſunt ſine totius corporis periculo: ut plerunq; ſatius ſit prætermittere, quàm tantum diſcriminis adire. Quid uero ſi in deterius commutare uelis? Id quod liberis fermè omnibus ciuitatibus, & ditioni pontificiæ ſubiectis uidemus eueniſſe: ut factionibus urbanis & diſſidio ciuium penè interierint, ad magnam profecto ſolitudinẽ uaſtitatemq; peruenerint. Nõ enim ſemper diligentes & Iulios pontifices habebunt, id eſt fortes ac felices, qui conditioni, & incolumitati populorum prouideant. Quæ res in cauſa fuit, ut anteactis annis ciuitates quæ pontificis autoritate regebãtur, finitimis fermè omnibus in præda & direptione fuerint: auſiq; ſint plurimi per uim & impietatem earũ imperium uſurpare: unde tibi deinde immenſus & incredibilis penè labor uenit eas recuperandi reſtituendiq; in priſtinam fortunam: ex quo tibi liberatoris cognomentũ iure adſciuimus. Sed urbis Ferrariæ diuerſa conditio eſt: quando nõ ui neq; tyrannice eius urbis imperiũ ad Eſtenſem trãslatum eſt: ſed optimatum & populi optione ad urbis quæ factionibus ac diſcordia ciuiũ laborabat, præturam, mox etiã adminiſtrationem aduocatus, incredibiliq; omniũ conſenſu ac beneuolentia in urbem acceptus, ſuſcepit eam: & iam propè quingentis annis maxima cũ laude floruit: Salinguerramq; Taurellũm rerum nouarum autorẽ infenſumq; pontifici, utpote qui cum Federico Aenobarbo imperatore

Auguſto

Augusto & Acelino atrocissimis ecclesiæ hostibus faceret, eiecit: eiusq; populares exturbauit. Cuius urbis ditionẽ quom deinde Venetus arripuisset, primus omnium Estensis operam dedit, ut ad Apostolicã sedem rediret: cui testamento relicta fuerat à Mathilde principe fœmina, multarumq; urbium domina. Tot igitur ob merita in sanctissimam sedem, Clemens huius nominis v. pont. max. iure urbis donauit illustrem Opizonẽ Aldrouandini filium censu addito, annis ab hinc quatuor supra ducentos, ex quo tẽpore & soluti census, & seruata ecclesiæ maiestas, & factiones omnes eiectæ: tantumq; incremẽti nobilissima urbs accepit, ut iure dici possit: ab Estense quidem laretitiã acceptam, sed auream denicq; reddita esse. Quod profecto mirum uideri posset, ęstimãtibus quot bellis interea ea urbs cõflagrauerit, & quoties in eam finitimi coniurauerint, una tantum ratione infensi quòd frequentiam & maiestatem coalescentis populi ferre non poterant. Quæ tamen autoritate pontificis defensa & statum & incolumitatẽ suam seruauit, nec quicquã præter Estensem hactenus principem agnouit. Nec mihi hoc tempore animus est repetere, quæ à clarissimis uiris iudicata sunt: regiam scilicet dominationẽ, & ad orbis uniuersi imaginem redactam, reliquis dominandi formis longe præcellere: quodq; principum præsentia qui boni sint, quiq; perpetuum & iustum imperium habeant, nihil populis salubrius esse potest. Illud certè pater beatissime per gratiam tuam liceat mihi dixisse, neminem adhuc mihi cognitum esse ex ijs qui in Italia in populos imperium habent, qui uel animi magnitudine uel ingenij moderatione, uel utriusq; sobrietate ac continentia Alfonso conferendus uideatur. Nemo pertinacius iura, nemo æquitatẽ diligentius seruat in ciues, pompa omni atq; ambitione abdicata. Adeò ut in principe summam popularitatem agnoscas, quæ humani animi bona apud probos summam illi beneuolentiam, apud improbos formidinem ac timorẽ peperere. huius rei uel illud certissimum testimonium esse potest: quòd ut primũ in auitum solium acceptus est, palàm professus est sese in administratione imperij diui Borsij patrui sui: qui primus Ferrariæ dux salutatus est, primusq; in eam urbem aureum seculum inuexit: nec ullius est in omni hominum recordatione iucundior optatiorq; memoria: huius inquam tẽ status est se uestigia ac mores quantum fieri posset imitaturũ: & statuæ quæ illi in regiæ propyleo posita est, sceptrũ uetustate interlitũ, interpolari, auroq; obduci iussit. Adde quod quom antea flagitiosi homines & sicarij impune tota urbe grassarent, & quotidianę fermè cædes admitterentur, hic primus pessimorũ hominum audaciam fregit: ciuitatiq; pristinã faciem ac securitatẽ reddidit, adeò ut nunc pro ostento summoq; piaculo habeatur, si homo iugulatus nuntietur: quod ante hunc principem & peculiare & translaticiũ fermè putabatur. Quarum rerũ fama quom ad te peruenisset, summæ pietatis in eum indicia ostendisti. Et quom dominicę resurrectionis dies affulsisset, quo die pontifex solet Rosæ munere declarare, quẽ maxime principem gratũ habeat, nemo tibi ex tãto amicorũ aut cognatorum cœtu potior occurrit, quẽ eo munusculo, leui quidem, sed magnæ rei argumento honestares. Nuperrime uero quanto totius sacri collegij consensu sacro uexillo cõdonasti, nostræq; religionis cõpijs omnibus præfecisti? Qua dignitate neq; maior optari, neq; si optetur maior ulla haberi potest. Vide igitur pater sanctissime quàm in arctum tuæ existimationis ratio deducta sit. Nam quom tam repente animũ immutaueris, & prioris sententiæ pœnitentiam ostenderis, nulla certa aut illustri causa præcurrente, periculum est, ne aut parum consultus in conferendo beneficia, aut nimis præceps in reuocando existimere. Itaq; alterum necesse est, aut male audias collato beneficio in parum merentem, aut à bene merente adempto reprehendaris. Quorũ nescio utrum plus reformidem. Alterum enim minus prudentis est, alterum inconstantis, neutrũ profecto tuã illam diuinam in iudicando sapientiã & in consilijs firmitatẽ decet. Scipionẽ Africanum olim ferunt præter unam tribus omnes Romanas mulctasse, quod se paulo ante damnatum magistratũ creassent. Alterum ratus esse oportere, uel ut de se male meruissent, quem damnauerant: uel de republica cui iure damnatum præfecissent. Proinde mihi certũ uidetur, nõ modo hinc pendere ea quæ abs te in posterũ gerentur, uerũ etiã ab hoc tẽpore anteactis imminere calumniam: nisi abs te ea prudentia, qua

qua res ſummas ſemper adminiſtraſti, huic periculo occurratur. Nec profecto oportunius poſſe occurri intelligo, quàm ſi clementia & peculiari moderatione utatur, abdicatoq; armorum impetu in ſinum pietatis ſuæ Alfonſum excipiat, omnesq; iniuriarum uel umbras uel calumnias ſumma liberalitate tum ipſi Alfonſo, tum maiorum beneficijs remittat. Abſurdum eſt enim, iniuriarum æternã eſſe memoriam, meritorum propere obliuiſci. Succurrat igitur tibi præteriti temporis ratio, cum tui te hoſtes atrociſsime perſequerentur, nunquam tutius diuerſorium quàm apud ſummum totius æui moderatorem Herculem Alfonſi parentem inueniſſe. Cuius neq; opem neq; conſilium deſideraſti unquam: & quom filio regnum relinqueret, nulla re firmius ſtabiliusq; fore exiſtimauit, quàm ſuæ in tuam maieſtatẽ obſeruantiæ memoria. Quam etiam ſententiã, quom ſibi ex hac uita migrãdum intelligeret, planius teſtatus eſt: extremaq; mandata filio daturus, poſtquã de iuſtitia & clementia multa ſapientiſsime diſſeruit, ea tanq; totius orationis firmamenta iterũ atq; iterũ addidit, ut omnes opes regni, omnia imperij munimẽta, in tua ſanctitate quæ religione propinquiſsimum locum dijs teneret: atq; in Chriſtianiſsimo rege, qui inter mortales plus fortunæ magnitudine polleret: ſita ſemper exiſtimaret. Hæc ſi ita faceret, ſummã ſibi ſemper in regno ſecuritatẽ atq; incolumitatẽ polliceretur. Quæ ſpes & opinio ne ſapientiſsimum atq; optime meritũ principem fefellerit, ſumma diligẽtia præſtandum eſt abs te pater beatiſsime: nõ modo ea cauſa ne eius fiducia fruſtrata uideatur, ſed ne tu ulla parte ingratus deprehendare. Sublato autẽ parente ex rebus humanis, quod non obſeruantiſsimi animi teſtimonium dedit Alfonſus? Nec enim contentus per legatos, ut mos eſt omnium qui principatũ auſpicantur, ſacris pedibus oſculum tuliſſe, ſeq; & ſua in fidem ac poteſtatẽ tuæ maieſtatis tradidiſſe, nullum obſequentiſsimi animi indiciũ prætermiſit, nullaq; in re quantum ego captu aſſequi poſſum tuę uolũtati repugnauit. Imprimisq; operã dedit ut omnes intelligerẽt tui muneris eſſe, quòd regnaret, quòd paterno ſceptro potiretur. Cum nullo pacẽ, cum nullo bellum, ſine cõſenſu atq; autoritate tua unquã iniit. Quòd ſi hæc quæ profecto ſumma ſunt, ad prouocandam tuã clementiam ſatis eſſe nõ putas, frangat hunc ſaltem animi impetum maiorũ Alfonſi recordatio, & ſuperiorum temporum beneficia. Molliat hanc iracundiã ampliſsimi fratris Hippolyti incomparabilis erga te religio: qui Bononienſi bello tua cauſa diſcrimen uitæ adire nõ recuſauit: qui bello Veneto tam egregiam operam plenam laboris ſed & felicitatis præbuit: cui expugnatos hoſtes, cui captam claſſem debemus. Atq; hæc non minus in tuæ gratiam ſanctitatis quàm fraterni regni incolumitatẽ ab eo geſta ſunt. Si quod ergo dictũ factũue Alfonſi, quod ego profecto non inuenio, te forte offendit: Hippolyto, cui tu fratris nomen indulges, in quẽ opulentiſsima ſacerdotia contuliſti, hoc omne digneris condonare: ut apud te beneuolentia & pietas plus ponderis quàm indignatio & ſimultas habere uideatur. Quòd ſi tua maieſtas omnẽ locum precibus & hortationibus noſtris ſuſtulerit, ſi clementia quàm furore uti maluerit, non uereor quin exiſtimationis & autoritatis apud omnes Italicos & prouinciales longe plus aſſequatur, quàm ſi latiſsimas regiones, & opulentiſsimas urbes in ditionẽ tuam redegerit. Ad principẽ enim Romanæ ſedis longe amplior gloria accedit, ſi hæc habentibus dominetur, quàm ſi ipſe hęc habere contenderit. Sed nõ minus me illa cogitatio tranſuerſum ducit, quæ bellorum momenta & uiciſsitudines fortunæ adeò incertas, lubricasq; & deſultorias oſtendit, ut nemo unquam quamuis faciles propitioſq; deos habuerit, eius tenorem diu ſibi eundem queat polliceri. Præſtas tu quidem exercitu & lectiſsimas copias habes, & facilis fortaſſe aditus ad uictoriã uideri poteſt. Sed niſi Alfonſum prouocare deſieris, in eo quidem primo perperã facies, quòd eius cauſam meliorẽ reddes. Eſt enim natura comparatum, id quod nullo iure uetitum eſt, ut ſe omnia animantia, ſalutemq; ſuam quantum fieri poteſt tueantur: eaq; quæ aduerſa ſunt, longe ſummoueant. Quòd ſi in te arma ſuſtulerit, ſi aciẽ direxerit, ſi populos fœderatosq; in te excitarit, nihil erit tamẽ quod de ipſo queraris: qcquid eñ illud piaculi, ferre ſcilicet arma in pontificẽ, hoc omne tibi iure imputandũ omnes putabunt: & tu ipſe peccaſſe exiſtimaberis, qui coegeris. Nec Alfonſus oppugnare eccleſiã, ſed bellum atq; iniurias

propu-

propugnare ac defendere putabitur. Et quom nulli huius belli ueri prætextus affe-
rantur, putabunt omnes te ad arbitrium ac nutum tuorũ quondam hostium, nunc e-
tiam Alphonsi, hæc omnia meditatum. Qui quom ipsi olim frustra, immo uero cum
maximo malo suo in agrũ Ferrariẽsem arma tulerint, nimisq; improbe sacra & pro-
fana omnia uexauerint: id quod nonnulli eo etiã tempore non sine consensu tuo fie-
ri suspicabantur, sed rem altius dissimulari, & mox quoniam res præter expectatio
nem euenerit, in dissimulationẽ abijsse: nunc uero tandem, postquã iustam nullam
rationẽ inueneris, leuium quarundam causarũ obtentu, nulla iusta ratiõe percitum,
odium, quo iam diu exarseris, nec iam diutius ferre potueris, in Alfonsum uibrare.
Quod eo atrocius fit, quoniã balista, quo magis retrahitur, hoc uehemẽtius impellit.
Hæc quidem maleuoli homines etiã quæ minus uera confingent: & qua est impro-
bitate pessimorum hominũ audacia, longe acutiora, ornatioraq; astruent. Quibus o-
mnibus pater sanctissime quantum fieri potest, summouenda est ansa, & quasi men-
dacijs uia obstruenda: ne nõ modo crimine uacemus, sed etiam suspicione criminis.
Sunt enim huiusmodi homines muscis simillimi, quæ meliores syncerasq; corporis
partes prætermittunt, ulcerosa tantum & uitiosa persequuntur. Quales uero eos fu-
turos iudicamus, qui iam tuæ maiestati infensi sunt: seq; ideo deceptos putant: quòd
cum eorum hostibus gratiã inieris: quòd classem ad diripiendam Liguriam miseris:
quòd Sequanos in eos armaueris, quòd fœdus & conuenta inter se & Cæsarẽ uiola
re & cõfundere tentaueris. Quàm accenso & iam irritato animo in te prorupturos
censes? Illud certò constat, ubi semel barbari homines fas calcauerint, & iuris fines
transierint, posthac religionẽ ipsam & tuas diras sacrasq; imprecationes pro nihilo
existimaturos, nihilq; pensi in humanis sacrisue aut diuinis habituros: immo uero
suapte natura atroces, impios, efferatosq; homines, ubi semel hãc occasionẽ inuaden
di tuam maiestatẽ arripuerint, quasi gustato sanguine nullam deinceps facinoribus
& impictati (id quod abominor) metam relicturos. Quæ res eo erit grauior, quod cæ
teris in exemplum abibit: & ipsi denicq; posteritati futurisq; pontificibus summũ ui-
detur incõmodum aliquando esse allatura. Quantũ igitur ab hoc bello abstinendum
sit uides: ubi nõ modo præsens ætas sed futura etiã offendatur, in quo præsertim tan
tum discriminis propositum sit, nunquã enim ferè partes labant, quin summa turbe-
tur. Audio etiã iamdiu & oracula & populorũ uoces circũferri, quibus statum eccle-
siæ mutari oportere portenditur. Diu igitur diligenterq; sanctitas tua consulat, ne se-
ro fortasse aliquando, sed frustra pœnitentia subeat, neu priores uictoriæ aduerso a-
liquo casu inficiantur. Cæsarẽ cautiorem in senecta ferunt ad bella suscipiẽda: ne for
te uictus superiores uictorias fœdaret. & profecto si à me sententia quærenda sit, pa
rum tutũ & quasi aduersi ominis uidetur illis adhæsisse, qui uinci didicerint. Timen
dum enim ne fatum & ueluti contagio quædam infortunij trahatur, quod iam incur
sione Genuensi audimus nũtiari. Per deos igitur immortales, Pater beatissime, tan-
tum scelerum & flagitiorum ab humeris nostris & à sanctissimo solio auerte: & quic
quid sanguinis, quicquid operæ, quicquid pecuniarũ sotiali hoc bello absumi debue-
rat, illud omne et felicius & honestius ad expeditionẽ in Turcas perpetuos tuę maie
statis nostriq; nominis ac sanctissimæ religionis hostes reseruetur. Erit enim hoc &
ad perpetuitatẽ nominis, & imperij amplitudinem & ultionẽ iniuriarum, sanctæq;
religionis securitatem & opportunius multo & illustrius: quod prætermissum æter-
num dedecus afferat, & non modo summã occasionem inuadendi, uindicandiq; san
ctam religionẽ auferat, uerum etiã hostium audaciam augeat, atq; irritet ad nos occu
patos intestinisq; bellis implicitos non ad aggrediendum modo, sed expilandum ex-
pugnandumq;, & (quod cogitando exhorresco) per ludibrium nos nostrosq; liberos
& fortunas nostras uexandũ, hostiliterq; insultandum. In quo infortunio nullum op
probrij genus, nullam calamitatis faciẽ defuturam speramus. Quos tunc pater bea-
tissime eiulatus, quos gemitus, quot lamenta miseraberis: quom inops consilij, seraq;
percitus pœnitentia, cupies tu quidem sed frustra cupies ferre subsidium. Quan-
tum denicq; perhorrescens sęuas illas & plenas contumeliarum imprecationes, quom
infelices mulieres, captiuicq; pueri, & in pœnã longęui senes captiuitatem suam suaq;
infortu-

infortunia uni tibi imputabũt, qui ſolus reipublicę Chriſtianę habenas tenes, & tantis calamitatibus potuiſti occurrere. Nõ modo igit̃ pacis pater clementiſsime, nõ exiſtimationis modo, ſed ſalutis huiuſq; precarij ſpiritus rationẽ tibi habendã putamus. Magnoſq; iſtos apparatus, rerumq; omnium capacia conſilia cõuertere obteſtamur in hoſtes tuos, ad cõmunem iniuriam fœditatemq; eluendam. Nõ Alfonſus tibi, non ullus Chriſtiana religione initiatus his armis petendus eſt, ueros certoſq; hoſtes tibi oſtendo: qui in tua uiſcera tuaq; præcordia graſſari geſtiunt. In horum excidium interneciõnemq; properandum nõ modo par eſſe, ſed neceſſariũ putamus. Intuere ipſam Italiam agitatã undiq; & conuulſam, iamdudum tot calamitatũ inducias precantem. Illa tibi effuſis crinibus, accidensq; genibus tot mortalium funera, latamq; agrorum uaſtitatẽ oſtendit, cõtinuiſq; bellis omnia iampridem attrita: nec minus eos qui uicerunt, quàm qui uicti ſunt, conſternatos eſſe. Paucorum enim annorum bellum, ſed diſpendiorũ magnitudine multæ ætatis argui poteſt. Si enim ad Samnites Campanoſq; oculos uerteris, Gallico & Hiſpanico bello omnia uidebis exarſiſſe. Si ad Inſubres Liguresq;, diuturno bello exhauſta omnia cognoſces. Si Thuſciam, omnemq; illam orã maris Tyrreni inſpexeris, Piſana obſtinatiõe, Florẽtinoq; incurſu deſolata ſunt omnia. Si Carnos, Noricos, Germanica uaſtatiõe exciſa, abſumptaq; omnia inueniesſi Flaminiã, Aemiliãq;, tuo bello quo Venetos perſecutus es, et profligaſti, excurſam omnem regionem deprehẽdes. Quid uero littus maris Adriatici, quid Venetiam attingam? quæ & Germanica obſidione, & Gallica expugnatione, & quà Pado alluitur, Veneta claſſe omnis diruta ac penè funditus exciſa eſt. Proinde Pontifex mitiſsime, iure & inuiſa arma deprecamur, & pacem oramus: omnibus uotis pacem, omni animo pacẽ, loquẽtes tacitiq; pacem expetimus. Quod cõmode abs te factum iri putabimus, ſi è medio arma ſummoueris, ſi ſimultatibus nuntium miſeris, ſolitaq; clementia Alfonſum amplexaberis, benignitateq; magis quàm indignatione uti malueris. Quod abs te profecto fieri par eſt: uel quod nulla belli ſolida cauſa ſubeſt, ſed conficta, à calumniatoribusq; ementita: quæ ſi rem ipſam pertracta reuolueris, facile dilui poterit. Tum quod præſto eſt Alfonſus è tua ſententia omnia immutare, & hæc ipſa maximè clementia & manſuetudo pontificis nõ aliter decet: omniaq; iam longo bello exhauſta tranquillitatẽ & quietem expoſcunt. Nec minus ut ditiſsimis hominibus tibiq; infenſis omnis obſtringẽdi occaſio ſubtrahat: quom præſertim huius belli exitus tam ambiguus ſit & deteſtandus, ut turpe ſit uiciſſe, uinci autẽ turpiſsimum, magnæq; in utraq; alea calamitates immineant: quom præſertim hæc opera melius tutiuſq; locari poſsit ad hoſtes religionis euertendos. Et profecto ſi preces noſtras audiueris, & hęc bella, plena inuidiæ plena deteſtatiõis prętermiſeris, in eaq; omni animo incubueris quæ tam nobis omnẽ metum adimẽt, quàm ipſi religioni priſtinum diem reſtituent: uideo tibi pater beatiſsime, & multo amplius exiſtimationis propoſitum eſſe ad famã, & ad imperij amplitudinem longe maiores uberioresq; regiones offerri: tum uero & in ore eorum omnium qui ſunt, & in poſterorũ memoria tui nominis monumentũ, in cælo deniq; gloriæ atq; immortalitatis tuę fundamenta conſtitues.

CAELII CALCAGNINI IN LAVDEM IVRIS PERITIÆ, ORATIO.

Ex omnibus disciplinis, quæ ad excolendum hominis animum inuētæ sunt, eam semper uiri eminētissimi præstantissimam ac præcipuam existimaui, quæ se maximè ad utilitatem hominum proferret, nec ullo loco desineret prodesse. Ea causa fuit, ut Iuris peritiā omnibus alijs artibus, quæ ad cultum animi pertinēt, semper longe prætulerim. Nam cæteræ philosophiæ partes paucis ijsdemq; eruditis accōmodatæ sunt, nec omnibus locis ac temporibus satis usui esse possunt. Quod, si uniuersa membra τῆς ἐγκυκλοπαιδείας exploraueris, facile intelliges: quando nec terrarū dimensiones, nec astrorum inspectiones, nec numerorū collectiones omni hominum generi conueniunt: & si fortè alicui cōuenire uideantur, certè non omnibus temporibus, nec omnibus locis congruunt: sicuti neq; de ratione dicendi par est ut ubiq; disputatio habeatur. nihil enim est in quo magis uersetur hominis prudentia, quàm ut intelligamus quando loquendum sit, aut quando oratione abstinendum, & quid cuiq; loco ac tempori sit opportunū. Si quis fucum & orationis phaleras adhibeat, quom de patria ac serijs rebus agendum est, is profecto ineptus ac ridiculus habeatur. Atqui nullus est locus, nullum tēporis momentū quod officio uacare debeat. Nam siue publice siue priuatim, siue tecū ipse quid agas: ea semper philosophiæ pars exercenda est, quę ad mores, quæ ad ius ciuitatis, quæ ad bene ac beate uiuendum spectat. Hæc illa est quæ leges præscribit, quæ bonos ad uirtutē præmijs excitat, quæ à flagitijs malos atq; improbos supplicijs deterret. Hinc illa scilicet emanauit Chrysippi definitio, quā Martianus iureconsultus adscripsit, sed longe temporū imperitia abrogauit. ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείωντε καὶ ἀνθρωπείων πραγμάτων. δεῖ δ' αὐτὸν προστάτην εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα, καὶ ἡγεμόνα, καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τ' εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων, προστατικὸν μὲν τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων. Quæ sic possumus in latinitatem transferre. Lex est omnium diuinarum & humanarū rerum regina. Oportet autē eam etiam præsidere & bonis & malis & principem & ducem esse. & secundum hoc regula est iustorū & iniustorum, & eorum animaliū quæ natura ciuilia sunt: ea quidem præcipiens quæ facienda sunt, quæ autē facienda non sunt prohibens. Huius præstantissimę disciplinæ, oculum prudentiam, manum fortitudinem, pulchritudinē iustitiam, salubritatem continentiā Plato appellauit: certè eius fundamētū in iustitia positū est. Est enim iustitia ea uirtus, quę omnes alias in se uirtutes complectitur, quæ pro dignitate suum unicuiq; tribuit. Ex quo etiam à Græcis νόμος fuit appellata. duo tamen iustitiæ fastigia prudentissimi tradiderūt. Alia enim est iustitia quæ proportionē quandam habet geometricā: huius munus est obseruare quid cuiq; conueniat. nulla enim maior disparilitas, quàm imparibus paria conferre. quod eleganter admodum Græci dicūt, ἴσα ἀνίσοις ἄνισα, æqualia inæqualibus inæqualia. Altera est cui proportionem adscribunt Arithmeticam, quæ in contractibus maximè uersatur: in quibus æqua lance ius suum omnibus impendendum est. Nam quos fortuna dignitasq; distinguit, hos fides & mutuę adæquant pactiones. In hoc ius cōmerciorum, cuius deinde locum numus sponsor præsentissimus occupauit: in hoc ius talionis, quod à Rhadamanto uolunt originem habuisse, uersari solet. Sed hæc iura pro gentiū instituto uaria sunt, & pro temporum occasione cōmutantur. Cæterum lex una æterna est ac perennis, neutiquā mutationis capax: hæc semel à supremo rerum autore fixa, neq; refigi neq; abrogari potest, constans & suæ prærogatiuæ retinentissima. Ad huius imaginē leges humanæ sese dirigunt: solæq; illæ ueræ leges merentur appellari, quæ eædem sunt apud omnes, neq; unquā desinunt leges esse. Alioqui rectius formulæ dicuntur litium & controuersiarum, ad captandos hominū animos factæ. Proprie tamen ius ciuile populi Romani uocatur, quod diuersis

diuersis tẽporibus uaria accepit incrementa. Nã sub regibus leges curiatæ, quas Sextus Papyrius excepit, tamdiu fuerũt in honore, donec placuit publica auctoritate decẽ constituí uiros, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus, unde XII. tab. ortũ accepere. Quem librum M. Cicero se omnibus philosophorũ disputationibus longe præferre testatur. & profecto si dicendi uim elegantiãq; species, si succinctam rerum copiam obserues, non facile inuenies, quid cum XII. tabularum libro conferas. Mira siquidem breuitate omne ius pontificium ac Cæsareũ cõplectitur. Caste, inquit, diuos adeunto. pietatem adhibento. opes amouento. Qui secus faxit deus ipse uindex erit. Quid aptius aut cõmodius dici potuit? quid ad sanciendam pietatem opportunius? caste iubet lex adire deos. corpore uidelicet & animo multo magis. Nam corporis macula, uel aspersione aquæ uel dierum numero tollitur. animi labes, nec diuturnitate euanescere, nec ullis manibus elui potest. Quàm uero prudẽter subiungit: Seperatim nemo habessit deos, neue nouos siue aduenas, nisi publice adscitos, priuatim colunto. Constructa à patribus delubra, lucos in agris habento, & larium sedes. Ritus familiæ patriæq; seruanto. Quis dubitat, quin hinc ritus familiariũ & sacerdotia gentilitia, quæ nunc ius patronatus uocãt, emanarint. Sed neq; lex eos prætermittit, qui ex omnibus uirtutis & rerum præclare gestarum gratia cælo dona ti sunt. Diuos & eos qui cælestes semper habiti colunto. Illos quos in cælum merita uocauerunt, & illa propter quæ datur homini ascensus in cælum, mentẽ, uirtutem, pietatem, fidem: earumq; laudum delubra sunto, nec ulla uitiorum sacra solemnia obeunto. Sacrum sacroue cõmendatum qui clepserit rapseritue parricida esto. Periurij pœna diuina exitium, humana dedecus. Incestum pontifices supremo supplicio sanciunto. Impius ne audeto placare donis iram deorum. Sancte uota reddunto. hactenus ex põtificio. nũc aliquid è Cæsareo delibemus. Iusta imperia sunto, ijsq; ciuis modeste ac sine recusatione pareto. Magistratus nec obediẽtem & nocuũ ciuẽ, mulcta, uinculis, uerberibusue coercento, ni par maiorue potestas prohibessit: ad quos prouocatio esto. Quom magistratus iudicassit, irrogassitue, per populum mulctæ, pœnæ certatio esto. Cæterũ quom illud imprimis procurandum sit, ut bene cõditas leges certi custodes tueantur, quàm sapienter illud factum est à X uiris, ut duo proti nus magistratus acerrimi legum custodes coordinarentur. Censores populi ciuitatis, soboles, familias pecuniasq; cẽsento. Vrbis templa, uias, aquas, ærarium, uectiga lia tuentor. Populiq; partes in tribus distribuunto. Exinde pecunias per ciuitatis ordines partiunto. Equitũ peditumq; prolem describũto. cælibes esse prohibento. Mores populi regunto. Probrum in senatu ne relinquunto, bini sunto. Magistratũ quin quenniũ habento. Reliqui magistratus annui sunto, eaq; potestas semper esto. His protinus honorariam potestatẽ adscribunt. Iuris disceptator, qui priuata iudicet, iudicariue iubeat, prætor esto. Is iuris ciuilis custos esto. Huic potestati parẽto. Quotcunq; senatus creuerit populusue iusserit, tot sunto. Videtis puto, uiri celeberrimi, quanta sub breuitate rerum maximarũ moles comprehendatur, quo acumine totius ciuitatis administratio proponatur: ut fateri cogamur nõ aliunde quàm ex bene instítutis legibus pendere ciuium felicitatẽ. At quom in XII. tabulis sæpe aliquid controuersum ob interpretantium uarietatẽ emergeret, subducendæ contentionis gratia accesserunt prudentũ responsa. His additæ sunt legitimæ actiones, ut certæ agendi formulæ cognoscerentur. Hæ uero antea à pontificibus nõ secus ac dies à Chaldæis petebantur: quas quom Gn. Flauius scriba libertino genere natus, promulgasset, & ut dicitur cornicum oculos confixisset, tantam cum populo Romano gratiam inijt, ut omniũ suffragijs tribunus plebis & senator & ædilis curulis crearetur. Non multo post quom plebs secessisset à patribus proprias sibi leges cõstituit: quæ plebiscita nuncupata sunt, quibus patricij non tenebantur: donec lata lege Hortensia sancitum est, ut omnes ordines plebiscitis obstringerentur, non aliter ac senatus consultis antea solebant. omnis aut lex, antequã trinundino approbaretur, rogatione constabat, quod rogante magistratu iudicio populi exponeretur. Post hæc edicta prætorum & ius honorarium propositum est. Demum quom ad unum peruenisset imperij magnitudo, tum etiam & principales constitutiones emerserunt, quæ legũ omnium

uim complectebantur. Erat enim princeps lex uiua, quæ leges ſcriptas pro arbitrio poterat moderari. Hæc eſt propè legum omnium origo ac ſeries ad tempora uſq; Iuſtiniani imperatoris. Qui ſuggerẽte Tribuniano uiro magnifico, magiſtro & Exquæſtore ſacri palatij, infinitã legum & enarrationũ ſyluam digeſsit in quinquaginta uolumina: quí labor plus ne utilitatis an difficultatis candidatis legum attulerit, non facile eſt dijudicare. Certè quæ ſeptem & triginta clariſsimi conditores luculenter poſteritati tradiderãt, ea ita cęſim cõminuit, ut Samniũ quęramus in Samnio: ceu prouerbio dici ſolet. Nemo profecto eſt tam ferreus, qui æquo animo perferat, Q. Mutij Scæuolæ, Galli Aquilij, Labeonis, Saluij Iuliani aliorumq; præſtantiſsimorũ monumenta tam fœde perijſſe. Nam quid ego de Papiniano meminerim? quem hiſtoriæ iuris Aſylum uocauit antiquitas. Quid de Iulio Paulo & Domitio Vlpiano uerba faciam? qui ambo tanta fuerunt in celebritate nominis, ut coryphæi, id eſt uertices iuris ciuilis dicerentur: pro quorum olim iuſtis atq; integris theſauris, nunc, prò dolor, breuia & interrupta quædam ſegmenta poſsidemus. Magna fuit omnino apud omnes bene inſtitutas gentes iuris ciuilis autoritas, ſumma exiſtimatio: utpote ex qua humani generis ſalus, incolumitasq; penderet. Quæ res facit ut admirer Ciceronem in oratione pro L. Murena tam inclementer proſcidiſſe iuris peritiam. Quod niſi intelligerem ſummũ oratorẽ tempori & argumento ſuo inſeruiſſe, nemo mihi potuiſſet perſuadere eam orationẽ à Cicerone profluxiſſe. Nam quis non uidet rem militarem totam natam eſſe ad hominũ quietem tranquillitatemq; ſubuertendam, ad exitium humani generis inuentam: quam tamen dignitati peritiæ ciuilis ita præfert, ac ſi ab ea omnia cõmoda proficiſcerẽtur. Nam ut omnia pulcherrime cedant, quis neſcit, ea una cauſa bellum aliquando ſuſcipiendum eſſe, ut certa demum pace perfruamur, & leges ſuum tandem decus tueantur. Quin & bella ipſa niſi certis legibus conſtent, rem eſſe immanẽ, brutis potius ac feris animãtibus quàm hominibus dignam, ſapientiſsime quiſq; ſemper iudicauit. Illud uero iam apud omnes in conſeſſo eſt, non aliunde plus dignitatis ac ſplendoris ad homines, quàm ex ijs ſtudijs prouenire poſſe, non aliunde plus opum & copiarum. Eſt enim domus iureconſulti publicum totius urbis oraculum, hæc gentes, hæc populos in officio continet: hæc certam omnibus felicitatem elargitur. Proinde quom ſummus poeta omnibus alijs nationibus certa quædam ornamenta tribuiſſet, tum populo uictori & principi gentium facultatem tuendæ pacis & adminiſtrandi faſces humani generis præſcribit:

Tu regere imperio populos Romane memento:
Hæ tibi erunt artes, pacíq; imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Hanc itaq; tam uberem, tam fœcundam, tam illuſtrem diſciplinam quid ceſſamus generoſi adoleſcentes & cõmilitones mei clariſsimi omni animo atq; ingenio amplexari? Quod ſtudium honorificentius nobis, quod patriæ, quod parẽtibus, quod amicis & clientibus accõmodatius excolere poſſumus? quàm hoc ipſum iuris: quod nobis quidem feliciter agentibus, magna ornamenta, laborantibus uero & in periculo conſtitutis magna poteſt afferre præſidia. Certè nullus ſe ijs ſtudijs addixit,

cuius res non ſint factę quotidiæ auctiores, ſeu ad famam
& claritatem nominis, ſeu ad fortunarum &
bonorum incrementa ad-
ſpirauerit.

CAELII CALCAGNINI IN LAV

DEM IVRIS PERITORVM, CONTRA calumniatores, oratio.

I qui in subsellijs & conuentibus uoluit primas partes honoratioresq; accubitus philosophis dari, uideo lõge diuersum quàm uoto sumpserit euenisse. Is enim hac ratiõe existimauit se maximè omnibus posse persuadere, se aut esse philosophum, aut certè philosophiæ studiosum. contrà uero ei obtigit. nam qui hominem hac laborare ambitione intellexerunt, ut de uia cedere, fasces summittere, in hexedra assurgere, ad philosophum quoq; spectare existimauerit, eum ab omni planè philosophiæ cognitione alienum iudicauere. neq; omnino internosse quid plurimũ deceat: cuius hoc peculiare est, ut ex se & conscientia sua non aliunde pendeat: qui recte factis & cogitatis felicitatem metiatur: qui hominũ opiniones nihil ad se pertinere arbitretur: utpote qui plerunq; inique ac præpostere iudicent. quin immo illud persæpe secum ipse meditetur, regium esse male audire ac despectissimo loco haberi, quom recte feceris. Multo enim satius putat, mereri ut in aliquo censu habeare, quàm honores, dignitates, & alia illud genus uanissima ornamenta sibi comparare. Quid uero dicam, quòd si quando ita contigerit, ut apud principes & proceres se sentiat aliquid existimationis nactũ esse: protinus incipit ipse secũ meditari: ne quid forte per imprudentiã graue conscíuerit facinus, unde hæc ad se laus permanauerit: plenum dedecoris & probri interpretãs, quicquid ab huiuscemodi hominibus profectum fuerit. Adde quod philosophus suæ uirtutis conscius tanti se facit: ut à cæteris nihil ipse honoris expectet. Se uero eum esse opinetur, qui non solum honorẽ, sed immortalem quandam gloriam cæteris afferre possit. Sic ille Lacon quom à magistro conuiuij postremo loco sedere iussus foret: per Pollucem, inquit, inuenit quomodo postremũ locum honoratiorẽ reddat. utpote qui neq; ex loco, neq; ex aliena uoluntate honores suos, sed ex se ipso tantũ pendere existimaret. Nam ut uera fateamur, honor non in eo situs est, cui honor præstatur, sed in eo qui honorem præstat. Tantum enim cuiq; honoris exhiberi solet, non quantum eius debetur uirtuti, sed quanta cuiusq; est de eo existimatio. Nam sic uetères honorem definierunt, peruagatam hominum de cuiusq; uirtute opinionẽ. Et M. Marcellus rebus feliciter gestis in Sicilia Virtuti & Honori pariter ædẽ suscepto uoto faciundam curauit. Quamuis si recte disquiramus, hi qui uulgo honores appellantur, ueniẽti puta amico occurrere, de uia cedere, caput aperire, ad genua se aduolure, dextram auersam exosculari, medium locare, aut ambulantis latus tegere: hi falsò honores appellari solẽt, quom si ex animo fiant indicia sint & leuissima honoris testimonia. Verus enim honor est qui animo cõcipitur, & quod quisq; de alterius, aut liberalitate, aut animi magnitudine, aut cõtinentia, aut sapiẽtia, cæterisq; uirtutibus sentit. Honor enim est legitimum uirtutis præmium, quod etiam nolentẽ, atq; aliud agentem subsequitur. Quod tantum abest, ut philosophus appetat, ut oblatum plerunq; aspernetur & refugiat, omnia philosophia ipsa & uirtutis amplitudine inferiora ducens. Ob id prudentissimi existimauerunt philosophum aut nunquã ad gerendam rempublicã aut in summa tantũ necessitate accessurum, ut facile intelligamus, eum id non sic honoris sed publicæ utilitatis gratia esse facturum. Hæc parum uidetur animaduertisse magnus ille philosophiæ defensor, qui publicis in cõsessibus prima subsellia philosophis adiudicauit. Quid ergo luculenta oratione & tot apparatu uersuum lucrifecit? nisi ut omnibus patefaceret, mentem suam parum æquam iureconsultis: quorũ dignitati quantum inuideat, non potuit ipse dissimulare. Plenis autem buccis philosophiam iactat deorũ munus, quo nullum maius aut melius datum est nobis à Dis immortalibus. Hanc omnibus honoribus cumulandam putat, hanc omnibus actionibus humanis præferendam contendit: quasi uero nos artem leno-

niam aut talariam aut obſonatoriam prædicemus, & non hanc ipſam philoſophiam multo uerioribus ac iuſtioribus laudibus prouehamus: cui neq; adſcitos cultus neq; confictos titulos uendico, ſed natiuos ac legitimos ornatus defendo, in opinione hominum poſitos, nõ autem ab inuitis expreſſos. Ille enim acerrimus orator omnibus neruis enititur oſtẽdere philoſophiam præcipuo in honore habendã: iureconſultos autem longe à philoſophiæ faſtigio, & in ipſam uſq; poſtremã claſſem ablegandos. Hic enim totus cõtentionis cardo uertitur, ut ordo, cui orator nomen dedit, quippe philoſophicus, iuris peritorum quibus cum ſuſcepta eſt contentio, dignitati præfulgeat. Atq; hoc loco nõ ſecus quàm pro aris & focis digladiatur. Quòd ſi ueritatis imprimis, apud philoſophum præſertim, haberi rationem oportet: certè omnis ille conatus in ſciomachiam exit, magnifica illa argumenta undecunq; multo ambitu conquiſita, uel nullo impellente per ſe concidunt. Habent enim præiudicatam cauſam ſuam iuriſperiti tacito mortalium conſenſu: quod genus argumenti ab opinione hominum deducti, iuxta Platoni atq; Ariſtoteli frequẽs eſt: quando nulla eſt propè hominum conditio, quæ non habeat perſuaſum iureconſultis ſummos honores, ſummas opes, ſummos magiſtratus deberi. Horum domum eſſe cõmune ciuitatis oraculum, unde ſibi ſi nõ populi & reges, at omnes ſui ciues cõſilium expetant ſuarũ rerũ incerti: quos ille ſua ope ex incertis certos cõpotesq; cõſilij dimittit. Ita eſt profecto, ſicut enim ingruente belloſpes omnis ſita eſt in ualido & acri pugnatore, qui patriam tueatur: ita pacis tempore omnis ſpes in iuriſperito repoſita eſt, cuius prudentia lites & cõtentiones omnes ciuiles dirimantur. Hic in medio hominum exerta adeò uoce inclamat: Diſcite iuſtitiam moniti & non temnere diuos. Hanc uocẽ ſcio protinus aduerſarius contendit eſſe philoſophi, non iureconſulti. Anguſtis enim nimirum cancellis ſtudia iureconſulti præfinit, utpote cui præter formulas litium & captiones uocum nihil relinquat. At ego eam uocem & philoſophi & iureconſulti conſtanter affirmo. Sed hoc eſt quod aduerſarium in errorem induxit, quod partem à toto & formam à genere conuellit. Nam quom philoſophus tribus faſtigijs ſecernatur, aut naturæ contemplatione, aut diſſerendi ratione, aut morum inſtitutione, poſtremam hanc partem non uidit ad iureconſultum pertinere: cuius partes ſunt optimas leges conſtituere ad perpetuitatem reipublicę conſeruandã, ut ciuitas optimarum legum præſidio bene ac feliciter degat. Plato igitur quom Timæum, Phædrum, Phędonem ſcriberet, philoſophum egit, ſed phyſicũ: quom Gorgiam, Protagoram, partibus philoſophi perfunctus eſt, ſed dialectici: quom libros de republica, libros legum, Epinomidem: hic quoq; philoſophum agit, ſed iureconſultum. Quo alio nomine philoſophiam Ariſtotelis nuncupauero, in ethicis & politicis, quàm iuris peritiam? Nam pro diuinitate illius nunquam ſatis laudati ingenij ita leges conſtituit, ut non ſolum quid maxime ciuitati conueniret, ſed cur etiam conueniret, certa ratione confirmaret. Non pigebit hoc loco Ciceronis uti uerbis: Fremãt omnes licet, dicam quid ſentio: Bibliothecas me hercle omnium philoſophorum unus mihi uidetur XII. tab. libellus, ſi quis legũ fontes & caput uiderit, & autoritatis pondere & utilitatis ubertate ſuperare.

CAELII CALCAGNINI IN SOLEMNITATE EPIPHANIÆ QVA INDICUNTUR EX MORE FESTA MOBILIA, ORATIO

DMIRABILI sanè ratione deus cuncta constituit. Nam quæ propter magnitudinem certis finibus includi non poterant, aut propter æternitatem circunscriptionem nō patiebātur, ea uel ad exemplum restrinxit, uel ad ordinē perA petuum uocauit. Hinc uidemus immēsum illum cælorum ambitum, qui inenarrabili celeritate omnia uel ad uitam uel ad generis propagationē excitat, humani ingenij pernicitate peruagatū: ut iustius homo cæleste animal quàm terrestre uocari mereatur, quom eius pars melior cælestia metiatur. Et quom ab eo motu tēpus res omnium pernicissima & cuius impetus ratione nulla suffrenari potest, quasi perenni riuo fluat: ad ordinem tamen ceu ad metas & carceres quosdam astringitur: & quom per æui studium irrequieto lapsu discurset, non licet datos semel fines superare: sed in eundem ambitum semper se replicat & rediuiuo uolumine sese remetitur. Quæ ratio effecit ut optimus ille tēporum dispensator Sol, quom signiferum omnem perlustrauerit, ad eadem demum diuerticula reuertatur: eosdēq; cardines, ex quibus bruma solstitia æquinoctiaq; constant, cōficiat. Hinc uer æstas, æstatem autumnus, autumnū hyems bona fide subsequitur: ut in his infantiam, pueritiam, iuuentā, senectutēq; anni agnoscas. Quare & sapienter maiores nostri dixerunt, non agrum, sed annū fruges & alimenta mortalibus parere. Et quom in ea signiferi dimensione diei quadrans exuperet, quarto quoq; anno qui bisextilis appellatur, ad solidum sarcitur: ut duo dies ad sextum Calen. Martij qui à gentibus Terminalibus & Regifugio finiebatur, in diē unū coalescerēt. Aliæ deinde lunæ ambages occurrunt. cuius uarietatem & multiformes aspectus ad solis arbitrium nunc exhaustos nunc instauratos, nescio an supra omnem admirationem sit ab homine potuisse intelligi. Huius detrimētis atq; innouationibus maxime constant mortalia, immo uero ipsa plurimum detegitur mortalitas. Huius fulgor terræ obiectu deficit, sed & ipsa intercurrens solemq; auferēs, cum terra paria facit. Huius momentis numerus ille qui à præstantia aureus dicitur, ipsæq; annorum indictiones & dominicæ literæ & phases celebritatesq; uagæ quæ festa mobilia uocantur, & titulum & appellationem susceperē. Quæ obseruatio à maioribus tradita & quotannis per sacrorum curionem repetita, nec debet nec potest sine piaculo prætermitti. Quare ne aut ingratitudinis aut obliuionis rei peragamur, nos quoq; solenni ueterū ritu seruato omnibus Christianæ pietatis obseruatoribus indicimus hoc anno qui sextus decimus supra millesimum & quingentesimum à reparata humani generis salute uertitur,

Numerum aureum fore 16
Literam dominicalem f e
Septuagesimam 20 Ianuarij
Quadragesimam 10 Februarij
Pascha resurrectionis domini 25 Martij.

CEALII CALCAGNINI IN FESTI VITATE EPIPHANIÆ ORATIO.

QVOTIENS ego oculos attollo ad excelsam hanc molem stellis exornatam: quæ motu inenarrabili omnes alios cælestes ambitus serie rapit, intelligo supremũ quendã moderatorem mundo præsidere, cuius arbitratu omnia agantur, qui flexu uario temporum uicissitudines dispenset, suaq; ad diuerticula omnia reuocet: tam felici ac certo ordine, ut quom alia stato cursu ferant, alia pro magnitudine absidum nunc tardius nunc celerius moueantur, alia in dextram, alia in sinistram mundi partem uergant, uniuersa tamen admirabilem quendam concentum conficiant, discordem partibus, summa concordem. Hinc temporum obseruationes apud mortales nõ eadem ratione prescribuntur: sed alia aliis rationibus censentur, prout serius aut pernicius in suos artículos reuertuntur. Certa quidem ac præfinita tempora ad primam illius sphæræ imitationem decurrunt: quam Græci aplanetem uocauere: quod cursu præcipiti eandem semper uiam teneat. At reliqua sydera, quæ intra eius complexum agitantur, mirum est quàm uago incertoq; nitantur meatu, seu tu decumanũ límitem, seu cardinem spectes. Atq; hæc inter duo illa imprimis, quæ quasi lampadas deus omniũ bonorum autor mundo succẽdit: alterã quidem ut lucẽ à tenebris distingueret, alterã in nocturnæ caliginis remedium. Hæc duo maxime obseruauit antiquitas: uel quòd illustriora oculis mortalium sese offerrent: uel quòd eorum effectus maiores certioresq; ad terram defluerent. Superat autem omnem admirationẽ, quòd mens hominis in hunc corporis carcerem coniecta, eo usq; sese attollere atq; alas primogeniæ suæ diuinitatis potuerit reparare, ut cælum ipsum peruagari, & tam lubricas solis & lunæ obambulationes dimetiri queat. Quin & hæc duo per se adeò ignota decem & nouem annorũ interuallo ita exæquauerit, ut ad scrupulos fermè respondeãt, ní modo pigeat rationes ueterum accurate inuentas accurate obseruare. Siquidem ad eam segnitiem peruentum est culpa posteritatis, ut iam neq; antiquæ obseruationes cælo, neq; cælum antiquis obseruationibus respõdeat. Res profecto plena ignominiæ, quom neq; in ariete neq; libra iam fiat æquinoctiũ, neq; peruulgato more ex signis quæ tropica appellamus pendeant solstitia. Quare festiuitatum mobilium indictiones atq; ipsius imprimis paschatis nuncupatio adeò iam cœpit euagari & suos límites excurrere: ut nisi cura adhibeatur, resq; in integrum reuocetur, periculum sit ne ratio omnis fastorum & temporum iniuria insciti æ indies magis ac magis grassantis prorsus aboleatur. Sed quoniam hic labor ad summi Antistitis & procerum religiónis nostræ diligentiam pertinet, & nos sapere ad sobrietatem oportet, morem atq; institutum patrũ nostrorum tenebimus: et hac die, qua stella Magis affulxit, festiuitatum nomina & tempora indicemus, ne qua forte per negligẽtiam labes admittatur in sacris: & in his receptam potius nostrorum consuetudinem quàm exactam ueterum normam sequemur. Honestus enim est

error, ut aiunt, magnos duces
sequentibus.

CAELII CALCAGNINI IN FESTO EPIPHANIÆ ORATIO.

ETSI hominem Christianum deceat semper se, quoad licet, tollere humo, & sensibus animum auocare, atq; in cælum suspicere: id tamen hac luce, accuratius & religiosius obseruari par est, qua mortalibus salutare sidus affulsit, & publicæ libertatis autorem ac uindicem præmonstrauit. Cũ pastoribus igitur, ac magis oculos eò sustollamus, unde lux orta est mundo: atq; illinc cõditionis nostræ imaginem mutuemur. Quom enim solem ac lunam, duas scilicet orbis lampadas ita fixas & constitutas animaduertamus, ut altera perpetuo ac proprio lumine, altera intermẽstruo & precario splendore fulgeat: altera certo & perenni cursu partẽ nostri meliorẽ & ad æternitatẽ natam effingit, ex cuius imitatione stata & solennia sacra ad diem præscriptũ obseruamus. altera proxima terris è cælo citima luce incõstans, cursu uaga, uarias species nobis ostẽtans, mortalitatis nostræ uicissitudines, alternationesq; temporũ nõ modo significat, sed etiam facit. Hac itaq; magistra alios atq; alios dies sacris quæ temporaria & mobilia appellamus, addiximus: ex quibus is qui resurrectioni domini adscriptus est totius classis ordinem ducit. Hunc ueteri instituto patrum quarta decima luna mensis Nisan, qui inter Martium Aprilemq; ambigit, celebrandum accepimus. Nos in proximum solis diem, quem dominicum uocauit Christiana religio, ex mysterio redditiuæ salutis traiecimus. Hunc uero ex nouilunio uerno censemus, quod neq; octauum Idus Martij præcurrere, neq; nonas Aprilis subsequi obseruatum est. Hæc omnino magna ac omni æuo memorabilis dies nobis illuxit: quando frustra opifex & assertor nostri generis uel è cælo lapsus mortale corpus induisset, uel sacrosancto sanguine æternam noxam expiasset, nisi morte expugnata, & irremeabili inferorum arce confracta, nobilem illum triumphum ad superos rediens deduxisset: & dux ipse omnium & primitiæ mortuorum, ut inquit Apostolus, ad cælum iter præmunisset. Proinde hanc unam ita cunctis prętulimus, ut ex ea cæteræ modum atq; rationẽ mutuentur. In quibus enumerandis obseruãdisq;, ne quid forte uitij faciat uulgaris simplicitas, solenni ritu constitutum est, ut hac luce per sacrorum Curionem enuntietur. Eum morem p[illegible]manus acceptum, & nos hodie religiose obseruantes ita indicimus, hoc anno, qu[illegible] à partu uirginis primus & uigesimus agitur supra millesimum,

Aureum numerum fore 2
Literam dominicalem f
Septuagesimam 27 Ianuarij
Quadragesimam 17 Februarij
Pascha 31 Martij.

PRO PROMOTORE DOCTORE ORATIO CÆLII CALCAGNINI in collegio habita.

SCITE profecto ac prudenter dixit Pythagoras, homines in hanc uitam quasi in emporium quoddam accedere: ex quo alij alias sibi merces cõquirunt, alijsq; in studijs uersantur. Optimi autem ac præstantissimi existimandi sunt qui honestissimis exercitationibus & præclarissimis artibus incumbunt. Sanè qui se literis dediderunt, & præclarissimo studiorum genere animũ excoluerunt: ij longe cæteris meo quidẽ iudicio præferẽdi sunt, tum uero illi multo maximam gloriam & laudem promerentur, qui ex omni literarum complexu, illud imprimis genus sibi complectendum proposuerunt, quod omnium hominum consensu clarissimũ est atq; eminentissimum: tum ex quo cæteris hominibus maxima utilitas, nobis autem & autoritas & perpetuus nominis splendor accedat. Sanè in hoc genere nullum esse cum iuris præminentia conferendum facile confiteatur, qui intellexerit maiestatẽ legum in eo uersari, ut uirtuti præmia flagitijs supplicia proponantur: boni ad uirtutem alliciantur, mali à scelere deterreantur, omnibus denicq; quod suum est reponatur. Quid uero excelsius ac magnificentius, quàm pacẽ & bellum ex æquo moderari, quàm omnibus populis, gentibus, nationibus mores ac instituta præscribere: ut profecto si ulla est in uita hominum felicitas, non aliunde pendeat quàm ex legum & iuris moderatione. Quod Aristoteles uidit, affirmans in ciuili administratione hominum, qui in hac luce degunt, felicitatem esse positã. Quom ergo cæteræ artes, ut eleganter scribit Callimachus, alios minores deos habeãt præsides, medicina Aesculapium, musica Apollinem, res militaris Martem, eloquentia Mercuriũ: solam sibi populorum & gentiũ administrationem, id est iuris maiestatẽ selegit Iuppiter. Ob hoc præsentẽ semper habere dicitur iustitiam. Sic Romani hanc sibi ex omnibus disciplinam excerpserunt, ex quo illud dictum à clarissimo poeta: Tu regere imperio populos Romane memento. Sic Cæsares hac omissis cæteris artibus gloria condendi leges & utendi publica administratione contenti, reliquas præfecturas alijs reliquere, uere Iouem imitati. nam ut inquit ille, Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet. Quom ergo hanc sibi ex omnibus ingenuis artibus & partibus philosophiæ delegerit clarissimus hic uir Gaspar Germaniæ ornamentum, atq; in ijs tantos profectus fecerit, ut huius eminentissimi collegij approbationẽ & suffragia cõmeruerit: nõ potest nõ apud me magna esse in admiratione: nõ possum eius iudiciũ, studiũ, lucubrationes nõ maxima cõmendatione extollere. Ad reliqua enim familiæ suæ ornamẽta quę Ingolstadij præminet, & apud nobilissimos principes Bauariæ magna est in æstimatione, hũc quoq; litterarũ fulgorẽ uoluit accedere. Est enim eius patria Ingolstadiũ urbs celebris Bauariæ, loco amœnissimo ac feracissimo posita ad ripã Danubij: hæc propter loci cõmoditatẽ nomen nacta est. Dicitur eñ Ingolstadiũ, si uerbũ ex uerbo trãsferas, Aureopolis. Nõ igitur amœnitas neq; charitas patriæ eũ desidẽ ac torpentẽ domi detinuit. Nõ pater ex ordine senatorio, & inter eius urbis decuriões pręstantissimus, & apud nobilissimos Bauariæ principes in magna positus existimatione. Nõ opes illustres, nõ natales splendidissimi eũ domi potuerunt retinere, quin Italiã, literarũ & bonarũ omniũ artium parentem adiret: ac Bononiæ & Patauij optimis & summis præceptoribus operam daret: & non modo legibus, sed bonis etiam literis multo maximã temporis partem impenderet. Nam Greca Latinis coniunxit, ostenditq; eorum falsam opinionem, qui putant bona studia & cognitionem antiquitatis & philosophiæ bonis legibus repugnare. Gaspar noster ita in utroq; eminet, ut non facile sit iudicare in quo præcellat. neq; id mirum. nam & ad tabernaculum domini exornandum, oraculo domini Beseleel optimus & pręstantissimus artifex accersitus est: & ad templum Solomonis

monis honeſtandũ Hirã ſtatuarius & plaſtes prænominis eſt euocatus, ut intelligãt omnes, res etiam ſacras honeſte ac lotis manibus debere tractari. Huius itaq; nominis gratia multum debemus Germaniæ, illi maximæ orbis Chriſtiani parti: quæ tam multa ſuperiori ætate nobis ornamenta erogauerit. Nam & uiros fortiſsimos & induſtrios, & in diſciplinis tum cæteris tum maximè Mathematicis excellentes. Adde claritatẽ ingeniorum ad cõminiſcenda ea quæ ſpectãtibus miraculo eſſe poſſint: qualia ſunt automata, pegmata, horoſcopa, autocinita, & reliqua huiuſmodi, ex quibus Dędalus apud priſcos incredibilem famam & ad poſteritatẽ uſq; deductam, nactus monumẽtis traditur. ſed & officinã impreſſoriã, typoſq; chalcographos tam utiles ac neceſſarios rei literariæ, quorum adiumẽto res publica facta ſunt ingenia ac per omnẽ late orbem propagata, prima exercuit atq; alijs accõmodauit Germania: prima tormẽta & machinas quas Bombardas appellant, in uſum militarem inuenit, ac fabrefecit, rem ad ciuitatum defenſionem propellendosq; hoſtes mire accommodatam. Nec eius ſanè culpa ſi cæteri in pernitiem humani generis, atq; adeò Chriſtiani nominis, & ad uiolandam ſocietatem mortalium utantur, Nec enim inuento ri hoc uitio uerti par eſt, ſed utenti: quando nihil eſt tam probe ac ſancte inſtitutum, quo ad noxam uti nõ poſsit hominum improbitas. Sed illud profecto Germaniæ ſine ulla ſuſpitione iniuriæ debemus, quod eminentiſsima ad nos miſit ingenia, & ſeneſcenti quodammodo Italiæ laudi ſuccreſcit ad omnem prouentũ optimarum artium feraciſsima. Hoc ergo tibi Gaſpar illibate flos Germaniæ, hoc nobis gratulor: quòd ſcilicet frequentiſsimo huic collegio occaſionẽ tui promerendi obtuleris. Magna profecto gloria ueſtra uiri ac proceres celeberrimi, quòd tam excellẽs uir ac tam literatus profectus ſuos ueſtro iudicio ſummiſerit. Scitum eſt illud Criſpi Paſsieni, qui ſe aliorum beneficiũ, aliorum iudicium malle prædicabat. Magnum ergo hoc & ſingulare teſtimonium ſuę erga uos æſtimationis, quòd quom in ampliſsimis ciuitatibus labores ac uigilias ſuas tranſegerit, multoq; plura habeat in receſſu quàm promittat in fronte: nec enim ſatis facile à tam tenui ungula tantum leonem cognouerit Phidias: inſignia tamẽ & laureã exhauſti laboris à uobis petendam duxerit, utpote de quorum autoritate ac prudentia clariſsime ſentiat, eorumq; ſibi teſtimonium laudi ac dignitati fore arbitretur. Qua in re ego eo plus gaudij cõcipio, uberioremq; inde gratulationem ſentio, quòd non uti in homine externo ac peregrino tantum laudis admiror, nec in alienum ac prouincialem, ſed noſtrum planè arbitror hoc beneficium cõferri. Siquidem Bauari origine noſtri ſunt. Boij enim quos Cato conſtituit in octaua Italiæ regione, extra Italiam profecti ea loca tenuerũt quæ nunc incolunt. Qui primo à Boijs, Boiarij, deinde Bauari mutatis literis ſunt appellati. Sic ab ijſdẽ deducti Boiemi, nunc Bohemi gens frequentiſsima, & ad ſuam libertatem tuẽdam conſtantiſsima. Pace ergo Germaniæ dixerim, non in externum hominẽ, ſed in noſtratem planè hæc ornamenta conferimus. Quòd ſi totũ eum uendicari à nobis Germania indignatur, obſecro ut partiario nobiſcum agat: ut ortus in Germania, oriundus ex Italia cenſeatur. Non eſt itaq; quod quiſquam miretur, ſi propenſo ſtudio tuis laudibus fauens, honeſtiſsimas iſtas petitiones tuas audiendas atq; implendas exiſtimo. Nec beneficium dare ſed accipere ſuſpicor, quom dem tam merẽti. Age ergo mi Gaſpar præſtantiſsime, & tuorum demum laborũ ac ærumnarum optatum præmium ſuſcipe. In cuius rei ſymbolum, ego primo tibi librũ offero clauſum, ut antequã ſententiã tuam pronunties, accurate in pectore matures ac digeras quid reſponderi uideatur: & rurſus offero apertũ: ut quom diligenter maturaueris, ex promptuario pectoris ſententiam tuam, abdicato odio & amore atq; omni affectu, depromas, habens tantum præ oculis illum qui ſolus habet clauẽ Dauid, & claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit. Et licet hoc ipſum quod de iure reſponderi dicimus, præſtari magis quàm peti debeat, ut optimus princeps Hadrianus reſcripſit: eſt tamẽ bene nati ingenij ac modeſti alieno ſe magis iudicio ſubijcere, quàm arrogãter ſuũ exercere. Tum uero & annulum digito tuo impono, ut intelligas iam te iure annulorum uti poſſe & dignitati equeſtri adęquatum: cuius inſigne olim non calcar aut baltheus fuit, ſed annulus. Sic diuus Auguſtus unam ex Decurijs, quam iudicijs præfecit

fecit, in annulis esse uoluit. Quare mox Caius princeps ad ingenuitatem dandam libertinis & antiquis natalibus restituendis annulorum prærogatiua uel imaginũ potius, ut Iustinianus in Codice scripsit, usus est. licet id postea abolitũ sit: quom tertia manumissione liberti & ingenui ac ciues Romani efficerẽtur. ut in Authenticis testatum habemus. Tertium & hoc symbolum ornamentis tuis accedit, quòd apicem hunc quasi lauream quandam coronam tuo capiti impono: ut iam te inter alios mortales tam eminere intelligas, quantum hic apex supra tuũ caput assurgit. Quod non ad ambitionẽ, neq; ad fastum dictum uelim, sed ut diuinę bonitatis largitatẽ cumulatius erga te intelligas. Sic ille magnus Moses quom acceptis legibus & tabulis testamenti, descenderet ex monte Sina: magna erat in admiratione, quom cornibus præditus uideretur: quod alijs patebat, ipsi uni erat ignotum. Te osculo demũ excipio: ut nõ ad actiones & formulas iuris intẽdendas aut lites instruẽdas in prudentia legum te profecisse memineris, sed ad pacem & cõcordiam ferendam: sciasq; te cum sapientia ac uirtute indissolubile uinculum contraxisse, quod osculo maxime declaratur. Nam & in arcanis Hebræorum legitur, Abraham, Aaron, Enoch, & Heliam atq; alios qui ad cælestium rerum cõtemplationem ita rapti sunt, ut in se mortui, extra se uiuerent, non alia morte quàm brasicæ, id est osculi deperijsse. Ob id clamat Salomon in principio Canticorũ, Osculetur me osculo oris sui. Cætera autẽ bona deus ille optimus, omnium bonorũ autor, tibi cumulate elargiatur: ut quom ijs in hac uita diutissime fueris potitus, ad æternam demum felicitatẽ tibi gradum faciant.

CAELII CALCAGNINI ORATIO
SIVE ENCOMION ARTIVM LIBERALIVM, publice habita per Pollionem.

VT ludis olympicis nomen dabant, secq; in eorũ album recipi studebant, qui aut cursu, aut lucta, aut saltu, aut alio certationis genere uiriũ periculum facere optabãt, ut illustrem illam coronam assequerentur, qua nõ se ac suos tantum, sed patriam etiam ornari arbitrabantur: non prius recipiebantur ab ijs iudicibus qui ex publico Græcorũ decreto tam frequenti celebritati præsidebant, quàm & uitę rationem rettulissent, & sua studia fuissent professi. Nam eos gymnasticã didicisse, sub pædotriba meruisse, sudasse, alsisse, nihil denicq; prætermisisse quod athletica ratio postularet oportebat: tãti sci licet faciebant prudentissimi iudices publico spectaculo se approbare, ubi de uiribus corporis agebatur. Quod quom accuratius multo in ijs studijs obseruãdum putem, quæ ad animi cultum atq; ad ingenij profectũ attinent: non mediocriter mihi uerendum est, ne hoc die me uobis ridiculum præbeam: qui mihi optime conscius sim, me nondum ea impleuisse munera, quę ad capessendam iustam eruditionem, & eloquentiam comparandam sunt accõmodata: ausim tamen in celeberrimo isto consessu non solum uerba facere, sed eam etiam materiã aggredi, quæ cuiusuis eloquentissimi ac doctissimi hominis facultatem superaret. Nemo est enim, mea quidem sententia, qui artes liberales ac totam philosophiam honesta satis oratione possit cõmendare, qui in ijs magnos profectus non fecerit: neq; solum, ut dici solet, ad Aristophanis, uerum etiam ad Cleanthis lucernam lucubrauerit. Quæ dicẽdi præsidia quom mihi deesse uideam, iure debui hanc prouinciã deprecari: nisi eorum imperio foret mihi demandata, à quorum dicto non erat prouocatio. Quare illud Laberianum mihi opportune succurrit:

Necessitas cuius cursus transuersi impetum Volue-

Voluerunt multi effugere, paucí potuerunt,
Quò me detruſit penè extremis ſenſibus?

Coniectus ergo in has difficultates, illud mihi temperamentũ imprimis ſequendum arbitror, ut tam ampli & ſinuoſi argumẽti ſummas tãtum attingam, & ſumma quæ/dam faſtigia delibem: eorum more, qui maris facie deterriti, contenti ſunt oram & extremi littoris crepidines legere. Paucis itaq; clariſsimarũ artium quædã quaſi em/blemata perſtringam, ingenuos ac bene natos adoleſcentes ad eas amplexandas hor/tabor: ut abdicatis à ſe uitijs felicem illam demũ libertatẽ aſſequantur, quam aut nul/lo, aut certè ſolo uirtutis præſidio poſſumus nobis cõparare. Aequitatis interim ue/ſtræ partes erunt, ſi minus expectationi ueſtræ reſpondero, rei propoſitæ difficulta/tem excuſare: & neceſsitatẽ potius, quę me huc adegit, accuſare, quàm uoluntatem. Alioqui egregij conatus nuſquã maiore laude digni ſunt, quàm quom arduis ac ma/gnificis in rebus periclitant. Maiores noſtri eas artes liberales eſſe uoluerunt, quę homine libero dignæ ſunt. Erant enim & ex ſellularijs quædã, ad quas homines ſer/uilis & obnoxiæ conditionis non admittebantur. nam ſeruos picturam & opticen doceri non licebat. aut certè ita dictæ ſunt, quod his artibus inſtituti ex mancipio ui/tiorum ſummam ac legitimã quodammodo manumiſsionẽ nanciſcerentur. Hæ ue/ro mutuo ita inter ſe nexu coniunctæ ſunt, ut ſine alterius præſidio altera ſtare non poſsit: ex quo & ἐγκυκλοπαιδείαν Græci uocauerũt, quòd circulari quodã orbe, atq; amplexu uinctæ teneantur. & ſanè ita eſt. Nec enim fieri poteſt, ut quiſquam abſolu/te unam harum artiũ perdiſcat, niſi aliarum adminiculo fulciatur. Ex quo illud uere dictum intelligitur, nullam eſſe diſciplinam, quæ ſua probet principia. Ex proxima enim & cognata ſubſidium petit, & alienis radijs illuſtrari poſtulat. Has item unico nomine, uel philoſophiæ, uel humanitatis ſolemus complecti. Siquidem humanita/tis ſtudium, id eſt quod hominis proprium ac peculiare eſt: qua nuncupatione ea om/nia quæ ad hominis cognitionem pertinent continentur. Nihil autem eſt in cælo aut ſub cælo, quod non hominis interſit explorare. Sic & philoſophiam rerum diuina/rum atq; humanarũ cognitione præfiniunt. Scite enim ac ingenioſe Pythagoras di/xit, hominem in medio rerum conſtitutũ, qui admirabilem hanc ſummi opificis mo/lem contemplaretur: & ad hanc uitã quaſi ad emporium prodijſſe, in quo uarias mer/ces quiſq; ſuo arbitratu coemere poſsit: merces autem illæ quę in uita expoſitæ ſunt, uarias interpretabatur artes ac rerum cognitiones, ad quas animus applicari ſolet. Cæterum quom Di immortales uoluerint hominẽ duabus imprimis partibus præ/ſtare brutis, ratione ſcilicet atq; oratione, ita factum eſt ut artes quoq; liberales gemi/natæ procedant: aliæq; ad orationem, ad rationem alię referantur. Orationis adiutri/ces ſunt tres illæ germanæ ſibi & proxima cognatione iunctæ, à Græcis nuncupa/tionem mutuatæ. Nam ſicuti à Græcis diſciplinæ omnes exactiſsime tractatæ ſunt, & ſine Græcarum literarũ cognitione nemo eſt qui certũ ſibi profectũ ullo in gene/re ſtudiorum polliceatur, ita adhuc apud Latinos nomen quærũt. Certè grãmaticam Varro literationẽ dixit, ſed non habuit qui eam appellationẽ ſectarent. Hanc in me/thodicen & hiſtoricen periti diuiſere: illi rationem loquendi, huic authorum enarra/tionem tribuentes. Sine hac non eſt quod quiſquam ullas ſibi literarum acceſsiones ſpondeat. quicquid enim alijs ſuperſtruxeris, corruet. Quando nec ſine radice ullæ diu arbores poſſunt ſuperuiuere: Ita ſine hac nullæ bonę inſtitutiones poſſunt ado/leſcere, quando hæc plus habet in receſſu quàm prima fronte oſtentet. Huius maxi/mo profeſſori Apollodoro publice Amphictyones honorẽ habuere. Quid regina il/la rerum atq; animorum oratio, illa perſuaſionis opifex oratoria, quam demũ dicen/di copiam non excellit? Qua fretus Pericles tonabat, fulgurabat, aculeos in auditorũ auribus relinquebat: totam deniq; Græciã permiſcebat. Quam Di immortales è cæ/lo demiſere, ut humanum genus efferatũ & cum feris degens acciperet, & in ſocieta/tem coiret. Quod neq; ui neq; armis fieri potuit, id ſuadendo, hortando, admonen/do facile perfectum eſt. Ob id Hermetes & Hermatenæ apud Athenienſes Mercu/rij imagines cætera rudes atq; informes, ſolo uultu atq; ore deum imitantur. Sic Her/cules ille Ogmius, non uiribus, non corporis robore, ſed facultate dicẽdi fertur mon/

ſtra illa edomuiſſe, & gentes efferas in ſuam ſententiam pertraxiſſe: ob id catenulæ ab ore propendebant, & oleaginam clauam dextra proferebat. Satius tamẽ foret hominem elinguẽ natum eſſe, ut ſcribit Euripides, ſi ad decipiendos ac circunſcribendos animos nata foret oratio. Minus enim adiumẽti haberet improbitas. Sed cõmode ſe nobis obtulit diſciplina illa ſyllogiſticæ artis inuẽtrix, ueri ac falſi diſceptatrix, quæ ad cõminiſcenda cõtexendaq; argumẽta & demonſtrationes admirabiles rationes inuenit. Ex quo partem eius unam topicen, alterã epidicticen uocauere, utraq; ad aperiendas ſophiſtarũ decipulas, & retexendos paralogiſmos, accõmodata. Hæc illa eſt cuius præſidio cæteræ deſtitutæ artes nõ habent opes quibus nitantur, aut arma quibus ſe tueãtur. Præclare itaq; ueteres hanc methodum reliquarũ ſcientiarum uocauere: & magnos illos philoſophos, quorũ nomina adhuc admiramur, lapſos ſola Dialectices ignoratiõe receptiſsimi autores putauere. Tres diſciplinas attigimus, quæ ad orationem ſpectant: poſt has illę quæ ad rationẽ & Matheſin pertinent, quadriga inuehuntur. Earũ principem locũ tenet ob naturę ſuæ ſimplicitatem, quæ diſcretas quantitates enumerat. Quam Pythagoras unus omnium maxime admiratus eſt, eamq; in mente ſummi numinis fuiſſe prodidit, quom ad ſtructurã huius admirabilis opificij ſe accinxit. Itaq; ex numeris conſtare omnia non ſolum credidit, uerum & pleriſq; aljs perſuaſit. Quin & numerorũ accremẽto aut detrimẽto, magna oſtendiſſe miracula mortalibus celebratur. Certè ſolum hominẽ numeri capacẽ, & ob id ſapientiſsimũ ueteres tradidere. Finitima huic ea eſt, quę formas ac dimenſiones ex lineis aſtruit: è lineis ſuperficies, ex ijs corpora, quos cubos appellamus. Dimetiens hæc cœli, terrarumq; regiones peruagata, nobis nihil incognitum, nihil inexcuſſum reliquit. Huic grammaticas apodixes, id eſt lineares demonſtrationes, huic elementorum cõpagines, ſeu triquetras ſeu quadratas, ſeu multiformes ſuſcipiãt ſpecies, ſeu in pyramidem adſurgant, debemus. Sanè Aegyptij cum ſuo Oſiride ac Nilo modiũ & cubitos in huius uenerationem conſecrauere. Et Plato foribus Academiæ inſcripſerat: Geometriæ ignarus huc introeat nemo. Adde quòd ad peſtilentiæ uim coercendam quom oraculum reſpondiſſet, cubũ aræ Apollinis duplicari oportere: nihil aliud prudentes interpretati ſunt, quàm Geometriæ rationẽ habendam eſſe. Hanc ergo ab incunabulis ſtudiorũ nobiles adoleſcentes ediſcebant, quòd ad maiores progreſſus faciendos mirabile adiumentum afferret. Ob id præſtantiſsimi ueterum difficillimas obſcuritates & impeditas cauſarum rationes ſolebant huius facibus illuſtrare. Tertium locum adſcribunt Muſicæ. quam tanti fecit ætas illa omnium uirtutum fœcũda, ut qui in ea ſe parũ exercuiſſet, is indoctus inhumanusq; haberet. Atq; adhuc in ore omniũ trita eſt illa cõmunis exprobratio, à Muſis & à Gratijs abeſſe. Nam & Gratijs tibias affinxit antiquitas. Suas etiã ſirenas in cælo collocauit, quæ cæleſtes orbes dorico, phrygio, lydio, phthongo modularentur. Hinc enharmonicũ, diatonicum & chromaticũ genus periti obſeruauere. Hinc & inſtrumentorum ſpecies excogitatę, aere mille modis excluſo aut percuſſo. Quin & aquæ ad officiũ redactæ. nam pneumonica & hydraulica organa Cteſibij in magno nomine habita ſunt, grauibus & acutis uocibus inenarrabili concentu concurrentibus: ob id ex Venere & Marte Harmoniam progenitã canentibus poetis. Quantum autẽ hæc animis deminetur, & Alexander ad arma excitatus, & adoleſcentes reuocati à uiolentia, & ſacrificulus ad inſaniã adactus, & cõmunis gentium conſenſus oſtendit, tam in remittendi quàm in ſacris deorum muſica utentium. Sed & Eraſiſtratus inter medicos celebris arterias corporis & uehicula ſpiritus ad rationem Muſicæ agitari obſeruauit. At quom oculos in cælum attollimus, & conuexã hanc molem omni ex parte perluſtramus, occurrũt aſtra quæ pernicitate incredibili rapiuntur. Ex his humana induſtria canonicam rationem collegit, quæ circa motus & anfractus illos perennes uerſatur: quibus anni, menſes, dies, & cardines temporum conſtituuntur, accedente aut recedente à nobis ſole. Quid quod & præſagia & horoſcopa, & apoteleſmata pro uario cæli aſpectu clariſsima ingenia prodidere, ex quibus mores, uitas, fata, ac fortunas mortalium prænuntiant. Beroſo certè ob diuinas prædictiones Athenienſes publico in gymnaſio ſtatuam inaurata lingua erexere. Diu uero mecum dubitaui, quo in cenſu

censu disciplinarum poeticen collocarem. Nam Socrates eam uisus in parte musicę constituere, quom admonitus oraculo, ut ad musicen animum applicaret, si uellet ad felicitatem peruenire, nihil prius sibi faciundum putauit quàm scribendis carminibus uacare. Sed Plato ad diuinationẽ & inter furoris species rettulit. afflati enim poetæ, quos & uates nuncupamus, enthusiasmo diuinos illos canũt dithyrambos, quibus mentes impulsæ ex hac mortalitate in suã planè diuinitatẽ reuocantur. Sed quo piaculo prætermittã maximũ illud & cui aliud comparari non possit, deorũ munus, philosophiam? Neq; hoc nomine nũc intelligi uelim complexũ illum scientiarũ, quo omnes continentur, sed eam quæ suis maximis membris cõstat: rationis, naturæ, diuinitatis, & morũ. Et de rationali illa, qua uerũ & falsum secernit, abũde pro tẽporis angustia diximus. Quæ uero in natura sunt, Aristoteles cumulatissime prosecutus est, ex quo dęmonij etiã cognomẽ inuenit. Hic magni Alexandri auspicijs, quinquaginta illos multorum talentorũ libros ut Græci tradunt, confecit: in quibus animantum, quę terra maricą oriũtur, mores, habitudines, ingenia est prosecutus. Post hunc Theophrastus, herbas, frutices, arbores, pigmẽta, metalla, gemmas, marmora diuini tus enarrauit: quę deinde omnia & multa ab ijs prętermissa Plinius Secundus apud nos magno ingenio, sed maiore felicitate complexus est. Hæc est eius artis supellex: quam deorum indulgentia ad salutem & propagandam uitam mortalium nobis condonauit. In qua Hippocrates tantum præcelluit: ut ob summa quę in humanum genus cõtulit merita, publico gentiũ & nationũ consensu ei pares cum Hercule honores decreti sint. Est & prima philosophia, quæ deum & mentes corpore abiunctas & multiplicia doctrinarũ principia, quæ axiomata uocamus, indagat. Sed hanc partem multo luculentius demonstrarunt qui theologumena scripsere, postquã magnus ille interpres ueritatis, ille nostræ salutis uindex Christus optimus maximus terris affulxit: hic enim nõ modo felicitatis nostræ sedem nobis ostendit, sed sanguine suo iter præmuniuit, & manu quodammodo in cælum pertraxit. Vsu tamen receptum est, ut quom philosophiam dicimus, ciuilem disciplinã intelligamus, quæ mores instituit. Quam Socrates deuocasse fertur è cælo, quæ bene ac beate uiuẽdi ratio nem præscribit. Huic salutares leges debemus: quibus populi gentes ac respublicæ conformantur: quibus boni alliciuntur, mali deterrentur, præmia uirtuti, pœnæ flagitijs proponuntur. Iustitia enim est cõmune bonum, sine quo nullum regnũ potest esse diuturnum. huic cæteræ artes ac disciplinæ sua ornamenta, suamq; securitatem acceptam ferunt. Cęteras artes dixit Callimachus Iouem fuisse aspernatum, hanc so lam didicisse. Hæc sunt optimates illę scientiæ quæ in hominũ animis pretiosum aurũ constituũt, cui nulla par est indicatura. Hæc sunt bene ac beate uiuẽdi instrumenta, quibus instructi ac præmuniti homines tantum inter reliquos præcellunt, quantum homines animãtibus brutis uoluit natura præstare. Ad hæc igitur iuuenes præstantissimi pleno passu uobis enitendum est: nulla enim melior ac certior supellex, nullum præstantius uiaticum parari potest, in quod neq; iniuria fortunæ, neq; naturæ inclementia, neq; temporum uicissitudo grassari queat. Cætera incerta, dubia, in lubrico & sub fati alea posita sunt. Cui rei quom reliquæ ætates, tũ maxime hæc nostra potest nobis large exempla suppeditare. Vidimus enim opulentissimos reges è regno collapsos, uidimus columen reipublicę Christianę suo è fastigio decidisse, maxima regna direpta, clarissimas ciuitates uastatas & fœdissime in seruitutẽ redactas. At uirtus una est, quę neq; uim neq; calamitatem patitur, sed firma & æterna possessio est. Hanc ut facile cõmodeq; possimus nobis comparare, magnanimus atq; inuictus princeps Alfonsus fluctuantibus licet rebus Italiæ gymnasium florentissimum & doctissimorũ hominum fœcundissimum aperuit: ut bonas artes & recta studia, in quibus illustrissimus Hercules eius primogenitus et Hippolytus archiflamẽ Mediolanẽsis iam plurimũ eminẽt, capessamus. Quom ergo nobis ample omnia quę ad securitatem & uiuendi necessitatẽ pertinent, suppetat nobilis & munitissima hęc ciuitas, & summi ducis liberalitas, turpe profecto fuerit, si in re tam prędara, nos soli nobis defuisse uideamur.

CAELII CALCAGNINI IN DOCTORATV RVBEN HEBRÆI, ORATIO.

QVOM ego in te uideam ea omnia naturæ munera collata quę possunt ab hominibus expeti, animi scilicet uigorem, acumen ingenij, memoriam rerum omnium capacem: ad hęc studium diligẽtiamq́, & in rectis disciplinis magnos profectus: quàm iniquum foret, quum diuina liberalitate tot bona sis consecutus, ut nos homines externa hæc monumẽta quæ interiora illa testantur, tibi denegemus, neq; enim in ijs quæ ad naturam pertinent Christianus ab Hebræo, ethnicus differt ab initiato. Res est quædam multo maior atq; amplior, quæ non est in manu hominis, hoc discrimen faciens: gratia scilicet ex fide nata, cælitus adueniẽs: quæ ad rerum cælestium amorem nos rapit, atq; inter ipsos cælites nos adnumerat. Quamuis & hanc quoq; aliquãdo tibi affuturam speramus, quæ te à litera ad sensum, à tenebris ad lucem perducat, ad ueræ philosophiæ lumen, quam magnus ille ueritatis interpres, immo ipsa ueritas, Christus terris inuulgauit, reuocet, & ad salutarem illam animorum medicinã perducat, quę sola nos ægros mortales potest æternę saluti cõmendare. Interim cõsentaneum existimamus emeritę militię & laborum ac uigiliarum, quas hactenus in artium & medicinæ studijs exhausisti, præmia reddere. Quom ergo mi Ruben charissime in hodierna palæstra te nauiter ac experrecto animo gesseris, quom splendidũ tui periculum feceris, & copiose & acute positiones tibi præscriptas enarraueris, & argumentis in te obiectis responderis, eaq; feliciter dilueris: & ob id, quæ rara felicitas est, eminentissimi isti philosophiæ proceres, quos iure ætatis nostræ lumina possumus appellare, concordibus calculis te approbauerint: nos ex eorum sententia & consilio tuis uotis ac efflagitationibus annuentes, autoritate apostolica qua fungimur, te ad doctoratus apicem promouemus: tibiq; facultatem concedimus publice artes ac medicinã profitendi: cathedram ascẽdendi, auditoribus præeundi, disputandi, decidendi, commentandi. Concedimus etiã ut manus salutares ægris admoueas, utilia medicamenta proponas, à noxijs abstineas: noua experimenta deuites, canonice & secundum medicinæ methodos medicã artem exerceas: in animo ac præ oculis deum scelerum uindicem, & Hippocratis iusiurandum semper habens. Concedimus etiam ut muneribus, immunitatibus, exẽptionibus, prerogatiuis ac priuilegijs omnibus perfrua re, quibus cæteri in publicis Vniuersitatibus ad doctoratus apicẽ promoti perfruuntur. Cæterum ut huius etiã muneris priuatum testimoniũ habeas, nos tibi recepta à maioribus consuetudine hæc insignia tradimus. Imprimis librũ clausum, mox apertum, ut intelligas tibi nihil esse præcipitandum, sed prius in arcano pectoris conquas, quę postremo bene concocta depromas. Exornamus & te hoc annulo, ut scias te hodie iure annulorũ donatum, & ad ueram ingenuitatem peruenisse: quam non maiorum stemmata, non Cæsarum liberalitas, sed liberalium artiũ cognitio sola potest emereri. Capitium etiã capiti tuo imponimus, ut intelligas te fastigiũ, & ipsum quodammodo Colophona studijs tuis imposuisse, ut posthac scias te inter mortales plurimum excellere: quod dictum sit non ad ambitionẽ & superbiam, sed ad modestiam & uerecundiam. Sic Moses descẽdens ex monte Sina, quom eum cæteri cornutum admirarentur, ipse solus sua cornua ignorabat, & uultus splendorem linteo prętegebat. Te postremo osculo excipio, quo nullum est etiã apud uos maius amoris indicium: ut memineris nihil tibi agendum esse per cõtentionem & altercationẽ, sed siue in disputatione uersere siue de conditione ægri agatur, pacate & desiderio tantum ueritatis inquirendæ permouearis, nil dans affectibus, nil perturbationi. Cętera autem omnia bona indulgeat nobis dominus omnipotens, ut hanc uitã feliciter, futuram aũt beate transigamus.

CAELII CALCAGNINI PRO AMICO REDEVNTE IN PATRIAM, QVI insignia doctoratus acceperat, oratio.

NON habeo satis exploratum proceres & uiri sapientissimi, patriæ ne magis an mihi gratulari oporteat in tanto optimatum & clarissimorũ ciuium cœtu: quos nõ tam excipiendi mei quàm seruandæ bene institutæ cõsuetudinis gratia cõuenisse uideo. Præstat autem apud me ac præponderat patriæ amor atq; existimatio, quæ tot præstantissimorum hominum laude ac splendore præfulget: quorum alij fortiter agendo, alij prudenter rem ciuilẽ administrando, alij plurimarum optimarumq; disciplinarũ cognitione sibi ac suis immortalem gloriam peperere: ut quot ciues & optimates huc uideo confluxisse, totidem mihi uidear uiua uirtutum simulachra conspicere, ex quibus omnium summarum laudum imaginẽ possimus effingere. Quam rem sæpe mecum animo uolutans, animaduerto omnes acceptam à maioribus dignitatem ita tueri, ut incertum fiat an ipsi à familia plus acceperint, an in familiam plus nitoris inuexerint: magnum certè posteris splendorem relicturi, unde illi suas quoq; faces accendant. Qua ex re si quantũ gaudij gratulationisq; animo cõcipio, tantum possem oratione significare, non solum me disertum, sed plurimũ etiam eloquentẽ putarem. Sed quid ego ea in re mihi eloquentiam postulem, in qua rerum natura & consuetudo gentium abunde fidem facit? Quis enim nescit, multa nobis data esse à Dis immortalibus grata & periucunda, nihil tamen esse cum patria conferendum: utpote quę omnia complectatur, quæ solent haberi charissima, parentes, affines, amicos, penates, solum ipsum natale, cui auspicia uiuendi debemus. Et sanè nõ aliunde nobis cumulatior laudum materia quàm ex patria emergit. Hinc Seriphius ille non existimabat tam illustrem futurũ Themistoclem, si alibi natus foret quàm Athenis. Alius itẽ omnes miserias & calamitates putabat à se posse repellere, hac una uoce, ciuis Romanus sum. tãti quisq; semper fecit patriã ex qua progenitus est. Quare illud multo magis mihi superest cogitãdum, quomodo & tam inclyta patria me dignũ reddam, & uobis prouestræ in me charitatis testimonio pares gratias agam. Quorum utrunq; fateor mihi ita esse difficile, ut nõ aliunde mihi quàm ex rei difficultate patrocinium sperẽ posse implorari. Sanè quod in me fuit, ab ipsa ineunte ætate & incunabulis meorum studiorum non destiti bonarum artiũ candidatum profiteri, & pro uirili elaborare atq; eniti ut præclaras disciplinas assequerer: atq; imprimis incensus incredibili quodam desiderio prouehendi cõmoda meorum ciuiũ, totum animũ, omnes ingenij neruos ad augusta iuris studia appuli: ut à miseris & calamitosis ciuibus meis, quom opus foret, possem iniuriã depellere: bonos recreare, maleficos & facinorosos absterrere, ciuitati operam & diligentiam meam uel publice uel priuatim tam domi quàm peregre approbare. Hoc meum uotũ fuit fateor, uiri amplissimi. quàm uero feliciter hoc, quod erat in uoto, fuerim adsecutus, malo esse aliorũ quàm meum iudiciũ. Certè moderatores gymnasij Ferrarienſis, homines grauissimi & literatura & magnis rebus perspecti, summo omniũ cõsensu me nõ indignũ existimarũt cui iuris insignia & doctrinæ augustæ fasces deferrent. Quod neq; arroganter neq; iactantiæ gratia quisquã uelim à me dictũ putet, sed ut omnes intelligãt me dum abfui, neq; desidiæ neq; uoluptati animum dedisse. Dicebat enim Cato, ocij æquè & negocij rationem reddendam esse. Alioqui depositi uel neglecti, uel male habiti actio in me dari posset: si quod à patria depositũ accepi, me ipsum scilicet, id per negligẽtiã deterius reddidissem. Quod uitiũ tam longe semper à me abfuit, ut nihil habeam, quo sperem me cõmodius ingrati animi suspicionem posse effugere, & uobis pro uestris in me officijs meam uoluntatem testari, quàm si sacrorum uictorum morem, quos Græci hieronicas uocant, fuero imitatus. Quom enim illi aut in olympicis aut isthmiacis, alijsue

huiuſcemodi publicis ludis fuerãt uictores pronuntiati, & ſolenni ritu intra patriam diſiecta etiam murorũ parte excipiebantur: nihil prius habuerunt quàm illa ipſa corona quam promeruerant, patriã ornare: ego idem mihi hoc tempore faciẽdum exiſtimo. Vobis itaq; uiri eminẽtiſsimi me ac labores meos, mea ſtudia measq; lucubrationes quantulęcunq; illæ ſint, do, dico, addico: & tibi patria optima ac mihi chariſsima lauream & ornamenta illa, quæ publice in frequenti literatorum ſtudio accepi, offero, & in tuis ſacris puluinaribus religioſe affigo.

CAELII CALCAGNINI DIALOGI QVORVM TITVLVS EQVITATIO, AD HERCVLEM SECVNdum Eſtenſem, ducem Ferrariæ quartum.

QVOM Borſius patruelis meus me ad autumnales hilaritates, quas in Benuenio ſuo multa lætitia & amicorum frequentia quotannis celebrat, inuitaſſet: obſecraſſetq; ut amicos aliquos meos bene eruditos feliciterq; ingeniatos mecũ uocarem: nam & ſe ſtatuiſſe eiuſdem loci homines familiares ſibi ſecum habere: & uindemitorũ ferias honeſtiſsimo ocio, tantaq; animi laxatione colere, quanta nunquam aliàs. Acciui ergo ad me Marium Aequicolum uirum & manu ſtrenuum, & lingua diſertum & ingenio clariſsimum. Acciui & Azaiolum meũ, qui impetrata à principe miſsione (huius enim negocijs excubabat) pollicitus eſt ſe ad iter tam optatum præſto eſſe atq; iam accinctum. Gilinum autẽ meum inter Iureconſultos non minoris eloquentiæ quàm ingenij, uirum licet occupatiſsimũ, tamen ſpe tam præclaro hominum cœtu perfruendi facile ex literarum arcano protraxi. Nam Iulius & Piſo, adoleſcẽtes aſsidui ſtudij & amœniſsimi ingenij, quom primũ accepiſſent nos in eam Muſarum cõmunitatem ituros: qua erant mecum familiaritate, non expectarunt ut inuitarẽ, ſed ſponte ſe omnino affuturos receperũt: tam propenſo animo erãt ad uirtutes capeſſendas. Dies igit̃ tertia dicta eſt itineri. nam ad duodecimũ fermè ab urbe noſtra lapidẽ poſitũ eſt. Sed opportune admodũ, quom iam petaſati in equis eſſemus, ecce tibi Lilius meus à Mutina: quem ita ut erat occreatus poſt mutuos amplexus, gratasq; ſalutatiões nihil reſpirare aut ſedentarium laborẽ leuare permiſi, ſed nobiſcũ eſſe uolui. Qui quom itineris cauſam accepiſſet, Dis gratias egit, quòd neq; ipſa opportunitas poſſet eum opportunius excepiſſe. Et Herculi, inquit, gallinaceum album debeo, qui tantũ mihi felicitatis oggeſſerit. & ad me cõuerſus: placet, inquit, Celi: accipio omen, quòd Beneuentũ petimus. Quò enim libentius proficiſcaris, quàm quò te bene ac feliciter uenturum ſperes? Scite, inquam, & caute omen accipis Lili. Neſcio enim quo pacto maiores noſtri in omnibus ponderis multum ſtatuebãt. Sic Craſſum, ni leua mens fuiſſet, monuerat ille ne iret in Parthos, qui exerta uoce cauneas ficus uẽditabat. Sic iuuenibus ominoſum fuit Lethum mõtem appetere. Hac item religiõe moti ueteres Epidamno Dyrachium, & quod Maleuentum ante appellauerant, Beneuentum nomen indixerunt. Hic Azaiolus, quod de Maleuento, inquit, dixiſti rem adeò omniũ grammatiſtarum auribus protritam, paucos tamẽ inuenies qui cur hoc urbi nomen impoſitum ſit, explicent. Nec enim à uenio nomẽ id olim urbi impoſitum, ſed quòd ſæuiſsimus urbem uentus infeſtat: qui ſimulac proflauerit, non datur ciuibus in publicum

licum egressus. Tunc Marius paulo iritatior, Mirabar, inquit, nisi in primo limine ad grammaticos delaberemur. At quanto satius fuerit si unde factum sit repetamus, ut augurijs annuamus abnuamusúe. Quasi uero in hominis manu sit uel sibi felicitatem accersere, uel infortunium depellere. Audiui enim modo Lilium Benuenij nomen accepisse, Cælium approbasse. Res cunctis digna uisa est: de qua haberetur oratio, sed dicendi prouinciam sumere quisq; recusabat. Deniq; in Marium omnes calculum coniecere: qui illam ea conditione accepit, ut cæteri non eo contenti essent, quod ipse dixisset: sed pro se quisq; quod de ea re uel comperisset, uel meminisset accumularet. Tunc itaq; cœpit. Pythagorei non solum deorũ uoces obseruarũt, sed etiam hominum, quæ uocant omina. Quæ maiores nostri quia ualere censebant, iccirco omnibus rebus agendis: quod bonum, faustum, felix, fortunatumq; esset præfabantur: rebusq; diuinis quę publice fierent, ut fauerent linguis imperabatur. Inq; ferijs imperandis: ut litibus & iurgijs se abstinerent. Itemq; in lustranda colonia ab eo qui eam deduceret: & quom imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias ducerent, eligebantur. Quod idem in delectu consules obseruabant, ut primus miles fieret bono nomine. Tantumq; in uerbis pondus existimabant, ut ueteres semper prærogatiuam iustorum comitiorum esse uoluerint, nec ea rite celebrari posse aliter suspicarentur. In augurum certè disciplina constat, neq; diras aues, neq; ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamq; rem ingredientes obseruare se ea negauerint. Quo munere diuinæ indulgentiæ maius nullum est. Et ut exemplis res agatur, L. Paulus consul iterum, quom ei bellum cum rege Perse gerere obtigisset: ut ea ipse die domum ad uesperum redijt, filiolam suam Tratiam, quę tum erat admodum parua, osculãs aduertit tristiculam. Quid est, inquit, mea Tratia, quid tristis es? Mi pater, inquit, Persa perijt. Tum ille arctius puellam complexus, accepi omen, inquit, mea filia. Erat autem mortua catella eo nomine. adeoq; hæc ominum obseruatio nõ fortuito motu, sed diuina prouidentia cõstare creditur: ut urbe à Gallis deleta deliberantibus patribus cõscriptis utrum Veios migrarent, an sua mœnia restituerent, fortè eo tempore è præsidio cohortibus redeuntibus centurio in comitio exclamaret: signifer statue signum, hic optime manebimus. Ea enim uoce audita senatus accipere omen se respondit: euestigioq; Veios transeundi consilium omisit. Quàm paucis uerbis de domicilio futuri summi imperij cõfirmata est cõditio: credo indignum Dis existimantibus, prosperis auspicijs Romanũ nomen ortum, Veientanæ urbis appellatione mutari, inclytæq; uictoriæ decus modo abiectæ urbis ruinis infundi. Videtis igitur hunc ueterum fuisse morem, ut quotiens quicquã ex sententia proueniret, se omen accipere testarentur. Tunc ego animaduertẽs Iulium nescio quid dicturientem, sed ingenuo & uirginali rubore retineri: quid est inquam mi Iuli, quod animus meditatur, nec audet lingua pronũtiare? At cõmotus ille hac inuita tiuncula, Video Mariũ, inquit, alterã sermonis partẽ prętermisisse: quom enim dixerit de accipiendo omine, reiectionẽ ominis minime attigit. Sed nõ sine ratione tamẽ ab eo prætermissam suspicor, utpote qui crebro illud philosophorũ in ore habeat, parem esse contrariorum notionẽ: adeò ut altero perspecto, facile alterum agnoscatur. Quom itaq; de accipiẽdo omine eleganter & uarie uerba fecerit, existimauit obiter: quod illi contrarium est de abominatione facile intellectum iri. Dicã tamen, me crebro apud idoneos autores obseruasse, ueteres omini προεπιπλήττειν, id est occurrere his fermè modis consueuisse, Quod absit, quod nolit Iuppiter, quod abominor. ex quo more credo illud Maronis dictum: quod Di prius omen in ipsum conuertant. Sicut & illud in opere pastorali, quod male uertat, mittimus agnos. Quom enim mittere agnos sit liberalitatis & munificentiæ amorisq; indicium quoddam, ut ad eum tantum mittere uidearis, cui cupias bene esse: occurrit, quod male uertat. quasi dicat, quod aliter eueniat quàm mittens ipse uideor optare, illiq; infeliciter cedat. Nam quæ de permutatione Hectoris & Aiacis alij comminiscuntur, male mihi probant grammatici, ubi nulla agnoscitur permutatio aut munerum uicissitudo: sed prorsus cupit alio loco illi munus esse, quàm quo aut ille accipit, aut largitor uidetur optare. Nam τῶν ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. Tunc Piso quasi in æmulationẽ arrectus: Duplex,

ait mihi nũc ſuccurrit hiſtoria, quæ ad utranq; rẽ attinet. Nã quom Cæcilia Metella ſororis filiæ adultæ ætatis uirginis more priſco noctu cõcubia nuptialia petit omina, omen ipſa fecit. nam quom in ſacello quodam eius rei gratia aliquandiu perſediſſet, nec aliqua uox propoſito cõgruens eſſet audita: feſſa longa ſtandi mora puella rogauit materteram, ut ſibi pauliſper locum reſidendi accõmodaret. Cui illa, ego uero, inquit, libẽter mea ſede cedo. Quod dictũ ab indulgẽtia profectũ, ad certi ominis proceſsit euentum: quoniam Metellus non multo poſt mortua Cæcilia uirginem puellam in matrimonium duxit. Qua in re multos mecũ ipſe mores antiquitatis colligo. Nam & omina nuptialia capi animaduerto, quorum nunc tantum nomẽ extat, nam res prorſus abolita eſt: & quidẽ ſtantibus puellis, & à matronis maioribus natu. Sed nunc ad alteram quam dixi hiſtoriã accedo: Pompeius cognomẽto Magnus, in acie Pharſalica uictus à Cæſare, fuga ſalutẽ quærẽs, curſu in inſulam Cyprum, ut aliquid in ea uirium contraheret, claſſem direxit: appellensq; ad oppidum Paphon, conſpexit in littore ſpecioſum ędificium: gubernatorẽq; interrogauit quod ei nomen eſſet. Qui reſpondit κακοβασιλέα uocari quam uocem abominatus ille ex omni ſpe quantulacunq; reſtabat, protinus excidit. Neq; id diſsimulanter tulit: auertit enim oculos ab illis tectis, & dolorem quem ex diro omine cõceperat gemitu patefecit. Comprobarunt omnes, quæ optimi adoleſcentes dixerant: & in Demetrium cõuerſi percunctabamur, quid de ea re Græci exiſtimaſſent. hic Demetrius. Percunctamini à me, inquit, quaſi aut uos parum in Gręcis literis exercitati, aut parũ uobis perſuaſum ſit, nihil eſſe omnino in Romanorũ monumẽtis, quod modo probari dignum ſit, quod nõ omne noſtræ genti debeatis: quamuis non ignorẽ pleroſq; ueſtrũ diſsimulanter, immo uero & ingrate cum ijs agere, quibus ſi modo uera fateri oportet, omnẽ animi cultũ debetis. hoc certè tã illuſtre eſt, ut nulla latebra inueniri poſsit. Nã & Athenienſes omnibus ſemper publicis conſilijs diuinos quoſdam ſacerdotes quos μάντεις uocant adhibuerunt. & Lacedæmonij mei regibus ſuis augurem aſſeſſorem dederunt. Itemq; γερωντίᾳ (ſic enim conſilium publicum appellant) augurem intereſſe uoluerunt. Nec ijs cõtenti in Paſiphaes fano, quod eſt in agro propter urbẽ, ſomniãdi cauſa excubabant: quia uera quietis oracula ducebant. Scio me nũc nõ de ominibus tantum loqui: ſed habent coniectorum, augurum, interpretũ diſciplinæ quiddam cõmune, quod tu non facile diſſoluas. Eſt enim certiſsimũ id apud noſtros uulgatum, nec ueſtris ignotũ: qui bene conijciet, hunc uatem perhibeto optimũ. cui ſubſcribit illud Ariſtotelis: φρονιμων καὶ σοφῶν ταχεῖαν εἶναι τὴν μαντικὴν, καὶ μόνων. quòd ſcilicet prudentiũ atq; ſapientũ hominũ celer ſit diuinatio, & horũ tantũ. Quod facile puto à me probatum iri, ſi Magni Alexandri ſomnium cõmemorauero: in quo & uocis ſignificatu, & ſomnij indicio animaduertes cõiectorum niti poſſe prudentiam. Oppugnabat enim rex iam multis diebus ſumma ope, ſed fruſtra, Tyrum: quando omnes eius molitiones irritę procedebãt. eratq; ille in multa ſollicitudine. Videbat enim in ea re maximæ æſtimationis ſuæ periculum uerti. Atq; ita ut erat anxius, ſe quieti dedit. ecce autẽ in ſomnis uidebatur ſibi ſatyrum perſequi. Elabebatur ille è manibus, nec ſatis retineri quibat. poſt longam tamen luctationẽ, deniq; ſatyrum comprehendit. excitatus deinde rem ad coniectores retulit. Reſponderũt, deos uictoriam polliceri: & quòd ſatyrum cõprehendiſſet, & quòd hoc ipſum nomẽ planè ſignificaret in manus Alexãdri Tyrum uenturã eſſe. Quid enim aliud ſatyros, ſi in partes duas diuiſeris: quàm σὰ τύρος, id eſt tua Tyrus? & res ipſa coniecturam ſecuta eſt. Paucis enim poſt diebus Alexander Tyro potitus eſt, & ingenti uictoria contumaces populos in deditionem redegit. Facit & illud ad hanc omnium rationem, quòd quom de ægri ſalute quæreretur, ſortesq; fuiſſent aditæ, ita inſcriptæ inuentæ ſunt, ἐρεβίνθειον ὄνος κατήσθιε, quod ueſtra lingua uidet̃ ſignificare: Quom aſinus ſis, cicer uora. At interpretum ſolertia ad quandam προνομασίαν ἢ ἐτυμολογίαν redigere: ita enim cõmoda interpretatione ad rem reuocarunt, αἴρε βίον θεῖον ὁ νοσῶν, hoc eſt, excepit diuinã uitam æger. Videtis igitur, an Gręci in uerbis uim multam ſtatuerint. Poſſem enim ijs addere, quòd noſter ille diuinus Homerus Vlyſſem ſcribit carmine profluuium ſanguinis uulnerato fœmine inhibuiſſe. Et quæ muliercula eſt apud noſtrates, quæ ad

auerten

auertendas propulsandasq; striges carmen illud ignoret, σύρνια πομπεύειν νυκτίκομα, σρίγγα δ' ὅλαον ὄρνιν ἀνώνυμον ὠκύπορόντε πνίκα. Sed hinc quanta uis uerbis insit, intelligi potest: quòd quom Samij Prienensibus auxilium aduersus Caras imploranti bus arrogantia instincti pro classe & exercitu Sibyllam derisus gratia miserunt: eam illi uelut diuinitus datũ præsidium interpretati, libenter receptam benefactorũ prædictione uictorię ducem habuerunt. Pari fermè exemplo Apolloniatę bello Illyrico pressi Epidamnios ut sibi opem ferrent orarunt: illi flumen uicinũ mœnibus suis nomine Aeantem in adiutorium se mittere dixerunt: responderũt Apolloniatæ, se accipere quòd daretur: eiq; primum in acie locum perinde ac duci assignauerunt. Ex insperato autẽ superatis hostibus successum suum omini acceptum referentes, & tunc Aeanti ut deo immolarunt: eoq; deinceps omnibus prælijs duce uti instituerunt. Innumera deniq; possem afferre huius rei argumẽta: sed uno adhuc Pythagoreorum, à quibus animaduerti Marium cœpisse, cõtentus absoluam. Illi enim non modo ab impari uocalium numero clauditates oculorumúe orbitatẽ ac similes casus dextris partibus assignabant, à pari leuis: uerum & uictoriam & præstantiã cuiusq; ex nominis literarum numero præsagibant. Et minime mirum fuisse existimabant, si ab Hectore Patroclus, ab Achille Hector fuisset obtruncatus: quom Patrocli nomẽ, octingenta & unum supra septuaginta, Hectoris uero mille ac uigintiquinq; supra ducenta, Achillis deniq; mille & septuaginta sex supra bis centum complectatur. Quę illorum theoremata uideo à Platonicis comprobari, adeò ut fœdum & insolentis animi existimem illis nõ acquiescere. Quom hæc audisset Daniel pronuntiari tanto ambitu, & iam ægreferret Græcum hominẽ nostris tam impudenter insultare: male habeant, inquit, occupationes meæ, & pertinax cura reipublicæ, cui dum me totũ addixi, nunquã fuit ocium Græcas literas attingere, & me ipsum quodammodo mihi ademit. Quòd nisi Baptista Guarinus olim & Lucas Ripa, & nũc Hercules Stroza & Cælius me interdũ ad pristina studia & Musarũ amœnitates excitassent, exaruissent prorsus peculiares illi animi igniculi, si quos mihi natura ad poeticã largita est. Quòd nisi mihi hoc euenisset infortunij, non uereor conferens latinis Græca, nostra multo meliora inuenissem. Habeo enim semper in animo illud Ciceronis oraculũ: nos accepta à Græcis multo fecisse meliora. Venit enim mihi nuper in mentem, quanta elegãtia & rerum copia, de hac re, super qua obortus est sermo, Vergilius noster meminerit: ubi uim carminum scite admodum, ut summũ poetã decebat, ostendit. Eius uersus, Ducite ab urbe domũ mea carmina ducite Daphnim, sunt in Pharmaceutria:

Carmina uel cælo possunt deducere lunam.
Carminibus Circe socios mutauit Vlyssis.

Scio statim proclamaturum Demetriũ, hæc accepta à Græcis, hæc Theocritum ante dixisse. Sed uideamus obsecro, quantũ inter Vergiliũ & Theocritum intersit. Vergilius prudenter & propè diuine uim cãtaminũ exprimit. Theocritus ut memini me olim quom puer adhuc essem annotasse, de nescio qua Iynge. Nam nisi memoria excidit eius carmen est, ἴυγξ ἕλκε τὺ τήνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα. At noster ex disciplina magorum quanto accõmodatius in ui carminum omnem amantis fiduciam locat? Quod & in quarto libro magni operis diligenter obseruauit, quom de Massyla sacerdote meminit:

Hæc se carminibus promittit soluere mentes,
Quas uelit: ast alijs duras immittere curas,
Sistere aquam fluuijs, & uertere sydera retro.
Nocturnosq; ciet manes: mugire uidebis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

Pro Di immortales, & audent aliqui dubitare an Græcis omnibus præferendus sit Maro: cuius lepore ita aures rapiũt, ut quod audio Platonẽ dixisse, nõ secus animus atq; à magnete ferrũ, huc & illuc ceu naribus bubalus pertrahatur. Hæc ille multo irritatior quàm erat eius consuetudo, & quasi apis dimisso aculeo loqui desijt. Subrisit ad hęc Demetrius, & blande in Danielem uersus: Minotaurum, aiunt, magno olim oris hiatu Theseum appetisse, sed præter iniectas ceras & inanes auras nihil ca-

ptasse

ptasse, & Græcanico immo uero Spartanico astu quom prius esset ad dextram in le
uam transijt hæc immurmurans, οὐκ ἐθέλω σε σκιομάχεσθαι κύων εἰς τὸν λίθον ἀγανακτοῦσα,
& quom Marius cæteriq; ad respondendum urgerẽt, recusauit. Et ó iuuenes, inquit,
ἀγαθὸς οἴωνος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης, egregie facit Daniel, qui uel falsò suorũ gloriam
tuetur, & morem Atheniensium imitatur. Qui quom Alcamenes & Agoracritus in
re statuaria decertassent, Alcameni palmam adiudicarunt: non operis pręstantia, sed
suo ciui fauẽtes. Sed tu Daniel quom de Græcis ac Latinis uerba facies, semper me-
mento in ore atq; corde habere illud, πολλοί τοι ναρθηκόφοροι, παῦροι δὲ τε βάκχοι. sed &
Iulio & cæteris Daniel de iynge Theocriti locutus, uotum fecerat audiendi quid
Græci super ea sentirent. Et quidem Iulius: Amabo mi Demetri in nostrorũ studio-
rum gratiam dic obsecro (scio enim te omnia Græcorum monumenta habere sub
manu) quid de iynge uestri autores tradunt? Ad hæc Demetrius se facilẽ admodum
prębuit. & bone adolescẽs inquit, iynx auicula est paulo maior q̃ fringilla, colore ua
rio, cui propria quædam digitorum dispositio. Digitos einm utrinq; binos habet: lin
guam serpentibus similem: quippe quam in longitudinẽ mensura quatuor digitorũ
porrigat, rursumq; contrahat intra rostrum. Collum etiã circumagit in auersum reli-
quo quiescẽte corpore modo serpentum: unde collitorquis à uestris appellari potest:
est autẽ stridenti uoce, & ungues habet grandes & gracculis similes. dicitur uero E-
chûs filia fuisse à poetis: quæ uenefica & pollens carminum ui ad pelliciẽdos amato-
res fuerat, stuprata à Ioue & mutata in auem quam modo dixi: quæ & hodie carmi-
nibus amatorijs præest. Cuius ope non inscite neq; parum apte puella Theocriti ad
alliciendum amatorem utitur. Tum Iulius à me petijt an de hac Plinius meminisset.
Immo uero inquam, sed locus ille parum castigatus est. Nec enim iynx, sed lynx le-
gitur. Sunt autẽ hæc eius fermè uerba, qualia ex Aristotele Demetrius rettulit: iynx
sola utrinq; binos digitos habet, eadem linguã serpentum similem in magnã longitu
dinem porrigit. Circumagit collum in aduersum, sed ungues ei grandes ceu graccu-
lis. quo loco magis probatur Plinius qui gracculis uertit quàm qui monedulis. Est
enim Gręce ὄνυχας δὲ ἔχει μεγάλους μὲν, ὁμοίους μέν τοι πεφυκότας τοῖς τῶν κολοιῶν. Hic Pi
so quom uereretur ne à studijs auocaretur sermo: turpe est inquit Cæli uirũ publico
auctoramẽto profitentẽ, tantum cæteris indulsisse, ut disserentibus illis solus taceat.
excitet deniq; te illud Aristotelis, qui cõmotus Isocratis rhetoris gloria dixit: αἰσχρὸν
σιωπᾶν καὶ ἰσωκράτην ἐᾶν λέγειν, & tu quoq; de ominibus & ui carminũ nonnihil edis-
seras. hortabatur & ad hoc Iulius. Sed quom ego collegissem Ariostum & oris habi
tu & oculorũ motu pensitatius cogitantem, ita illum compellaui. Mi Arioste, tu qui
longa cogitatione iam ad dicendum paratus uideris, esto mihi interea optio: & uel
de gigãticis & Heroicis & penè ἀδόξοις facinoribus, quod opus scio tibi esse sub ser
mento: uel de nuperrimo sermone nostro aliquid cõmenteris, iam nunc uelis in com
mune erogare. Scis enim illud scitũ: ἀφανοῦς μουσικῆς οὐδὲν ὄφελος. Ad hæc præclarissi-
mus iuuenis, ualeat inquit liber ille meus, qui mihi penè omnẽ sapientiã expectora
uit. Nã dum Hippolyto summo principi nostro placere cõtendo, huic noctes diesq;
omnes impendi: optimasq; horas male perdidi. Et quod mihi re omni grauius, pul-
cherrimas (& nisi tu cæteriq; amici me fallunt) cõpositissimas cõmentationes in gal
licanis ambubais (ita enim appellasse non pœnitet) & circunforaneis argumentis at-
triui: quanto facturus satius si uobis has epulas instruxissem. Sed galeatũ sero duelli
pœnitet: & consilium quæro in harena. Sed compertissimũ habeto, me ab urbe exe-
untem ad has hilaritates nugis illis transpadanis nuntiũ misisse. Pauculos enim hos
dies statui lucrifacere. Sed quoniã ita uobis lubet, dicã quicquid animo uolutabam.
est autem id forte altius, quàm ego satis ingenij captu assequar: sed dicam. Quom de
orationis ui accepissem à uobis, mecũ ipse mirari cepi, quomodo sacerdotes consue-
uerint uiolentis quibusdam minis aduersum superos uti: ueluti, nisi uos ita feceritis,
uel contrà si feceritis, cælos confringã, occulta Isidis patefaciam, uel arcanũ in abysso
reconditum diuulgabo, aut sistam barim: est autẽ hæc nauis sacra apud Aegyptios:
aut membra Osiridis Typhoni dispergam, & cætera id genus terriculamenta. Adde
his uerba ex media barbarie eruta & nulli omnino explicabilia: qualia illa sunt ad
luxum

luxum excantandum, quom diffisam arundinẽ duo homines ad coxendices addunt, eamq; dum pariter coeat excantant, Motas danata daries dardaries astataries. His ferro iniecto quom coiuerint dextra prehendit, & sinistra præcidit, & ad luxum uel fracturã alligat, quotidieq; cantat: haut haut haut ista pista sista damiabo damaustra, ut haut haut haut istagis tursis ardannabon damaustra. Quæ quàm ridicula sint uos ipsi uestro risu ostenditis. Et certè hæc mihi auia mea puero olim ad deterrendũ à uagitu insusurrabat: quæ deinde ludicri causa edidici. Quom cæteri uix satis cachinno temperarent, solus, inquit Lilius, Ariostus est qui misceat utile dulci. Nam quæ ad luxum incantamenta protulit, prorsus deridenda sunt, non ridenda modo. Sed quę de minis ad cogendos perterrendosq; superos dixit, magis serium fortasse est, quàm ut equitantes & lasciuientes de eo agamus. Sed dicam tamen, quod me persæpe obseruasse annotaui. Non consueuisse execratores minitationes huiusmodi dirigere ad solem & lunam, cæteraue cælestia. Sed esse in mũdo genus quoddam potestatum ualde diuisum & indiscretum, inconsideratumq; quod accipit quidem ab alio orationem exauditq;, suopte autem ingenio nequaquam discernit, neq; uerum à falso, neq; quod fieri potest ab eo, quod fieri nequit. Atq; hoc genus est, quod minitationibus lacessitum stupet, & uehementiori oratione perterretur. Præterea sacerdos sæpe non humana uirtute, sed diuina sacramentorũ ineffabilium potestate, mundanis numinibus minitatur atq; imperat: quando ipse tunc in superorum deorum ordine constitutus, & ideo grandioribus propria natura mandatis utitur, atq; minis: neq; tamen tanquam facturus quæ tunc asseuerat, sed declarans quantam nactus fuerit potestatem propter ipsam ad deos unionẽ, comparatam scilicet ex notione possessioneq; ineffabilium symbolorum, quæ sacramenta appellamus. Adde quod dæmones per prouincias regionesq; diuisi, & partes mundi custodientes, singuli cõmendatarum sibi partium tantam habent curam, ut ne uerbum quidem ullum suo ordini dispensationiq; contrarium pati possint: perpetuam siquidem immutabilemq; mundi & rerum quæ in eo sunt perennitatẽ obnixissime custodientes, ordinem uero eiusmodi suum immutabilem susceperũt: quoniã ordo deorum immobilis permanet in eisdem. In quo qui uitam agunt dæmones uel ætherei uel circa terram distributi, hoc ipsum nec minitationibus permoueri, nec quicquam audire possunt. Proinde dæmones ineffabilium arcanorumq; mysteriorũ custodiam studiose procurãt tanta obseruatione, quòd seriem dispensationemq; uniuersi in eiusmodi mysteriis agnoscũt. Symbolice enim & τὴν ἀλληγορίαν per hæc uerba numina designantur, ordinesq; mundi. Hanc enim ob causam mundi partes in ordine permanent, quod benefica potestas Osiridis syncera permanet & intacta, neq; quo tumultu & errore miscetur. Permanet insuper ipsa omnium uita pura semper & incorrupta, quatenus uiuificæ formosæq; rationes quæ in Isside reconditæ sunt, consistũt ibidem, dum inde mundus agitur: nec ipsæ in corpus descẽdunt oculis manifestum, atq; etiã omnia permanẽt immobilia & simul, sempiterna generationis uidelicet successione: quoniã nullum solum cursum unquã sistere potest. Perseuerant insuper integra, quoniam quæ in abysso, id est profundo sunt abscondita nunquam aperiuntur. In quibus ergo salutẽ habent omnia simul & uniuersum: In eo scilicet quod ea quæ naturaliter sunt occulta, ut sunt occultẽtur & maneant, & secretissima deorum essentia nunquã sortem contrariam subeat, nec oppositis misceatur. Hoc inquam circumterranei dæmones nec uoce tenus audire pati untur, solasq; huius rei minas reformidant, & quodammodo profanari existimant. Atq; propterea aduersus dæmones eiusmodi uerborum usus habet aliquem potestatem, deis autem nullus alicubi minitatur, nec ad illos sunt obsecrationes huiusmodi cõstitutæ. Quapropter Chaldæi sacerdotes, apud quos dijudicatus decretusq; est purus ipse ad solos deos sermo, nunquam minis utuntur. Aegyptij uero, qui cum diuinis sacramentis dæmonicos sermones admiscent, ad minas eiusmodi nonnunquam se cõuertunt. His alia Lilius additurus uidebatur, nisi Marius, quod plerisq; ægerrime tulerunt, interstrepuisset. Ad Lilium enim conuersus, scimus, inquit, hac in re Porphyrio & Iamblico controuersiam esse, teq; Iamblici sententiã tueri, sed non hęc ista sibi tempus spectacula poscit; nec tua certè modestia dignum, aliorũ clepsydras occupare

pare.& me intuens,at tu,inquit,hæc facile patiebaris,ut eius oratione iter omne abſolueremus, nec tu tuum penſum abſolueres. Sed puta nos callidos ad quæſtum, & minime ſtertere quom ſalem naui aduehamus. Tũc ego nolens diutius detrectare,& ut iam amantiſsimis mei obſequerer cœpi. Quom de omnibus & ui uerborũ tot præclari ſodales mei uerba fecerint, non uideo quid mihi ſit reliquiarum relictum: uereorq; ne quod Potitijs paulo ſerius ad epulum & pollucibilitatem Herculis accedentibus euenit,mihi contingat ut uacuus & ieiunus extrudar. Faciam tamẽ quod Heſiodus præcepit in uino faciendum, ut in ſummo atq; imo dolij largius & prolixius indulgeamus potationi. Ego enim in extremo orationis etiam ſi nihil inuenero, tamen ita(quantum erit in me) omnes ſerias relinam, ita ſedimenta effundam,ut periculum ſit ne retrimenta & feces ipſas exhauriam. Atq; hinc exordiar. Me non exiſtimare fruſtra ueteres aut parũ prudẽter fidem omnibus adhibuiſſe: utarq; ad hoc illo Stoicorũ argumẽto. Si ſunt Di, neq; tamen declarãt hominibus quę futura ſunt: aut non diligunt homines,aut quid euenturum ſit ignorant. aut exiſtimant nihil intereſſe hominum ſcire, quid ſit futurũ: aut non cenſent eſſe ſuæ maieſtatis præſignificare hominibus quæ ſunt futura. aut ea ne ipſi quidem Di ſignificare poſſunt. At neq; non diligunt nos. Sunt enim benefici,generiq; hominum amici. neq; ignorant ea quæ ab ipſis conſtituta & deſignata ſunt. neq; noſtra nihil intereſt ſcire ea, quæ euentura ſunt. Erimus enim cautiores ſi ſciemus. neq; hoc alienum ducunt maieſtate ſua. nihil eſt eñ beneficentia pręſtantius. neq; nõ poſſunt futura prænoſcere. Non igit̃ ſunt Di,nec ſignificãt futura. ſunt aũt Di. ſignificãt ergo, & non ſi ſignificãt,nullas uias dant nobis ad ſignificationis ſcientiã. Fruſtra enim ſignificarent. nec ſi dant uias, nõ eſt diuinatio. eſt igit̃ diuinatio. Quòd ſi ulla diuinatio eſt: quę poteſt eſſe pręſtãtior q̃ quę ab homine homini prouenit. hęc aũt maxime omnibus conſtat. Adeò ut quom cæterę fermè diuinãdi ſpecies multis iam ſeculis abolitæ ſint, hæc tamẽ adhuc ſuperſtes magna ex parte agnoſcat̃. Quid enim eſt quod occurrentes inuicẽ ſalutamus? Quid quod ſurgentes mane diẽ amicis felicẽ precamur? Excitãtes lumina turpe ducimus atq; inurbanum, niſi præſentibus bene ominemur: niſi ad nocturnã quietẽ accedẽtes, hilares ſomnos auguremur. Quòd ſi amicus magiſtratũ ſortitus eſt, uel uxorẽ duxiſſe uel liberos ſuſcepiſſe nuntiet̃: an nõ gratulatiõibus bonas precationes admiſcemus? Quòd ſi abeuntẽ redeuntẽúe peregre ex neceſſarijs quemquã aſpiciamus, quot illũ præfationibus bonæ precatiõis pleniſsimis, aut dimittimus, aut excipimus? denicq; omnibus horis, omnibus momẽtis, publice, priuatim, cõmentantes nobiſcũ aut cũ alio cõtrahentes, ominationis pręmiũ aut ſolatiũ aliquod experimur. Hinc mane ueteres, hinc meliorẽ diei partẽ Vergilius nuncupauit. Et quoniã de nuptijs Marius meminit,& ego nũc caſu in earũ mentionẽ incidi: qd eſt obſecro, quod in ijs apud Græcos Hymenęus, apud noſtros Thalaſsius inuocat̃: niſi qd & hic Romanis, quom Sabinę raptæ ſunt,& ille utpote Veneris comes, Bacchi & Vraniæ genius in re uxoria ſummæ felicitatis fuiſſe traduñt. Qua cauſa & in nuptijs hanc uocẽ clamabãt Græci ὑμὴν ὦ ὑμέναιε, ſi Aegyptijs credimus, ꝙ ea cornicũ peculiaris uox ſit: quæ tanta religione cõiugale fœdus ſeruãt, ut ſi ex ipſis aut mas aut fœmina deceſſerit, q̃ ſuperſtes eſt, uiduã in poſterũ uitam degat. Nam quod & nuces ſpargerẽtur, & earũ appellatio nuptijs religioſa eſſet, minime mirari oportet: quom tot modis earũ fœtus munitus ſit: gemino ſcilicet protectus operimento, puluinati primum calicis, mox lignei putaminis, lignea itẽ intercurſante membrana. Quid uero quod & mẽſe malas Maio nubere uulgus ait? nã quod lemuria eo mẽſe celebrarent̃ in Remi occiſi memoriã, & proinde lemuria dicta quaſi remuria. uel quòd piacula argeorum fierẽt: effigies enim quædam in Tyberim iactabantur, ex Herculis inſtituto, cuius comites Argiui decedentes rogarent ut uel mortui in patriam remitterẽtur: quod quom paulo difficilius eſſet in mandatorum expiationẽ eorum effigies Tyberi mandabantur Argos deuehẽdæ: unde & argeorum piacula dicta ſunt: neutra mihi harũ rationum ſatis approbatur. Sed abominationis ratio tota huius rei cauſa exiſtimatur. Maior enim ætas & iam ingraueſcẽs, à qua maius dictus putatur, parum nuptijs idonea, aut generationi fœcunda cenſetur: & ob id nuptiarũ dies eo menſe omnis cauſa diffin-

ditur

ditur. Et profecto huic sententię Euripides suffragatur. ἀλλ' ἢ τὸ γῆρας τὴν κύπριν χαίρειν ἐᾷ, ἥ τ' ἀφροδίτη τοῖς γέρουσιν ἄχθετο, quòd scilicet senecta iubet ualere Cypridē, & Venus senibus infensa est. Quod animaduerto etiam in erotico carmine Tibullum sensisse: quom de sene amatore loquens inquit.

Hunc puer hunc iuuenis turba circunterit arcta,
Despuit in molles & sibi quisq; sinus.

Sed ut ad id redeā, unde discessit oratio: an nō uictimarij, quos poppas uocāt, effata & uocis signum obseruabāt: nec prius cultrū adigebant in uictimam, quàm percunctarentur, Agon? & Pontifex age respondisset. Vnde tritus ille uersiculus:

Semper agat ne rogat: nec nisi iussus agit.

Hoc uero non frustra ad omen referendum putaui: quòd neq; nutu nec alijs uerbis uictimationē pontifici licebat indicare: nec certè sine precatione uictimæ cædebantur: quas nunc uictimas nunc hostias ominis causa à uincēdis hostibus appellauere. Et quidem macto, adoleo, sacrificalia uerba sunt, ab augmento & adolescēdo dicta. nec omnibus in sacris eadem uerba seruabantur. Alia enim erāt impetrantis, alia depulsoris, alia cōmendationis: certisq; precationibus obsecrabāt summi magistratus: & ne quid uerborum præteriretur aut præposterū diceretur, de scripto aliquis præibat. Alius custos dabatur qui attenderet, alius præponebatur, qui faueri linguis iuberet. Atq; interea tibicen canebat: ne quid aliud exaudiretur: & profecto memoria annalium constat dirum fuisse imperio Romano quotiens obstrepētes deprehensi essent: aut precatio errauisset, & repente etiam extis capita uel corda adimi aut geminari uictima stante contigisset. Dedendi certè ac deuouendi carmina adhuc extant: quæ & nos in Selectorum nostrorū libro ascripsimus, nec hic repeti oportere existimamus. In salutis etiam augurio quamuis exta & auspicia obseruarentur, imprimis tamen uoces & omina annotabantur. adeò inquam ut quom auguria & auspicia ipsa uel temporibus Augusti in desuetudinem uenissent, tota ea res in omine cōstaret. qui enim magistratus accepturi erant, exurgentes sub lucem precationes quasdam sub Dio faciebant. Tum quispiam augurum qui publica mercede autoratus aderat, eis fulgura sinistris affulsisse indicabat: quod nusquam tamē affulserat. at illi contenti omine tanquam rite captatis auspicijs ad capessendos magistratus ibant. In Meditrinalibus quid præter omen agnoscimus? celebrabantur hęc singulis annis Meditrinæ deę cui à medendo nomē impositū. Mos enim erat Latinis populis: quo die quis primum gustaret mustum dicere ominis gratia, uetus nouū uinum bibo, ueteri nouo morbo medeor. Vnde est q; impares numeros in sacris adhibemus, & ad deos pertinere suspicamur: nisi quòd diuisionem æquam non capiunt: quod maxime deorum uidetur peculiare, qui nullo æuo solui possunt. Vnde sinistra meliora appellamus? nisi ex ui uocabuli à sinendo. Nec me fugit à Cicerone & Plutarcho alias afferri rationes, sed nunc ea dico, quæ ad rem faciunt, & quæ maxime probo. Quæ item alia causa Aio & Iunoni Monetę aras erexit? Quorum alter multo ante urbem captam à luco Vestę qui à Palatij radice in nouā uiam deuexus erat, exerta uoce, ita ut ab omnibus exaudiretur, admonuit ut muri & portæ reficerentur: futurum esse, nisi prouisum esset, ut Roma caperetur: quod tum neglectum caueri potuisset, post acceptam illam maximā cladem explicatum est. Itaq; Aio Loquēti ex ea re ara consecrata est. Altera ab æde Iunonis ex arce monuit, quom terræmotus factus esset, ut sue plena procuratio fieret. Quo circa Iunonem illam appellatam Monetā accepimus. & hæc quidem iccirco inter omina annumeramus, quòd & ore prolata sint, & deorum uoluntatem significauerint. Nónne & id quod apud Græcos obseruabatur, hoc etiam certius indicat? Petebat enim sacerdos ad sacra accedens: τὶς τῇδε, respondebant alij ominis & piaculi uitandi causa, πολλοί τε ἀγαθοί τε πάρεισιν. Quid dicam, quantum fidei summi imperatores ominibus adhiberēt? Certè Augustus quom agasoni occurrisset, cuius asinus Nicon, ipse εὔτυχος uocaretur: motus significatione nominū felicia sibi omnia spopondit. Vespasianus quom solus in Serapis templo consultaret, ad certam spem imperij cōfirmatus est, quòd Basilides libertus quē procul ægrum reliquerat, in conspectum uenisset. Regillianus non alia causa ad imperiū & purpuram

ascitus est à militibus, nisi quòd ex ui nominis regio fastigio dignus existimatus est? Sed quid uetusta & supra memoriam nostram prosequor? Nonne & nostra ætate, quom Pontifices ad summũ sacerdotiũ euehuntur, moris est ut eorũ nomina immutentur: eaq; ipsis imponant, quæ salutaria olim sacrosanctę religioni nostræ cognita sint, & ex quibus felicitatis omen habeamus? Et puellis quæ deo perpetua uirginita te sacrantur, quom primum se uirginio approbant, aptissima nomina imponuntur. Quem morem uideo à quadam consuetudine antiquitatis profectum. quom enim pontifices uestales uirgines ad sacerdotiũ ascisceban, nõ proprio nomine, sed cuiusdam priscæ sacerdotis quæ feliciter olim fuerat cõsecrata, appellabant his uerbis: Amata te capio. Sic serui qui in libertatem uendicabantur, patronorum: sic adoptiui adoptantium nomina sortiebantur. Quid uero, nõ ne ego qui alioqui neq; augurijs, neq; ominibus moueor, neq; sanè puto multũ ea ad nos pertinere, lætari plurimum soleo ijs quæ olim optimus & nunquã sine præfatione appellandus pater meus infanti mihi euenisse cõmemorabat: quę licet neq; imperia, neq; diuitias, neq; summas dignitates pollicerẽtur, animo tamen tam libenter amplector, ac si ex ijs summa omnia prouentura mihi putarem. Et quoniã uideo me inter candidos & amantissimos mei sodales uersari: nec certè mihi melius quicquã dicendum occurrit quod uestrarum auriũ cõmodo fieri possit, ea explicabo. Tũ omnes instare agminatim, ut quicquid illud esset aperirem. nec ego lõgas preces moratus sic cœpi. Dicebat mihi suauissimus pater, quom forte ad Romanum Pontificẽ & inuictissimum regem Neapolitanum obiturus esset legationem, longa cogitatione fatigatum se studijs dedisse. Et quom fortè eam Ciceronis epistolam, quæ est ad M. Cælium Aedilem curulem, haberet in manibus, atq; ea uerba legeret: Ego de prouincia decedẽs quęstorẽ Cælium præposui. puerũ inquis? at quæstorem. At nobilem adolescentẽ, at omnium ferè exemplo; neq; erat superiore honore quisquã usus, quem præficerem. Accurrens numitius me natum illi significauit. Tunc hilaris pater, bene habet, inquit, Cælius mihi natus esto. & quom lustricus dies aduenisset, essemq; lustrali aqua perluendus, & iam sacerdos è scripto mysteria diceret, dextram, quæ mihi solenni ritu è fascijs exerta erat, in librum inieci, quo piaculares orationes continebantur. Quomq; obstetrix & sacerdos contenderent, mihi manum corrigere, & libellum extorquere, uix id sine multo nixu potuerunt. Tunc Antonius Leutus, Iureconsultus primi nominis, & multæ uir prudentiæ, qui me ulnis ad sacrum fontẽ tulerat, gratulatus patri dicitur, quòd tãtæ indolis filium, & quem ipse multum in re literia promoturum præsagiret, suscepisset. Et quom paucis post diebus familiares aliquot nostri bene literati homines in gratiam parentis sortes Vergilianas adiuissent, duo illa carmina ex sexto libro sortiti sunt.

Nec uidisse semel satis est, iuuat usq; morari,
Et conferre pedem, & ueniendi discere causas.

Quod mihi cũ illo Solonis carmine, quod à Platone reprehenditur, uidetur cõuenire:

γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος,

Vereor ne & cum illa Apis perquisitione cõueniat, qui multo quidẽ Aegyptiorum labore perquiritur, nec unquam tamen satis inueniri potest. Nam quantum ego in literis profecerim, uestrum est uiri clarissimi iudicium. Vnum illud possum meo iure mihi arrogare, neq; uotum neq; studium unquã defuisse. Tunc Lilius & alij plerique multas in me laudes congessere, quas neq; agnosco, neq; si fuissem ambitiosus expetissem. Sed Marius ingenua & iucũda illa libertate sua utens: existimabo te, inquit, spe harum laudum dixisse, si diutius hos laudatores patieris, qui tam bene palpantur, ut neminem ex sapientissimis non sint adacturi ad insaniam. Quin si consulendi sermonis gratia ad hilaritatemq; auditorum orationem accõmodasti, dic quid de Tibulli carmine sentias, cuius modo fecisti mentionem:

Expuit in molles & sibi quisq; sinus.

Non erat enim locus ille tam raptim & præcipitanter obeundus. At ego quãuis plane intelligerem Marium tentandi causa id à me exposcere, tamẽ quoniam cæteri ostendebant sibi esse par uotũ audiendi, abdicato omni fuco, ita respondi. Ex his quæ

diximus

diximus, potuistis facile intelligere ueteres monstrum & quidem in ultimas terras asportãdum, putasse senem amatorem: & notissimus uersiculus Sulmonensis poetæ in ore omnium est:

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

In senum igitur abominationem detestationẽq; asseruerim iuuenes sibi in sinum expuisse. Sic em̃ despuimus comitiales morbos, id est contagia regerimus. Adde quòd inter amuleta exputatio censebatur: quom quis transiret locum, in quo aliquod periculũ adij sset. subscribit nobis & illa Græcorũ sentẽtia: γέρων ἔρασὴς δυσχάτη κακὴ τύχη, extremum scilicet infortunium est senex amator. & hoc quidem quod in rem nostram faciebat, attigi. Sed & intellectus ille pulcherrime quadrat, quòd iuuenes animaduertentes senes & confectos ætate ad amorem propensos, sibi ipsis quodammodo conuicia faciunt, seq; pari exemplo ad delicias Cupidinis hortantur, & in sinum expuunt redimentes coarguentesq; mollitiem ac desidiam suam, quòd illis amore sa tagentibus marceãt ipsi ac desideãt. Et profecto Salpe obstetrix torporẽ sedari quocunq; membro instupente, si quis in sinum expuat, affirmauit. His dictis plauserunt omnes, & uisi sunt recordatione amoris exhilarari. Et protinus Iulius ut erat uegeto animo & exporrecta fronte. Miratus sum inquit, quòd ad omina & uoces sacrificales rettuleris illud fauere linguis, quod cæteri ad silentium pertinere arbitrati sunt. Et profecto hæc Senecæ uerba sunt: & quotiens mentio sacrarum literarum interuenerit, fauete linguis. hoc uerbum non, ut pleriq; existimant, à fauore trahitur, sed imperatur silentiũ: ut rite peragi possit sacrum, nulla uoce mala obstrepente. & tu quidem si quid aliter obseruasti, ne pigeat & nos cõmonefacere. Tunc ego: petis tu quidem ex me rem diu diligẽter obseruatam, & ut compendio obseruationis summam colligam: fauere linguis nõ omnino est, silentio indulgere. sed eius qui sacris operatur, orationi non obstrepere: immo uero comprobare, & quasi dicenti succinere, nõ animo & cogitatione tantum sed ore. & proinde duo hæc plerunq; iuncta inueniuntur, linguis animisq; fauete. Quòd si ea quæ dico ad libram diligenter expenderis, intelliges me non loqui à Seneca dissidentia. Dicit enim ille non à fauore trahi eum dicendi morem: quod prorsus ita est. neq; enim plaudimus aut acclamamus aut pollicem erigimus in sacris. sed silentium indicitur quantũ ad nostra uerba attinet: quando nos ipsi nihil in sacris cõminiscimur, nihil ex nobis nostroue ingenio molimur: sed omnes ex sacerdotis uoce pendemus. huic incumbimus, huic accinimus ut rite peragatur sacrum, nulla uoce mala obstrepente. non planè nulla uoce dixit, sed mala. Ex quibus colligis, nõ mutum omnino silentium & desidiosum agi, sed religiosum & quod sacerdotis orationem auctet: cuius mysterij instar quoddam & in religione nostra annotamus. Solet enim sacerdos populo indicere sursum corda. cui omnium ore succinitur, habemus ad dominum. Et tamen interea dum se corda habere ad dominũ prædicant, non minus sacerdotis uoces obseruant: & quom usui uenit, comprobatione suffragantur: quod ipsum mihi prorsus uidetur linguis atq; animis fauere. Et nostræ quidem opinioni uidentur M. Tullij uerba, quæ modo Marius rettulit, calculũ adijcere: qui boni ominis gratia imperari dicit in sacris, ut linguis faueatur. Quomodo enim ominis gratia, si nulla prorsus uox audiretur. Sed hoc Ouidij carmen certius facit. inquit enim:

Linguis, animisq; fauete.
Nunc dicenda bono sunt bona uerba die.

Bona si quidem uerba dici oportere præcipit Ianuarij Calendis, quom tamen fauendum animis & linguis ante præcepisset. Agnoscitur & hoc ex alio eiusdem poetæ carmine locupletius, quom de serpente Epidaurio loquitur. Sic enim præcipientem sacerdotem inducit.

En deus est, deus est, animis linguisq; fauete,
Quisquis adest dixit.

Et mox quasi sua uerba his uerbis interpretatur:

Quisquis adest uisum ueneratur numen, & omnes
Verba sacerdotis referunt geminata: piumq;

Aeneadæ præstant & uoce & mente fauorem.

Ex his putamus ita sententiam nostram constare, ut nisi mea me fallit opinio, ambigui nihil occurat. Tunc etiam Piso: de salutis augurio uellem scire, inquit, quid sentias. Quid inquam, nisi quod uulgatum est? ministeriũ scilicet augurij fuisse, ut si deus permitteret, salutem populo poscerent: quasi ne salutem quidem à Dis petere, fas sit, ni prius hoc ipsum Di concessissent. Obseruabatur autem dies quotannis in qua nullus ad bellum proficisceretur exercitus, nemo se contrà pararet, nemo pugnaret, quocirca in assiduis periculis, maximeq; ciuilibus, diu prætermissum fuit. Oppido enim quàm difficile erat eo tempore puram rebus his omnibus diem Romanis seruare. Atq; hoc est quod Dion & Suetonius apud nostros dicit, ab Augusto nonnulla ex antiquis cerimonijs paulatim abolita fuisse restituta, ut salutis augurium. Cor. Tacitus ait salutis augurium quinq; & uiginti annis omissum repeti ac deinde continuari placuisse Claudio imperatori. Miror quosdã prætermisisse hac in re Ciceróis uerba, quæ Quintus frater loquitur: tibi P. Claudius augur cõsul nuntiauit à dubitato salutis augurio bellum domesticũ triste ac turbulentũ fore: quod paucis post mensibus exortum, paucioribus est à te diebus oppressum. Quom hæc dicerem, inter Lilium & Marium animaduerti cõtrouersiam obortam esse. Nam quod ego dixeram Idæorum dactylorum nomina ad auertendos terrores usos esse ueteres, asserebat se Marius apud Plutarchum propríos digitos legisse, non dactylos Idæos. Atq; ita uetustam lectionẽ Aldiq; impressionem tuebatur, quãdo de hac re in Plutarchi libello, cui titulus πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτὸν προκόπτοντα ἐπ' ἀρετῇ, inuenitur. Nitebatur autem Marij sententia uetustate librorũ: quos ad eam diẽ uidisset, tũ uero Aldi nostri clarissimi uiri autoritate, addebat doctissimorum hominum sententiã, qui eum locum fuissent interpretati. Vtebatur & ad eam rem comprobandã hac ratione: quòd ueteres adeò uim quandam digitis ineſſe suspicarentur, ut ex his unum medicum appellauerint, quem sub curribus triumphantiũ ad propulsandam inuidiam moris fuit appendere. Hunc etiam lustralem appellatum alij existimauere: quo solebant cõmode morsibus serpentũ salíuas allinere. Quid quòd alium salutarẽ nuncupauere, quem silentio dicauerant: & quidem eo habitu Harpocrates silentij præses ab Aegyptijs fingebat, ut illo os obsignaret. Cuius imaginẽ apud Romanos Angerona referebat. Sic etiam Alexander dicitur Ephestioni, quom secretiores matris literas legisset, indixisse silentiũ. Nónne & Pyrrhi regis pollex post eius obitum ad quædã remedia reseruatus est, magnaq; in celebritate habitus? Quidam morbo comitiali lapsos protinus exurgere si pollices pedum pungantur existimant, & ex ijs guttæ referantur in faciem: aut si uirgo dextro pollice attingat: hac cõiectura censentes uirgines carnes edendas hoc morbo laborantibus. Alij, pollicem manus prẽstringentes tempestates & grandines sedare autumant. Si quis cytinũ unum (est autem hic primus mali granati partus florere incipientis) solutus uinculo omni cinctus & calciatus, atq; etiam annuli, decerpserit duobus digitis pollice & quarto sinistræ manus, atq; ita lustratis leui tactu oculis, mox in os additum deuorauerit, ne dente contingat: affirmant nullam oculorum imbecillitatem passurum eo anno. Ex eadem Magorum superstitione pollex in pede prælígatus proximo digito tumores inguinum sedat. In manu dextra duo medij lino leuiter colligati distillationes atq; lippitudines arcent. Quis nescit, assidere grauidis, uel quom remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim in se amplexis, uenefícium esse: idq; compertum tradunt Alcmena Herculem parĩete: peius si circa unum amboue genua. itẽ poplites alternis genibus imponi. Ideo hæc in consilijs ducum potestatumue fieri uetuere maiores, uelut omnẽ actum impedientia. Sed si quis est cui hæc nostra sentẽtia arrideat, & digitorum nomina ad amolientos terrores putat ueteres adhibuisse, cur nõ in eius gratiam eorum nomina Græce, si cuti antiquitas appellauit, enumeramus? Sunt autẽ hęc, ἀντίχειρ, λιχανὸς, σφάκελος, μέσος, μύωψ. nonnulli tamen ex posterioribus ad Romanam imitationẽ ita ijs nomina indixere, ἀντίχειρ, δάκτυλος, ἰατρὸς, δακτυλιώτης, ὠτίτης, ac si dicas pollex, index, medicus, annularis, auricularis: ubi tamẽ aduertendum, medícum ab ijs dictum, qui sit medius aut famosus: non qui minimo proximus, quod alij plerique putauere. Adde quod

quòd complexu & dearticulatione digitorum antiqui numeros indicabant. Non est & illud præter rem: quòd Cæsarum & illustrium uirorũ imagines, tum uero & Harpocratem & deorum simulacra digitis ferebant: ut minime mirum uideri debeat, si ad propellendos auertendosq́ terrores & eorum nominibus uterentur. Dum hæc Marius diceret, mula qua Lilius uehebatur, quom forte rubo canino hæsisset, anteambulonẽ nostrum, qui nescio cuius rei ergô stiterat gradũ, calce percussit: & quoniam subsequi non poterat, excepit illum canterio stabularius, qui nobis hippoperas ferebat. At iuuenes sodales Lilium hortabantur, ut uinum mulæ propinaret, quo calcitrosa esse desineret. Sed Lilius minime calcitrosam esse, immo ueruece mitiorẽ deierabat. uerum ei id moris esse, ut canibus nõ mordicus sed calcibus repugnet. Mirabantur hoc omnes, quom canis omnino nullus nos sequeretur. Lilius uero canem ligneum se dicere professus est, non latratorem. tum omnes quid hoc esset ænigmatis percunctabantur. At uos, inquit Lilius, nõ meministis, quid olim Physcio Locro Amphictyonis filio euenit. Qui, quom forte inter eum & parentẽ obortũ esset dissidium, multis ciuium acceptis de sedibus statuẽdis Apollinem cõsuluit: responsumq́ tulit ut eo loco urbem conderet, ὅπουπερ ἂν τύχῃ δηχθεὶς ὑπὸ κυνὸς ξυλίνης, ubi à cane ligneo morderetur. In alterum itaq́ maris littus transgressus κυνόσβατον, id est caninum rubum pede compressit: uexatusq́ plusculos dies ulcere, eo loco ubi oraculum iusserat, urbes condidit, Physcos, Hyanthiã, & alias omnes, quas Locri Ozolæ coluerunt. Hic est canis ille, qui etiam nunc mulam uellicauit: de quo se belle uindicasset, nisi anteambulo noster femur opposuisset. sed mercedẽ tulit. & hæc renidens loqui desierat. Sed Marius ceu asilus quidam instabat, ut uel super Dactylis Idæis herbam daret, & iam nunc ad digitos referendum fateretur: uel rationes proferret, quibus suam sententiam tueretur. His Lilius paulisper cõmotus, ne multum placeas tibi tuis rationibus Mari. Nam si me ad autorũ uetustatẽ uocas, totidẽ uerbis uideor tibi respõdere posse. Habeo enim & ego meos Publios. sin clarorũ uirorũ & doctissimi Aldi autoritate niteris, uide quid agas, qui in periculũ summorũ hominum existimationẽ trahas. Pręficiũt enim illi ministros impressionibus, quorũ diligentia sicubi cæcutiat, nõ debet id protinus magnis uiris fraudi esse. & profecto in arte pressoria, nemo nostrum est, qui non audiat nec exigi debere nec posse, ut ad unguem omnia procedant: atq́ hoc præsertim in re tantilla. Nam & tu ipse uides quàm facilis & lubricus lapsus sit, ut pro ἰδαίων δακτύλων, ἰδίων scribatur. Quod deinde docti & pręstantes uiri, qui eum locum incastigatũ deprehenderunt, non diutius trutinantes, & forte aliqua earum rationũ quas dixisti persuasi, ad eandem effigiem latine conuertêre, alioqui scite atq́ eleganter. huc accedit quòd suum cuiq́ palatum. nec turpe illis puto, quod ne tibi quidem nunc Mari, ut de proprijs digitis quàm Idæis dactylis sentire maluerint. Nec tu profecto, aut eorum quisquam ægreferre debet si meam sententiam tueor: permittoq́ id mihi, quod gratis omnibus sum permissurus. Rationes autem, quæ mihi eam sententiam cõciliant, breues admodum sunt. Nosti enim illud ἁπλοῦς ἀληθείας λόγος. Tua autẽ oratio, quæ luculenter & docte sed nimis ambitiose digitorũ Encomiũ percurrit, nihil minus attigit, quàm eos suapte natura ad auertenda mala atq́ incõmoda uim habere. Nos autẽ illud habemus exploratum, telchines, caberos, curetas, corybantes cum idæis dactylis à plerisq́ eosdem habitos: qui pro Ioue infante in Ida excubantes effecerunt, ne Saturnus Rheæ partum resciret.

Quom pueri circa puerum pernice choria
Armati in numerum pulsarent æribus æra.

Quam rem locupletius Callimachus exequitur.

οὖλα δὲ κούρητές σε περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο
τεύχεα πεπλήγοντες, ἵνα κρόνος οὔασιν ἠχὴν
ἀσπίδος εἰσαΐοι, καὶ μὴ σέο κουρίζοντος.

Hinc & nomina illis imposita animaduertimus, quòd inconniuentibus oculis Ioui semper operam darent. κορυβαντιᾶν enim est leporum more oculis patentibus somnum capere. Vt nemo mirari debeat, si deinde Iuppiter ad summũ fastigium euectus ijs uim repellendi terrores concesserit, qui eum securum olim fecerant & fuerant

rutati. Beneficiorum enim quæ in prima ętate acceperat, eum poetę bene memorem finxerũt: utpote qui Oleniam capellã, & duos hædos in astra retulerit: diphtherãq; pellem præsto semper habeat, in qua hominum aut uirtutes aut flagitia conscribat. Nam quę Melijs nymphis quæq; Adrasteę bene grati animi indicia ostenderit, non puto hoc loco referenda. Certè locum in Parrhasia ubi eum Rhea peperit, ita sacrum ac religiosum esse uoluit, ut neq; ibi mari fœmina admisceat, neq; prorsus quicquam nascatur, φῦθϛ ὁ χῶϛ⊙

ἶδρος, ἀλλ' ἐπὶ μιν κεχρημένον ἀλφηύσιν
ἐρατεινὸν ὄρος· οὐ γὰρ ἐπιμίσγεται, ἀλλὰ ἐρήμης
ὠγύγιον καλέουσι λεχώϊον ἀπτόλεμόν τε.

Idæos autem Dactylos cõmodos fuisse humano generi multarũ rerum inuentione nemo non nouit, nisi quis forte scriptorum lapsu deceptus, qui pro Idęis Iudęos substituerunt. Eos uero alij quinq;, alij tres existimauerunt: à quibus eorũ nomina dicta sunt, Celmis, Damnameneus, & Acmon. Sed Celmis ideo ab alijs reiectus, quòd Rheam deorum matrem uiolare uoluisset. Enarrator Apollonij hoc de his Phoronidis carmen affert: φῶτα γόητον

ἰδλαῖοι φρύγες ἄνδρες ὀρεσσίοι οἵτινες ἦσαν,
κελμίς δαμναμενεύς τε μέγας καὶ ἴτωρ ἐΰς ἄκμων
δυπάλαμοι δράποντες ὀρείης ἀλφηστῆρες.
οἳ πρῶτοι τέχνῃσι πολυμήλου ἠφαίστοιο
εὗρον ἐν ὀρείῃσι νάπαις ἰόεντα σίδηρον
ὃν πῦρ τ' ἤνεγκαν καὶ ἀείπρεπες ὄβριμον ἔλλαξαν

Eos alij quinq; & uiginti dixerũt. Pherecydes duos & quinquaginta existimauit: & ex his duos & triginta, quos leuos dixit, fascinatores fuisse. Reliquos autem uiginti, qui dextri dicerentur, superioribus contrarios, utpote qui maleficia dissoluerent. Et Dactylos nũcupatos, uel à digitorum numero, uel quòd fabulis traditum sit, Opem in Idam cretensem ex fuga delatam, quom puerperij tempus instaret primam mõtis partẽ manibus apprehendisse, atq; ita partu solutã. Ex impressione uero palmarũ cuiretas prodijsse, atq; hinc dactylos appellatos. Alij nõ ab Ope, sed ab Anchiale nympha id factum uolunt: cui sententiæ Apollonius & Varro Atacinus uidentur in Argonauticis hoc carmine subscripsisse,

Quos magno Anchiale partus adacta dolore,
Et geminis capiens tellurem Oaxida palmis.

Et Celmim quidem in adamantem conuersum fatis Ouidiano testimonio constat: quamuis eum locum multi ausi sint uiolare & somnia in eo cõminisci. Quod autem de eorum nominibus diximus, uidemus alios Hyperbiũ addidisse, quod apud Phoronidem Acmonis cognomẽtum legimus: ut in hoc fermè idem quod in Nepenthe contigit euenisse apud nostros intelligamus, ut nominis epithetum in nomen migraverit. Fauet huic nostræ sententiæ, quòd palmarum fructus, quos deorum honori dicamus, Idæos Dactylos appellauit Idæa gens contumelia numinum insignis: ut obiter Plinio patrocinium feram, apud quem ineptius nescio an indoctius Iudæa gens & legitur & explicatur. Horũ enim quibusdam osseus in pomo nucleus, lunatusq; dente contra fascinantes religione politus. Adde quod in dactylorum genere sicciores Nicolai appellantur, sed amplitudinis præcipuę. nam quaterni cubitorum longitudinem efficiunt, sic dicti uel à Nicolao peripatetico miræ suauitatis, amœnissimiq; ingenij philosopho: uel quòd magis arridet, à uictoriæ omine. & quidẽ à Samothracibus occulta operaneaq; religione Idæi Dactyli coluntur, sed cabirorum nuncupatione: quatuor existimantur, ἀξίερος, ἀξιόκερσα, ἀξιόκερσος, & κάσμιλος: licet nõ desunt qui Axierum Cererẽ, Axiocersam Persephonẽ, Axiocersum Ditẽ, Casmilum uero Mercurium interpretentur. alij duos tantum statuant, seniorem & iuniorẽ, illum Iouem, hunc Dionysum existimantes. omnino autẽ à Cabiris Phrygiæ montibus uidentur appellati. Adeò autem hoc de initijs Samothracum nobis suffragatur, ut non modo immunitatem à terroribus perpetuamq; securitatẽ uiuentibus, sed functis etiam uita cultum & religionem ueteres præstari existimarint his, qui in eorum sacris

sacris initiabātur. Atq; hoc est, quod Apollonius dicit argonautas Orphei præcepto ad insulā Electrę adnauigasse, (sic enim Samothracē appellat) ut discētes inuiolabiles initiorum leges tutiores incolumioresq; deinde mare pernauigarent:

ἐσπέριοι δ' ὀρφῆος εὐφημοσύνῃσιν ἔκελσαν
νῆσον ἐν ἠλέκτρης ἀτλαντίδος, ὄφρα δαήντευ
ἀῤῥήκτους ἀγανῇσι τελευφορίῃσι θέμιστας
σωότεροι κρύοεσσαν ὑπὲρ ἅλα ναυτίλλοιντο.

Adde quòd dei magni, auersoresq; auerunci (ut nostri ueteres dicebant) in his potissimum sacris colebātur. Quales Castor & Pollux, quibus primis ἄναξ cognomentū impositum est, ἀπὸ τοῦ ἀναχῶς ἔχειν τῶν ὑποτεταγμένων, quòd subiectos sibi securos expertesq; molestiarum faxint. Quos & in mari inuocabant, eorumq; numini geminas stellas assignabant salutares, & prosperi cursus prænuntias: quarū aduentu fugari diram illam ac minacem appellatamq; Helenam ferebant. Addebant his matrem Dindymenem Cybelem, cuius etiā numen mortalibus salutare infortunia propellebat. Proinde ex religionis ritu Apollonius uidetur dixisse:

πολλὰ δὲ τήνγε λιτῇσιν ἀπστρέψαι ἐργώλας,
αἰσονίδης γουνάζετ' ἠθηλείβων ἱεροῖσιν αἰθομένοις.

Multis scilicet precibus Cybelem obsecrabat, ut impedimenta auerteret, & precibus uictimationes addebat. & per Herculem non intempestiue huius deæ uideor mētionem fecisse, quom huic iuncti & πάρεδροι, id est assessores existimati sint Idæorum dactylorum, de quibus nobis sermo est institutus, proceres & antesignani Titias & Cyllenus: quos etiam ἰδαίων δακτύλων μοιρηγέτας Gręci appellauere. Nec prius Milesij Rheæ sacrum faciebāt, quàm his litassent. & quidem Titiam indigenā deum & Ioue natum alij finxerunt. Alij ex Mariandyni filijs seniorem, cuius opera imprimis gens illa adoleuit, & ad felicitatē prouecta est. Cuius rei ergô in summo etiam cultu à Mariandynis habitus est. hac ratione factum duco ut Sophocles Dactylos Idæos Phrygas appellarit. Nec puto illud mediocriter iudicio meo suffragari, quod à maximis autoribus inter eos Hercules censetur, & Salanimus & Pyrrhichius à quo Pyrrhica saltatio inuēta est. Ita em̄ à Plinio scriptum puto, non aūt à Pyrrho. Sed hoc loco de Hercule tantum dicturus sum: qui etiam initiatus in samothracibus sacris, & minora mysteria inisse primus credit̄ quæ inde celebrabātur, quom maiora Athenis perficerent̄. hic autem perpetuus mōstrorum expugnator, & humanæ libertatis uindex fuisse satis constat. Hinc ἀπτροπαῖος, id est auersor, hinc ἀλεξίκακος, id est malorum propulsor publico præconio celebratur. Adde quod eius imaginem in annulis gestantes tacitum fauorem assequi dicebantur, & plus fortunæ mereri: id quod de Alexandri magni effigie etiam uulgatum accepimus. Quid uero nónne & uulnera nodo Herculis præligare mirum quanto ocior medicina est: atq; etiā quotidiani cinctus tali nodo uim quandam habere utilem dicuntur, quom Hercules eum prodiderit. hoc angues in Mercurij caduceo complicati ostenduntur. Nec mihi fraudi duxerit quisquam, quòd quom Theron rex Hispaniæ citerioris ad expugnandum Herculis templum ageretur furore instinctus, exercitu nauium Gaditani ex aduerso uenerunt, prouecti nauibus longis: cōmissoq; prælio adhuc æquo marte consistente pugna, subito in fugam uersæ sunt regiæ naues, simulq; improuiso igne correptæ conflagrauerunt: paucissimi qui superfuerant hostiū capti indicauerunt apparuisse sibi leones proris gaditanæ classis superstantes. ac subito suas naues immissis radijs, quales in solis capite pinguntur, exustas. nō enim hic tantum animaduerti debet terrorem immissum in hostes & delubri Herculis prædatores: quantum repulsum reiectumq; à Gaditanis, qui delubrum tuebantur. Si igitur Mari animo colliges & Idęos Dactylos fascinum abdicasse, & Iouem infantem ab impia parētis manu uendicasse, & inter Samothracū cerimonias magno in cultu fuisse: Castoremq; ac Pollucem & Herculem eorum numero adscriptos, nihil puto posthac tibi fore super ambigui, quin Idęorum Dactylorū uim & nomina ad prodendos terrores arbitreris, & in nostram sententiam concedas. Quòd si mihi fortasse parum credis, parumq; te iam dictæ rationes mouent, quæ te profecto mouere debent: at Platoni tuo iam non credere inci

pe: qui motum agitationemq; infantibus salubrem esse, tam nutricibus exploratum dicit, quàm ijs quæ remedijs corybantum uacant. Quom enim pueros ad somnum tardiores illiciunt, non quiete hoc neq; silentio sed contrarijs faciunt: ulnis enim ferunt & cantu quasi tibicinio quodam mulcerit: & sicut in bacchantium furentiumq; remedijs fit, huiusmodi agitationis chorea musaq; utuntur. Causa huius rei est, quòd uterq; affectus ex his timore cõstat. Expauescunt enim infantes, & terriculamentis quibusdam propter siniſtrum quendã animi habitum permouẽtur. Quom uero ad hunc affectum quispiam agitationem affert, uincit exterior ille hunc interiorem terribilem alioqui & furiosum: quomq; uicerit, trãquillam animo præstat quietem, subsultu cordis sedato: atq; ita somnum conciliant. Interdum & uigilantes per tibiam ac tripudium accedente deorum patrocinio, quibus supplices litabant, à furioso affectu ad sanę mentis habitum reuocantur. Vides ex his Platonis uerbis constare, ueteres ad ablegandos terrores ab infantibus, corybantum & auxilio & imitatione usos: ut mihi iam minus difficultatis sit ad hoc persuadendum tibi. Et profecto si diligenter animaduertes, nihil potest cogitari insulsius ineptiusue: quàm si quis eam Plutarchi lectionem tueri pergat, ut τὼν ἰδίων δακτύλων ὀνόματα, id est propriorum digitorũ nomina terrores auertant: quasi uero proprij cuiusq; digiti nomen habeant, & non quinq; nomina omnibus digitis sint cõmunia, quæ tu præclare paulo ante expressisti. Quanto ergo hoc facilius illustriusq;, immo uero & uerius, Idęis Dactylis accommodare? Atq; hic Lilius dicendi finem fecit. Parauerat se iam dudum ad ea rursus oppugnanda Marius. Sed nos minime id passi sumus, alioqui disceptatio non erat terminum inuẽtura. Et ueestigio Daniel, qua est prudentia insignis, ut aliò orationem euocaret. Dixisti, inquit, Cæli, & pontificum & uirginum sacrarum nomina immutari. Poteras his addere religionis consectaneos, quiq; in cõmune Essenorum more uiuunt, & sub eiusdem diui numine cõfarreantur. Nec profecto id mirum cuiquam uideri debet, quando illi homines geminum natalem agnoscunt, & quo primum in lucem editi sunt, & quo cęlo initiantur. uideo autẽ & ueteres idem sensisse. & ne me sine testimonio antiquitatis loqui existimetis, en uobis Apuleius. Exhinc, inquit, festiuissimum celebraui natalem sacrorum, & suaues epulas, & faceta conuiuia. Dies etiam tertius pari ceremoniarum ritu celebratus: & ientaculum religiosum & teletæ legitima consummatio. Adeò ut nobis fateri liceat eos homines alteram quidem uitam mortalem, immortalem alteram degere: & quod ad homines quidem attinet altero nomine, quo ad deos altero nuncupari. Satis enim uobis exploratum puto, non eadem nuncupatione homines atq; deos res appellare. Id quod animaduerto Homerum etiam sensisse: cuius carmina exprimere tentabo, nisi modo memoria ab ineunte ætate imbuta fefellerit:

χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δὲ κύμινδιν.

Chalcida Di uocitant, mortales uero cymindin.

Est aũt Cymindes nocturnus accipiter, qui cũ aquila bellũ interneciuũ gerit. Quam rẽ nisi fallor & in Cratylo obseruauit Plato. Quod aũt de adoptiuis & libertis, qui in adoptantiũ & patronorũ ibant nomina, nescio quid attigisti, non uideo quę ratio maiores nostros mouerit. Proinde si quid ad eã res habes, ne pigeat in mediũ proferre. Tunc ego. Quid est mi Daniel, quod exploratũ mihi esse possit, & tibi ignotum: aut quid est quod sciam, & tu nescias. Nam quod de adoptiuis & libertis petis: possũ magis respondere ita fieri consueuisse, & rationẽ reddere cur sic fieret. Nã & Augustũ satis constat post adoptionẽ nomen Cæsaris accepisse, id quod cõfirmat Dion. & T. Pomponius Atticus à Q. Cæcilio adoptatus, illo inquã qui à P. R. post mortẽ reste tractus est, ex testimonio M. Varrõis Q. Cęcilius fuit appellatus. & ad Atticũ Ciceronis uerba à præclaris uiris obseruata hoc indicant. De Eutychide gratũ est: qui uetere prænomine nouo nomine Titus erit Cęcilius: ut est ex me & ex te iũctis Dionysius M. Pomponius. Quod si qua ratio huic rei inueniri potest, quãuis minime facile sit gentium mores ad rationem uocare: & ut pulchre Iulianus Iureconsultus inquit, non omnium quæ à maioribus constituta sunt ratio reddi potest: ea omnis à natura imitatione trahi potest. Liceretq; mea sententia nõ absurde eam rationẽ, quam

modo

modo prudenter adeò de adeuntibus religionem attulisti, adoptiuis ac libertis accõmodari: qui quando uel adoptantur, uel in libertatem asseruntur, uidentur quodammodo iterum nasci ac nouam uitam inchoare. Et profecto sicuti olim patribus integrum erat ijs quos ex se genuerant, sua nomina imponere, & quasi seipsos in filijs regenerare: ita adoptantibus liberum erat eos quos ascisebant sibi filios, suo nomine nũcupare. Qua enim magis meliusúe ratione possent ostendere eos suæ familiæ infertos sibiq; filios effectos esse: quando adoptio in eorũ maxime uel gratiã uel solatiũ instituta est, qui nunq; filios sustulerãt, uel quos sustulissent decesserãt. Est aũt quædã simplex adoptio, quom quis iure magistratus eum sibi filium nepotemúe ascisit, qui sit ætate minor, quiq; in aliena sit potestate. & huius quidem species quædam est ea adoptio quæ fit per æs & libram, imaginem quandam emptionis habẽs: & hac quidem Augustus Imp. C. & L. Agrippa natos sibi filios emit. Est & altera adoptio, quę cõmodius arrogatio dicitur: quom puberes quiq; sui iuris sunt, adoptantur: quod plerunq; principum autoritate fieri consueuit. Adeò autem adoptio naturam imitatur, ut minor maiorem adoptare non possit. Monstro enim simile est filium patre natu grandiorẽ uideri. & quidẽ adoptator adoptatũ plena pubertate, id est decem & octo annis debet præcedere, si credimus Modestino. Proinde iure Clodij adoptatio improbata est, quom C. Fõteio adoptatore maior esset ętate. Videmus & in arboribus huius rei imitationem quandam, quom ramusculi uel gemmæ alienæ arboris arbori inseruntur.

Et sæpe alterius ramos impune uidemus
Vertere in alterius, mutatamq; insita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidosa rubescere corna.

Quod insitionis genus post casum locupletem artium inuentorem in arboribus parum feracibus primum tentatum, & mox ad delicias in frugiferis etiam factum exístimamus. Est etiam hęc ratio in seruis illustrior: qui penè in hominum numero non censentur, quom libertate careãt, qua nihil homini aptius aut optabilius esse potest. atq; iccirco eos prudenter Iureconsulti, quom in libertatem uendicentur, pristinamq; conditionẽ mutent, non tamen capite minui existimant: quom nullum seruis caput asserebatur. Est ergo ijs libertas caput, & quasi uita: quam simul ac ineunt uel uindicta, uel testamento, uel censu, quid mirum si nouum nomẽ accipiunt: atq; eius potissimum nomen, cui caput id est libertatem debent: quem etiam loco patris habent. unde & patronus appellabatur. In qua re nõ pigebit Lactantij uerba afferre, quæ nobiscum aptissime faciunt. Nec immerito pater familiâs dicitur, licet tantum filios habeat. Videlicet nomẽ patris complectitur etiam seruos: quia familiam sequuntur. & nomen familiæ complectitur etiã filios, quia pater antecedit. Vnde apparet eundem ipsum & patrem seruorum & dominum filiorũ. Deniq; & filius manumittitur, id est emancipatur, tanquam seruus: & seruus liberatus patroni nomen accipit tanquam filius. Nam seruus iustam libertatẽ adeptus (leges enim Iunia Norbana & Aelia Sentia pridem exoluerunt) ciuis Romanus efficiebatur, & patroni nomen mutuabatur. Quem morem in re tanti negocij seruari solere minime mirum est. Hic enim de libertate agebatur, sine qua homo uix hominis nomen capit. Quid uero quòd in ridiculis etiam summa religione utebantur? ceu quom falsò quispiã in externo agro mortem obijsse nũtiabatur, & deinde domũ incolumis reuertisset, ianua in domum non admittebantur, sed per impluuium sese dimittebant. Cuius rei causam planè fabulosam persequitur. Quom enim, inquit, in nauali prælio, quod apud Siciliam gestum est, multos desideratos esse falsò nuntiatum esset, domũ deinde redeuntes breui omnes interierũt. Vni autem ianuam ingredi conanti temere clausam obstitisse, nec quom aperire niteretur potuisse. Hominẽ ibi pro foribus consopitum in somnis speciem uidisse, à qua super tectum per imbrices descensus in domum ostenderetur. Quod quom fecisset, & feliciter uixit, & ad senectutẽ peruenit. inde posteris morem fuisse proditum. Sed Plutarchus eam sententiã magis probat, quòd huiusmodi homines ueteres minime puros putarent: nec illis omnino admiscerentur, proculq; à templis arcerent, utpote quibus funus tanquã mortuis & iusta persoluta essent. Memoria autem

ria autem traditum est, quẽdam Aristinũ nomine, qui hac religione tenebatur, Delphos misisse qui deum suo nomine precarentur, ut eum quibus ob hunc ritum difficultatibus tenebatur absolueret. At Pythia iussit eum obseruare quęcunq; puerpera facere cõsueuissent: quæ omnia ubi rite obijsset, tum Dis immortalibus sacrũ faceret. Tum Aristinus ex oraculi præcepto, se quasi modo in lucẽ editum, mulieribus lauandum obligandumq; fascijs & lactandũ præbuit, quod expiationis genus deinde cæteri obseruarũt, quos ὑσροπόμους, quasi posterius educatos appellarũt. Nõ desunt qui ante Aristinum eum morẽ institutum putent. & profecto mirari non oportet, si Romani eos qui semel sepulti mortuorum numerũ tenuissent, limẽ ingredi prohiberẽt. Quippe qui egredientes rem diuinam facerent, nec prius ingrederentur, quàm sacrum fecissent. & quidem desuper per impluuium descendere iubebantur, quod rite sub dio piacula omnia expiarent. Habes optime Daniel quid de nominum immutatione & ritu ueterum sentiam. Tu uero si melius quid habes accerse uel imperiũ fer. Arrisit Daniel & facili nutu approbauit. tum Piso. quom de religiosis, inquit, Daniel mentionem faceres, qui se diuorum numini addixere, Essæis uideris eos contulisse. Cœpiq; mecũ subdubitare, an illi essent quos Hessenos appellat Plinius, qui eos usquequaq; à nocentibus uitari scribit. de quibus puto eius uerba sunt. Hessenigens sola in toto orbe præter cæteras mira, sine ulla fœmina, omni uenere abdicata, sine pecunia, sotia palmarum, in diem ex æquo conuenarũ turba renascitur: longe frequentantibus, quos uita fessos ad mores eorũ fortunæ fluctibus agitat. Ita per seculorum milia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur. Tam fœcunda illis aliorum uitæ pœnitentia est. Ii sunt, inquit Daniel, quos oblique morderi uides à Plinio: & si apud illum Essæi non Hessenigendum est. ἐσσαῖοι enim ex interpretatione Sudæ ijdẽ sunt, qui θεωρητικοὶ, id est spectatores philosophi, de quorum moribus hæc locupletissime Philo scripsit. Palæstinã maxima gens Iudæorum habitat: inter quos qui dicuntur ἐσσαῖοι ad quartum fermè præcipui dei cultores, animalia non immolant, solas mentes deo gratas existimantes. Vrbes non habitant, putantes sicut aeris contagio corpus, ita animum consuetudine uulgi labefactari. Bona omnia in cõmune exhibent, non aurũ non argentũ seponentes sibi: usu ac natura fortunas metiẽtes. Parsimonia & moderatione diuites, felices uirtute, pacis artibus pacis studio tenẽtur. Nemo tela, enses, galeas, clypeos & id genus bellica meditatur: non alias quæstuarias artes exercent. Nemo apud eos seruus: quomq; omnes liberi sint, seruiunt tamen inuicem. Eos odio persequuntur, qui seruos habent: uel quod æqualitatem uitæ uiolare uideantur, uel quòd naturæ leges transiliant, quę omnes homines tacito quodam nutu fratres genuit. Eam unam philosophiæ partẽ amplectuntur, quæ deum, quæ rerum opificium scrutatur, eam quæ de moribus est cõtenti sunt paternis legibus explorare: nec tamẽ sine dei numine id fieri posse arbitrantur. Huic septimos quosq; dies impendunt à cæteris uacui, tria imprimis obseruant, pietatem erga deũ, in uirtute studiũ, erga homines benignitatẽ. Hinc illis perpetua pudicitia, magna Iurisiurandi religio, incredibile mendacij odium, & eorũ quæ ad dei cultum attinẽt summa obseruatio. Inde multa rerum omniũ æqualitas: cõmune omnium diuersorium, cõmune ærarium, cõmunis uictus. Hibernas uestes æstate, æstiuas hyeme in eundem locum congerunt, quas sine discerniculo deinde repetant. Hinc scilicet factum est, ut quom multæ ac barbaræ nationes Iudæam uastarint, ab his tamen ceu sacrosanctis, semper impias manus abstinuerint, neq; unquam iniuriam attulerint. Vsq; adeò uirtutis studium & morum sanctitas efferatis etiam animis imperat. Nec Iulius longam moram fecit, quin me ad dicendum hortaretur: ut planè explicarem, quis fuisset ueterum mos Iureconsultorum autoritate confirmatus, emendi, uendicandiq; sibi per æs & libram: de qua sæpe clarissimũ parentem suum differentem audisset, testantẽq; recentioribus iuris sectatoribus omnino ignotã esse ceu pleraq; ex uetustatis maiestate eruta: nisi perpaucis adeò qui bonas literas sequerentur. Sed sibi omnia, quæ olim à patre nostræ urbis oracuło accepisset, parum propter ætatem animaduersa facile excidisse. Sed ego ueritus ne id mihi accideret quod Phormioni de re militari corã Hannibale uerba facienti, aut Megabyzo de umbra & linea præsente

ſente Apelle diſceptanti: quorum uterq; inſanire exiſtimatus eſt, quòd coram ijs oratio-
nem haberent, à quibus diſcere præſtaret, quàm docendi laudem quærere: En ti-
bi, inquam, Iuli, totius iuris conſultiſsimus Gilinus meus, qui iamdudum me neſcio
quo pacto ad iuris diſciplinam lapſum tacitus admiratur: quaſi aduerſus duodecim
tabulas facientẽ, qui alienas fruges excantem. Ex eo rem totam quære. habet enim
non iam ſub manu, ſed ſub ingenij promptuario, quicquid ex uetuſtatis arcano cæte-
ris incognitum latet. Tum Gilinus in me conuerſus: feliciter, inquit, ageretur cum
iure noſtro, cuius umbram uix quandam tenemus, ſi tam ſolerti indagine cęteri om-
nes qui ſe Iureconſultos profitentur, cum re ipſa cõminus congrederentur, iurisq; ſa-
lebras & ſolennitatẽ legum euoluere niterentur. Sed nũc dum quæſtum & compen-
dia ambitionis ſectamur, deplorata fermè eſt iuris diſciplina: & quaſi per uſucapio-
nem ab his tenetur: qui dum ſuis clientibus, priuatisq; emolumentis publicam ſalu-
tem prodidere, admirabilemq; illam iuris faciẽ interpollarũt, & quod penè dictu ex-
horreo, ius iniuriam fecere. Et ego profecto mecum ipſe meditabar aliquid in com-
mune afferre, ne unus ego in tam nobili cœtu aſymbolos manerẽ: ſumpſeramq; mihi
eas partes quibus ominationem, uimq; cantationum oppugnabã. Sed quoniam uos
me diuerſum trahitis, & quaſi tranſuerſum aufertis ad morem explicandum, qui cir-
ca æs & librã ab antiquis obſeruabatur: cedo lubens, gratiasq; fortunę ago, quę blan-
dius mecum agit, quàm ipſe mihi ſtatueram. Certandum enim mihi propius in mea
harena. accipio itaq; conditionẽ, & quaſi uobis ſtipulatoribus operam recipio. Atq;
illud imprimis teſtatũ uelim: quæcunq; abalienari, id eſt lege duodecim tab. à noſtro
ad alterius dominium traduci atq; transferri iure poterant, uetuſtiſsimo uocabulo
res mancipi ſeu mancupi dictas eſſe. Sicut è contrario nemancupi, quæ abalienari
non poterãt. Vnde manceps ſiue mancipium, quòd manucapiatur: & mancipes, qui
à populo Romano aut emere aut conducere ſolebant: à manu ſcilicet, qua (ut Feſtus
refert) ſublata ſignificabãt ſe uictores emptionis eſſe. & mancipio, quod eſt manu ca-
pio, obligo, ſummitto & ſeruum facio: & emancipatio ipſe alienandi modus: qui &
mancipatio dicitur. Alterum enim pro altero poſitũ aduerti, ſicuti apud Horatium
iuris ciuilis obſeruantiſsimũ autorem: Romanus, heu poſteri negabitis, emancipa-
tus fœminæ. Erat autem hoc uenditionis (ut ita dicam) ſimulachrum in ijs rebus ſci-
licet quæ mancipi dicebantur. Quarum abalienatio, ſi M. Tullio credimus, non ni-
ſi dupliciter fieri poterat: uidelicet aut per nexu traditionem, aut iure ceſsionẽ. Tra-
ditio nexu fuerat quædam celebris iuris ciuilis ſolennitas: quam nõ exiſtimaui poſ-
ſe uobis uberius, nec fidelius explicari, quàm ſi Caij antiqui Iureconſulti totã ſolen-
nitatem explanantia uerba ſubnecterem: qui licet in præſentia non ſit in manibus,
tamen eum & refert & ſequitur & legiſſe aſſerit Boetius & Cynus noſtri iuris inter-
pres. Caij uerba libro primo Inſtitutionum hæc ſunt, Mancipatio eſt, ut ſupra etiam
indicauimus, imaginaria quædam uenditio, quod ipſum ius proprium Romanorum
eſt ciuiũ: eaq; res ita agitur: adhibitis nõ minus quàm quinq; teſtibus ciuibus Roma-
nis puberibus, & prẽterea alio eiuſdem conditionis homine qui librã æream teneat:
qui appellatur libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: hunc ego ho-
minem ex iure quiritiũ meum eſſe aio, isq; mihi emptus eſt hoc ẽre, æneaq; libra. De-
inde ære libram percutit, idq; æs ei dat à quo mancipiũ accipit, quaſi precij loco. hæc
Caius de nexu traditione. Et hoc eſt quod M. Varro indicat in primo De lingua lati-
na: Rauduſcula porta quòd ærata fuit: æs Raudus dictũ. Ex eo in ueteribus mancu-
pijs ſcriptum, Rauduſculo libram ferito. huc quicquid per libram & æs geritur perti-
net: ſiue mancipio detur, ut Manilius exiſtimauit: ſiue non detur, ut Mutius. Propte-
rea liber etiã qui ſuas operas pro pecunia quam debebat, quoad ſolueret, obſtrinxit,
nexus uocatur: ſicut ab ære obæratus. Non poſſum mihi tẽperare hoc loco, quin eos
inſcitiæ arguam, qui M. Varronem arceſſunt, eiusq; uerba & male intelligunt, & ine-
ptius interpretantur. Exiſtimant enim eum in tertio de Latina lingua inter Mutium
& Manilium Flaccum diſceptatorẽ ſtatuiſſe, qui pro Mutio ſtet exiſtimãte nexu te-
neri quæcunq; per æs & librã obligantur præter mancipia. eius uerba ſunt. hoc Ver-
rius Flaccus eſſe ipſum uerbũ oſtendit, de quo quæritur. Etymologiã ſcilicet huius

uerbi

uerbi nexi aucupatur Varro, ex Verrij Flacci sentẽtia (nam quod Verius ait, non cõ paratiuum, sed Flacci prænomen est) nexumq; ita dictum putat, quòd obligatur per æs & libram, ne suum sit. Nam quis est uel mediocriter eruditus, ne dicam Varro un decunq; doctissimus, qui nesciat, mancipia etiã nexu teneri: quod & uerba Caij quæ modo attulimus, & autoritas M. Tullij ostendit: qui in Paradoxis cõcludens omnes improbos seruos esse: Non enim, inquit, ita dicunt eos seruos, ut mancipia quæ sunt dominorum facta nexu aut aliquo iure ciuili. Sed si seruitus sit (sicut est) obedientia fracti animi & abiecti & arbitrio carentis suo, quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes denicq; improbos esse seruos. Ex quibus colligitur nexum & ad mancipia & ad ea quæ sunt sine mancipio referri. Vnde illud Ouidij poetæ memi-nime annotasse:

Meq; tuum libra norit & ære minus.

Ostendit enim poeta se ita esse addictum, ut præter libram & æs nihil ad plenissimã seruitutem desit. Non potuit hoc loco se Iulius continere, quin interpellaret oratio-nis seriem, Gilinoq; gratias testaretur: quòd Nasonis incolumitatem seruasset: quem alij labefactarant, non minus, sed magis legendum existimantes. Tum præterea ad-miror, inquit, quosdam in candidissimo poeta quasi nouam & parum consuetam lo cutionẽ admiratos, quom & Ouidius ipse alibi dixerit, me minus uno: & Statius in primo Thebaidos, æqua ferunt terrore minus. Quid uero nónne & summis oratori bus eadem peculiaris est? & ne prolixus sim, ero contentus trium testimonio. Plini-us: Is ergo tradit leænam primo fœtu parere quinq; catulos ac per annos singulos u-no minus, ab uno sterilescere. Valerius de miraculis hãc Syluani uocem refert. uno plus Etrusci cadent. Romanus exercitus uictor abibit. & Cicero ad Q. fratrem. ego enim ne pilo quidem minus te amabo. Tunc omnes exosculati optimi adolescentis ingenium, Gilinum hortati sunt: ut ceptam dicendi rationem prosequeretur. Tum Gilinus ita orationem ad diuerticulum reuocauit. Alterum abalienãdi modum ex-pediuimus, in quo æs & librã adhiberi ostendimus. Alter explicandus superest: quẽ iuris cessionem appellari diximus: hic autem non ære aut libra, sed alia iuris solenni tate constabat, ut Caius idem in secundo cõmentario, cuius uerba. In iure autem ces-sio fit hoc modo: apud magistratum P. R. uel apud prætorẽ, uel apud præsidem pro-uinciæ, is cui res in iure ceditur, rem tenens ita uendicabat. Hunc ego hominém ex iure quiritium meum esse aio. Deinde postquam ita uendicauerit, prætor eum qui ce dit, interrogat: an contrà uendicet: quo negante aut tacente, tunc ei qui uendicauit rem addicit. Idq; legis actio uocatur. hæc ille. Quod & autoritate Gellij comproba-tur, ubi de manu conferere meminit. Ex cuius uerbis constat manus correptionem, uendicationem ad alterum: unde uindiciæ appellatæ, quas scilicet dicere prætor fere batur, quoties super ea re sentẽtiam ferebat: ad alterum cessionẽ pertinere. Vtrunq; tamen cessionis appellatione fieri posse à ciue Romano ostendit Tullius in Topicis, ubi locum è definitiõe pertractat: ubi me olim multa cum Cælio nostro cõmentatum memini. Nam pura traditione res alienari non poterat. hoc tamen uerum esse intelli ge: nisi ab eo, cui traditio fieret, res tradita usu caperetur. Nam tunc sine ulla solenni-tate, ut Boetius inquit, acquirebatur sola usucapione. Concludebatur autem antiqua usucapio utiq; anno in rebus mobilibus uel se mouentibus. In immobilibus uero & solo, biennio, tamen in Italia tantum: quod à Iustiniano post immutatũ est. Hæc sum-ma breuitate complectitur Horatius:

Si proprium est quod quis libra mercatur & ære:
Quædam (si credis consultis) mancipat usus.

Si autẽ omnia ea quæ nexu tradi poterant omissa (ut diximus) solennitate erant ap-ta ad usucapionem: necesse est, ut quæcunq; poterant usucapi, possent etiam usu tra di. Et ideo cognitis his quę usu capi solent, qualia sunt serui, domus, equus, fundus, & quæcunq; tangi & apprehendi possunt: cognoscentur illa quæ mancipi dicebun-tur. Quæ uero non sunt ad usucapionem accõmodata, nec similiter ad nexu traditio nem erunt: & talia appellabantur nemancipi, qualia sunt omnia incorporalia, quæ scilicet tangi non possunt, quæq; in mero iure consistunt: ut usus, hæreditas, usufru-ctus

ctus, obligationes quoquo modo contractæ: & id genus, quæ propterea non usucapiuntur, quia nec possessionem, nec traditionem recipiunt. Sine possessione autem usucapionem nō procedere quis ignorat? ex quibus apertissime colligitur quid sibi uoluerit imperator Iustinianus titulo de transfor. usucap. & sublata differentia rerum mancipi & nemācipi. Et illo, de nudo iure quiritium tol. Sed animaduertēdum est quia quæcunq; poterant nexu traditione abalienari, poterāt etiam iurecessione. sed non utiq; retrocurrit. nam ceduntur iura & actiones, inquit Vlpianus, res ipsæ restituuntur. Relinquit ergo eas res demum mācipi dici solitas, quæ sunt ad æris & libræ solennitatem, atq; etiam usucapioni aptissimæ. Nemancipi autem quę nec usucapi, nec tradi nexu poterāt, licet iure cedi possent. Ex his uobis percipere facile est, quid sit illud tertium testamēti genus quod per æs & libram dicebatur. Nam tria testamentorum genera apud Romanos. Vnum quo in pace utebantur: quod imperator Iustinianus calatis comitijs uocari tradit, ex eo fortè, quòd, ut Gellius inquit, calatis comitijs in concione populi fieret. Alterum procinctum, quod in procinctu fieret: cum uiri scilicet ad prælium in aciem uocabantur. Tertium per æs & librā, ex eo quòd per familię mancipationē, cui æs & libra adhibebatur, instituebatur. In quo conficiendo erat eadem necessaria solennitas, quam in nexu traditione diximus obseruari, adhibitis similiter quinq; testibus, & libripende, ciuibus Romanis puberibus: eoq; qui familiæ emptor dicebatur: quem scilicet ex Iustiniani uerbis non alium quàm ipsum hæredem scriptum fuisse intelligimus: quòd emptoris personā gereret, sicut paterfamiliâs ipse qui testamentum factitaret, uenditoris. Emebatur autem seu uendebatur familia, scilicet hereditas, res, bona, seu substantia testatoris, ijsdē uerbis etiam quibus in nexu utebantur. Cuius consuetudinis eam rationē putamus: quòd à principio P. R. nō signato nummo, sed rudi ære utebatur. Nam qui primus aurum signauerit, ignoratur. Aes quidem primus Seruius rex: argentū ante Pyrrhum Roma signatum non uidit: autor Plinius: Q. Fab. Cos. an. urbis quingentesimo octuagesimo quinto, quinq; annis ante primū bellum Punicum, uel, ut Eutropius, M. Aemylio Paulo, Seruilio Fuluio Coss. an. A. V. C. CDLXXXIII. quom antea nō numeraretur, sed appenderetur assis: qui etiam ob id dipondius & libralis diceba-tur: & expensa, & militum stipendium, & libripendes. Qua consuetudine, inquit etiam Plinius, in his emptionibus quæ mancipi sunt etiā nunc libra interponitur. Aes tamen & argentum signatū appendisse puto, unde denarium decem libris æris stetisse constat, & sestertium dipondio & semisse: unde & nomina. quamuis tamen postea numeraretur, tamen ritus uetus mansit, & uerba quibus maxime fides obstringitur: qua solennitate etiā in adoptionibus, ut Cælius modo dixit, utebantur, & nuptijs. In adoptionibus quom quis adoptarit, qui non alieno iuri subiectus, sed sui iuris esse diceret: quod non nisi principis autoritate fieri fas erat. Quæ scilicet adoptionis species propterea arrogatio dicebat, ut libro primo Digestorū Caius refert, quia scilicet is qui adoptabat rogabat, id est interrogabat, an uellet eū quē adoptaturus erat, iustū sibi filiū esse. Et is qui adoptaretur, rogabatur, an id fieri pateret. cui imaginarias illas uenditiones adhiberi solere ostendit Iustinianus libro primo Institutio-num, quibus modis ius patriæ potestatis soluitur: eiq; æs & libram adhiberi solitam testatur Tranquillus in Augusto. Caium, inquit, & Lucium adoptauit domi per æs & libram emptos à patre. In qua etiam adoptione nomina adoptantium sumebāt: id quod modo audistis: sicut hæredes testatoris. Sed ego iam longius protraxi pensum, quàm aut uos expetebatis, aut ego instituerā. proinde hic finem faciam. Quomq; ab oratiōe destitisset, Marius ab eo perquisiuit, an furta quæ à Gellio cōcepta per lancē & licium dicerētur, ad hanc æris & librę solennitatē putaret referenda, id quod alios quosdam audiuerat asserētes. Minime, inquit ille. nec enim furta ulla per lancem & licium concipiebantur. Nam ita Gellij uerba legenda sunt. ea quoq; furta, quæ per lancem & licium comperta essent, perinde ac si manifesta forent uendicauerunt. Indicat & hoc alibi Gellius, asserens furtorum quoq; quæstiones cū lance & licio euanuisse: de cuius rei obseruatione non memini me quicquam hactenus apud Iureconsultos legisse: Festi tamē uerba, qui Verrij Flacci quinquaginta priscorū uerborum

cum exemplis libros in duos & uiginti contraxit, uerba uidentur ad eam rem pertinere. Qui scribit, lance & licio comperta furta apud antiquos dicta esse: quia qui furtum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus intrabat: lancemq; ante oculos tenebat, propter matrum familię aut uirginũ præsentiã. Ab hoc licio Tyro Tullius lictorem nuncupatum existimauit: Licio enim transuerso, quod liniũ appellatur: qui magistratibus (inquit) præministrabant, cincti erant. Tum Piso, Dixisti uir doctissime, sestertium dupondio & semisse ueteribus stetisse. Id scio & Vitruuium & Probum de notis antiquis scriptum reliquisse: hinc etiam sæpe in antiquis uoluminibus est reperiri post geminum L, S unum, hoc modo ⅃⅃S. significat autem ut nostis hoc sestertium, libras duas & semissem continentem. Vnde tamen factum sit ambigo, quòd boni aliquot & classici scriptores sestertium quatuor asses continuisse scribunt. Hic Gilinus laudato genere quæstionis: sciendum tibi est, inquit, Piso: primum à Romanis sestertium ad Græcorum imitationẽ institutum esse. Sestertium enim non duos asses tantum, sed semissem quoq; tertij assis continebat: sicut Græcis, si Pollucí credimus, τρίτον ἡμιδραχμον, id est tertia semidrachma, non duas tantum drachmas, sed etiam tertiæ semissem complectebatur. Postea Hannibale urgente, secundo bello Punico, Q. Fab. Maximo dictatore, quom impẽsis respublica non sufficeret, asses unciales facti: qui primo librarij, deinde sextãtario pondere percussi fuerant: postea etiam semunciales lege Papyriana facti sunt. Placuitq; denarium XVI assibus permutari, quinarium octonis, qui antea quinis, sestertiũ quaternis. Ita R. P. dimidium lucrata est. semper tamen obseruatum est, ut sestertium quarta pars esset denarij. Nam quom denarius per initia decussem ualebat, quarta pars fuit dipondius & semis, cũ uero sexdecim asses ualere cepit, quarta pars erat quaterni asses. Sed immutata est hæc ratio posteriori seculo. Nam Lampridius scribit Heliogabalũ nunquam minus centum sestertijs cænasse, hoc est libris argenti triginta: & cænas Vitellij & Apicij uicisse. Columella omnino sestertium precium minimũ facit, quãdo singula iugera inculti soli uenire tradit milibus sextertijs. Paulisper silentiũ post hęc interuenerat, quom Demetrius hæc ad me, Adduxisti, inquit, uulgatũ Solonis uersiculum: γηράσκω δ' ἀεὶ πολλα διδασκόμενος. cuius sententiam nõ uideo satis à Platone probari. Scribit enim septimo De republica, minime Soloni credendũ, hominẽ senescentem posse indies plurima discere, qui minus id potest quàm currere. Iuuenibus enim cõueniunt multi maximiq; labores. Vide igitur ne uersiculũ minus apte adduxeris, uel Platonem offendas, si Solonẽ tuearis. Cui ego: Video te Demetri Socratẽ eum hoc loco imitantẽ, qui hæc apud Platonem loquitur, atq; ideo εἴρων appellatus est: quòd aliud corde sentiret, aliud ore loqueretur. Sed ille quidem aduersus sophistas ac pertinaces hoc more utebatur. Tu uero aduersus amicorum ac sodalium candidissimum. Quòd nisi ioco & conferendæ orationis gratia satis intelligerem te hæc locutum, exclamarem actutum in te illud Homericum:

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος, ὁμως ἀΐδαο πύλῃσιν,
ὅσχ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Nosti enim uir spectatissime eum esse non modo oratorum, sed philosophorum etiam morem, ut persæpe pro loco aut occasione oppugnẽt, approbentúe antiquorum sententiam, non eam tam suo ingenio quàm institutæ orationis modo metientes. facit hoc Plato, crebrius tamen Aristoteles, nec sine suspicione affectatæ calumniæ, & quæsitę laudis ex uituperatione maiorum. & ut de Platone loquar, quis existimarit summum philosophum negare id quod adeò omnibus protritum atq; exploratũ est, ætatem multarum rerum notionem afferre mortalibus. Quod Homerus tuus sub persona Telemachi satis ostendit.

ἐγὼ δ' ἔτι νήπιος ἦα.
νῶϊ δ' ὅτε δὴ μέγας εἰμι, καὶ ἄλλων μῦθον ἀκούων
πευθάνομαι, καὶ δή μοι ἀέξεται φίλον θυμός.

Et Afranius apud nostros eleganter adeò & scite uidetur dixisse:

Vsus me genuit, mater genuit Memoria,
Sophiam Graij, Latini dicunt sapientiam.

Hinc illa

Hinc illa uox comici è medio uulgo excepta,

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad uitam fuit,
Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet noui.
Aliquid moneat: ut illa quæ credas scire nescias:
Et quæ tibi putaris prima, in experiendo repudies.

Dèniq; quibus machinis utitur ad euertendã Solonis sententiã, quàm tenui quamq; imbecilla ratione. minus, inquit, id potest senex quàm currere. Iuuenibus enim conueniunt multi, maximiq; labores. nihil hic par uideo. Quid enim habent corporis uires, quod cum ingenij atq; animi uiribus conferri possit? Tabescũt illæ & conficiuntur ætate genuino & naturali calore exolescẽte. At ingenium usu rerum multaq; experientia conditur, longeq; uegetius fit: ut uera Ciceronem dixisse intelligamus: qui quòm cætera in senibus languere scribat, solam prudentiã putat reuirescere. & profecto ita est. Nam & Celtę Herculem illum suum, quem ὄγμιον uocant: putantq; celebrata illa toto orbe facinora neq; robore neq; ui corporis, sed eloquentia & ingenio perfecisse: senem rugosum adeò & obsoletũ finxerunt: quòd senes maximis quibusq; rebus obeundis pares existiment. Putauit idem ipse Plato, qui in sua republica summum & secretius consilium ex LXXX. senibus maioribus ætate conscribit: atq; ijs curam legum, curam iuuentutis mandat. An non Homerus Nestorem iam alteram ætatem agentem in bellum Troianum duxit. Nónne ipsius carmen illud:

καὶ πολιοὶπερ ἐόντες ἀναγκαῖοι πολεμισταί.

Aetas cana etiam non est incommoda bello.

Quòd si ad pugnã, si ad publica comitia, si ad arcanas cõsultationes accersitur: quanto facilius discendi laborem pati potest? non minus profecto quàm sumendi cibum, quàm inspectandi, quàm audiendi, quàm familiares atq; amicos compellandi. Sed quid tecũ uolsellis pugno, quom gladio facile possim & iugulum petere, & totã rem conficere? Nónne ille ipse Plato in dialogo De philosophia hanc eandẽ Solonis sententiã extollit. quærens enim num philosophia sit πολυμαθία, id est multarum rerũ disciplina: quid aliud, inqt, est philosophari, q̃ id facere quod dixit Solon. dixit autẽ:

γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Et mihi quidem uidetur semper aliquid discendum ei qui in philosophum sit euasurus, siue iunior sit, siue senior, ut quàm plurima discat in uita. Vides igitur Demetri id quod scio tibi antea fuisse perspectum, me neq; frustra Solonis usum testimonio, neq; aduersarum Platoni: qui (ut dicitur) pro loco duos parietes ex eadem fidelia inalbat. Tum Demetrius renidens: Non me pœnitet, inquit, te ijs prouocasse: quando haud sine mercede id stetit mihi. Quòd si quis pugnæ paratus est, iam nunc harenam cedo, & lubens stadium uolenti relinquo. Subinde in Marium uersus Daniel: At tu, inquit, qui penè ad irritandum cæteros asilus es: neq; te huius nominis pigeat, quo Socrates meruit appellari: age nunc, & quoniam digitos annulis honestari dixisti, in quibus & deorum & clarorũ hominum imagines exprimebantur: qui nam præstantius accõmodatiusúe facerent iam mihi expedi: An qui his mortalium, an immortalium scalperent simulachra? Quod quæstionis genus scio à Plutarcho etiam pertractatum olim, sed ætatis iniuria à posteritate desiderari. Faciet autem (puto) tua oratio, ut quicquid id est, desiderari æquiori animo feram. At Marius paulisper contabundus barbam & capillum permulsit: tum ita cœpit. Periclitabor Daniel in hoc genere, quid possit ingenium. Subire scilicet audacis & parum cauti nomen malo, qui præcipiti & tumultuaria oratione de re parum antea animaduersa disserã: quàm aut durior abs te, aut tardior ad obsequendũ ab amicis existimer. Noui enim illud Græcorum, βράδυς χάρις ἄχαρις. Et profecto hæc ipsa festinatio dicendi patrocinabitur, si quid minus amussitatum perpensumúe attulero. Nihil enim minus cogitabam domo abiens, q̃ de annulis eorumúe scalpturis uerba facere. Tu itaq; Daniel, quid uelis, ipse uideris: quod uis certè habebis. Quom aũt in hoc sentẽtiarũ biuio uersemur, dubitemusq; utri præclarius fecerint: an qui deos, an qui homines, annulis inciderint: quo totam rem cõmodius absoluamus, seorsum & hanc & illam sententiam expendemus. uidentur enim utrinq; rationes occurrere. Imprimis aũt de prærogatiua

annulorũ nonnihil perstringemus, quo deinde collecta summa tota res aptius in partes diducatur. In gratiam primũ Promethei fama est mortales annulos induisse. Fueruntq́ ferrei, ut facile in memoriã uinculorum eius inuentos intelligas. Atq́ hoc ipsum fabulosum plerisq́ creditur. sed Gygis annulum, quo circumacto habẽtem nemo cerneret, quis non etiam fabulosiorem fateatur? quamuis Platonem uideamus eius rei assertorem. Veterum etiã superstitio multum ijs dedit autoritatis, existimantium eos remedijs atq́ incantationibus accõmodatos: quam opinionẽ hodie etiam uulgo persuasam uidemus, & à circumforaneis pręstigiatoribus approbari. Hinc Aristophanes priscæ autor comœdiæ:

οὐδὲν πρότιμῶ σοῦ, φορῶ γὰρ πριάμενος
τὸν δακτύλιον τόνδε παρ' εὐδάμου δραχμῆς.

Fuit enim Eudamus notus præstigiator, ueteris comœdię conuicijs proscissus. Longo certè tempore ne senatum quidem Romanum annulos habuisse aureos manifestum est. Siquidem ijs tantum qui legati ad exteras gentes ituri essent, annuli publice dabantur: credo quoniam ita exterorum honoratissimi intelligantur. neq́ alijs utimos fuit, quàm qui ex ea causa publice accepisset. uulgoq́ sic triumphabant. Et cum corona ex auro Etrusca sustineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æqua fortuna triumphantis & serui coronam sustinentis. Sic triumphauit de Iugurta C. Marius. sic peculiariter ferreo Lacedæmonij utebantur. Aureum Marius cognominis meus non ante tertium consulatum sumpsisse traditur. Ii quoq́ qui ob legationem acceperant, aureo in publico tantum utebantur: intra domos uero ferreis. Quo argumento etiam postea sponsæ annulus ferreus mittebatur, isq́ sine gemma. Temporibus Homeri in nullo fuisse usu suspicantur: quòd nusquam poetam de his meminisse animaduertimus. Et quisquis ille fuit qui primus id instituit, cunctanter id fecisse existimari potest: qui læuis manibus ac latentibus eos induit: quom si honos securus fuisset, dextra fuerit ostentandus. Quòd si impedimentũ poterit in ea aliquod intelligi: etiam consertoris usu argumentũ est, maius in leua fuisse, qua scutum rapitur: ni forte quis potius id datum auaritiæ putauerit, quo minus in sinistra manu detererentur. Quom M. Crassus duo milia pondo auri rapuisset suo & Pompeij tertio consulatu è Capitolini Iouis solio à Camillo ibi condita: ædituum custodiæ eius deprehensum fracta in ore annuli gemma statim expirasse, & indicium ita extinctum constat. Annulos persæpe à senatu & à nobilitate abiectos in summa rerum indignatione comperimus. Sicut quom Cn. Flauius libertino patre genitus, quòd fastos promulgasset, tantum fauorem populi promeruit, ut ædilis curulis & deinde tribunus plebis creatus sit. Promiscui autẽ usus fuisse secundo bello punico indicio est, quòd non aliter potuissent trimodia illa annulorum Carthaginem ab Hãnibale mitti. Tanta fuit huius rei religio apud ueteres, ut multi auorum prætura functi in ferreo consenuerint. In Quintiorũ familia nõ modo aureos annulos, sed ne aurum quidem fœminas habere mos fuit: quod posteriori seculo adeò uulgatum est, ut seruitia ferrum auro cingerẽt, interdum mero uterẽtur. Singulis primo digitis gerere mos fuit, qui sunt minimis proximi, quin & inde nomen mutuati: postea pollici proximo induere, etiam deorum simulachris: deinde iuuit & minimo dare. Galliæ Britanniæq́ medio dicuntur usæ. tres uni minimo aliquando maiores nostri cõgerebant. Alij unum tantum, quo signarent signanda. condebaturq́ ille ut res rara, & ut ad iniuriæ usus indigna, & uelut è sacrario promebatur: & unum in minimo digito habuisse, pretiosioris erat in recondito supellectilis ostentatio. nonnulli sub gemmis uenena claudebant, sicut Demosthenes summus oratorũ Græciæ, & Hannibal Pœnus, qui annulos mortis gratia habuerũt. In summo etiam pretio atq́ optima parte census habitos Polycratis Samij exemplũ ostendit. Qui felicitatis suæ, quam nimiam fatebatur esse ipse, satis piamẽti in unius annuli gemmæq́ quæ in eo erat, uoluntario damno existimauit, cum fortunæ uolubilitate paria uolens facere: planeq́ ab inuidia eius se redimi putans, si hoc unũ doluisset. assiduo ergo gaudio lassus, prouectus nauigio in altum annulum mersit. At illum piscis eximia magnitudine, regi natus, escæ uice raptum, ut faceret ostentum, in culinam domini rursus fortunæ insidiantis manu reddidit

didit. Sardonychem gemmam in eo fuisse tradũt, quam deinde in Cõcordię delubro cornu aureo Augustę dono inclusam dicatamq; multi tradiderunt. Annuli equestrẽ ordinem à plebe distinxere, sicut tunica ab annulis senatum, quãquam id paulo seriꝰ us: quom antea purpurea etiam latiore tunica usos præcones inueniamus. Milites quom Cæsar Arimini magna illis præmia polliceretur: digitoq; arrecto fidem daret: putauerũt sibi annulum, id est dignitatẽ equestrem promitti. Atq; omnino maioribus nostris annuli fuerunt in frequenti usu, utpote quo cibi quoq; ac potus à rapina uendicarentur: claues etiam ipsas pecuniarias signabant. Certè matronam, quòd loculos in quibus erãt claues uinariæ cellæ resignauisset, à suis inedia mori coactam inter uetera exempla accepimus. Hinc illud comici: Omnes releui serias. Scribit Cicero, suam olim matrem lagenas etiam inanes obsignasse, ne dicerentur inanes aliquę fuisse, quæ furtim essent exiccatæ. Hoc testamenta subsignabant. Poterantq; omnes testes uno annulo id facere. hic etiam hodie ad pręsentarias sponsiones exilit, nec ulla eo arra paratior. Pulchre itaq; Græci ac latini uno consensu eum symbolum appellauere: quem prisci nunc dactylion, nunc candalium, nunc ungulum dixerant. Aegyptiorum sacerdotibus nullum animal licebat attingere, quod sacro sigillo non fuisset annotatũ, præter admodum pauca, quæ iccirco profana existimabantur. Cuius rei rationem non prosequor hoc loco, quòd Cælius eam non negligenter in hieroglyphicis perstrinxerit. constat tamen Aegyptios annulis nõ fuisse usos, eosq; auribus crebrius inseruisse. In insula Lemno sacerdos Dianæ rubricam terram extro quodam effossam peractis sacrificijs summa cum ueneratione in urbem perfert: eamq; aqua, uel, ut Dioscorides inquit, caprino sanguine subigit: quod ubi diligenter factum est, ei capræ imaginem annulo imprimit. Est enim hoc sacrum Dianæ signum: nec aliter uenui exponitur. Atq; hoc est quod Plinius eam sphragidem, id est signaculum dicit appellari, quam medici sigillatum lutum hodie uocitant. Vtebantur etiam flamines annulo, sed peruio & cassо: quod nonnulli sine gemma, laxum alij & facilẽ ad induendum interpretati sunt, nobis omnino placet sine gemma intelligi. Mitti etiam ab amatoribus pro amoris symbolo mos fuit: quem in sponsalibus etiam & cõtestandis nuptijs adhibebant: & pronubus uocabatur. Imperatores utiq; eo utebãtur. & Maximini quidem fuisse tam grandem accepimus, ut cæteri eo prodextrocherio uterentur. Alexandrum regem annulo ori admoto Ephestioni silentium imperasse diximus. Inter Cepionẽ & Drusum ex annulo in auctione uenali inimicitiæ cœpere: unde origo belli sotialis & exitia rerum. Primus omnium Scaurus priuignus Syllæ, dactylothecam Romę habuit: id est, annulorum cõditorium. Hoc exemplo Cæsar dictator sex dactylothecas in æde Veneris genitricis consecrauit. At annulorũ signa multis modis luxuria uariauit: gemmas addẽdo exquisiti fulgoris, censuq; opimo digitos onerando. Mox & effigies uarias cælando, ut alibi ars, alibi materia esset in precio. alias deinde gemmas uiolari nefas putauit: ac ne quis unã signandi causam in annulis esse intelligeret, solidas induit. Quomq; ambiguũ sit utri præstantius consulerent, an qui deos, an qui homines adscriberẽt: qui sibi deos malunt, possent fortasse his rationibus suam sententiam tueri: quòd uel ad ornatum, uel ad fidem approbandã nihil est Dis in tota natura præstantius: quos boni uiri omnibus locis, omnibusq; actiõibus testes adhibere debẽt. Nihil em̃ aut loqui cũ hominibus, aut nobiscum meditari debemus, quin Di intersint: non modo ui & potestate sua, ut profecto adsunt: sed simulachro, & effigie. Adde quòd si eos perpetuò nobis præsentes & coràm esse fecerimus, erimus multo ad negocia omnia obeũda moderatiores, multumq; affectibus & libidini detrahemus. Et quisquis ita sese instituerit, ut deum pręsentem habere uelit, sciat se ad uirtutem non mediocriter profeciſſe. Afficit etiam hoc nescio quo pacto bona spe animum cogitantis sibi præsens numen. Et profecto non uideo quod paratius præsentiusue amuletum esse possit ad calamitates atq; aduersa fortunę declinanda, quàm conspicui proximiq; numinis fauor. Proinde soleo plurimum approbare emblema, quod Cælius noster annulo inscripsit. Est autem id, ἐλπὶς ἐμὲ θεός. quo se optima spe imbutũ, optimaq; à Dis sperare ostendit. Qua spe nulla optabilior nec haberi potest nec cogitari. Calculum huic sententiæ uidetur na-

tura adiecisse, quom sua sponte gemmam regis Pyrrhi scalpsit, qui aduersus Romanos bellum gessit. Namq; habuisse traditur achatem, in qua nouem Musæ & Apollo citharã tenens spectaretur, non arte sed natura ipsa artifice: ita discurrentibus maculis, ut Musis quoq; singulis sua redderentur insignia. Vt iam nemo nisi planè impius diffiteri possit, quin deorum consilio, natura nobis quid obseruandum, quidq; in hac re sequendum sit, indicarit. Hæc quidem illi, fortasse & meliora. Sed qui diuersa his probant, sic eorum argumenta diluere, sic suas possent rationes confirmare. Deos quidem primum neq; oculis usurpari posse, neq; religiose obtutu coli. Quòd si abdicata omni simulatione uerum fateamur: eos iure immortalibus putamus contumeliam facere, qui mortalium manu effingunt, prophanantq; quodammodo putantes posse nostro aspectui subijci. Deorum enim maiestas uti se reconditam semotamq; ab oculis nostris uoluit: ita neq; artificio humano solicitari, aut ex arcano suo abstrahi potest. Nec si possit, profecto debet. Theopompũ accepimus, quom ex mysterijs Eleusinis quædam inuulgasset, per quietẽ deas eius religionis præsides uidisse meretricio habitu: quomq; eius rei causam percõctatus esset, audijt expostulãtes: quòd è suo diuinitatis adyto ab eo forent eiectę, & quasi omnibus prostitutę. Theodotum Tragœdiarum poetam oculis captum tradũt, quom è Iudaica disciplina quædam ad fabulam conatus esset trãsferre. Et profecto sapienter uidentur fecisse Iudæi, in quorum templum quom Cn. Pompeius olim penetrasset, nullam intus dei effigiem, sed uacua & inania tantum arcana offendit: & ut sapienter dixit Varro: qui primi populis instituerunt deorum simulachra, metum dempserunt, errorem addiderunt. Deus enim sola acie ingenij, non dicam cognosci, sed explorari potest. Notum est enim illud Platonis: ῥάδιον ἐστὶ θεὸν ζητεῖν, εὑρεῖν δὲ ἀδύνατον. Si qua igitur ratione deũ captus humanus assequitur, solo animi spectro exprimitur. Hoc uno itaq; coli, hoc implorari, hoc in testimonium adduci debet. Hic eius sedes, hic eius diuersoriũ, hic à nobis incredibili cura & incomparabili studio excolendus, quo liberalius in eo summa illa rerum omniũ opifex potestas diuersetur. Facessant igitur qui singulis horis digitis deum pertractant: tantumq; sibi uel de innocentia uel uirtute sua pollicentur, ut nunquam inspectorem deũ subuereantur. Magna profecto ueneratio, deos manibus ferre, quibus tot impuritates, tot dictu obscœna attingamus. Certè sacra adituri aliquot diebus abstinent. Abstinẽt, qui Trophonij antrũ subituri sunt: illotis manibus mensæ accũbere prohibemur. Cum Dis tamen tam familiariter, ne dicam impudenter agemus, ut eos non dicam flagitijs (est enim hoc planè dissoluti) sed iocis, sed ineptijs nostris, quibus omnibus momentis uita uelit nolit inuoluitur, testes adhibeamus. Parit parit, mihi credite, hæc assiduitas non pietatem neq; religionẽ, sed planè confidentiam & iniuriã erga deos. At quanto facturi satius, si homines humana uersemur: quæq; negligentius habita, nullum piaculum afferant. Faciemusq; id summorum uirorum exemplo. Ismenias ille tibicinio clarissimus in smaragdo annulo insertam Amymonem ferebat. Pompeius leonem ensem ferentem. Mœcenas ranam. Cæcilius Nepos quadrigas, credo antiquitatẽ Etruscorũ regum prætendens, à quibus ipse genus iactabat. Multi suas effigies: sicuti uidemus apud Plautum lenonem agnoscentẽ in literis imaginem militis. Purus putus est ipsus, noui, herus Polymachæroplacides. Si tamen mihi detur optio, clarorum uirorum quiq; nos ad gloriam excitent, imprimis simulachra uelim affigi: quorũ scilicet laudes semper oculis obuersentur. Intercatiensis ille, cuius patrem Scipio Aemylianus ex prouocatione interfecerat, pugnæ eius effigie signasse tradit: uulgato Stilonis Præconini sale: quid nam fuisse acturum eum, si Scipio à patre eius interemptus esset? Proceres Romani imagine imperatorũ signauerunt. Fuit tamen id aliquandiu periculosum, atq; id maxime sub Tiberio Cæsare. Quo tempore fuit accusandi frequens & penè publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius togatam ciuitatẽ confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium: nihil erat tutum, omnis sæuiẽdi placebat occasio. nec iam reorum expetebat euẽtus, quom esset unus omniũ. Cœnabat Paulus prætorius in conuiuio quodam, imaginẽ Tiberij habens excisa & eminente gemma. rem ineptissimam fecero, si nunc uerba quæsiero, quemadmodum dicam illum matulam

sumpsisse

ſumpſiſſe. Quod factum ſimul & Maro ex notis illius temporibus ueſtigatoribus no tauit. at ſeruus eius cui nectebantur inſidiæ, ei ebrio annulum extraxerat. Et quom Maro conuiuas teſtaretur, admotam eſſe imaginẽ obſcœnis, & iam ſubſcriptionem componeret, oſtendit in manu ſua ſeruus annulum: atq; ita calumniatorẽ fruſtratus eſt. Sylla dictator traditione Iugurthæ ſemper ſignauit. Quę res Marij animũ ab eo, quom Sylla eius quęſtor eſſet, alienauit. atq; his initijs ciuiles faces exarſere, quę dein de penè omnem nobilitatẽ extinxere. Diuus Auguſtus inter initia ſphinge notauit. Duas autem in matris annulis indiſcretæ ſimilitudinis inuenerat, altera per bella ciuilia abſente eo amici ſignauere epiſtolas & edicta, quæ ratio temporum nomine eius reddi poſtulabat, nõ infaceto lepore accipientium: ænigmata afferre eam ſphingem. Poſtea ad deuitanda conuitia Alexandri Magni imagine ſignauit. Cuius regis edictum accepimus, quo uetuit in gemma ſe ab alio ſcalpi quàm Pyrgotele, non dubie clariſsimo artis eius ſignifice. Nec certè ob aliam cauſam uulgo eam opinionem inualuiſſe exiſtimamus, iuuari eos qui illius imaginem geſtent, quàm quòd memoria rerum geſtarum & celebritate famæ animos quodammodo hominum bona ſpe imbuat, & ad maxima audenda inſpiret. Cæteri deinde principes Romani Auguſti feliciſsimi omnium imperatoris ſignauere, quam illi ſimilem expreſsit Dioſcorides artifex. Dedit itaq; Auguſtus poſteris exemplũ, quod ipſe à maioribus acceperat. hoc ut ſequamur ita ipſius autoritas ſuadet, ut deorum maieſtas diſuadet ne diuerſa ſentientibus ſubſcribamus. Et hi quidem ne eorum ceremonias polluamus, & quaſi in ordinem redigamus religionem: ille ut eius magnitudinẽ cæteramq; excelſi animi claritatem, quantum in nobis eſt, imitemur. Habes Daniel quod præcipiti & præpropera oratione conſequi potui. Nec mihi parum perſpectum eſt, quin ſi lucubrationẽ & maturitatem addidiſſem, potuerim hęc & copioſius & elegantius explicare. Nolo tamen ſine ſpe præmij dicta hæc à me putes. Rogo enim te qui rationarijs publicis præſides, habesq; omnes rationes numerorum in numerato: uelis mihi aperire totam antiquorum rationẽ, qua in numerando per digitos, & dearticulationes quaſdam utebãtur. Scio enim & Hieronymum & antiquiores quoſdam de hac re meminiſſe, ſed tam ſuccincte ac ieiune, ut occaſionem potius dubitandi afferant quàm intelligendi. Hæc Marius cum multa omnium approbatione dixerat. quom Daniel ita excepit: Nefas putamus Mari tibi tam bene de nobis merito ac tam feliciter obſecuto quicquã negare, uel ubi uerſatur exiſtimationis periculum. Scis enim iam multos annos præterijſſe, ex quo niſi per interualla & ſucciſiuis horis libros attigimus. Reuocabo tamen in me animum, & quantum memoria ſuppeditabit, obſequi tentabo. Hæc quom dixiſſet, pauliſper ſe collegit, tum ita cœpit. Exiſtimabam mecum olim eam numerorũ rationem quæ fit per digitos, recenter inuentam, nec ueterũ meruiſſe ſuffragiũ. Sed poſtquam receptiſsimos autores animaduerti eam comprobaſſe, eius quodammodo factus ſum obſeruantior. Sed antequam rationem explicem uideor facturus operæprecium, ſi quatenus eius autores meminerint, prout memoria ſuggeſſerit, diſſeruero. Plinius tradit, Ianum à Numa rege dicatum digitis ita figuratis, ut trecentorum ſexaginta quinq; dierum nota, per ſignificationẽ anni, temporis & ætui ſe deum indicet. Nec temere Iuuenalis uidetur illud protuliſſe:

Felix nimirum qui per tot ſecula mortem
Diſtulit, atq; ſuos dextra iam computat annos.

Apuleius in Apologia Magiæ, computationẽ digitorũ geſtu fieri ſolitã docet. Nam nunc in circulum cogebantur, nunc porrecta palma aperiebantur digiti, numero quem ſignificari uolebant. Hieronymus in Iouinianum comminus magis uidetur rem attigiſſe. eius uerba ſunt: Centeſimus & trigeſimus fructus quanquam de una terra & de una ſemente naſcatur, tamẽ multum differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias. Nam & ipſa digitorum cõiunctio, quaſi molli oſculo ſe complexans & fœderans, maritum pingit & coniugem. Sexaginta uero ad uiduas, eo quòd in anguſtia & tribulatione ſunt poſitę: unde & ſuperiori digito deprimuntur. Quantoq; maior eſt difficultas expertæ quondam uoluptatis illecebris abſtinere, tanto maius eſt præmiũ. Porro centeſimus numerus, diligenter quæſo lector attende, de ſiniſtra

transferẽ ad dextrã:& ĩſdẽ quidẽ digitis,ſed non eadẽ manu,quibus in læua nuptę ſignificanẽ & uiduæ,circulũ faciens exprimit uirginitatis coronã. Conferẽs itaq; ea quę ab antiquis dicta ſunt,cũ recentiorũ ſcriptis, totã uideor huius rei ſeriẽ ita collegiſſe,ut læua quidem numeros omnes citra centenarium indicet, dextra qui eum ſuperant & tranſiliunt. Atq; ut ab initijs retexam:ſummus minimi articulus,ſi complicetur,unitatem:minimus & annularius modice flexus binarium, minimus annularius & medius ternarium oſtendunt. Quòd ſi minimo arrecto, proximus & medius flectantur,quaternarius:ſi arrectis cęteris,unus medius flectatur,quinarius:ſi unus flectatur annularius,ſenarius: ſeptenarius,ſi unus minimus in ſummo flectatur nodo,indicatur. At minimus annularius q; complicati,octonariũ: nouenarium tres flexi,minimus,annularius,medius,demonſtrant. Quòd ſi omnes corrigantur,indexq; ad ſummum pollicis articulum procumbat, denarius reſultat. Si correctus pollex in ima regione indici hæreat,uicenarius:ſi index apicem pollicis exoſculetur,tricenarius:ſi medium indicem pollex inequitet,quadragenarius. Si pollex ad medium decumbat,quinquagenarius. Si ſummum pollicis internodium index inequitet,ſexagenarius. Si pollex arrectus ſummo arrecti indicis nodo adhæreat, ſeptuagenarius. Si pollicis imũ internodium index inequitet, octogenarius. Quòd ſi pollicis imum nodum index interius obambulet & quaſi circumplectatur, nonagenarius effingetur. Atq; interim quom deuolutos depreſſoſq; aliquos dico, cæteros obiter extantes prominentesq; intelligi uolo. At quom ad centenos uſq; promoueris lęua,dextra ſubinde centenos, ducenos, millenos ad myriadas uſq; nec ultra numerabis: & licet non eadem manu, ĩſdem tamen digitis id effícies. Nec fruſtra ad myriadas,id eſt decies mille,dixi nec ultra,quom hic numerus ueteribus omnino eſſet maximus:utpote ultra quem certũ nomen numeris nullum darẽt,fieretq; iteratio potius quàm numeratio. Ad hanc numerationis per digitos effigiem,illud etiã annotare lubet,mercatorum & lucrionũ cæterorumq; id genus aginatorũ numerarias notulas, quibus raptiſsime in producendis ſeiugandisq; ſummis utuntur, effectas eſſe: nam quod 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. ſignant, monumenta & flexus digitorũ uidemus repræſentari. Hinc etiã agnoſcimus cur ratiocinatores noſtri æui digitos numeros appellauerint, qui citra denarium continentur. Articulos uero qui in decem æqualia deduci poſſunt. Miſtos autem eos, qui ex utriſq; componuntur, & nequid prudens prætermittam quod ad rem præſentẽ faciat: ſcio etiam recentiores numerorum magiſtros annularem rationẽ uocaſſe, quam Ptolemęus & Gręci κειρῶνα dixere. Et hæc quidem ſunt quæ hactenus ſuper hac re animaduerti: ſi quid in poſterũ luculentius deprehendam, nec tibi nec amicorũ cuiquam inuidebo. Placuit omnibus nouitas rei, à multis quidem perquiſita, ſed à nullo diligenter ſatis excuſſa: putabantq; omnes ad ea quæ Daniel dixiſſet, nihil omnino poſſe adiungi. Sed Petrus Antonius, cuius ſilentium iamdudum ægreferebamus: Parcite, inquit, exiſtimare quicquam eſſe in rebus humanis tam abſolutũ, cui non aliquid poſsit accedere. Egregie quidem Daniel digitorũ numeros inflexionesq; perſtrinxit: ſed memineritis nunquam uindemiatori fraudi fuiſſe, ſi poſt uindemiã racematio: aut meſſori, ſi (ut inquit Varro) perfecto ſpicilegio ariſtæ aliquæ deprehendantur. eſſe uobis teſtimonio poteſt, quod quom tot celebres uiri de uerborum ui & ominatione uerba fecerint, tanta rerum & ſententiarum copia, nonnihil tamen ego alioqui mediocris ingenij ſperarẽ poſſe adiungere. Quomq; omnes uix id fieri poſſe ſuſpicarentur: efflagitarentq; ſumma ope, ut Petrus ingenij periculum faceret. Etſi ſtultum hoc & plenum temeritatis, inquit, intelligam, tamen quoniam ueſtrũ agnoſco uotum, extorquebo à me, quod alioquin non eſſem impetraturus, niſi uos expeteretis. Dicã autẽ imprimis, nulla parte magis agnoſci quantũ polleat oratio, quàm in ciuilibus aut ſenatorijs actionibus: quibus ſuademus aut diſſuademus, accuſamus aut defendimus, laudamus aut improbamus. Hæc iure regina, flexanimisq;, & iudiciorum domina appellata eſt. hæc in Pericle tonabat, fulgurabat, fulmina ciebat: hac Demoſthenes Græciam ad arma impulit, ferocitatemq; Philippi diu coercuit. Hac duce Cicero P. R. legem agrariam, id eſt ſua alimenta extorſit. hac Catilinæ euertit conatus. hac M. Antonium proſcripſit, hac

coegit

coegit Cæsarem reuocare consilium, quod se minime reuocaturum prędicarat. Hæc deniq; quotidie res humanas agit, uersat, mutatq; pro arbitrio, & ut compendio absoluam, animis hominum imperat. Nec enim laudes facultatis oratoriæ meditor. Atq; hæc attigisse aliud agentẽ satis esto. Nunc ad obseruationes antiquitatis accedo. Herbas certè omnes quæ ad remedia humanæ imbecillitatis legebantur, legitime decerpi non existimabant, nisi prius cui ægritudini pararẽt, præfarentur. Ad pe stilentiam auertendam uerbascũ aiunt mirifice proficere, si uirgo imponat nuda ieiuna ieiuno, & manu supina tangens dicat: negat Apollo pestem posse crescere, quam nuda uirgo restinguat. atq; ita retrorsa manu ter dicat, totiensq; despuant ambo. Vestales uirgines crediderunt olim, nõdum egressa urbe mancipia fugitiua retinere in loco precatione, fulmina etiam precatione posse elici, ex quo Iuppiter Elicius colebatur. Et Tullum Hostilium regẽ ex Numæ libris eodem quo ille sacrificio Iouẽ cælo deuocare conatum, quoniam parum rite quædam fecisset, fulmine ictum. In oppugnationibus ante omnia traditum est monumentis solitum à Romanis sacerdotibus euocari deum, cuius in tutela id oppidum esset: promittiq; illi eundem aut ampliorẽ locum apud Romanos cultumúe. Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit, celebri Crassi exemplo, qui mox in Parthos profectus pœnas luit. Figlinarũ opera multi precationibus quibusdam credunt perfringi posse. Quin & uenerẽ inhiberi hodie etiam constat. Tum & serpentes ipsos incantari, & hunc unum esse ipsis intellectum, contrahiq; Marsorum cantu. In nocturna etiã quiete parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur. Tuciam uestalem incesti falsò insimulatam accepimus precationem habuisse, qua usa aquã tulit in cribro, anno urbis Romæ DC nono. Cæsarem dictatorẽ post unum ancipitem uehiculi casum ferunt semper ut primum consedisset, id quod plerique deinde fecerũt, carmine ter repetito securitatem itinerum aucupari solitum. Ex hac uerborum obseruatione factum est, ut fascinationibus adoratione peculiari occurrerent, aut Græcam Nemesim inuocarent. Hinc etiam nostrę ætatis homines ad mentionẽ defunctorum testantur, eorum memoriam à nobis non solicitari: hinc ad primitias pomorum hæc uetera esse dicimus, alia noua optamus: hinc sternutamẽtis salutamus: quòd motus & impulsus ille naturæ à rationis arce proueniat. Persuasum fuit antiquis, uiso scorpiõe si quis dicat: duo: cohiberi nec uibrare ictus: cuius persuasionis periculum nemo (puto) uestrum est aditurus. Adde q; in Africa nemo aliquid destinat, nisi præfatus Africam. Sed iam uideo me dum multa congero, lassari: nec tamen dicendi finem inuenire. Proinde ne uidear appetere quod modo posse fieri negabam, ut quicquam absolutum in rebus nostris deprehendatur, uno adhuc exemplo cõtentus receptui canam. Intelligetis autem eam esse oratiõis uim, ut fata etiam rerum ea reuocari possint, atq; aliò trãsferri. Cum eñ in Tarpeio fodiẽtes delubro fundamẽta caput humanum inuenissent: missis ob id à senatu legatis, Etrurię celeberrimus uates Olenus Calenus præclarũ id fortunatũq; cernens interrogatione in suam gentem transferre tentauit, Scipione prius determinata templi imagine in solo ante se: constantissima annalium affirmatione, transiturum fuisse fatum in Etruriam, ni pręmoniti à filio uatis, legati Romani respõdissent, non planè hic, sed Romæ inuentum caput dicimus. Quod rursus accidisse tradunt, quom in fastigium eiusdem delubri præparatæ quadrigę fictiles in fornace creuissent. & rursus simili modo tentatũ augurium. & hæc quidem hactenus. quæ ita à uobis accipi uelim, ceu quæ à me dicta sint, ut uobis potius obsequerer, q; aut eruditionem aut memoriam clarissimis uiris qui nuperrime dixerunt obijcerem. Alioqui in me illud Græcorũ paratũ, γλαῦκα εἰς Ἀθήνας. Vix hæc loqui desierat, quom quidam è nostris memor eorum quæ super nepenthe Homerico dixeram: sciensq; optime Petrum frequentem esse in lectione Homeri: antequam à dicendo supersedeas, perquiro abs te Petre doctissime, quid de Nepente sentias. quamúe circũspecte putas hoc uocabulum ad latinos migrasse. Tum Petrus: nõ habeo, inquit, hac in re quid decernam. ex altera enim parte magnorum me hominũ & quasi procerũ literariæ reipublicę mouet autoritas. Ex altera occurrit ratio, res una quæ ingenium maxime humanum moueat. Occurrit & Homeri parentis literarum carmen: quem uideo hoc nomen

men epithetum fecisse poculo quod Helena ad excutiendas curas Thelemacho propinauit, non etiam proprium eius poculi nomen existimasse: quod tamen latini iam uulgo opinãtur: & alij quidem tempestiuam orationẽ, Macrobius uim uino insitam interpretatur. Pliniũ uidemus duobus locis eius meminisse, & quasi ex herbis quibusdam condimentum & cinnum existimasse. Describens enim herbam helenium, quam ab Helenæ lachrymis natam fauere formæ credunt, & cutem mulierum in facie reliquoq; corpore nutrire incorruptã: præterea, inquit, putant usu eius quandam datam gratiam ijs ueneremq; conciliari: attribuunt & hilaritatis affectum eidem potæ in uino: eumq; quem habuerit nepenthes illud prædicatum ab Homero, quod ea tristitia omnis aboleatur. Locupletius etiã alibi hoc totũ cõmemorat: cuius hæc uerba. Homerus quidem primus doctrinarũ & antiquitatis parẽs, multus aliàs in admiratione Circes, gloriam herbarũ Aegypto tribuit, tum etiam quom rigaretur Aegyptus, illa autẽ nõ esset postea fluminis limo inuecta. Herbas certè Aegyptias à regis uxore traditas suæ Helenæ plurimas narrat, ac nobile illud nepenthes obliuionem tristitiæ ueniãq; afferens, & ab Helena utiq; omnibus mortalibus propinãdum. Hæc quidem ille, sed Homeri carmen ne quis diutius quærat, hoc ipsum est:

αὐτὰρ ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινεν
νηπενθὲς τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.

At uino protinus immiscuit pharmacum, quod luctus irarumq; & malorũ omnium obliuionem attulit. Videmus autẽ latinos paulo fuisse indulgẽtiores in Græcis quibusdam transferendis. Ceu quom Vergilius Homericum illud legisset:

γαῖαν ἱμάσσει εἰν ἀρίμοις ὅθι φασὶ τυφωέως ἔμμεναι εὐνάς.

Non sine multorum reclamatione Inarimen compacto ex duabus uocibus nomine transtulit: quod deinde Naso in Maronis gratiam non recusauit mutuari. Quom ita Petrus clausisset orationem, futurũ erat omnino diutius silentium, nec sanè multum restabat de uia, nisi Marius qui Gilinum meminerat affirmasse se aduersus ominationem iamdudum aciem instruxisse, ita eum compellasset. Decreueras Giline, ut tu ipse modo profitebaris, aduersus ominationem dicere. Quod autẽ super ære & libra disserueris, hoc totum dedisti nobis. Turpe autem esset te ipsum abs te non impetrare quod nos impetrauimus, teq; alios quàm te ipsum pluris facere. Age itaq;, & quod animus parturiebat, iam pariat. Tergiuersabatur autem Gilinus, seq; pensum absoluisse testabatur. Deniq; precibus nostris expugnatus, in hac uerba exijt. Qui curam camelorum habent, quiq; nauibus præsident, tenere optime dicũtur quantum cuiq; oneris imponant. At uos uiri tantæ prudentiæ, nõ satis expenditis quid ualeant aut quid ferre recusent nostri humeri: oneratisq; me iam meo satis defunctum munere tam graui superpondio: ut uetus illud dictum afferre possim: plus est mantissa, quàm obsonium. Sed quoniã me ijs cancellis inclusistis, ut neq; reluctari possim neq; debeam, uincite atq; habete uobis quod petitis. Certè in compendio itineris & propinquitate diuersorij pręsidij tantum statuo: ut si minus accõmodata aut electa dixero, periculum non sit, quin cito desinam displicere. & hęc locutus manus conformauit, atq; ita cœpit. Faciã quod Carneades olim, quom perquireret quibus in rebus cõstaret diuinatio: atq; imprimis ubi latebrã habere possit ominatio explorabo. Nec sanè in ijs quę sensibus supposita sunt nactũ mihi locũ uidetur hoc diuinãdi genus. Quis enim ominatur qualia possit cernere, audire, gustare, olfacere, attrectare? Nam hæc multo certiora quàm ut de ijs cõiectura & æstimatio hominis dijudicet. Atqui ne in his quidẽ rebus quę arte tractãtur diuinatione opus est. Etenim ad ægros, non coniectores aut interpretes, sed medicos solemus adducere. Nec uero qui tibijs aut fidibus uti uolunt, ab ominantibus accipiunt earum tractationem, sed à Musicis. eadem in literis ratio est, reliquisq; rebus quarum est disciplina. Num censes quemquam ominandi scientia posse respondere: sol maior ne quàm terra sit, an tantus quãtus uideatur: lunaq; suo lumine an solis utatur. Nec profecto qui se ominandi peritos prædicant, profitentur esse dicturos quàm uera aut falsa sint quæ in Geometria describuntur. Sunt enim ea mathematicorũ, non ominantium. De his uero quæ ad uitam pertinent, num quis ominatorem consulit: exquiritúe ab eo quemadmodum sit cum parentibus

rentibus, cum fratribus, cum amicis uiuendum: quemadmodum utendum pecunia, quemadmodum honore, quemadmodum imperio. Quid uero quom de adeunda hæreditate, aut seruitute prædij, aut recuperatorio iudicio cõsulendũ est tibi? Omen ne captes, an Iureconsultorum libros adeas? Gerardum ne Sarracenum & Franciscum Calcaneum Cælij nostri necessariũ, an coniectorem & ominationis conscium percunctéris? Quid quom quęritur: qui sit optimus reipublicæ status, quæ leges, qui mores æui utiles aut inutiles: diuinatorésne huiusmodi accersas, an principes inter roges & delectos uiros peritos rerum ciuiliũ? quòd si nec earum rerum, quæ subiectæ sensibus sunt, ulla diuinatio est, nec earum quæ artibus cõtinentur, nec earũ quæ in philosophia disserunt, nec earũ quæ in republica uersantur: quarũ rerũ sit, nihil prorsus intellígo. Nam aut omnium debet esse, aut aliqua ei materia danda est, in qua uersari possit. Sed nec omnium ominatio est, ut modo ratione ostendimus: nec locus aut certa materia inuenitur, cui diuinationẽ præficere possimus. Vereor igitur ne nulla omnino habeatur ominatio. Aduerti tamẽ modo quom uerba faceretis, uos omnes, quasi in orationis transcursu ostendisse, ominationem esse earum rerum prædictionẽ & præsensionẽ, quæ essent fortuitę. Quòd si ita est, eodem reuoluimur. Nam medici ac philosophi & iuris periti præsensio est rerum fortuitarũ. Num igitur ominator prudentius coniecerit, an è morbo euasurus æger, an grauis æstas futura sit, an felix euentus causę: quàm medicus, quàm philosophus, quàm peritus iuris? Quæ est igitur aut ubi uersatur fortuitarũ rerum pręsensio, quam ominationẽ uocatis? Quæ enim præsentiri aut arte aut ratione aut usu aut coniectura possunt, ea non ominantibus tribuenda putatis, sed peritis. Ita relinquitur ea fortuita ominatione cõprehendi, quæ nulla nec arte nec sapientia prouideri possint. & omnino ut ab oratione uestra conieci, earum rerũ quæ in fortuna positæ sunt præsensio, diuinatio quædam est ominatio. Sed uos rogo quæ nam earũ rerũ, quæ nihil habent rationis quare futuræ sint, potest esse ulla præsensio. Quid est enim aliud fors, quid fortuna, qd casus, quid euentus, nisi quom sic aliquid cecidit, sic euenit, ut nõ uel cadere atq; euenire, uel aliter cadere atq; euenire potuerit. Quomodo ergo id quod temere fit, cæco casu & uolubilitate fortunæ, pręsentiri aut ominatione explicari potest? Medicus morbum ingraueſcentem ratione prouidet, conditionem anni philosophus, iudicis sententiam causidicus: & tamen hi ipsi persæpe falluntur, qui nihil sine certa ratione opinantur: ut agricola quom florem oleæ uidet, baccam quoq; se uisurum putat: non sine ratione ille quidem, sed nonnunquam tamen fallitur. Quòd si falluntur ij, qui nihil sine aliqua probabili coniectura ac ratione dicunt, quid æstimandum est de cõiectura eorum qui meris uocibus & fortuitis appellationibus futura præsentiunt? Absurdum profecto & plenum immensæ improbitatis, uelle (ut ille ait) cum ratione insanire, & certum modum ijs præscribere, quæ nulla linea coercentur. Quid est enim tam contrarium rationi & constantiæ quàm fortuna, & quæ à fortuna fortuita dicuntur? adeo profecto ut M. Tullius ausit affirmare, ne in deum quidem cadere, ut sciat quid casu & fortuitu futurum sit. quod à nobis salua ratione ac pietate minime dici licet. Videt enim ea deus & prospicit, quæ aut ex rerum pendent uicissitudine, aut hominis arbitrio statuuntur. Nec tamen iccirco necessaria existimanda sunt, quòd numinis prouidẽtia falli nõ possit. Multa enim & nos quotidie uidemus & intelligimus, quæ ab incerto euentu proficiscũtur. nec ideo necessitudine coercentur, quòd à nobis sciantur. nec profecto ea quæ iam transacta sunt, quoniam qualia fuerint, habemus exploratum. Proinde etiam necessario ita euenisse, quom aliter euenire potuerint, suspicari debemus. Pendet enim rerum necessitas, nõ ex aliena notione, sed ex propria & ingenita naturæ conditione: ut non possint nõ ita se habere, ut se habent. quæ uero deo scita & comperta fateor, perinde mortalibus incerta atq; ignota existimo. Temerarium autem & furori proximum duco limites eos transilire, & (ut Græci aiunt) ἀκίνητον κινεῖν, quod sibi deus atq; huic mortalitati statuit: uoluit autem rerum euenta, quæ sibi nota essent, nos latere. Quàm uero impius, quamq; audax sit, qui suo captu maiora nititur: notius est quàm ut à me sit explicandum. Tantum autẽ abest ut argumento Stoicorũ fidem habeam, aut humano generi prænotionem re-

rum

rum profuturã putem, ut nihil importunius illi esse posse credã. Si enim futura præsciamus, quantum prudentiæ, quantum industriæ detrahatur: posteritati certè nihil esse possit infensius. Qua etiam causa imprimis puto à Dis negatã animantibus cognitionẽ summæ lucis, qua quisq; ex hac uita migraturus est. Prætermitto enim hoc loco sollicitudinem & metum, qua multo antea uexarentur, qui huius uitæ delicijs tenentur. Si ergo Di homines amant, si illis cõsulunt: nihil possunt securitate melius aut tranquillitate iucũdius illis largiri. Quàm autem miserum, quàm obnoxium, ex omni uocula pendere, & pro cõiectoris responso actiones suas metiri? Mallem profecto me non natum, quàm tam infelici natum cõditione. Sed finge aliquid hoc esse, quod omnino nihil est: quomodo hæc uis orationis polleat, si potestis explicare. An uox causa est ut eo uel illo modo euentus subsequat? An euẽtus ille ueridicã præsagã uocem facit? Neutrũ profecto agnosco. Qui enim potest uox fatum facere, aut rem tam surdam & inexorabilem mouere, nullo præsertim affectu animi, nullo ingenij consilio subnixa? At ne rei quidẽ euentus uoci fauet, aut pondus ullũ ad prospiciẽda futura accõmodat: utpote qui nondum adsit, & uos futurum etiam ultro fateamini. Faciet fortasse quom uenerit: antequam ueniat, quomodo facere possit, non uideo. Quòd si quis contenderit eas etiam propositiones ueras esse posse, quæ de futuro statuunt: in æternis ac diuinis, quæ certus euentus manet, non ibo inficias. Quòd si in translatitijs & indifferentibus idem contenderint, quæ nondum successu cõprobentur: ostendam rursus eodem reuolui, quom certi nihil afferant, quo huius coniecturæ autoritas asseratur. Nisi fortasse nouo omine ominis fidem attestari posse confidant. Sed & id omen alio omine, atq; aliud alio, probari oportebit: atq; ita subinde nullus quæstioni terminus occurret. Quom itaq; neq; in his, quorum arbiter est sensus: neq; in his, quæ arte & sapientia diriguntur, neq; omnino in fortuitis rebus constet omination: quo loco aut qua parte constare possit non intelligo. Fateantur igitur, neq; diutius tergiuersentur, se meras nugas afferre, qui ominãdi scientiam profitentur. Nec pudeat aliquando discere, rem hanc omnem, qualis qualis est, ab ociosa quadam uanitate & humani animi superstitione effluxisse: in qua nihil ueri, nihil certi, nihil prudentis subsidet. Dedit deinde autoritatem mortalium credulitas, & sollicitudo quædam præsciendi ea quæ ad rem nostram pertinent. Accessionẽ deinde attulit auaritia & faciendi quæstus libido: quæ non uerita est impudẽter per ludibrium animos humanos traducere. Occurrunt undiq; argumenta, quæ rem uanissimã diluant, sed ero paucis contentus. in uocibus est omen & rerum futurarũ diuinatio. esto, demus hoc illis. ex his futura prænoscuntur. non abnuamus. uoces igitur obseruari debent. concedemus & hoc fortasse, si quas uoces intelligatis explicetis. omnes ne uoces intelligitis? an tantum quæ temere & sine ullius rei ratione enuntiantur? & profecto has mihi uidemini dixisse, quom tot exempla afferretis. excludemus igitur sapientum uoces: temerarias obseruabimus. libet exclamare, nõ tanti esse ut imprudenter sapiamus. Sed age. an quibusdã hominibus datur hæc præsciendi autoritas, negatur quibusdã? an certè omnibus sine discrimine? uellem, fateor, extorquere à me ut crederẽ uobis: sed nescio quo pacto aliena nimis à ratione profertis. Quom enim tanta sit linguarũ diuersitas: tam innumeræ uoces, ut externus externo sit penè non hominis uice: qui fieri potest, ut quæ latine dixero, Græco omen faciant: quæ Græcis fortasse nihil prorsus significabunt. Quòd si deorũ nutu, si natura duce ominatio fuisset aperta hominibus, quis dubitat quin eadem esset omnibus: ceu sunt cætera quæ non nostro instituto, sed naturæ consistunt. Accedet etiam interdũ id quod impudentiæ plenissimũ est, ut idem omen mihi felicia, tibi aduersa portendat. Si quis enim onos protulerit: ego mihi magistratũ, Demetrius summos sibi labores promitteret: quòd mihi onorem, illi asinũ id uocabulũ significat. Adde quod (si Diodoro credimus) omne uocabulum ambiguũ est. Ambiguum ergo etiam omen significabitur. Ex ambiguo uero quid certi elici possit non dispicio. Qua dicendi ratione Cræsum accepimus ab oraculo illusum: quom penetrantem Halyn respondisset magnam opum uim euersurũ. Nec laboro an Apollo unquam latine responderit. demus enim hoc opinioni antiquorum. sic quom Plautina Alcmena dixisset: uerum tu magnum malum

malum habebis, si hic suum officium facit. ob istuc omen ominator capies, quod te condecet, argute ac prorsus Plautine seruus hoc uerbũ reiecit. Enimuero prægnanti oportet malũ dari, ut quod obrodat sit, animo si male esse occeperit. Multa deniq; tota hac in re aperitur illusio. ut enim cætera omittam, quàm leui, quàm inepto argumento eiuscemodi uoces innituntur. Habentur aiunt quędam uerborum proportiones, & similitudo uocabulorum attenditur. Si quis ergo me ad cœnã uocet, gallumq; se appositurũ recipiat: an ego me statim rem factã habere putabo, & uẽturos in ditionem meam Gallos existimabo? quod de rege Perse uestrum quidam modo attulit. An si ferrariam officinam conflagrasse intellexero, animum protinus despondebo: & quoniam nũc bellum imminet, patriæ excidiũ timebo? Tum uero quom frequenti in cœtu, quod plerunq; fieri solet, ominosa uox fuerit prolata: unde nam conij ciam plus ad me quàm ad singulos quosq; pertinere? quom nemo sit fermè, qui nõ secum ipse animo aliquid agitet. Quòd si omnibus idem aut minatur aut pollicetur, facile potest redargui, quom dispari fato uideamus plerosq; defungi. id quod recenti testimonio declaratur. Petimus quidem omnes Benueniũ, atq; id feliciter hactenus: quod utinam & posthac. Solus anteambulo noster offensam fortunæ contraxit: & quod non omnes Benuenium, ille unus maleuenium experitur. Et medius fidius si uocum atq; ominis ratio habenda esset, nihil esset homine infelicius, nihil angustius. Nam quom neq; priuatim sine oratione quicquam perficiatur, momentis omnibus oporteret anxias aures præbere, coniectorẽq; prẽsto habere, de quo rerum & actionum nostrarum fata metiremur. Sed egò fortasse fallor, & quę tam exilia tam inania sunt, tam nulla esse contendo. Summopere tamen prodesse intelliguntur. Dabo manus si hæc ita esse inuenero, aut si alicui emolumẽto mortalibus esse posse deprehendam. Age itaq;, & an qui cauneas proclamari sensit, fatum effugit, mutauitq; ominatio infortunij euentũ? An nullus P.R. exercitus fusus, & occidione occisus est, quòd primus miles bono nomine eligeretur, & in delectu censuũe populi, Valerius, Salui us, Staterius nominarentur. An omnes ideo reginæ formosæ quòd leporis nomen quotidie audiant, & eo quasi quotidiano cibo uescantur, ex quo leporem & uenusta tem per dies nouẽ ut Plinius, aut per septẽ ut alij scribunt, mutuentur. In publicis uectigalibus lacus Lucrinus primus locabatur eruendus, ominis boni gratia. An igitur omnes redemptores publici rem auxerunt? an & multi in maxima detrimenta inciderunt? Quid uero prodest mihi ominatio, quæ nec auocare fatum potest, nec uertere? Nam si omnino euenturum est, quod rerum series statuit: si exorari non potest, quod futurũ est: frustra omina sectamur, atq; operam ludimus. Immo eo grauius animum exercemus, quòd hoc genus eruscatores qui se coniectores & interpretes profitentur, aut aduersa euentura dicunt, aut prospera. Si dicunt prospera & fallunt, miser fies frustra expectando. Si aduersa dicunt & mentiuntur, miser fies frustra timendo. Sin uera respondent, eaq; sunt non prospera: iam inde ex animo miser fies antequam è fato fias. Si felicia promittunt, eaq; euentura sunt, tum planè duo erunt incommoda: & expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructũ spes tibi iam defloruerit. Nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus res futuras ominantibus. Sed uideo quam adhuc ad latebram possint confugere. Extorquere nos aiunt ominibus autoritatẽ, non ueritate sed orationis ui: seq; alioqui causa potiores, patrocinio prodi. Multa enim exempla tota ætate collecta historijs inueniri: magnos præterea habere assertores iactant, quorũ existimatio neq; possit neq; debeat conuelli. Vtrunq; obsecro excutiamus, ne plus odio aut ambitioni quàm ueritati dedisse uideamur. Et imprimis illud percunctemur rursus: an unquam fatum ominatione mutatum aduerterint: aut illud compertum habuerint, quis nostrarum arbiter rerum deus id patefecerit. In eodem luto hæsitant, & tantũ collecta exempla congerunt. At mihi quibus testibus hæc exempla probabunt? unde illis fidem impetrabunt? Relegabunt scilicet ad autores. at hi neq; audisse nec uidisse, sed aliunde profitentur accepisse. Suspecti fieri incipiunt testes, ad quorũ fidem probandam alijs testibus indigemus. Sed iam hæc ipsa exempla expendamus: an mihi tot iam trãsactis seculis, tam longo temporum circuitu, tanta rerum copia, tanto hominum numero,

tot linguarum diuersitate, ducẽta, trecentaúe ut plurimum dicam, exempla incerta, inexplorata, & lubricæ adeo fidei affertis? & tamen indignamini me his fidem non adhibere, quibus uos ipsi nisi falleretis aut falleremini, profecto nõ crederetis. At ipsa hæc paucitas nimirum rei uanitatẽ detegit. Quot suspicor uoces obseruatas fuisse tam lõgo æuo, quarũ euentus deinde aliter cecidere, quàm spes affulserat: quas nulli omnino autores prodidere. Venio ad assertores, quos se multos bonosq; habere prædicant: quos ego profecto non agnosco. Præter enim paucos quosdam superstitiosos homines & male cautos, alium non uideo hanc uanitatem probasse. M. Tullius autor inter nostros grauissimus, ita eam abominatur, ut nunquam ei fidem habiturus uideatur. Plinius ex eadem classe illustrissimus uulgũ quidem & sellularios opifices hanc admirari, huic se addixisse, sed à sapiẽtissimo quoq; respui atq; abdicari scribit. & certè eorum hominum magna pars in ea multum præsidij sibi pollicebatur. qui quo loco eam statuat uidetis. inter opifices & despectissimos mortaliũ: à quibus uel ob hoc ipsum dissideo, quòd nihil probãt, quod boni & prudentes cõmendent. Magnumq; hoc abunde mihi ad ominationẽ refellendam argumentũ, quòd uulgaribus & ignauissimis placeat. Quid uero, nónne omnis philosophorum academia, nónne omnes peripatetici, nónne omnes qui hoc philosophiæ nomine digni sunt, hanc pridem exibilarunt? Quin & leges ipsę nõ modo exploserunt, sed grauissimas etiã pœnas in eum statuerunt, qui fruges excitasset: & alibi, qui malum carmen incantasset. Quibus sanctionibus non tam rem ipsam & uim uerborum castigari, quàm superstitionem puto redargui. Qui enim possit quisquam oratione alienas fruges pellicere? Desinant profecto esse fures, quom leuiori opera incantatores quæstum faciant. Supremo anno Neronis principis accepimus, prata oleasq; intercedente uia publica in cõtrarias sedes transgressas, in agro Marrucino, prædijs Vectij Marcelli equitis Romani res Neronis procurantis. Atq; id non inter incantamenta, sed terrarum portenta annumeramus. & medius fidius ita est. non uis orationis, non excantatio, sed industria ac solertia humani ingenij & perpetua cura laborq; corporis agros fœcũdat, & letas segetes facit: memorabili exẽplo C. Furij Cresini. Hic è seruitute liberatus, quom in paruo admodũ agello largiores multo fructus perciperet, quàm ex amplissimis uicinitas, in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret ueneficijs. Quam ob rem à Sp. Albino curuli die dicta metuẽs damnationem, quom in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam ualidam, atq; (ut ait Piso) bene curatam ac uestitam, ferramenta egregie facta, graues ligones, uomeres ponderosos, boues saturos. Postea dixit. ueneficia mea, quirites, hæc sunt: nec possum uobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes uigilias q; & sudores. Omnium sententijs absolutus itaq; est: ut intelligatis non ueneficijs, non precationibus, sed bene consulendo atq; industrie agendo diuitias comparari. Iis alia Gilinus additurus uidebatur, sed nos iam Benueniũ peruueneramus, & obuio multorũ amplexu excepti ab equis descendebamus.

CAELII CALCAGNINI DE MEMORIA DIALOGVS AD HERCVLEM SECUNDUM, ducem Ferrariæ IIII.

ANCYLOMETVS. MNEMON.

COMMODVM te obtulisti mihi Mnemon. cupiebã enim ex te scire, quàm luculenta fuerit oratio, quam Aeschines noster ad populum habuerit. Nec enim tũc mihi in patria esse licuit: quod alioquin summopere expetebam: nam uillaticæ occupationes me auocarunt. eam autẽ accepi à nostris ciuibus, immortalibus laudibus commendari.

Mn. Nunc mecum ipse obambulans de oratione illa cogitabam: mirabarq́ nostros ciues tam facile, ne dicã oscitanter quippiam laudare. An. An uero tu illam laudibus indignã existimas? Mn. In angustum admodum locũ me adigis Ancylomete, ut uel mendacis nomen subeundum sit mihi, si laudandam dixero: uel maleuoli, si improbandam. An. Immo neutrum, si ingenue & ex animo tuam sententiã patefeceris. Nec enim cuiquam fraudi esse debet, iudicium suum aperuisse. Mn. Tu quidem uera: sed ita se habẽt ætatis nostræ mores, ut pleriq́ classicum è uestigio ad inimicitias cecinisse putent, quom quis aliter quàm expeteret aut expectaret, sibi uideri dixerit. An. Multi quidem ita iudicãt: sed ego ex alia hominum classe sum, libenterq́ & iudicium meum aperio, & cæterorum audio. Mn. Probe tu quidem & longe aliter quàm cæteri. & quoniã te hoc hominẽ ingenio agnosco, cõpendio dicam tibi: orationẽ, quam tantopere nostri ciues laudarunt, nõ multũ à me probatum iri. An. Credibile est in ea quippiã desideratũ, quod rhetoricæ artis ratio exigebat. Mn. Prorsus. An. Cũ uero ea quinq́ sint, quorũ tria ab oratiõe, duo ab oratore petimus: scire uelim an hæc omnia, an pleraq́, an certè unũ defuerit. Mn. Vnũ, & ut puto ualde necessarium. An. Inuentió ne, quę totius oratiõis quasi corpus est: an dispositio, quę ceu mẽbra, & quędã corporis series: an elocutio, quę quasi totius orationis habitudo & præstãtia est? Mn. Ex his nullũ: uisa enim sunt mihi hæc satis adornata & instructa. An. Defuit igitur quantũ uideo uel memoria uel pronuntiatio. Mn. Probe. memoriã siquidẽ in ea unã desideraui, sine qua nõ uideo quomodo aut bonus orator, aut proba oratio uocari possit. Recitabat em̃ Aeschines orationẽ illam suam tam laudatã ex cõmentario: eueniebatq́ illud quod necesse erat: ut dum lectioni uacabat, minus cõmoda actione uti posset. An. Atqui omnes cõmodissime egisse cõfitentur. Mn. Tu ipse quomodo id fieri posse existimas ab eo, qui uix unquã oculos uultumq́ à cõmentario referebat. Nitebatur quidem ille & uoce & ore & manu & aliquando oculis actionem corrigere: sed difficultas rei & obliuionis periculum superabat. Quomq́ omnia frustra tentauerat, ad commentariũ tamen erat redeundum. An. Non nihil mihi dicere uideris Mnemon, neq́ sine causa ciuium nostrorum iudiciũ improbare. Sed illud abs te libenter acceperim, an bonam esse orationem neges, cui sola memoriæ laus non accesserit: nam quę hactenus obiecisti, ad actionẽ potius q̃ orationẽ uident̃ pertinuisse. Mn. An tu nescis primas & secundas & tertias à Demosthene actioni tributas, quom quispiam ab eo percunctaretur quid in oratore primum existimaret? An. Scite tu quidẽ testimonio Demosthenis uteris, à quo perquisitũ de oratore accepimus: sed opto abs te discere, an idẽ in oratore & oratiõe primũ existimes. Tũ ille scrupus occurrit, an memoriam actionis partem existimes, an adiumẽtum? Quare si quid ocij habes, assideamus paulisper, & amabo totam rem expedi. Mn. Postquã assedimus, uelim rursus à me percunctere, quid tibi explicari cupias. Haud enim satis quid modo exquireres, percepi. An. Ego uero abs te perquisiuerã, eadem ne in oratore & in oratione exigeres, an seorsum hęc expẽdi posse existimares. Mn. Quomodo?

An. Duo ne hæc dicis oratorem & orationẽ esse: an ita unum ut seiungi non possint, ut artem & artificem? Neq; enim sine arte artifex deprehendi unquam poterit. Mn. Vera dicis. An. Sine oratione ergo nunquã orator. Mn. Nunquã. An. Vide obsecro ne temere exemplis abutamur. Mn. Cur uero? An. Nónne & unam artificis artẽ dicimus? Mn. Apertius eloquere. An. Nónne statuarium unius statuariæ artis artificem appellamus? coquum coquinariæ unius conditorem & ministrum? An plures statuarias artes & coquinarias uocamus? Mn. Statuariam & coquinariam semper appellari accepi unitatis numero. An. Probe. orationis igitur unius oratorem pari modo appellabimus, quãdo artes à quibus appellantur artifices singulari numero uocitari putas. Mn. Improbe ac uersute agis, qui me unius uocabuli cãcellis tentas includere. Quom enim orationis dixi, oratoriæ artis dictum uolui. An. Non iure mecum expostulas. ego enim de oratione hactenus perquisiui. Tu uero orationẽ & oratoriam eandẽ ne putes aperias. Mn. Quis ita insanit, ut orationẽ & oratoriam eandem censeat? nisi statuã & statuariam eandem esse iudicet. An. Eleganter ac scite adeò. Statuam ergo orationi, oratoriam statuariæ comparas? Mn. Comparo. An. Quoniã itaq; multum à linea aberraueramus, retexendum est non probe à nobis antea orationẽ arti comparatam fuisse. Mn. Minime. artificio enim potius, utputa statuæ aut picturæ fuerat conferenda. An. Quom itaq; accõmodatis exemplis sit utendum, statuam ne & statuarium, pictoremq; & picturã eadem putas? Mn. Non puto. An. Tum uero de oratore & oratione quid iudicas? Mn. Quod de statuario & statua, pictore & pictura. An. Nõ eadẽ esse scilicet. Mn. Hoc ipsum. An. Age nunquid sicut statuam à statuario seorsum iudicare, & picturã à pictore possumus, in oratore & oratione idem audebimus? Mn. Quid prohibet? An. Poterit ergo quispiã absente statuario statuam, & picturã pictore absente iudicare? Mn. Poterit. An. Quod si pictura, si statua, eleganter & graphice fuerit expressa, digna laude: si minus, improbatione existimabit. Mn. Sic mihi uidetur. An. Nec quisquam exquiret, dextra ne an sinistra, detorso cælo an ferrugineo, nouo penicillo an uetusto statua aut pictura absoluta sit: nec puto laborabit scire, sit ne agilis & formosus Apelles: & Lysippus segnis & deformis. Mn. Quid enim hæc ad statuæ elegantiã attinent? An. Quòd si orationẽ & statuæ & picturæ recte comparauimus, poterimus æquè & de oratione seorsum absente oratore iudicare. Mn. Fortasse. An. Quid igitur ad elegantiam orationis aut oratoris memoria aut actio proficiet? quod tu modo asserere uidebare. Mn. Immo uero aliter se habet, nec iure fortasse tibi subscripsimus. An. Perquiramus an alicubi erroris latebra desideat. Mn. Videor mihi quodammodo agnoscere quid nos traduxerit. Comparauimus enim ea quæ ore enuntiantur, ijs quæ manu & opera construuntur: quæq; intra artificẽ nascuntur, ijs quæ exterius exercentur. An. At nos hanc rem totam excutiamus, accõmodatumq; ad id exemplum adhibeamus. M. Cantorem & cantilenam ita unà agnosci dicimus, ut neq; cantor sine cantilena, neq; cantilena sine cantore esse possit. Quomodo enim alter sine altero, aut qua ratione cantor sine cantilena esse potest, aut cantilena sine cantore? non aliter & orator sine oratione, & oratio sine oratore, esse non potest. An. At ego abs te scire uelim, Arionem & Thamirã cantores fuisse opineris, an minime. Mn. Opinor, quando ita nobis ab antiquis traditum est. An. An eos unquã uel in nocturna saltem quiete à cantilena desijsse existimas? Mn. Existimo. An. Existimas ne interim dum pauli sper animũ remitterent, & quasi feriarentur, Musicam & cantilenæ artem tenuisse? Mn. Sic puto. An. Musicus uero & cantor nónne is est, qui musicam & cantilenæ rationẽ tenet: potestq; quom uult illam meditari & exercere. Mn. Prorsus. An. Nónne qui potest quippiam facere, potest itidem abstinere? & faxit, non faxit ei liberum est? Nunc enim de facultate illa dissero à qua necessitas abdicatur, & in optione naturæ aut nostri animi cõstituta est. Mn. Nihil repugno. An. An nõ cantor potest cantilenã meditari quom lubet? Mn. Potest. An. Nónne rursus quom lubet potest desinere? Mn. Potest itidem. An. Nónne quom desinit, po-

nit, potest repetere si ita ferat animus? quia cantilenæ meditationẽ callet. Mn. Ita est. An. Et quia meditationem cantilenæ callet, nónne cantor est? Mn. Est. An. Cantor ergo est, nec cantilenæ tantum incumbit. Mn. Sic uidetur. An. Nónne igitur cantilenæ & cantoris diuersa ratio? Mn. Diuersa ratio prorsus, quia illa canitur, hic canit. Non tamen fieri potest ut cantilena in cantore non sit, & cantor cum cantilena. An. Video nos in nomine cantilenæ minime conuenire. Quare quid cantilena sit libenter perquisiuerim. Mn. Cantilena est modulatus certa ratione uerborũ contextus ad auriũ oblectationẽ institutus. An. Esto. An qui canere nouit, nec tamẽ canit, hoc modulato contextu quẽ cantilenã appellamus oblectat aures? Mn. Minime. An. Et tamen cantilenam habet, quia cantor est. Mn. Recte. An. Non habet ergo, & tamen habet cantilenam. Mn. Non intelligo. An. Quom non canat, nec aures oblectet, sine cantilena est. Mn. Est. An. Et tamẽ quia cantare potest, cantor est. Mn. Est. An. Et quia cantor est, sine cantilena esse non potest, Mn. Vere. An. Si absq; cantilena esse non potest, semper canit. Mn. Quid tum? An. Quem igitur prius canere negauimus, iã semper cantat. Mn. Amoue argutias Ancylomete. Quom enim cantorem sine cantilena esse posse negaui, id ita intellexi: dum caneret. An. Eodem reuoluimur. Nónne confessi sumus, cantorem eum esse qui possit canere & à cantu abstinere? Et quidem re ipsa cantor est, quom canit: facultate autem & potentia, dum ociatur. Mn. Sanè. An. Tum uero nónne cantilena bifariã aduerti potest. Et quæ iam canitur, audientesq; allicit: & quæ seorsum in pagella instructa adornataq; est, ut cani possit: qualis illa. Animulæ duæ uagulæ migrabant cute posita, & hæc de illa quæsijt, quæ nunc abitur in loca? Et illa sirenum cantio apud Homerum à Cicerone conuersa:

O decus Argolicum, quin puppim flectis Vlysses?
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus.

Quid enim repugnat ne has seorsum, & sine cantoris præsentia, dijudicemus: præsertim si musicis notulis & uocum discriminibus fuerint distinctæ: ut ita oculis pellegi & transcurri possit omnis earum series, ut orationis ambitus qui ab oratore conditus est. Mn. Nitamur hæc planiora facere: nec enim ijs omnino assentior quæ obijcis, nec quomodo repugnem inuenio. An. Ego quod in mè est, horum nihil me habere exploratum puto. Sed in hac indagine totus ex te pendeo, totusq; à nutu & sententia tua inquisitionem hanc metior. Mn. At tu senticeta & salebrosa illa omitte, & planius rem persequere. An. Dic itaq; rursus mihi, an putas disciplinarum atq; artium liberalium monumẽta posteris relinqui, quæ hominũ ingenia testentur. Mn. Quomodo inquis? An. Hipparchus nónne artis sideralis peritus fuit? Mn. Fuit. An. Nónne multarũ ætatum præscita, & quasi cælum ipsum posteritati hæreditarium reliquit, si modo quis inuentus esset, qui eam artem capere potuisset? Mn. Reliquit. An. Nónne Eratosthenes & Ptolemæus terrarum interualla, utpote geometræ? nónne Timæus numerorum rationem, quibus & hæc rerum omnis series constat, & anima nostra compacta est: quod numeralis scientię proprium fuit? Nónne Chrysippus & Aristoteles nostri rationẽ disserendi uniuersam prosecuti sunt? quorum inuenta adhuc & sequimur & admiramur. Nónne Varro & Crates loquendi formas & uocum rationes explicarunt? quod grammatici munus nemo dubitarit. At Musicæ modulos, tantamq; harmoniã nónne & Ptolemæus & apud nostros Boetius perscripserũt? Mn. Planè. sed quid hęc ad rẽ? An. Putas ne rhetoricẽ ingenuis artibus adnumerari debere? Mn. Puto. An. Quæ illius monumenta nuncupabimus? nónne præcepta quæ à ueteribus conscripta sunt ad dicendum apposite, ut persuadeamus: multoq; magis orationes quarum gratia præcepta illa nobis tradita sunt? Mn. Quis sanus hæc negarit? An. Recte itaq; Demosthenis oratoris clarissimi monumẽta orationes dicemus, idemq; de Cicerone ac cæteris sine fraude affirmabimus, qui ingenij illustrissima testimonia conditas orationes reliquere. Mn. Nihil te moror. An. Atqui ex his orationibus, quæ nunc extant, nónne Demosthenis cæterorumq; qui dicendo claruerunt,

ingenia & facultatem arguimus? Mn. Arguimus. An. Et earum præstantissimã quamq; existimamus, quantum ad persuadendum aptior & quasi animosior inuenitur. Mn. Tecũ sentio. An. Ne pigeat & illud, quod tu fortasse ridiculum putabis, sed profecto serium est, respondere. Nunquid Demosthenem putas obijsse diem? Mn. Planè ridiculũ est, percunctari an obierit, qui iam aliquot annorum milibus homo esse desierit. An. Obijt ergo Demosthenes, nec amplius homo est. Mn. Nihil magis. An. At eius orationes quotidie habemus in manibus, nobilissimi ingenij monumenta. Mn. Habemus. An. Ineptissimusq; habet qui eas nõ probat. Mn. Immo toto stadio à Gratijs & Musis abest. An. Adde quòd in his iudicandis nemo Demosthenem requirit: frustra enim requireret, qui tot iam transactis ætatibus defunctus est. Mn. Subscribo. An. Puto iam tibi abunde uel sine monitore perspectum esse, orationes ab oratoribus seorsum & posse & solere iudicari. sed hæc omittamus. Aliud enim quippiam est, in quo sententiam tuam audire expetam. Mn. Dic uero quid illud sit. An. Quotiens orator concionem habet, nónne duo aduertuntur? quæ ad persuadendum consentanea sunt, & quasi cõspirant: orator scilicet & oratio. Mn. Sic res habet. An. Horum utrũ in persuadẽdo putas pręstare & quasi primas partes obire? Mn. Haud sanè facile dictu, solertiq; indagine indiget. An. Tentemus tamẽ, nec rei difficultas nos perterreat, quin cõminus congrediamur. Mn. Tu aliqua ostende uestigia, si potes, per quæ rem totã exploremus. An. Nitar: & iam uideor mihi nonnihil inuenisse. Mn. Quid illud? An. horum utrũq;, orationem scilicet atq; oratorem, in trutinam & quasi æquilibrium redigamus: & utrum præponderare intellexerimus, huic primas cedamus. Mn. Cõmode admodum. An. Hinc igitur tibi oratorem uel cõsopitum & ociosum, uel ab omni certè oratione abdicatum & semotum statuo: illinc in sceda aut cõmentario orationem: utrunq; diligenter expende, & unde facilius cõsilium haurire uel à quo ad uirtutũ egregia opera capessenda excitari possis aduerte. Tacet ille & feriatur, frustraq; illius os probum & supercilium admiraris: hæc lectioni obuia est, & quasi mutus magister. utrum malis tibi, tua optio est. Mn. Quasi uero hæc optio difficilis sit: nec sibi quisq; orationem malit, ut animum & aures suaui lectione imbuat atq; oblectet, quàm elinguẽ illum & mutum & planè oratoris nomine indignum. Cui sanè, si uerum fateamur, insignẽ afferimus contumeliam, qui oscitantẽ & somniculosum & sine oratione illum effinxerimus. An. Ita fuit necesse Mnemon. Nã si utrunq; cõmisceas, nemo dubitat quin pulcherrimus cinnus euadat. Sed nunc illud cõsilium fuit, utrumq; seorsum librare, & quasi alterutrius ponduſculum explorare. Mn. Factum esto. An. Hoc iudicium quasi modo usi sumus, olim factum à Ctesiphonte existima: cum uehemẽtes illas & plenas magni spiritus Demosthenis orationes lectitaret, Demosthenem nec taciturnum, an urbanas orationes præoptaturum suspicamur? Mn. Orationes. quis enim dubitat? An. Tum si quis etiã alius illud Ctesiphõtis optioni dedisset, ut uel sibi Demosthenis, uel orationum quas ille cõdiderat, ætatem eligeret: quid tu eum facturum iudicas? M. Orationum ætatem fuisse electurum. Quãtula enim uel uiuacis hominis ætas est: uel quàm diuturna esse potest, si orationum æternitati conferatur? An. Egregie admodum. nam ut eadem sæpius repetã, nemo est paulo humanior qui Demosthenis orationes nõ agnoscat: qui Demosthenem nouerit, nostra ætate inuenitur nemo. Sed tu quanto illud libentius facturũ fuisse Ctesiphontem putas, si cum ætate orationibus existimationem accessuram prospexisset: futurumq; aliquando speraſſet, ut præclari deinde oratores, qui in omni posteritate futuri essent, ex illis sibi tanquam à Polycleti exemplari lineamenta mutuarent, earumq; gratia Demosthenis nomen omnibus seculis propagaretur. Mn. Ita prorsus est, magnosq; amores mihi earum orationum accendis. An. Nónne illud etiam perquam admirabile uideri potest? Mn. Quid uero illud? An. An non hominem indiuiduum appellamus? Mn. Appellamus. An. Vnde hoc ei nomen cõuenire arbitraris? Mn. Quòd sine internecione diuidi nõ possit. An. An potest homo unus uno tempore in pluribus esse regionibus? Mn. Minime. nam

hoc

hoc diuinæ naturę proprium, nõ humanæ. An. Diuinum ergo quid potius orationem dicis quàm humanum, quæ tot locis, tam disitis terrarũ ſpatijs apud tot homines eodem tempore eſſe poſsit. Mn. Dico, & iam ſæpe aliàs dixi. nec profecto mirum uideri debet diuinam orationem eſſe, quæ ſit diuini partus ingenij. An. Multo ergo meliorem fateamur oportet orationis quàm oratoris conditionem: hæc enim & perpetua eſſe poteſt, & pluribus locis eodẽ momẽto cõmunis: & quom cætera humana ætate obſoleſcant, hæc indies clarior maioriſq; autoritatis reddi ſolet. Mn. Nemo uel paulo impudẽtior auſit negare tam manifeſta. An. Præſertim quòd ſi quis in negando fuerit impudentior, & multarum ætatum teſtimonio & plurimarum gentium exemplis expugnari poteſt. & ut uno interea contentus ſim: ſcripſerat olim Lyſander Lacedæmonius orationẽ, qua populares ſuos hortabatur: ne ſinerẽt Heraclidis hęreditarium eſſe in Sparta imperium: ſed ijs potius addiceretur, qui uirtutem Herculis imitarentur. Quomq; poſt eius obitum ea oratio deprehenſa eſſet plena aculeis & oppido efficax ad perſuadẽdum: ſtatuiſſetq; Ageſilaus eam in publicum dare, ratus ſe ita magnam inuidiam Lyſandro concitaturum quòd Heraclidarum familiam ſtilo perſtrinxiſſet: Cratides qui tunc erat inter Ephoros primi nominis, eum hortatus dicitur, ne Lyſandrum refoderet, immo magis procuraret ut cũ eius autore oratio ſuffoderetur. Agnoſcebat enim uir prudentiſsimus, eum geniũ eamq; eſſe uim orationis, ut ipſo etiam oratore abſente poſſet animos populariũ ad res nouas irritare. Mn. Tanto Cratides conſulte mihi uidetur feciſſe, quanto ille confidentius. An. An tu Cratidem memoriam uel actionẽ Lyſandri formidaſſe exiſtimas, qui non oratoriæ modo, ſed omnium humanarũ actionum mimũ abſoluerat? Mn. Nihil minus. An. Quid ergo? Mn. Argumenta ipſius orationis acute ac ingenioſe inuenta, & accõmodate digeſta, & eleganter expreſſa. An. Pulchre tria illa enumeraſti. nam memoria & actio nihil erat extimeſcenda. Mn. Tum uero quanto extimeri magis debuit, ſi hæc duo nouiſsima acceſsiſſent: & memoriter totoq; animi impetu, uocisq; & oculorum & uniuerſi corporis motu fuiſſent pronuntianda. Olim enim uulgo tritum eſt, in Demoſthenis oratione magnam Demoſthenis abeſſe partem. An. Nihil uerius, nec unquam præclarum aut abſolutum oratorẽ exiſtimaui, cui ex his alterum deeſſet: multoq; minus cui utrunq;. Sed ut ad diuerticulum redeam: non potui non ſummopere admirari, quòd ſola ea cauſa Aeſchinis orationem tantopere damnaueris, quòd non memoriter, ſed ex cõmentario recitaſſet. Dolebam enim mecum tot eius orationis floſculos, tot exhauſta ab antiquorum oratorũ officinis narthecia, tot lecythus, tot emblemata, quæ in illa (ut audio) effulſerunt: unius memoriæ abſentia deperijſſe. Mn. Dixiſti tu quidẽ multa fateor, nec dum planè tamen me è priſtina ſentẽtia deieciſti: quin dempta oratori memoria, cætera omnia labefacta putem & pro nihilo habenda. An. Caue ne id pertinacis magis quàm tardi atq; hebetis uitium ſit. Nam uitium naturæ humanæ ferendum eſt, animi nequaquam. Mn. Neq; id naturæ neq; animi uitium puta, ſed iudicium à certa ratiõe profectum. Qui enim fieri poteſt, ut ſummum deorũ ne dicam, an naturæ bonum memoriam in omni oratione non primo loco habendam cenſeam, cuius filiam ſapientiã uoluit eſſe Afranius. Nec ſine cauſa Heſiodus Mnemoſynẽ Muſarum parentẽ & louis amaſiam ſtatuit. Nec fruſtra alij ex tribus Muſis, quas ſibi antiquitas cõmenta eſt, maximam Mnimen nuncupauere. Nec iniuria profecto. Abdicata enim à rebus humanis memoria non uideo quomodo religio quæ maiorum cærimonijs ſtabilita eſt, conſtare poſsit: non rerum publicarum gubernatio, nõ ſponſionum fides, nõ beneficiorum gratia, nõ artium aut diſciplinarum monumenta: ruant omnia ac ſoluantur humani ingenij ornamenta neceſſe eſt, niſi hæc præſto ſit, & quaſi in præſidijs excubet memoria. Huic quicquid in nobis eſt, quod uel ad laudem uel ad gloriam pertineat, niſi ingrati eſſe uoluerimus, acceptum referri oportet. Quantum autem in oratore emineat, nõ exiſtimo mihi excuſandum hoc loco, uel propter rei claritatẽ, uel quod maius eſt opus quàm ut compendio abſolui poſsit. Nemo enim nõ uidet quàm fœdum ac probroſum ſit cõmentarij ſubſidio uti: & naturæ uitiũ, quod alij magna tegunt diligẽtia, teſtari: tum uero increbile

dibile est quantum fidei orationi detur, si auditores aut iudices parata domi argumenta excogitatasq; probationes afferri uiderint. Ea enim omnia ad se circũscribendos instructa arbitrant. Sciũt enim simplices ac minime fucatos esse ueritatis sermones. & medius fidius (ἀπὸ τοῦ εἰκῆ τῷ ἀληγάνου φιλεῖ). Et profecto si tibi clarissimi senis uerba quę olim ad me habuit repetã, quantũ in oratoris munere polleat memoria, quantũq; sine ea orator esse nõ possit: ita agnosces, ut te deinceps minime meæ sententię reluctaturũ existimem. An. Age audacter, quando ita mihi constitutũ est, aut me in tuam sententiam uenire, aut te in meam deducere. Mn. Olim mihi Pitholaus multę autoritatis senex & Veneris suadelæ antistes narrauit, dum in eius templo sederemus, Mercurium olim Iouis iussu oratoriã in terras deduxisse. Erat autem illa incomparabili forma mulier, uegetis oculis, blando ac pleno multæ suauitatis aspectu. Cumq; illam mortalium animis esset inserturus, in publico emporio, ad quod omne hominum genus cõuenerat, denudatam illam detractoq; omni amictu ostendit. Et tunc primum homines agnouerũt terrenis fœminis illam esse longe dissimilem: neq; enim illi uel ossa, uel nerui uel carnes inerant: sed pro ossibus solidum quiddam eam fulciebat, quod Mercurius inuentionẽ dixit appellari. Pro neruis cõmodissima compositissimaq; compago: hanc dispositionem uocabat: corpus omne cõtinebat. Eadem nõ cute, non carnibus tegebatur, sed uario quoddam floscul orum amictu. Huic ille elocutionis nomen impoſuit. Quomq; homines peculiari quadam curiositate penitiora etiam studerent explorare, ex eorum oculis mortalem caliginẽ abstulit: qualem apud Homerum olim Diomedi Pallas detersit. Viderunt q; illi protinus admirabile in ea imaginũ & formarũ promptuarium. Hoc nostri tablinum rudi admodum uocabulo, sed immortales Di cõmodissime memoriam nuncuparunt. Et hanc ei esse animam, per quam saperet indicabat. Vis aũt altrix, quæq; omne corpus uegetaret, atq; impelleret, actiõis nomine honestata est. Quom huius itaq; spectaculum edidisset, eam omniũ hominum ingeniis impressit: pauci admodum fuere quibus nullo pacto inserere potuit: quos ille postremissimos hominũ esse uoluit, eosq; perpetuis inscitię latumijs damnauit. Quòd si cõsultissimo seni fidem habendã existimamus, si anima quæ præsertim ratiõis capax sit, nihil præstantius, sine qua neq; bene spirare, neq; cõmode uiuere possumus, & quasi uita ipsa uitalis esse desinit: nõ est quin ultro fatearis sine memoria oratoriam inertẽ & mutam & prorsus deploratam esse, ita ut facilius oratoriæ cadauer quoddam quàm oratoriã ipsam agnoscas. An. Si mihi unquam illud consilij fuisset, ut singulare memoriæ munus improbarem, licuit tibi fortasse opportunius in eius laudes & quasi Encomiũ prorumpere. Sed nũc tibi uideor laconicũ illud posse obijcere: quid opus his laudibus? quis eim eã uituperat? alioqui si diligenter eas laudes excutiamus, inueniemus ab ingenio potius quàm ratione profectas. Quis enim pari conditione obliuionem perpetuam illius aduersariam laudare nõ possit? cui & aras erexit antiquitas, & reconciliationẽ de humano genere optime meritam filiam addixit, quam publico decreto Athenienses ab omnibus ciuibus colendam statuere, eiq; ἀμνησίαν nomen memoriæ infensissimum posuere. Tum uero inter magna illa inferorũ flumina Lethen cõsecrarunt. nec prius ad superos testimonio Platonis animabus nostris datur ascensus, quàm letheos amnes & longa obliuia potent. Et profecto nemo est tam rudis qui nõ intelligat multis in rebus obliuionẽ præstare memoriæ. Nam si religionis, si beneficiorũ, si fidei, si præclare gestorum clarum & magnificũ est meminisse: eo turpius ac detestabilius est impietatis, superstitionis, iniuriarum, perfidiæ reliquorumq; scelerum memoriam colere: quibus omnibus obliuionem inducere egregium & salutare nemo unquã nisi fastidiosus negauit: ut non sine causa uideantur Romani eam ad seruos relegasse, nomẽclatoresq; inter seruitia adscripsisse. Tãtum uero abest, ut ego illi in oratore summum locum tribuam, ut sæpius etiam lubricam & periculosam plenamq; summi discriminis existimem, cui nemo temere fidere debeat. Magnis enim & exercitissimis uiris persæpe impoſuit. certè Annius Milo se nunquã tam bonos pisces Massilię comesurum prædicauit, nisi memoria Ciceronẽ fefellisset. Quare & ipse Cicero quom pro P. Sextio orationẽ esset habiturus, sine cõmentario id facere noluit. Nec quis-

quam

quam Seuero Cassio unquam persuadere potuit, non dicam ut cõmentarium reijce ret, sed iustam ac integram orationẽ non haberet: id quod Augustus Cæsar tam religiose obseruauit, ut non modo publicas conciones, sed domesticos etiam sermones & quos cũ uxore haberet, literis mandaret: ne plus minús ue loqueretur quàm destinasset. Nam ea laus quam tu ex ostentatione memoriæ proposuisti, perexigua omnino & per quàm tenuis efficitur, tanto proposito discrimine: quom creberrime accidat uel ob uerecũdiam, uel ob metum, ut pauciora quàm res postulet, aut alia quàm oporteat dici sit necesse: immo & aliquando turpiter obmutescere, pariterq; ab oratione atq; animo decidere: quod Demosthenj olim & nostrę ætatis magnis oratoribus scimus euenisse. Quæ enim tanta laus esse potest, quæ tanto periculo cõpensari possit? aut quæ gloria cũ hac ignominia conferri debet? Cõcipe enim tibi animo oratorẽ qui præclare ac memoriter dixerit, quantulũ laudis huic est propositũ? paucis scilicet diebus aut ad summum mensibus cõmendabitur. Quòd si quo aduerso fato aberrauerit, si memoria effluxerit: tum uero quàm grauis animi uexatio, quanta indignatio, quàm diuturnum obprobrium, ut nihil æquè pœnitendum in tota uita tenuerit. Nam licet ille & singulari eruditione & multarum rerum scientia polleat, licet persæpe aliàs & cõstanter & cõmode dixerit: decora illa omnia, tanto labore, tanto tẽpore parta, leuis animi cõsternatio (si Dis placet) abolebit. At turpe est, inquis, meditatam domo afferre orationem: minusq; fidei iudices esse habituros, quòd paratas rationes instructasq; ad causam te apportasse existimabunt. Quæ uero hæc turpitudo, domi rem suã cõmentari? quasi non illud turpius, in dicendo labascere, eadẽ sæpius repetere, uocẽ suspendere, excreare, admonitorem aut succentorem expectare. Et profecto nobis ipsis uerba damus, si iudicibus aut auditoribus speramus posse persuadere, extemporariam orationẽ afferre. Quòd si etiam persuaserimus, non uideo cui usui esse possit oratio, quæ tumultuaria & præceps iudicetur: quom iudicibus multo illud honestius uideri debeat, nihil nõ maturum atq; excoctum audire: & hæc ipsa uerecundia ac dicendi ex cõmentario modestia orationi tum gratiam, tum fidem sit conciliatura. Vides igitur & securius, & maiori cum respectu iudicum, tum minori periculo & causæ & dignitatis oratorem cõmentario operam dare. Quod tu autem & ueterum nõnulli oratoriæ animam memoriam dixerint, iudicio distrahor. Neq; enim tam magnis autoribus ausim repugnare: & multis certisq; ratiõibus quę diuersum probant, pudet non credere. Certè illis uictus Albutius autor grauissimus manus dedit, & memoriam oratoriæ partem negauit. Nam & in oratoris definitione nulla est memorię mẽtio. Est enim orator uir bonus, dicẽdi peritus: aliud aũt esse dicere, aliud memoriter dicere, notius est quàm ut disceptatione indigeat: quandoquidem potest, & qui orator, & qui uir bonus non est, memoriter uerba facere. Ciceronis sentẽtia est: Sicut in Grecis artificibus eos aulœdos esse, qui citharœdi fieri nõ potuerint: sic nonnullos qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris studium deuenire. Scientiam autem iuris plurimum memoria indigere non dubitabit, qui alibi audiuerit Ciceronem oratori suo Iureconsultorum memoriã optantem: ut ei multum quidem ille, non summas tamen partes tribuisse uideatur. Quòd si omnino necessaria oratori memoria contendatur, nõ uideo quomodo aut obliuiosus aut senex aliquis, qui propter imagines in primo sensorio obsoletas hac parte maxime laborare solet, orator esse possit. Tum uero nullum artificem unquam male audisse accepimus, si instrumenta quibus suam artem exercet parum fuerint accõmodata. instrumentum autem & quasi orationis conceptaculum est memoria, quod si rude, si rimarum plenum & fluxum fuerit, iniuria ille damnabitur: quom præsertim ea quæ in ipso sunt, diligenter & accurate procurauerit. At in ipso illa sunt, prudenter ingenioseq; rem cõminisci: suis locis omnia accommodare: eaq; breuiter ac planè explicare. Hæc enim ad ingenij acumen pertinent. extra ipsum uero, id est in corpore, hæc sita sunt: memoria & pronũtiatio, quę actio etiam dicitur. Et ne à memoria discedamus, quot hæc fortunæ iniurijs proposita est? quot morborum fluctuationibus? quot ætatis mutationibus? Ictu saxi ille rerum omnium memoriam amisit, ille affinium, ille sui nominis. Alcibiades frustra uerba quęrit in oratiõe. Quæ omnia summæ inconstantiæ

ſtantiæ plena ſunt: ut iure mirari ſubeat, tam quaſſæ, tamq; ruinoſæ parti quenquam oratoriæ animã addixiſſe. Et ut hoc preſsius agatur: qua uel ratione, uel ſimilitudine memoria oratoriæ anima eſſe poteſt? an quòd ab hac moueatur? certe à cogitatione & iudicio, uel ſi recitetur legaturúe, à lingua & ore permouetur: in quorum neutro memoria repoſita eſt. An cuius gratia inuenta ſit? Nemo profecto unquam oratorię operam nauauit, aut orationem habuit, ut memoriæ ſatisfaceret, ſed ut dicendo perſuaderet. Quis autem memoria perſuadere potuit? ac non potius ſententiarũ acumine & cogentiſsimis rationibus? An uero è memoria oratio compacta eſt? quis rem tam abſurdam excogitauit unquam? ut orationem, quæ exordio, narratione, confutatione, approbatione, & ſuis periodis ac membris conſtat, quæ omnia ad inuentionem & diſpoſitionem pertinent, memoria conſutam & compoſitam dixerit. Sed eſto. hoc demus nobis, ut memoria anima & quaſi forma oratorię ſit. Ediſcat igitur curio & accenſus quiſpiam, id quod facile eſt, Demoſthenis orationem. Actutum orator euaſerit, quòd à forma ſcilicet fit rerum omnium nuncupatio. Et profecto tanti conſtabit oratorem eſſe, quanti orationem edidiciſſe. Quid ergo inquis Marce Tulli? qui oratorem illum tuũ, cuius uotum potiuſquã imaginem animo concepiſti, nec fuiſſe nec fortaſſe futurum unquam iudicaſti. En tibi quàm leui opera, quàm paucis lucubratiõibus, oratorem damus, & perfectum quidem illum, ſi eius fuerit abſoluta conſummataq; memoria. Et ea quidem quæ hactenus diximus, non adeò neceſſariã oratori memoriã oſtenderunt, in poſtremisq; habẽdam potius declararunt. Ego uero illud ſuperpõdij uice addã: magnos philoſophos nõ modo oratori, ſed cũctis mortalibus nihil memoria incõmodius aut pernitioſius datum exiſtimaſſe. Quom enim hæc ſit imaginationis ſacrariũ & conceptaculum: ſimulac ingenij noſtri uis ſeſe euehit, atq; ad diuina abdicataq; à corporibus promouet, hæc raptim obcurrens iter intercipit, & quaſdã quodammodo moles obijcit, & tam bonos conatus intempeſtiuo congreſſu interpellat: huius itaq; iniuria factum arbitrãtur, ut intellectus humanus deum, quæq; deo finitima ſunt, minus aſſequatur. His adde, quòd qui tantum memoriæ tribuũt, anguſtis nimirum carceribus oratorem includunt: uidenturq; uirum tanta rerum & doctrinarum ſupellectile illuſtrem, breui admodum area eaq; amplitudine indigna circunſcribere: putantq; illum huic uni ætati ſe oſtentare, qui iam omnia ſecula animi magnitudine complectitur, plenoq; iam paſſu ad æternitatem feſtinat. Id quod olim in Fortunæ tẽplo ex tabella mihi æditimus ſignificauit. Quom enim ego inter reliqua uotorum teſtimonia in pagella quadam animaduertiſſem Mercurium trahentem bene magnam grauiſsimorum hominũ cohortem: quos tu ex habitu facile ſenatores agnouiſſes: eosq; cuidam dearũ maximæ ac reginæ cõmendantem, quos illa prætento digito ad proximã deam reijciebat, & ut eam adirent admonebat: quomq; totus huic rei uacarem, accedens æditimus opportune rem totam declarauit. In hac tabella, inquit, hoſpes uotum oratorum uides, qui ſe optant conciliante Mercurio ab immortalitate in comitatum & familiam recipi. Ea autem immortalitas eſt, quæ regio ornatu inſignis in ſolio aſsidet. At hæc non prius admiſſura eſt, quàm illi ſe poſteritati approbauerint. Hæc enim una fores, quæ ad immortalitatem ducunt, tuetur: & familię rationarium habet. Illa uero, inquit, poſteritas eſt, cuius oc

ciput tãtum uides: frontem uero mortali nemini uidere unquam licuit.

huic itaq; ante omnia rite ac ſolenniter litandum eſt, ut uotum aſſequantur. litant autem illi bonis precationibus, ſepia & papyro.

CAELII CALCAGNINI, DIALOGVS

GALATEA. MELENE. PROTEVS. AD HERculem Eſtenſem ſecundum, ducem Ferrariæ IIII.

V uero quid in littore Galatea? Gal. Approbabam me undis Melæne: comasq; quaſi ad ſpeculum conforma bam. Mel. Vt quaſi conſpicuo amatori tuo Polyphe/mo placere poſſes: eum enim in te dudum ſuſpirantem ani T maduerti. Gal. Ceu uero ſolus Polyphemus mihi ſit amator: neq; omni pelagi parte mihi natent amatores: At tu quam obſecro è Nereidum cœtu pluriũ uota exercere intelligis? cuius ad fores audis frequentius excubari, cu/ius formam pluribus elogijs cõmendari? num tu Tritonis heſternam cantilenam audiſti?

Candida Leucothoe placet, & placet atra Melęne,
Sed Galatea placet longe magis omnibus una.

Mel. At pereat malus ille Triton Nympharum omniũ illuſor. Quas enim in te lau des cõgeſſerit, mox eodem cumulo in aliam regeret. Memini enim paucis ante die/bus eum ita ad fores meas cantillantem:

Vos quæ candore alliſos ad littora fluctus
Vincitis ite procul, mihi ſit formoſa Melęne,
Nigra oculos, illi nigris amor incubat alis,
Illam cyaneo Cytherea obnubit amictu.

Et quaſi ſui oblitus mox aliam prætulit, aliam prælaturus, quæ primum occaſio arri ſerit. Gal. At ego ex re magis quàm è Tritonis cantilena pendeo. Nunquam e/nim ita inſaniam, ut amatoribus, qui dum uotũ expleant, nihil inauſum, nihil inten/tatum prætermittunt, fidem habeam. Sed amabo quis in dubium uocet, an Galatea Melęnæ præferenda ſit: id eſt an lacteus candor loliginis nigriciem uincat. Mel. Caueſis Galatea hæc dixeris. nam ſi uera fateri uolumus, inerti iſto & parum feſtiuo cãdore tuo inſulſius omnino & ingratius nihil: & per Nereum hos oculos abſoluta nigredine conſpicuos cum omni tuo candore non cõmutarim. Gal. Planè non cõmutaris, quom neminem qui cum cõmutare poſsis inuenias. Verum ego & ocu/los, & quicquid eſt in me minus admirabile, ſpectatiſsimæ cuiq; parti tui decoris (ſi quis eſt tamen in te decor) longe longe inquã præferendum puto. Mel. Tu qui/dem putas, ſed negant cæteri. & ſi me uerbis tantum & non omnium iudicio niti exiſtimas, en tibi opportune Proteum Neptunios greges agentem, hunc iudicẽ con tentionis aſciſcamus. Integer enim enim eſt & magni iudicij ſenex. & ne de tota for ma (hoc enim prolixum nimis, & nimis inuidioſum fuerit) de oculis tantum fiat di/ſceptator: & albos atrósne ſuo calculo honeſtet audiamus. Gal. Per Tethym Proteum iudicẽ non recuſo. Tanta eſt enim formæ fiducia, ut uel inimico iudice me putem poſſe cauſam obtinere. Nec profecto rumor deterret, qui te Mileſij uelleris captã cupidine in ſpurcos & uliginoſos ſenis amplexus deſcẽdiſſe uulgauit. Prot. Salue Nympharum par gratiſsima diſparitate compar. Mel. Et tu ſalue conſul/tiſsime Proteu, teipſum expetebamus. Prot. Tam bellis puellis nõ uideo quo/modo ſenex expetendus. Gal. Atqui contentioni modo obortæ inter nos te di/ſceptatorem fecimus. Prot. Non tutum inter tam formoſulas iudicare. Mel. Nos uero te elegantem formarum ſpectatorem nouimus. Quare id abs te precibus flagitamus, ne indicare pigeat nigris ne candidos, an candidis nigros, oculos præſta re ducas. Prot. Non ſanè hoc temere pronuntiandum, ni utriuſq; rationes pri/us excutiam. Quare tu dic prior Galatea, & tuæ ſententiæ præſidia expedi. Nam e/go interea dum greges paſcuntur, murici huic adnitar. Gal. Quid uero à me di cendum in re tam perſpicua? niſi quod omnibus perſpectum eſt: colorem candidum

& diui

& diuinum esse, & ad hilaritatem inuentũ, & liberalitati simillimũ: utpote quo uisus diducat, atq; in partes dissiliat. Hoc ab infelicibus felicia, à malis bona, ab inferis cælestia distinguuntur. Tum uero quid lux, nisi candor ex sole undecunq; se ad excutiendas tenebras & res illustrandas promens? Quare ego uitam candorem, mortem tenebras iure dixerim. Eat nunc Melæne, & (si Dis placet) ausit suos coruos nostris holoribus comparare. Mel. Ausim profecto & merito ausim, non coruos holoribus, sed meos hosce oculos, dulces, nigellos, blandulos, tuis infestiuis, albuginosis, retusis, quasi preciosos carchedonios sordidis sardis, non dicam comparare, sed longe præferre. Quod si parũ credis mihi, Mineruam, te puto longe sapientiorẽ, consule: quæ suos alioqui nõ omnino candidos, sed quod honestius est glaucos, mauult galea obtegere, quàm (quod tu facis) impudenter uenditare. & profecto, si uera scrutamur, nec unquam acrius fulgent sydera quàm quom est nox obscurissima. Tantum uero abest ut oculi in albo exhilarentur, ut multo magis laborent: quom in nigro uires roburq; colligãt. Quare si sapies posthac tua desines leucomata iactare, & nobis nostras delicias exprobrare. Prot.

At uos ô nymphæ, nymphæ Oceanitides ambæ,
Ne tantos agedum inter uos excite tumultus.
Vtraq; digna suo, me iudice, honore manebit:
Par utriq; decus. tibi sint galatea ab Erythra
Lecta modo geminis, gemina ostrea prædita baccis.
At tibi sit spathale, & flauis clauata corallis
Pendeat ex humeris torques utrinq; Melęne.
Hæc uobis dat dona senex: det cætera Triton.

CAELII CALCAGNINI DIALOGVS

REX ALBANIÆ. ALEXANDER. PIORA.

ad Herculem secundum, ducem Ferrariæ IIII.

VID rides optime rex? Rex Alb. Modo hic à me percunctabatur: an uerum esset id quod à nescio quo Cælio, rhetorista puto, audiuerat apud superos, me aliquando ad te dono dedisse canes duos, qui leones prosternerent.

Q. At ego id ingenue ita fuisse affirmabã: quod & tu regum maxime ut reor, optime meministi. Al. Quid ni factũ meminerim? quom nullo magis spectaculo unquam oblectatus sim: nec mihi molestum æquè quicquã fuerit, quàm tantæ ignarum præstantiæ priorem illum quem miseras afflixisse. Sed quid ex hoc tantum risus? Rex Alb. Vide hominis peruicaciam, negabat iste factum aut fieri unquam potuisse. Al. Heus bone iuuenis quis tu? Pi. Alexander Piora. Al. Quid apud superos profitebare? Pi. Ego magister triclinij, & præfectus curiæ magni uiri Hippolyti Cardinalis, & eius sapientiæ alumnus, facile didici quæ uera quæue falsa distinguere. Al. Sat mihi conditionem tuam declarasti. I bonis manibus. Pi. Ne me aspernere summe rex, nec detrectes Alexandrum cum Alexandro uerba facere. alioqui scito cardineam dignitatem regiæ comparari: quare me regibus assuetum conuersari noueris: nec regẽ Pannoniæ recusasse nuper quin eius mensę assisterem. Al. Ego cũ artificibus de arte sua libenter consueui disceptare: quare quom de administratione curiæ loquendum erit, te accersam. nunc de canibus quod tam audacter loquaris te audiendũ nõ puto.

Pi. Immo

Pi. Immo maxime audiendum putes, quom dominus meus multo plures canes quàm seruos aleret: omniaq; seminia diligenter explorauerit: nec genus neq; conditio ulla sit canitij in uniuersa Europa, cuius ille non habeat sobolem: nec minus recte de canibus quàm canarij ipsi rationẽ reddere possit: At ille ueris simis certissimisq; rationibus probat: canes nũquam ad te missos, neq; mitti potuisse, qui leonem prosternerẽt. Eius ego autoritate nixus audeo affirmare, quę de illis canibus referũtur, omnino conficta esse. Al. Age bone iuuenis, quoniam plus rationibus quàm oculis nostris credis qui corã rem ita agi uidimus: in medium hasce rationes affer. Audiendus est iste rex Albane, dum rationibus cõtendit: fortè enim alter Pericles emersit: qui tanta præstitit eloquentia, ut quom aliquãdo cum Archidamo luctaretur, ab eoq; fuisset prostratus: mox tamen se uictum aut prostratũ negauerit: & oratione sua effecerit, ut qui uiderant non uidissent: & præstigiatorum more, ita omnibus nebulas offuderit, ut plus orationi eius quàm oculis crederent suis, & oratione uicti quæ uiderent negarent se uidisse. Dic age. Pi. Nónne clarissimi reges fatemini multo leonem cane armatiorem esse: utpote qui dentes & ungues acerrimos habeat, quom canis tantũ dentibus polleat? Rex Alb. Fatemur. Pi. Nónne etiã fortiorem? Al. Minime. Pi. Qui potes? Al. Nec enim arma fortitudinẽ afferunt. Alioqui ceruus esset animalium præstantissimus, quem tam uastis armis natura locupletauit. Pi. Quid ergo fortitudinẽ affert? Al. Duo, animus & manus. Quæ duo Homerus illo nunquam satis laudato carmine complexus est:

Ille bonus pugnator erat, dux optimus idem.

Quom animum dico, audentiam prudentia mistam intelligo: quom manum, uim & agilitatẽ corporis significo. Pi. Atqui leo utroq; cani longe præstat. Al. Alicui fortè, sed nõ omni cani. Nam Albanus ille multo ingenio audaciaq; leonem, multo etiam ui ac celeritate corporis & dentium impressione superabat, quibus & illum non difficulter allisit. Pi. Hoc uero minime puto. Al. Quare? quæ ratio te mouet, ut hoc non credas, quod nos ipsi uidimus, & populorum testimonio factum probatur? Pi. Dicam. quia natura certos cuiq; fines animaliũ, quod ad uires attinet, præscripsit: ut quom ad eam prę stantiã peruenerint, non excedant. Al. Hoc negamus. Quod si etiam fatendum foret, nemo tamen est adeò naturæ consiliarius qui eum modulum ei præscribat. quis enim est qui possit ostendere, quantum se hominis uires extendant: quom ego in exercitu meo aliquot habuerim milites, qui inermes armatos una manu deuincerent: alij mulos suos cum sarcinis, alij onusta esseda perferrent: alij saxa compacta turribus manu euellerent: columnas marmoreas subiectas ædificijs deijcerent: alij uolantes aues figerent: alij oculis nõ conuiuerent ad ictus: alijs malum tenẽtibus nemo digitũ corrigeret: & ut ludicra etiã persequar, nonnulli in acum cicer figerẽt: quibus & modium ciceris donari iussi, matæotechniam admiratus. Quid uero, nónne Milo Crotoniates uiuum taurum per olympia deuehebat? & ingentes arbores suis manibus diducebat: dissecabatq; sine securi aut cuiuspiam adiumento. Quin etiam ex militibus meis quidam catapultæ ictum intrepidus expectabat, & perferebat. Pi. Verum nondum tu mihi persuades. Nam ego mecum imaginor, terribilem illum leonem à cane prouocatum, tum maxime cauda terga percussisse atq; in iram exarsisse, saltuq; & dexteritate quadã incredibili aduersarium inuasisse. Et quanto canis ille acrior, ferociorq; fuit: præscribo enim mihi fortissimũ omnino acerrimumq; quoi alter conferri non possit: sed tamen longe magis leonẽ ad eum expugnandũ uires omnes intendisse: & sicut fulmina leuia quæq; pertranseunt, robustissima uero perrumpunt: ita in eum maiore ui dentes unguesq; intendisse, iniecisse, & reluctantẽ licet & morsi cantẽ attriuisse. Quid enim per deos aduersus leonem canis polleat? Certè id non modo supra fidem, sed omni pudore caret mendacium. Al. Falleris bone iuuenis, & te tua illa animi inductio in sinistrum trahit. Tu enim tecum cogitas leonem multo cane fortiorem: quom ex aduerso canem leone multo non solum fortiorem, sed uastiorem corpore, perniciorem saltu, uiribus præstantiorem, morsu firmiorem, circunspectione cautiorẽ, animo audaciorem cogitare debeamus: quæ omnia sanè in eo cane fuerunt, cuius nos periculum fe-

lum fecimus. Immo eum tanto leonibus præstitisse audemus affirmare, quãto leones cæteris canibus præstare solent. Quom enim semel concedis naturã neq; effœtam esse, neq; in uno gradu subsidere: sed sicut caloris & frigoris, ita uiriũ in uno quoq; genere ad supremũ usq; intentionẽ facere posse: tibi etiã naturali iure fatendũ est, tantis uiribus canẽ excellere posse, ut non modo suũ genus, sed leonum etiã & elephantorũ excedat: præsertim quom ingenio longe præstare caninũ genus intelligat. Pi. Hoc est prorsus quod rationi meæ astipulatur. nam si inter canes, qui ex consuetudine multo leonibus imbecilliores sunt, aliquis tam fortis ac præstans inueniri possit, qui leonem superet: hoc multo mihi facilius dare debes, aliquem leonem tam præstantem inueniri posse, qui eum ipsum canem expugnet. Al. Bene est. recte inquis. Aliquis sanè, ut & nos fatemur, rari cuiuspiam generis leo à natura procreari potuit, qui canem expugnasset. Sed nobis in id genus tam rarum incidere minime datum est, quod canem opprimeret: sicut perrarum illum canẽ agnoscere licuit, qui leonem non dico summis, sed certè consuetis & cognitis uiribus prostrauerit. Pi. Multa licet uestra sit autoritas, multumq; persuasibilia afferatis, ego tamẽ pristina illa domini mei opinione imbutus nunquã fidem adhibebo. Al. Hui, hæc peruicacia est, nec testimonio oculorũ, neq; rationibus, neq; ueritati manus dare: præsertim quom mẽdacio nulla proposita sit utilitas. Pi. Difficile est cuiq; ex animo id eruere, quod experiẽtia oculisq; persæpe compertum habet. ego enim dominum meum comitatus Florentiã, Romã, plurimasq; ad regiones, magnos ac nobilissimos leones tum in cauea, tum in arena uidi concertantes: uidi rursus & robustissimos canes etiam supra omnes præstantissimos, quibus neq; præponi neq; conferri quisquam poterat. Qui tamen leonẽ, non dicam uincere, sed cum eo diu concertare possit, nondum uidi quenquam. Al. Hinc uero erroris & turpissimę huius persuasionis seminarium; ea quæ tu ipse nunquam uideris, quasi falsa pernegare. Ceu uero tu adeò recentis adhuc ætatis, qui paucissimas regiones peruagatus sis, omnia nota & compertissima habeas. Tu enim quinquaginta aut centum ad summum leones uidisti, quom nos decies mille & amplius, nõ habuerimus solũ, sed aluerimus, quom omnẽ Europã & Asiam imperio nostro subiecerimus, quom Africa dicto paruerit, quom Hircanos, Indos, Aethiopas, Iberos, Armenos, Græcos, Italos, Thracas, Scythas, Germanos, Celtas, Bithynos, cæterasq; fermè omnes nationes obsequentes habuerimus, uenatoresq; & aucupes ac piscatores in totum orbem terrarum dimiserimus, qui nobis feras, pisces, aues undiq; colligerent: quarum deinde mores, naturam, conditionẽ magnus ille & planè naturæ miraculum Aristoteles spectaret, perspectamq; posteritati traderet. Quare qui sibi magis, quàm autoritati nostræ credit, opus est ut se maiorẽ opulentioremq; Alexandro, prudentiorẽ uero Aristotele existimet. Pi. Durum tamen credere quod tu nunquã uideris. Al. Durum quidem ijs qui plus nimio sibi tribuunt: facile autem si quis mundi amplitudinem & magnitudinem naturæ contempletur. Neq; uero tu credideris id canum genus si proletarium & uulgatum fuisset: à magno rege ad regem uictorem & rerum dominum mittẽdum fuisse: ceu nobis canes defuissent optimi cuiusq; generis: sed illi mittendi fuerũt, qui prorsus carerent exemplo: & de quibus non pertinaciter, sed non sine admiratione posteritas loqueretur. Quòd si ad me non fuissent missi, eosq; coràm non fuissem periclitatus: potui ego etiam de tanta præstantia & raritate dubitare. Sed ita est ut Solon dicebat: senescẽtes quotidie discimus. Quare ego Anaxagoram, Aristotelem, cæterosq; philosophos libens audiebam: ut scilicet magnitudinem naturę intelligens nihil admirarer. Legebam etiam autores ueteres ac probatos, ut quod ætate uidere non dabatur, id lectione cognoscerem, & quotidie prudentior euaderem. Et imprimis Homerum semper habebam in manibus, qui planè omniũ fuit sapientissimus. Ita enim faciens minime uerebar, ne Aegyptij me semper iuuenem appellarent: qui res tantũ ætate mea gestas cognoscerem, & paucorũ annorum gesta meminissem. Pi. Tu quidem nonnihil dicere uideris: sed tamen facile credere ijs, quę ab hominũ opinione aliena sunt: præsertim quom nulla ratio subsit, quę rẽ credibilem faciat: parũ abest à leui-

à leuitatis nota. Al. Recte ais si quis se facile credulum præstet. Duo nanq; sunt Epicharmi pręcepta, alterum ut sobrie uiuas, alterũ ne temere fidem habeas. Sed uelut leuitatis uitiũ est promiscue omnia credere: ita nihil credere quom digni fide testes accedant, non potest non esse obstinati & sibi nimium tribuentis. Quare modice omnia facienda sunt. sed tamen nihil est tam amplum, nihil tam admirabile & à consuetudine remotum, quod à natura fieri posse non debeamus ęstimare. Neq; admirabile id putari debet, quod causa careat: sed quòd eius causa delitescat & mortalibus parum sit intellecta. Nam quis priusquam uideret credidisset, leonem iniecto capiti sago statim torpescere, aut uisis facibus consternari, uel audito gallo aufugere. Hæc sanè mira, quoniã eorum causa adhuc est in disquisitiõe. Sed nemo admiratur, quoniam iam uulgata & protrita sunt. At si quis harum rerũ ignarus nunc prodeat, uelitq; causas obstinatissime inficiari, & ab omnibus exibilabitur, & persuasionis crimine condemnabitur. Pi. Prudenter omnia, sed adhuc unum supereſt, quod audire maxime expeto. Al. Quid illud? Pi. Obsecro te imperatorum celeberrime, per tui magnitudinem imperij, ne pigeat certaminis illius inter canem & leonem gesti mihi seriem spectaculumq; enarrare: ut si quando aliquis ad superos ascenderit, id possim abs te præsertim tantæ autoritatis rege expositum per litteras domino meo significare: ne quotidianas contentiones frustra exerceat, neúe clarissimos autores & fidissimum seruulum suum conuitijs & illusionibus immerito persequatur: neúe sycophantę, qui ipsi adulantur, ex ea re ludos quotidie faciant. Al. Dicam tibi, & quidem paucis. Quom primum canis in amphitheatro leonẽ aspexit, totus pilis inhorruit, ingentesq; duos latratus emisit: ad quos leo subrectus cauda cœpit latera euerberare. Tum canis sine mora saltu in tergũ leonis sese iniecit: sed quom eodem tempore leo sese arrexisset, oraq; & ungues in eum obuertisset: canis qui prius erat in dextra, in sinistram desilijt, declinansq; ingenioſe aduersarium, se posteriora inuadere uelle simulauit: ad quæ tuenda quom leo se totum obtorsisset, rursus ille incredibili rapiditate finxit retrocedere & posteriorem partem inuadere. Tum leo quom in eandem partẽ auxilium ferret, progrediens neruos posterioris ceruicis qui inter caput & iubas interpositi sunt atrocissimo morsu corripuit: leonemq; non admodum reluctantẽ, sed quasi illico procumbentẽ afflixit: ut non prius inde abscesserit, quàm illũ exanimarit. abscesit autẽ illæsus omnino ac sine uulnere. Pi. Addę & canis formam amabo, ne quid huic desit desiderio. Al. Eius statura ad leonem sesquitertia. Pilo cyaneo, id est subnigro. In armo posteriori macula una subrufa, cruribus uarris paulisper sed robustis. Vesco, id est neruoso magis corpore quàm pingui, magno capite & auribus arrectis, prominente rostro ac ualde dissecto: quod longi & sæui admodum dentes uallabant, pectore obeso ac procedente, tergo dupli ci, cauda breui potius quàm longa, uillis crasioribus hirsutus & quasi iubatus. Ventre nõ admodum carinato sed latiusculo, & posterius magis succincto, latratu admodum horrendo, glaucis oculis, nec multum sanguine suffusis. Pi. Ipsum mihi dedum pinxisti graphice, uideorq; ad inferos descendens, haud sanè à uestibulo procul, talem aspexisse cum Cerbero colluctantem. Al. Facile is esse potest.

Ego enim illum eo loco non uidi, utpote quem è uita
decedens superstitem reliquerim.

CAELII CALCAGNINI DE MENSIBVS DIALOGVS, IN GRATIAM ALfonsi Calcagnini incœptus.

ALFONSVS. CÆLIVS.

EM periucundã mihi feceris mi Patrue, si ea quæ superioribus diebus dũ in xysto spatia faceremus, mihi de mensiũ partibus enarrasti: ea nunc sedens in exhedra locupletius dixeris, atq; in mentem reuocaueris. Ea enim sunt quæ ni si repetita & sæpius inculcata haud facile retineãtur. C. Faciã id lubenter. Quid enim mihi suauius quàm tua studia locupletare & tuis honestissimis petitionibus inseruire: ut ætatula ista tua, dum meliores fructus nobis ex ea pollicemur, interim flosculos dignos tanta expectatione depromat. Cæterum, nisi memoria excidit, quom de mensium partibus uerba faceremus, quædam tibi proposui compendia: quæ si diligenter teneres, haud sanè difficulter reliquum iter pergeres. Al. Senariolos illos (puto) inquis, quibus propè illius enarrationis summa continebatur: quos ego nõ secus memini ac digitos & ungues meos. Putabam enim me non parum adeptum: cæteraq; multo futura leuiora, quæ tunc perdifficilia uidebantur, si hæc memoriæ affixissem: ut quasi iactis fundamentis, ut persæpe solent opifices, quom occasio arrisisset, reliqua moles superstrueretur. Ea quom nunc occasio aduenerit: teq; solutum offendam, quod aliàs uix unquam contingit: non sum mihi profecto defuturus. Cæl. Bene habet. uideo enim compendijs illis memoriæ inhærentibus multo laboris minus instare. Sed ut ad rem accedamus, cedo senariolos illos, quos memoriter retinere profiteris. Al.

Menses calendis sua principia ineunt:
Quintamq; lucem nonæ sibi uendicant:
Quintilis unus, october, Maius, Martius,
Se septimanis auctos esse clamitant.
Nonas & Idus octo dies dirimunt.

Cæl. Recte ac fideliter. sed postquam constanter hæc meministi, dic rogo, unde tibi primum ratio dubitandi oboritur: nec enim parum acri ingenio aut parum profecisse existimari solet, cui recte & honeste dubitandi ratio cõstat. Al. Dicam paucis. Iam mihi cognitum est tris in partes menses diuidi, quorum initia calendas uocari. Dies quintos in pleriscq; nonis occupari: quatuor menses excipe, qui septimanas, id est septimo die nonas habent. illud quoq; persuasum est mihi, inter nonas & Idus dies octo intercurrere. Hæc habeo propè explorata, sed illud dubiũ: quid causæ est, cur dies intercedentes non prorsus neq; recto ordine, sed præposteró ac retrogrado ad nonas, idus, calendasq; censeantur. Hæc enim numerorũ & quasi naturę peruersio non potest non animum grauiter permouere. Cæl. Atqui hæc nõ peruersio, sed recta ratio postulat, non temere sed à natura profecta. Totâ siquidem mensis obseruatio ex mutatione ac uario aspectu lunæ pendet. Sicut enim annus solstitialis nihil est, nisi solis ambitus in circulo obliquo, ad eosdem articulos, unde discessit: sic mensis, id est annus menstruus, nihil est nisi lunę circuitus ad eadem momenta in Zodiaco: quæ momenta cõmodius in signorum Dodecamorijs quàm in ipsis signis annotantur. Nam signa stato temporis spatio è loco decedunt: dodecamoria, id est duodecim signorum sedes ac spatia, nunquam non eodem permanent immutabilia. Quom igitur mensis obseruatio ex uicibus Lunę, quas etiam phases dicunt, deducatur: sintq; tres optimates Lunæ aspectus: quom crescit, quom minuit, quom sole plena est: ita tres in partes maiores nostri mensem diuidendum duxerunt. Et quo quidem tempore incrementum recipit, nonas: quo ad plenilunium properat, idus: quo uero iam uetustescit & ad interluniũ abit: calendas uocauere. Hæc ratio est non

modo

modo triplicis diuisionis, sed præposteræ etiam annumerationis. Dies enim quisq; quo incremẽto, id est nonis, aut plenilunio, id est idibus, aut interlunio, id est calẽdis proximior est, eo distat minore dierũ numero: quo uero abest longius, hoc pluribus diebus recedit. Quàm enim foret absurdum si diem proximum seu pridianum nonis idibus calendis, aut quintum nonas, aut octauum idus & XVIII. calendas dicere-mus: quom tres illi dies nonarum, iduum, calendarum in mensibus fixi sint, ad eosq; cæteri dirigantur: & qui longius abstiterunt, iure etiam maiorum dierũ numero cen seantur. Iure itaq; in mensibus qui nonas habent quintanas: diem qui calendas se-quitur: non secundum aut pridie nonas sed quintum nonas dicimus: quòd quinq; absit diebus à nonis. Huius rei testimonium illud tibi dare potest, quod nonarum, iduum, calendarum dies ipse pro primo accipitur: præcedens, id est ab eo proximus qui pridianus uel pridie nonas Idus calendas uocatur, pro secundo accipi solet: tum demum ad tertium quartum & deinceps nonas idus calendas progredimur. Habẽt enim uim præpositionis postulantis accusatiuum numerariæ illæ uoces: licet non ra ro Cicero efferat per patriũ casum. ut tertio nonarum, iduum, calendarum. Sunt & qui non absurde ante præpositionem subintelligant: ut quom dixeris tertio nonas, interpreteris tertio die ante nonas. Et hæc quidem ratio peraccommoda est: sed ad hanc accedit imitatio Græcorum: à quibus nõ solum præclaras cõmentationes, sed absurdas nonnunquam sumus mutuati. Eorum, fateor, ratio à latinorum plerunq; ra tione dissidet: habet tamen hac parte, quod cum latinorum ratione conuenire facile iudices. Et quo hãc quoq; lucrifacias, & quasi auctarium, superuacaneũ fortasse, ad rem de qua agitur, sed summę tamen utilitatis percipias, eam totam sub compendio tibi enarrabo: quom prẹsertim apud nostrates non uideã qui eam explicauerit. Nam solus Macrobius eam summis labris attigit, alioqui in cæteris immodice profusus: ut mihi faciat suspicionem uel eam ignorasse, uel latinis auribus inuidisse. Al. De-bebo tibi plurimũ patrue mi hoc uel auctarium uoces uel honestam accessionẽ: uel ut ego mihi olfacere uideor, partẽ ita annexam & cohærentẽ, ut sine piaculo disiun gi aut prætermitti non possit. Cæl. Hoc igitur lubentius faciã, quo me tuo desi-derio gratius facturũ intelligo. Paucis igitur accipe, Græcos ita mensem fuisse par-titos, ut in partes tris diducatur: earũ partium quẹlibet denos dies complectat. ex ijs partibus quę prima est ἱσταμένου, id est cõstantis sibi mẽsis dicit, quom scilicet luna πρὸς ἥλιον est, & in dies magis ac magis adolescit obuersis in ortũ cornibus à sole absce dens: ob id & principem mensis diem, quom primũ luna sese oculis offert, νουμηνίαν id est nouilunium uocauerunt: id omne tempus si ad obseruationẽ latinorum reuo-ces, non absurde fortasse nonis accõmodaueris: ex quo ego etiã nonas appellatas su spicari possum. Altera pars à dierũ numero nomen accepit denariũ excedente. Nu-meralibus eñ uocibus perpetuũ est ut addas ἀπὸ δέκα, id est supra decem. Exempli causa, μία ἀπὸ δέκα, δύο ἀπὸ δέκα, τρεῖς ἀπὸ δέκα, atq; ita deinceps recto ordine: sicut & recto itẽ ordine superiorẽ ad partẽ numerãt ordinarijs numeris adiunctis, πρώτη ἱστα-μένου, δευτέρα ἱσταμένου, τρίτη ἱσταμένου, ex qua numerationis specie latini nihil hauserũt, neq; habẽt quod in exẽplum uocent. Hoc omne tẽpus si ad maiorũ nostrorũ normã exigas, nõ iniuria fortasse idibus cõparaueris: luna sua absolute nacta incremẽta, iã plena, iam ad terras tota facie obuersa. Ex quo idus ueteres, mea quidẽ sententia, ap pellauerũt: ἀπὸ τοῦ ἴδειν. q; tum nox perspicua sit & luna pernox, in solis æmulationẽ effundens radios, & noctem diei continuans. Hæc uero dierum classis desinebat εἰς μεγάλην τὴν ἑνάδα: celso enim hoc epitheto diem uigesimam cõdecorabant Græ ci: uel quòd bis denarium summa numerorũ absolutum amplecteretur: uel quòd ad eam usq; diem mensis suũ decus tueretur: uel quòd eam diem sectatores Epicuri ma gna religione uenerarentur, qua magistrum natalem habuisse constabat. Ex quo e-tiam ἑνάδιστὰι sunt appellati, quasi tu uigesimarios dixeris. Fuisse autem magnam epicureorum existimationem, ueterum plerique nobis testatum reliquerunt. Tertiam mensis partem, hoc est postremam, Græci μηνὸς τὸ φθίνοντος, id est mensis deficien tis exolescentisq; uocauerunt: quom luna sua patitur detrimenta, nec iam procul est quin subeat solem & in fratris mancipium concedat: ob id omnia quæ à luna uigorẽ

ſuſcipiunt, ſquallida, ieiuna inaniaq; periti obſeruauerunt tam in terra quàm in mari. à quo delectu atq; deliquio nuncupatio impoſita eſt: qunadoquidem meta, ad quam curſu properat, id eſt ſolis coniunctio magis habetur in æſtimatione quàm lunæ pereuntis meatus. Hinc ſcilicet factum eſt, ut non iam prorſus & recta fiat numeratio, ſed retrouerſa ac præpoſtera. Nam quæ à uigeſima die prima eſt, ea δεκάτη φθίνοντος, ἐνάτη φθίνοντος, ὀγδόη φθίνοντος, atq; ita deinceps ordine interuerſo, donec ad poſtremã aſcẽdamus: quę quoniã incidit in interluniũ, iccirco ἕνη καὶ νέα dicitur, ceu tu ueterẽ nouã appellaueris. nam quom luna ſola radijs obruta ſileat, partim ex ſuperiore menſe, partim ex imminente participare creditur. Hoc omne dierum interſtitiũ ſi ad formã latinæ conſuetudinis referas: illi ſimillimũ deprehendes, quod eſt ab idibus ad Calendas. Audiſti puto ac percepiſti unde latinorum ratio illa ab occipite non à fronte numerandi aut ſeminarium aut imitationẽ inuenerit: ut quorum id factum ſit, iam non ſit locus admirationi. Al. Etſi rationes quas ſuperius attuliſti, multo apud me plus polleant: tamen & Græcorum obſeruationes ac mihi prius ignotas percepiſſe, & noſtros maiores in hoc genere cum Græcis belle conueniſſe, periucundũ fuit audire: tibiq; hoc nomine multam gratiã habeo. Cæl. Ex ijs quæ diximus illud quoq; lucellum adſequi potes, ut Homeri uerſiculum notum quidem illum latinis, ſed parum intellectum iam planè teneas, ex Odyſſea, quom Vlyſſes Vlyſſem aduenturũ auguratur, τῷ μὲν φθίνοντος, τῷ δ' ἱσταμένοιο, aut in calce præſentis, aut in principio futuri menſis. ἱσταμένοιο autem pro ἱσταμένου dixit more Ionico. Ariſtophanis item loca quædam, apud quem auari ſenes queruntur ἕνην καὶ νέαν, id eſt menſis finẽ aduentare: quo tempore menſtruæ uſuræ, quas noſtri centeſimas uocant, erant perſoluẽdæ. Nec me præterit Sudam & alios quoſdã interpretes ἕνην καὶ νέαν & νεομηνίαν eadem exiſtimaſſe: ſed qui diuerſa dixerunt, ij mihi uidentur uero propiora tradidiſſe. νεομηνία quippe primo apparente luna uocitatur: ἕνη autem καὶ νέα, quom in eadem longitudine ac latitudine eſt cum ſole. Neq; enim facile dixeris an uetus an noua dici mereat, in utriusq; tẽporis collimitio poſita. Al. Sed quid eſt quod Græci (id quod mihi multa ratione factum uidetur) menſium principia ab ineunte luna tam religioſe auſpicantur? Noſtri minus accurate cælum reſpiciunt, & ſuas calendas tam uagas atq; incertas reliquerunt: ut nihil relictum ſit præter dierum numerũ, quod de ijs liceat cuiq; affirmare. Cæl. Non tibi mi nepotule parum uideatur, quòd res ad numerum ueniat. Hominis enim naturæ ad facilitatem numero magis conſentaneum nihil: ob id ueteres quæ deprompta erant ac parata, ea numero cõſtare aſſeruerunt. Nam quom multis ferarum, elephanto puta qui nouam lunã ſalutat & ſe uiua aqua perfundit, aut orygi qui exorientem ſirium adorat, aut cynocephalo qui ſub æquinoctio dicitur ſolis umbras dimetiri, alijsue brutorum quæ longum eſſet perſequi, ſit aliqua cæli cognitio naturæ indulgentia conceſſa: nullum eſt profecto quod numeri notionem præter hominem ſit aſſecutum: & ob id ſolum hominẽ bene ſapere prudentiſsime exiſtimauerunt. Proinde quom dixeris rationem calendarum numero reſpondere, ne puta rem tenuem ac exiguam te dixiſſe. Sed & Romani qui ciuiles menſes ex utilitate uitæ magis quàm ex præſcripto aſtronomiæ inſtituerunt: non lunæ tantum habendam rationẽ putauerunt, ſed & ſolis qui dodecamorion unum ſingulo menſe percurrit: cuius curſum in effingendo & coordinando anno imprimis obſeruandum duxerunt. Nam ut luna XII. ſuis anfractibus ſolis ambitum quotannis æquet: & cuiuſq; dodecamorij peregrinationi pari paſſu reſpondeat, negat rerum ratio & naturæ maieſtas: quicq; hæc conati ſunt demonſtrare, belle ſibi illuſerunt. Deprehenſum quidem eſt à peritis ſingulis annis undeuiginti, lunæ ſoliſq; meatus exæquari, ita ut ad articulos propè conueniant: ex quo numerus ille qui uulgo aureus dicitur, apud hoſce obſeruatores magnũ nomen inuenit. Sed hic reſponſus in ſumma non eſt, in partibus annotari potuit: tanta ſcilicet eſt utriuſq; ſideris in cæli peragratione diſcrepantia: quod ex eo intelligi facile poteſt. Nam quod eorum alterũ mẽſtruo ſpatio, id eſt diebus XXXVIII & triente, perficit: uix alterum uertente anno, id eſt ſexies altero tanto peruagari poteſt aſsidua rotatione, utpote nulli unquam labori obnoxium: ex quo eum Homerus

ἀκάμαντα

ἀκάμαντα nuncupauit. Ad hæc accedit, quòd immensa difficultas & propè inexhausta est, seruare è cœlo, quæ Græci appellant τὰ φαινόμενα, id est apparētia. & cætera quidem astra quom heliacum ortum faciunt: id est, à solis radijs, quibus prius tegebantur, abscedunt: uel ex VII partibus apparere incipiunt: quom luna interdum bi duo sub sole remoretur, & uix tandē ex XIIII partibus emergat. Neq; enim tantū in ipsis nodis, seu articulis (ἀπόγαιον καὶ ἐπίγαιον Græci uocāt: imperito uerbo recētiores caudā & caput draconis appellāt, sic ecliptícę sectiōes intelligētes) interlunia coitusúe fieri solent: sed quom primum luna tam propè accesit in eadem linea, ut solis radios sentiat: lumenq; eò regerat, unde accepit. In eadem autē à me linea dictum est, quòd luna ad morē solis minime moueatur eandem nunquam lineam excedens in latitudine præsertim. neq; enim defuerunt qui in profunditate moueri asseueraue rint. At luna, quæ ab ecliptica sex utrinq; partibus euagatur, nunc in austrum deiecta, nunc in medium subnixa cælum, nunc in septentriones & nostro imminens uertici conspicitur, uix unquam paucis noctibus eodem loco cōspicua. Quom ergo (ut ad propositum redeam) pauci eam à biduo quo latuit, exorientem cernant: quanto pauciores eam cōspecturi sunt, si ante biduum se terris cœperit ostentare. Profecto de Lynceo hinc nata est fabula: qui tam obscuram, ne dicam subluſtrem, tam exilem ac propè nullam queat lunam suspicere. Quare Plinius quom rationem siderū duobus locis latine & exacte, quantum poterat illa ætas, tradidisset: agrestesq; homines admonuisset, ut solem lunam & quædam priuatim astra obseruarent: quo solstitia, æquinoctia, & sementum cæterarūq; actionum agrestium & totius rei uillaticę tempora animaduerterent: tum rei difficultatē pertesus & facile intelligens homini occupato non esse pronum cæli motus & astrorum aspectus occultationés ue deprehendere: exerta quasi uoce inclamat: Cur cælū intueris agricola? cur sidera quæris rustice? iam te breuiore somno fessum premunt noctes. Ecce tibi inter herbas tuas spargo peculiares stellas, easq; uespere & ab opere disiungēti ostēdo. Ac ne possis prætexere, miraculo sollicito. Vidés ne ut fulgor igni similis alarū cōpressu tegatur, secumq; lucem habeat & noctem? Dedi ecce tibi herbas horarū indices: ut ne sic quidem oculos tuos à terra reuoces. Heliotropium ac lupinum circumaguntur cum sole. Cur etiam nunc altius suspectas, ipsumq; cælum scrutaris? habes ante pedes tuos ecce Vergilias. Incertis hęc diebus proueniunt: durantq; fœdere si deris huiusce. Partumq; eas illius esse certum est. proinde quisquis æstiuos fructus ante illas seuerit, ipse frustrabitur sese. hoc interuallo & apicula procedens fabam florere indicat: fabaq; florescens eam euocat. Dabitur & aliud finiti frigoris indicium. Quom germinare uideris morum, iniuriam postea frigoris timere nolito. Et quæ deinceps in hanc sententiam sequunt. Al. Ni sum tibi grauis interpellator, priusquā ulterius progrediamur, amabo mi patrue duo quæ scrupū faciunt & cogitationē remorantur, mihi lubens expedi. Testimonio usus Homeri, solem ἀκάμαντα, id est indefessum uocitasti: cur ergo apud Vergilium Iopas ille canit errantē lunam, solisq; labores? sed alterum illud est grauioris operæ. Quom enim dixeris ciuiles menses ex solo dierum numero, non etiam ex cælesti obseruatione pendere: non uideo qui fieri possit, ut Græcorum aliarumq; gentium quæ in mensibus digerendis astrorum cæliq; prędidio utuntur, ratio cum Romana coordinatione conueniat. Illi siquidem ad præscriptū menses dirigūt: mundumq; & mundi anfractus habent in consilio: nos priuatim nostro iudicio fruimur, dierū dimensione contenti. Cæl. Multū interest Alfonse, an quis laboribus exerceat, an laboribus succumbat. Herculis ęrumnas omnes decantāt, & ex Dis nemo laboriosior celebrat. rursus tamē inuictus insuperabilisq; omniū consensu dicit: & qui in Herculem pæana scripserunt, nullo libentius titulo utunt. Quid de palma dixerim? Quæ quo magis onere prægrauatur, hoc fortius ac ualentius reluctatur: ut intelligas longe inter se diuersa esse, labores pati, & laboribus manus dare. Stoici exprobrant laborum sensum, & turpe existimant uel conqueri uel ingemiscere: utpote qui hominem ἀπάθη fieri uolebant, ἀναίδησίαν approbant. Eorum sententiā noua academia exsibilauit, humanos esse affectus affirmans, eosq; ab homine auelli posse pernegans: cōtra sinere se illis peruinci ac expugnari fœdum atq; detestabile.

Quãuis, si uera fateamur, neq; sol neq; luna neq; cętera corpora cælestia in defungẽdis suis muneribus labores ullos sentiunt: sed pacata, omnic̃q; labore abdicato, imperio summi opificis obsequuntur suasq; uices obeunt. Sic Plinius laborare lunam creditum ait ab hac mortalitate, sic Vergilius labores solis appellauit, ex opinione hominũ potius quàm ueritate id suadẽte. Sic Ouidius, ut poetam decet, loco quodam solis labores enumerat.

Ardua (inquit) prima uia est, & qua uix mane recentes
Enituntur equi, medio est altissima cælo.
Vnde mare & terras ipsi mihi sæpe uidere
Fit timor, & pauida trepidat formidine pectus.
Vltima prona uia est: & eget moderamine certo.
Tunc etiam quæ me subiectis excipit undis,
Ne ferar in præceps, Tethys solet ipsa uereri.
Adde quod assidua rapitur uertigine cælum,
Syderaq; alta trahit, celeriq; uolumine torquet.
Nitor in aduersum. nec me, qui cætera, uincit
Impetus: & rapido contrarius euehor orbi.

Quòd uero menses gentium ad scrupulum cum nostris mensibus non posse conuenire autumas, id tam uerum ac perspectum est, ut persæpe sim admiratus uiros doctissimos & frequenti lectione institutos mensem mensi ita comparasse quasi ad unguem inter se responderent: quom fieri nullo modo possit, ut quæ uarijs initijs auspicantur, uarijsq; terminis desinunt, ea in uniuersum conueniant & exæquentur. Nos numero sumus contenti, ut tu recte dixisti, quem cuiq; mensium olim indiximus: ut dierũ summa solis progressibus deniq; congruat: quæ supputando dies trecenos quinos & sexagenos cum quadrante demptis aliquot minutis amplectitur. Qui autem malũt annum ad lunæ rationẽ digerere, eumq; duodecim lunæ cursibus claudere, ij dies trecenos quaternos & quinquagenos enumerant cum triente, & momenta DCCCLXXXVI. quorum mille octuaginta horam conficiunt. Id quod facile intelligere potest, qui menstruis lunæ excursibus dies undetriginta, horas duodecim, momenta DCCXCIII. tribuit. In quo illud quoq; aditur incommodũ: quòd lunam alij ex uero motu, alij ex medio, alij ab exæquante speculantur: quæ res uaria admodum mensibus initia conciliat. Hebræi certè, qui sibi disciplinarum semina arrogant: quom ex medio motu eorum pendeat obseruatio, Neomenias suas frequenter tunc demũ pronuntiant, ac solenni ritu à maioribus tradito celebrant, quom iam luna cornibus prædita diu in cœlo se conspiciendã præbuit: quod in uirgine ac libra plerunq; euenisse periti prodiderunt. Quę res quantam caliginem rebus inuehat & quàm absurda sit: tu, uel me tacẽte, potes cognoscere. Neq; id mirum: nam quom solis cursus tam certus ac status sit, lunæ uero tam incertus atq; inconstans: nihil mirũ si uarij & inconstantes quoq; effectus contingant: ex quibus dissidia illa gentiũ oboriri necesse est. Huius rei testimoniũ tum aliunde, tum ex Plinio nostro mutuari potes: qui tantæ autor historiæ sibi ita diuersa loquitur, ut nonnulli ausi sint eo nomine eum falsi arguere, eumq; in iudicium uocare. Nam de apparitionibus lunæ agens libro secundo: Post interlunium, inquit, quom XIIII partibus à sole abscesserit, secunda demum nocte horæ unius dodrantis semuncias lucere testatur, id est tres unius horæ quartas & insuper horæ partem quartam & uigesimam: tantundem in posterum semper adijcientem usq; ad plenum orbem, tantundemq; detrahentẽ usq; ad diminutionem. Rursus libro XVIII. hac ipsa de re uerba faciens aliquot scrupulos adiecit, non iam dodrantis semũcias, sed dextantem sicilicum, id est quinq; unius horæ sextas & insuper horæ partem octauam & quadragesimã lucere professus: atq; ita multiplicatis horarũ portionibus, quantũ excrescens primis partibus noctis detraxerit, quod sub terris agat: tantundem nouissimis ex die adijciet super terrã. Quæ differentia constat tribus siciliçis, id est semuncia & semuncię dimidio. Quam diuersitatẽ uir doctissimus Hermolaus ita dirimere conatus est: ut adseruerit Plinium in secundo doctis ac peritis, in octauo decimo rusticis & colonis scripsisse: quæ defensio parũ

mihi

mihi uisa est idonea: quom non minus habeat prior difficultatis q̃ posterior, utpote quom utraq; de cælo pendeat, ijsdemq; rationibus nitatur. Sed uaria & inconstans autorum obseruatio in hanc suspicionem Plinium adduxit: quos secutus ille non hoc tãtum loco diuersa prodidit: qui autores si ad nostrã ætatem incolumes mansissent, facile possent Plinium à calumnia uendicare. Al. Memini te aliquando hac defensione usum apud clarissimũ uirum Nicolaum Leonicenum acerrimũ Plinianæ dignitatis oppugnatorem: quom ille animi gratia in xysto nostrorum uiridium deambularet: & de lunę terræq; magnitudine sermo incidisset: quo defendendi genere proritatus optimi senis animus, paulo durius quàm ferret eius consuetudo, respondit hac defensione tantum abesse ut Plinij crimen leuaretur, ut prægrauaretur magis: & abs te grauius eo patrocinio existimationẽ illius, quàm à se sua accusatione alli di. Quom enim ipse tum insciliæ, tum socordiæ reum ageret Plinium, quæ duo crimina hominis diligentia & assiduitate corrigi possunt: à te illud quod naturæ beneficentiæ debetur, & nulla reparari potest industria, Plinio iudicium adimi: ut quem diceres sine discrimine, sine rerum optione omnia in syluam aceruumq; suæ historię congessisse: more eorum artificũ qui carioſam & ætate tabescẽtem iuxta & solidam materiam operi admiscent: ut necesse sit non longo pòst tempore totam molem corrumpi, dum solidæ partes deterioris materiæ uitio labefactantur. Quom tamen uideamus bruta animalia & ratione carẽtia seligere solere quid naturæ sue aduersum, quid sit cõsentaneũ: quid esculentum, quid minime esui accõmodatum. Et prosecto ita est: cui enim sensus cõmunis, id est iudicium ablatum itur: is grauius periclitari solet, quàm qui multarum rerũ disciplinarumq; cognitione priuatur: utpote quom nihil possit cogitare distinctum ac digestum, nihil cum dispositione ordineq; coniunctum. Quæ duo si absint scriptori, ne scriptoris quidem nomẽ merері potest: tantum abest ut in eis monumentis diuinum quicquam inueniri possit: ut sapientissime scripsit Plato.

SVMMO PRINCIPI AC DOMINO MEO D. HIPPOlyto cardinali Estensi Cælius Calcagninus seruulus felicitatem.

OCRI epizephyrij quom Dis immortalibus statuissent uotum persoluere, & eorum agros magna uastitas desolasset, omnesq; uictimæ forẽt conclamatæ, cõmenti sunt ludicrũ prorsus ac ridiculum expiaminis genus. Nam cucumeribus qui forte aderant, suffigẽtes ligneos tibicines, ceu pedamenta quatuor, formantesq; in morem quadrupedis, eos boues nuncuparunt, & prosectorum instar in flammas porriecerunt: atq; ita Dis abunde litatum existimauerunt. Ego itidem amplissime princeps quom non inueniã qua ratione excellenti tuæ in me liberalitati uices reddam, ex qua & in posterum spes omnium rerum mearum facile pendet: offero tamen ex chartabula quædam bíduo Saturnalium excusa, quasi imaginarium meæ gratitudinis simulachrũ: ut si me minus munificum, certè non ingratissimum agnoscas. Bene uale princeps eminẽtissime, adiuratissimi seruuli tui memor Ferrariæ Calendis Ianuarij M D V.

AD EVNDEM ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM.

Sanè opus hoc fuerat paruum, nunc maxime princeps
Ingens auspicijs incipit esse tuis.
Sic sacra mox fiunt, superis quæcunq; dicamus.
Numinis & ratio principis una eadem est.

ARGVMENTVM.

Vita mortalium affectibus acta corporeis, Pythagoricis symbolis conscripta.

CAELII CALCAGNINI APOLOGVS CVI TITVLVS SOMATIA.

GLAVCO ET EVTHYPHRON.

NARRABAT mihi olim Becceſelínus uir multæ memorię, genere Phrygius, quí ſe tamẽ Arcadem mallet appellari, hiſtoriã profecto admirabilem ſed pleriſq; inauditam. Hanc ſe ab Ero Pamphylío, quí pro patria obtruncatus, duodecima die iam pyræ impoſitus uitæ reſtitutus eſt, iactabat accepiſſe. Hãc tibí quando ocium eſt Euthyphron, nec quicquã melius licet meminiſſe, quaſi per línguarum traduces poſteris narrandam commendabo. Eut. Neſcío quo malo fato eueníat, ut boni uiri líuoris uix unquã aculeos poſsint ſubterfugere. Quoties enim memoria repeto Becceſelínum uirum fuiſſe multi conſilíj multaq; prudentia inſignẽ, grauiter uero poetam quendam eum tanquam ſenío deſipientẽ accuſaſſe: & quaſi de eo adagium effinxiſſe, Becceſelínus inſanit. Sed tu perge ut receperas. Glau. Id agam lubens, ſed prius Palladem implorabo, cuius maiora quinquatría hodíe colímus, cuiusq; peplum coccineum ex arce ſuſpícimus: uelit nobis feliciter adeſſe totiusq; rei recordationẽ inſpirare: ne quid forte inſcíj per eius ſolennitatem mentíamur. Eut. Adſit ígitur Ioue nata, tibiq; dícendi mihi audiendí facultatem annuat. Glau. Aiebat Becceſelínus ſe olim fuiſſe in Pamphylía quom adhuc puer eſſet, & audiſſe eum quí prídie quàm illuc perueníret reuíxerat, mira illa & incredibília recenſentem de animarum deſcenſu, de duobus hiatibus, de iudicíbus inferorum. tum uero, quod me maxime terruit, de uiris illis aſpectu ígneis. Pingebat etiam nobis ſedens tanquam penícillo in cinere, neceſsitatis fuſum Adamantínum, eiusq; octo uertígia alternis nexibus inter ſe cõparia. tum ſírenes diſſonís concentíbus cõſonas. Interdũ ſurgens prophetã quendam nobis perſpícacem ualde & totum oculeum indicabat: aſsidentesq; huic tres aníciulas candidis ueſtibus ornatas, quas neceſsitatis fílias aſſerebat. Harum una ad mortales lethíferosq; anfractus díurnas animas aduocabat. Sed quíd innuís? Eut. Inieciſti ſcrupulum, quomodo díurnas animas appellaueris. Glau. Si æternarum rerum immortalitatem animaduerteris, facile intelliges diem eſſe, aut ſi quíd breuius eſt, quicquíd ætatis degimus: díurnasq; animas merito nũcupari, quæ hoc terreo carcere concludantur: quaſi die uno, & eo quídem nocturno. Sed mírum erat quo deſiderío accítas dicebat accurrere, & quaſi ex ciſtula ſibí uítas adoptare. mox Amelitã bíbere & Letheum campum aſphodelis undiq; conſitum pererrare. Mox nonnullas grandí quadam fœmina duce, cui inconniuentes oculí etiam à tergo, non ſine ui actonitru ceu ſplendicãtia ſydera ad nos emicuiſſe. Nos uero imprímis oblectauit ſpectaculũ, quod aíebat ille ſe aduertiſſe nõ ſine pluríma uoluptate: quod ut narraret ſuperís, imperatum eſt ſub pœna Lethei proluuíj. Namq; id animabus maximum ſupplícium. Eut. Age inquam, & puluíno inhærens ediſſere. Glau. Pratum eſſe centum ſtadiorũ indicabat. Hoc quídem floribus & arbuſculís inſigne, hoc non rubis lappisq; ſenticoſum. Huc aiebat crebro puellam quandam forma pulcherrímam, genere æthereã, Pſychen nomine, multiſciam fœminã ſed parum forticulam nec ſatís propoſiti tenacem, ex Iouís ipſius atrio decurrere, phœníceo curriculo ſed eo admodum uegeto inſidentẽ: cui abſides cryſtallínæ, in Vulcaní tamẽ officína conferuminatæ. Curriculum uero monſtra duo uíſu horrenda effreno ímpetu pertrahebant. Vtriq; igneum caput: ſed alteri cornutum, alteri auritũ tantum. poſterior membratura omnino differebat. Nam cui cornutum caput, clunes erant leonís inſtar, cui uero auritum tantum, anguínos imitabantur amplexus. Sed eo impetu excurſabãt, repugna-

repugnabantq; habenis quas ſuis manibus Tritonia compegerat: quòd niſi puer ſcitulus admodum & totus teres, quẽ Logum uocitant Elyſia, mature accurriſſet: metus ingens imminebat, ne mõſtra illa indomita puellam iam iam attonitã & parum ſui compotem, per plana quidem primo & florulenta loca, mox in præcipitia & rupium deuexa quà tartarus petitur, miſerabiliter rapuiſſent. Tũ uero cælitus puer hic Pſychen ſiniſtra propere amplexus excuſſam ſolio reſtituit: dextra lora iã uaga, iam deſtituta fortiter comprehendit: monſtraq; renitẽtia ac inſultantia, nunc uirga nunc freno compeſcuit, & per loca quædam aſperrima ac confragoſa tandem in amœniſſimum collem deduxit. Tum uero puellæ uerbis paucis auri inſuſurratis, cõmendatisq; habenis & indicato itinere deſiluit: atq;, ut ſibi uideri dicebat, per catenam auream in cælũ uſq; perrepſit. Euthy. Heu quàm timeo, quorſum puer abierit, cúrue Pſychen deſtituerit. Glau. In ſeſe abiiſſe, catenãq; deuoraſſe referebat. Quod quom nos plurimum miraremur, facile araneorũ exemplo perſuaſit, qui dum fila uomunt, deſcendunt: ſcandunt, dum uorant. Abijt uero ad magna quædam opificia. Puer enim hic naturę magiſter creditur. Qui ceu è cornu per prata flores digerit, apicu las uariegat, ceruorũ cornibus ramuſculos informat, auiũ uoculas dearticulat, acipẽſeri præpoſteras ſquammas accõmodat. Aderat tamen puellæ dum putaretur abeſſe: abſcedens quoq; pileolũ dono dedit, quo ſe agnoſceret ſuæ ſpontis: atq; inde digreſſus, è cæli ſpecula, unde omnia proſpectat, quicquid ageret diligenter arbitrabatur. Sed ad Pſychen redeo. Hæc enim digreſſio annoſo puero aberrat paululum itinere, longe longe inquam deceſsit à Macaria: quæ urbs eſt omniũ opulentiſsima, ſed paucis ciuibus uerũ ijs egregijs illuſtrata. Eſt aũt ſita excelſo quodam loco, cincta undiq; nemore aureo, conſtructa argyrodamante. Hunc locum ſe tantum uidiſſe aiebat: ab ingreſſu enim Aetoleõtes procul ſummouiſſe. Sic enim arceẽ quiſquis Aretes uirginis, quæ Vranij oppidi foribus præſidet, ſyngrapham nõ protulerit. Deflexo igitur tramite per decliuia quædam ilicibus & cupreſsis cincta in Somatiam peruentũ eſt tandem, quæ omnis ſarcolitho lapide uiliſsimo conſtat. Hinc ingens turba obuiam uenit. Monſtra uero quæ uehiculum trahebant, ſponte urbem ingreſſa ſunt, & per ampliſsimũ campũ depaſcebant. Curabant aũt ea duo ſtaturoſi uiri de gigantũ ſemine, ut ferebant: Cõcupio alteri, Elatio alteri nomen. hic omnes comites Pſychen reclamantes deſtituere, & locum adeò ſordidum recuſarunt accedere. Athanaſia ſola omnium fidiſsima, indignãs licet, à latere tamen ne digitulo quidem unquam uoluit abſcedere. Hic præter cyminũ, papauer, & ſardoam uix aliud naſcitur gramen. paucí tantum, & ij quidem qui ab urbe longius habitant, feſtis diebus naſturcium mordicant. Sorte autem hoc loco regnum contigit Chryſio, uiro ſummo & ingenioſo admodum, cui uxor fœminarum nitidiſsima Argyria: quos populares adeò colũt, ut eis aras Dis omiſsis erexerint, ſeq; illis totos ceu numinibus manciparint. Pediſſequarum uero & miniſtrorum turbas nullius facundia poſsit explicare. Excipiebat enim aduentores in limine Colacia, lætiſsima uultu fœmina, ſed perſonata, & quoties lubuerit uerſipellis. Nemo tamẽ admittebatur, niſi Tyche prius rerum omniũ & ipſius etiã Chryſij regina approbauerit. Duo magni cuſtodes aſtabãt in ueſtibulo, Ochrus & Phobus, alter colore buxeo, alter igneo notabilis. Mox Philotimia ingentem lapidem uoluens, nunc turgidis buccis cunctos aſpernata, nunc facili manu uiliſsimum quemq; attrectans. In penitiori aula duo erant inteſtina cubicula diuerſo apparatu. Hoc quidẽ habitabat Philargyria, rugoſa anus, ſquallida, truculẽta, impia, altrix Chryſij, Apates ſoror, qua nulla præſtantior in tota regia habetur, nec odioſior. Hic Phonos totus cruore perlitus, hic Epibule, ſcortilla tenebroſa fermè ſub hypogeis abdita: niſi Chronus uir longimanus barbitio promiſſo uenerabilis eas laterbris extruſerit, atq; Alethiæ filiæ, nudæ quidem & omni amictu reiecto, ſortiſsime excruciandas tradiderit. Earum uero patrociniũ è ueſtigio Pſeudus ſuſcipit famoſus aduocatus, cincinnatus & myrobrechatus undiq;, ne quis ſtigmata eius fronti impreſſa poſsit agnoſcere. Teſtem autem ſecum ducit Hypocriſin, fœminam ſibi ſimillimam, uirulẽtos angues pallio occulentem, ſed palàm Miſericordiam imprecantem. Hanc ſi eiulatibus & lacrymis exorauerit, anguem illico iudicibus inſinuat. eam uero iugiter

ro iugiter flagello instar Tisiphones subsequit̃ Synidesis uirgo pudicissima atq; inte
gerrima, quæ miro amore Psychen amplectitur. Hac comite nunc̃q; aberrat, nunquã
fallitur, nunc̃q; præceps it. Id iudicium &si acerrimũ sit, inuocato tamen Chrysij no-
mine, obmutescũt obsurdescũt, & prorsus exoculant̃ iudices. Immo uero, quod ne-
fas puto, cælestis uirgo immortalis Astræę proles fœdissime oblinitur, & à subsellijs
procul exturbatur. Adest præterea eodẽ cubiculo macilenta fœmina ac penè ossea,
sese excrucias atq; alte inclamitans, pereas sol qui alias illuminas plagas. Hęc Phtho
nia nomine ferebat̃, cuius limini inscriptũ est: fœlix supplicij domus. Haud lõge hinc
Misus, toruo metuẽdus obtutu, mox trilinguis Erithia, mox Polemus ære ac purpu
reo paludamento insignis: quẽ Bellona & Enyalio satum perhibent. Huic contuber-
nales, Boetus, Thymus, Hormus, Stenagmus, Dimus, Tromus, Phyza cinus, omni
um denic̃q; extremus Brotolœgus Dis hominibusq; inuisus. Longa deinde manus
senum, multic̃q; ab arce Sophiæ transfugæ, eodem cubiculo deprehenduntur. Secus
uero dextram Asotia atrium habet corpulenta mulier, amans quidem Chrysij, sed e-
ius parum tenax. Proinde tergo semper incumbit gracilenta uirgo succincta, scissili
paliastro semiamicta, oculis uegetis, expeditis manibus, ut creditur plurimum inge-
niosa, sed cuius consuetudini omnes renuntient. Hanc Peniam nuncupant. has inter
crines laniat fœmella quædam nimium querula, ancipitẽ gladium tenẽs & se ipsam
suffodiens: Metanœæ nomen esse profitentur. Comites uero & ministros habet in-
numeros: quos inter prę̃stat Aselgia, Narceq; dextrum pollicẽ mãca, & Methe gres-
sus succidua, tristic̃q; anhelitu Polyphagia, & uolsis dentibus Lœdoria: iuuenesq; plu
rimi discincti, quos omnes Diacoreusis exoticis unguentis perlita & cymatili ueste
ornata capistro uno trahit, in plurimas tamen series & catenulas diuiso. Pendent au-
tem nõ collo, non humeris, non pectore, sed ex ipsis oculis: quos nodis acerrimis illi
gauit. Euthy. Admirabile spectaculũ narras, & oppido terriculosum. Glau.
Si cætera acceperis, hęc nugas putabis. Aselgia enim quam modo inter cæteros prę-
stare dixi, multorum mortaliũ cœtum multifido capistro trahit: cuius fissiles laciniæ
inhærent his quidem faucibus ceu piscículis: hi perstringuntur naribus ceu bubali:
alij (quod me pudet) uerendis pertrahuntur. Tecta itidem summa pensilis hortulus,
qualem Adonidis ferunt, cõtegebat. In hoc fœmina eximia pulchritudine, quæ solo
uultu quemuis poterat illicere, oblectabatur, nunc floridos narcissos legens, nunc ca
lathis componens bene olentes amaracos, nunc sutiles rosas corollis intexens, flexi
pedesq; uiolas congerens odorata uacinia picturabat. Concertabant ocioso labori
primulis unguibus Charites & aureis uolucres pinnulis Cupidines: qbus solis ferũt
licere uel absentia perstringere. Qui è uestigio Psychen minime recusantem excepe
re. Hortulũ uero auris genitalibus Chloris leniter perflabat, uernãq; temperiẽ loco
iugiter concibat, præter amarantos omnigenos flores educãs. Alibi feruida æstas &
glacie concreta hyems, hic uer perpetuum & musteus semper autumnus. Addebat
præterea medio foro hyalina columna propositas esse admirabiles quasdam leges,
quibus ciuitas uniuersa obtẽperabat. Illæ quidẽ erant innumeræ, sed insignes quas-
dam ex his recensebat. Omnium uero prima, ut quisquis aduersus maiestatem Chry
sij quippiam aut sensisset aut molitus esset, infamis ac degener haberetur, summac̃q;
inopia damnaretur. Statuebat autem ut ei uxoric̃q; eius semper augustæ immortales
honores decernerentur: eorũc̃q; puluinaribus excolendis è genere Harpagonio fla-
mines duo adderentur: quos si quis uiolasset, more maiorum plecteretur. Sancieba-
tur etiam ut maximum iusiurandum S. P. Q. Somatiani foret per numen salutemq;
D. Imp. Chrysij semper inuicti. Indicebatur uero laniis, fartoribus, cetarijs, macella-
rijs denic̃q; omnibus: milia basilicorum (sic enim dicuntur quibus utuntur reges nu-
mismata) sacro ærario repræsentãda, quo cerbero aditiale epulum celebrari posset:
quandoquidem monstrum illud in Somatia stabulatur nõ triceps ut uulgo creditur,
sed quinc̃q; capita protendens dissimilia. In fures statutum erat plumarium supplici-
um, quod sic infertur nocentibus. Extenduntur enim illi plumeis puluinis, penden-
tesq; ab oscillis in auras die una iactãtur. Homicidis uero exilium procul ab urbe &
relegatio in insulas Thanatides proposita est. Quòd si quis horum ad statuam princi-
pis confu-

pis cõfugerit, insons indemnisq; esto. Item quicunq; diuinatorẽ, philosophũ, prophetámue ausus fuerit se profiteri, aut supra cæterorũ conditionẽ euexerit, nudus palàm cymino perlinatur: ustulatisq; supercilijs, Epicharmatis flagello multa cum exibilatione populi castigetur. Soli Astrologorũ generi liceat lunas in calceis prætextãq; cicadis appensam publice gestare, eisq; fas purpuratorũ more in XIIII gradibus uel orchestra quando & quotiẽs libuerit sine curionis interpellatione assidere. Lauro coronari nemo possit præter Imp. præglorioſissimũ, eiusq; prolẽ ubiq; triumphalem. Si quisquã uel imprudẽs uel dolo malo contrà tentauerit, reus fiat uiolatæ maiestatis. Poetis si forte populum oblectarint, ad memoriam sempiternam rogatione S.P.Q. Somatiani lacerna myrrhea decernatur. Aduenæ permittebantur urbẽ decennio colere. Postmodum conuasatis sarcinulis excedere, excedentesq; pulueremcalceis excutere, quaq; habitassent euerrere iubebantur: & quascunq; inde quisquilias erasissent, conscendentes pontem quo Amelita trajicitur, in profluentem omnes effundere. Legibus autẽ sumptuarijs cauebatur: ne quis prius melliti quicquã attingeret, quàm absinthitẽ libasset, cæterisq; conuiuis propinasset. In coniugandis autem fœminis hic mos seruabatur. Simulac ad ætatem nubilem adoleuerãt, diebus septem in templo Veneris prostabant, orantes deam ut sibi fœliciter aspiraret: accedentes autem uiri erogabant mercedem experiminis. Sic enim stuprum illud appellabant, unde nouis nuptis dos comparabatur. Nocte septima pellibus incubabant. Ecce autem cælitus Venus toto suo numine quencunq; uolebat puellę coniugari, eum pudendis ita innectebat colligabatq;, ut dissolui nullo conatu nullis uiribus omnino posset: donec annosus senex ædis Veneriæ custos deprecationibus quibusdam excantatis, & alimmate ædonio perfricatis, succinctisq; cnyzæ ramusculis ueniam impetraret. Nascẽtes uero pueros excipiebat Ilithya obstetrix ingeniosa, exceptosq; illico in polycnizemate lauacro uberi perluebat: atq; in atrio Lucinæ lecto strato quantus Herculem caperet, eos imponẽs genio Iunoniq; initiabat: moxq; Apatoris facula collustrabat. Admirabilem quoq; omnibusq; insuetum morẽ condendi defunctos indicabat. Nudantes enim cadauera suspendentesq; uncino ferreo, undecunq; sarmentis ambibant: accendebantq; ignes ingentes circumquaq;. Deliquebant igit paulatim corpora flammoso igni resoluta, excipiebanturq; liquentes stillę & profluiadipes pollubris aheneis, donec omnino nihil supereſſet: qui mox urnulis crystallinis cõditi ad usus annuos relinebantur: quando quidem Thanatusia more Argiuorum quotannis solenniter celebrant, pinguiq; parentum & cognatorum perliti ad modulos lydios urbem discursant: extinctisq; ubiq; ignibus nona demum luce ferreos malleos collidentes precario rursus eliciunt. Aiebat itidem plurima alia præter opinionẽ eum addidisse: quæ neq; tẽpus neq; memoria satis suppeditat; sed illud quodammodo nefas esset præterire. Aereis enim postibus prętorij ingẽtes aures decem utrinq; solido auro cõpactas prominere asserebat: quas inter semilingula uisebatur. Hoc ille quom animaduertisset, uerecunde admodum se percunctatũ esse senem grauitate multa conspicuum dicebat: qui sibi facile ac humaniter respondit. Optime hospes, an solus ignoras, audire multa regibus, loqui uero uel pauciſsima licere. Supra fores eximiũ ac colosseũ gryphem locarãt, qui alis palatium uniuersum fermè inumbrabat: eratq; titulus magnifice gemmis literarum uice cõscriptus. Glorioſo imp. n. Chrysio fortiſs. ac feliciſs. P.P.P. Macarisor. Pot. XI. Eudęmonio XXX. Peniatico, Symphoretico, Onidetico, Dicæosynio, Algetico. D.N. opt. max. semper Aug. S.P.Q.S. numini maiestatis eius addictiſsimus. Excubabant uero prætorio ad decem chiliades somatophylacum, quos alij chrysaspides ab ornatu malunt appellare. Stabant uero hi semper in procinctu. suspicio enim multa erat, ne Sophienses qui arcem proximam tenent, aggrederentur improuiſos: & eo magis terror ingruebat, quòd iam aliquot primarij uiri è Somatia ad illos profugerant inuito & multũ reclamante Chrysio: indictaq; erat bonorum omnium clarigatio, si quis iniuſſu principis urbe pedem extuliſſet. Sed quid eos motus subsequutũ sit, quantoue tempore Psyche ibi uersata sit, cras repetã cõmodius. Eu. Facile id patior Glauco, uel ut dicen

di laſsitudinem mollias: uel ut Palladi monogeniæ, quæ me tam beatis ſermonibus hodie fortunauit, ſub ueſpera accenſas lampades per manus liceat traducere. Tu uero cras mature aderis ſacræ narrationis uadimonium perſoluturus, ut recepiſti.

CAELII CALCAGNINI APOLOGVS CVI TITVLVS LINELÆON, AD HERCVlem primum, ducem Ferrariæ ſecundum.

VOM Natura olim omnia parturiret, ſtatuiſſetq; utpote parẽs indulgentiſsima ea procreare quę homini futura eſſent quàm ſaluberrima: parcas quibus facile omnium ſeculorum noſſe uolumina, conuenit rogauitq; ut futura indicarent, quo cautius operi poſſet conſulere. Illæ Iouis arcana, & Themidis rationaria non inuitæ aperuerunt: cumq; innumera prędixiſſent, Clotho hæc fatidico modulatu præcinuit:

Olim tempus erit multis uoluentibus annis
Vera Iouis proles quom demittetur olympo
Alcides: miſeras qui monſtris uendicet urbes.
Heu quæ bella prement, heu prælia quanta, quot hoſtes
Vnius inſurgent capiti. pone aſpera luno
Pone truces animos: uix incunabula tandem
Tuta manent: uirgo, leo, uipera, ſetiger anguis,
Quò ruitis, uolucres quò ferrea mittitis arma?
Quò manes, quò turba herebi liuentia tela
Exacuunt, quanta premitur caput Herculis umbra?
Tuq; age magna parens magnum tuearis alumnum.

Hæc cum accepiſſet omniparens Natura, plurimum exterrita, cœpit ſecum meditari, qua ratione poſſet Herculis pericula anteuertere. Quomq; diu uolutaſſet, & intelligeret fruſtra leges ſemel in omne genus ſtatutas uelle immutare, animi anxia & cordis ægra iſthæc remedia excogitauit. Namq; aduerſus feras & monſtra horrentia ſemina quædam triquetrorum ignium è ſinu fortitudinis excipiens, halituq; Palladis fouenda præbens, ferreum robur educauit: unde olim claua Herculi compacta, qua uictor terras perluſtraret. Sunt & qui fatorum notionem & loquendi uim inſpiraſſe aſſeuerent: quod nec Muſæ pernegarunt. Quantumq; ad monſtra attinebat, ſatis conſultum uidebatur. At illud grauiori conſilio penſitari oportebat, quomodo ſcilicet è mediis Orci faucibus maniumq; coniuratione & umbrarum conflictu fas eſſet iam depoſitum iam conclamatum Herculem reuocare. Placuit igitur Apollinis ceu fidiſsimi adiutoris audire ſententiam: qui ſicut Græca nuncupatione λόξιος appellatur, ita obliquo ac dubio carmine illico reſpondit:

Inſano boreæ ſubducite ſemina fraudum.

Nec amplius locutus, neq; ut plura loqueretur ullis precibus adigi potuit. Voluebat igitur ſecum Natura, quid perplexũ atq; implicatũ ſibi uellet oraculum. Pręneſtinas deniq; ſortes libuit percũctari, quom Phœbi ſortẽ ſorte indigere agnoſceret. Eo demum quom ueniſſet, recluſa oleagina arcula roboreis tabellis Aegyptiacas notulas admirata eſt. Nam carbaſus ceu uentis incumbentibus drupæ infixa uiſebatur: & de ſaxo exciſo uox prodijt: Fata uetant, uotũ Meſſenia creta moratur. Hic etiam illuſa rerum parens, quæ ſcilicet poſt longos temporum anfractus uentura non intelligebat: diuq; anceps, & quæ ipſa mox erat ſtructura non ſatis perſpiciens, Themin longęuam fœ-

gæuam fœminã atq; omniſciam adire conſtituit: precabaturq; ut ſibi adeſſet, & quę in Herculis ſalutem fore prouideret, ea facile expediret. Sed anus ocioſa fulciens cubito caput ſic inſit. Filius meus Cupido olim in crepũdijs Ioui colludebat Opegenito: alebantq; certatim coturnices, quarum paria uelut in harena committebant. Ibat uero perſæpe filiolus meus in ſyluã, unde tu rerum ſemina mutuaris: auiculasq; iam ſemineces & luxatas tenuiſsimis eſcarum ramentis depaſcebat: quæ è ueſtigio cõualebant, & uires priſtinas reuocabant. Mirum erat, quo ſubinde gaudio certamini adlubeſcebat. At Iuppiter totus rubore percitus ſecedens ingemebat: & ira interdum cõcitus miſeras uolucres pipilantes collidebat. Ego ſolabar abeuntẽ, & plerunq; tollẽs gremio exoſculabar q; ſuauiter. Tũ Natura ſibi os oblini arbitrata, fabelliſq; anilibus detineri putans, ſubirata uelũ colligẽs adhuc garrientẽ dimiſit. Et poſtq; magnis pręſidijs in conſiliũ adhibitis parum procedebat deſideriũ: nec amicis interrogatis quicq; profecerat: quom ille neſcio quid de Boreę fraudibus meminerit: in Meſſeniã illa delegarit, hęc fabulatione irriſerit importuna: uolo inquit ancillã fidiſsimam atq; integerrimã conſilio adhibere: qua utor plerũq; ceu inſtrumẽto ad opificia bene concinnanda: nec eius opera me fruſtratur unq;. Quom hæc dixiſſet, Tellurẽ offendit occupatam radicũ lacinijs ſeiugãdis: quotenacius ac fidelius ſibi inhærerẽt, nec obuia quęq; poſſent germina proterere. Hãc itaq; hoc modo cõpellauit. per ea obſecro te ornamenta tellus cariſsima, quibus ubiq; te admirabilẽ feci: obſecro inq; mature omni cõſilio mihi ſubſiſtas. Scis Herculẽ illũ totius humani generis defenſorẽ nobis toties fatorũ largitate promiſſum. Ecce illum inferorũ minæ & ſtygia ſeditio circunſtat. enitendũ eſt propere, ne quid ille aduerſi patiat. Sed me Iunõis odia, Di magni quantũ perterrent: qua inſcia ſalutis procurationem proſpici oportet. Tu agedum uim omnem effunde conſilij, dum adhuc ſupereſt quod ab inexhauſto penore expromatur. Tum uero Tellus ita orationẽ excepit. Nõ hoc mea ſententia difficile mater immortalis. Tu enim cui omnia peruia, clam ſyluam, cui aureæ cognomentum, penetrans, ac leuiſsimos fomites cogens, & admiſcens ambroſię tenax glutinũ gremio meo cõmenda, erunt mihi curæ cætera. Nam quicquid erogaueris in portiones ſeiugabo minutiſsimas: faciamq; illas mihi concolores, ne quem forte dolum Iuno præſentiat: & quom meis uiſceribus coaluerit ambitioſo tegmine concludam: prouideboq; ut res omnino uiliſsima nata uideatur. Atq; ut à cæteris plantarijs nihil differre exiſtimetur: floſculum qualis ubiq; obuius uiſitur, folijs explicabo ferrugineis: daboq; operam, ut præter homines quiſquam intelligat utilitatis in eo eſſe quicquam. Nam more canabini ſtaminis exurget in ſtipitẽ, & ſoli incendio prima fronte putabitur accõmodatum. Sed quando primogeniæ leges, quas tibi ſummus rerũ opifex impoſuit, ne quid fruſtra naſceretur, inſtituunt: meam alumnam Peniam in omnes terrarum anfractus mittam, quæ mox fila detexere, & filorum compages implicare mortales edoceat. His uero & gentium cõmercia, & terrarum abſentium iungentur fœdera, & locorum abdita recludentur. Habebunt tamen certa indicia hic magnam uim ſubeſſe, & ignis ætherei faculam concludi. Nam ubicunq; hoc fuerit ſatũ, ibi ego protinus areſcam, fiamq; prorſus ſterilis: omnibus ſcilicet in hoc uiribus exhauſtis. Mox Palladis trapetis admoto effluet liquor precio uulgaris, ſed medicaminis præcellẽs. Hoc olim homines Lineleũ nuncupabunt: quod pocillo Machaon ſub periculo Herculi propinabit: & quando huic uis ætherea atq; ambroſiæ lentor, non difficulter ſuperatis inferorum ſalebris luci reſtituetur, cæliq; potitus tandem immortale cum immortalibus æuũ deget. Placuit Naturæ Telluris ſententia: miroq; gaudio exhilarata tum primum animaduertens quàm mœrori eſſet cum uoluptate cognatio, geminos fontes pro rei monumento diuerſis fluxibus irrigauit: eosq; undarum ambitu & nominis modulo coniugauit: conſecrauitq; alterum Mœrori, & Clæoni nomen impoſuit: Voluptati alterum, quem Gelona nuncupauit: poſuitq; legem ut omnis poſtero rum ſeries utroq; perlueretur. Medijs autem ſpatijs pilam erexit in Herculis præludium, cui uultur incumbens roſtro adamantem perforabat. circa fontium ambitum carmen uiſebatur inſcriptum: Vertite perpetuos per mutua fœdera curſus.

Hæc quom repente perfeciſſet, arrecto pollice ad obeundum conſilium properauit.

REVERENDO AC MAGNIFICO ALFONSO
Trotto equiti Hieroſolymitano Cælius
Calcagninus S.

TSI Lycurgi leges quas ῥήτρας, id eſt oracula, nuncupabant, uir magnifice, tantum haberent ſeueritatis ac ſupercilij, ut nõ facile alijs populis quàm Lacedæmonijs potuiſſe perſuaderi exiſtimaret antiquitas: in
E ijs tamen uir grauiſsimus illud temperamẽtum admiſcuit, ut poſt ſerias ac militares functiones Lacones Marti riſibus & cachinnis litarent, neq; prius in aciem deſcenderent, quàm Muſas Gratiasq; hymnis propitiaſſent. Nouerat ſcilicet uir ad res maximas natus, diuq; in hac hominum luce uerſatus: naturam hominum has habere uices, ut uoluptatẽ laboribus, labores uoluptate commutet: atq; ita alterũ alteri eſſe finitimum, ut non facile diſcludi ſeiungiq; poſsint: ut intelligamus elegantem illam Socratis fabellam non illepide effingi: deos ſcilicet aliquando accuratã operam dediſſe, ut uoluptas ac dolor in fœdus coirent, atq; una à coniungerentur: ſed ita utriuſq; naturam repugnaſſe, ut omnis prorſus opera deperierit. Illud tantum eſſe aſſecutos, ut flexis inter ſe faſtigijs conuenirent, & protinus fines alterius alter occuparet. Ex eo tempore uoluptatem in laboris, laborem in uoluptatis limites ſolitum cõmeare: atq; hac alternatione rerum naturam reparari. Quare mihi nonnulli improbe admodum facere uidentur, qui ſapiẽtiſsimo principi noſtro, quo profecto nemo principum eſt aut iuſtitiæ aut grauitatis aut modeſtiæ retinentior, uitio uertere audent: quòd populo & ciuibus ſuis, qui totũ annum in officio ſteterit, & ſeueritatem innocentiamq; coluerit, indulſerit, ut per dies geniales publice perſonati prodeant, & genio ac lætitiæ ſine cuiuſquam iniuria operentur. Ea mihi occaſio ſtomachum mouit: putauiq; ad me pertinere & optimo principi & publicæ hilaritati patrocinari hoc apologo, cui Perſonatos nomẽ feci. Eum uero tibi nuncupatim dicare uolui, tum quòd unus omnium es ob lectiſsimas uirtutes tuas principi chariſsimus: tum quòd nemo eſt, qui maiore felicitate ſeuera ſtudia ex æquo & has uitæ amœnitates amplexetur. Bene uale, & Cæliũ tui ſtudioſiſsimum ama. Ferrariæ Nonis Feb. M D XXVI.

CAELII CALCAGNINI APOLOGVS, CVI TITVLVS PERSONATI.

VOM fortè uerſarer in tẽplo Volupię, ibiq; me loci amœnitatibus oblectarem: cupiens tam hilaris deæ ſacris initiari, multa tacitus mecũ animo obuerſabã: & Venerem
Q in teſtudine, & Cupidinem compeditũ, & interim Angeronam altero à pollice digito ſilentium imperantem. Tum Charitas ebrias nectare, & Peniã in Pori complexu laſciuientem ſpectabam. Sed illud me ſpectaculum totum in ſe rapuit. Multos enim annotabam non ſua facie neq; ſuis ueſtibus, ſed perſonatos & inuerſo ſchemate, ad ſacrum prodeuntes. Ex ijs alios eo cultu ſenectutem diſsimulare, alios in prima iuuenta rugas & caniciem mentiri: quoſdam oris deformitatem abſcondere, alios ſpeciẽ ac decorem diſtortis buccis, uerucoſa cute, lippis oculis prætegere: quin & ferarum & Aethiopum facies in terrorem effingere. Sed & inducta ſupparo fœminas & puerperas alij, alij phalangarios, alij bubſequas aut meſſores, quin & Bacchum, Silenos, aliaq; id genus numina in deæ gratiam imitabantur. Non deerant qui fidibus, tibia, buccinaq; conſtreperent. Saltant alij, inclamant, geſticulantur, omnes animo & genio ſuo obſecũdantes. Nec iam tẽplum myſtas capit, ſed urbe tota diſcurſant omnes recurſantq;, choreas & amores exercentes implexę pueris puellæ, ſenes iunioribus: anus

ânus ipſę denicę repubeſcunt, & in medio choro chordaca uel gymnopodiã, uel tretanelò repræſentant. Riſus, Ioci, Charites, Venus, Cupidines fauent & plaudunt facile ac feliciter agentibus. Hæc quom accuratis oculis obſeruarẽ, aſsidens proximo in ſolio Chronius: is quom graui morbo laboraſſet, monitu oraculi ad ædẽ deę litandi gratia uenerat, nec dum tamen uotum erat aſſecutus: heus inquit bone uir, an tu homo grauitatis profeſſor, hæc potes inſana ſpectacula perferre? In quibus nemo eſt tam ſapiens qui non deſipiat, nemo tam cõſtans qui nõ titubet. Scitum enim uetus illud prouerbium: nemo ſaltat ſobrius. Sanè res mira, homines alioqui ſapientiæ tenaciſsimos atę obſeruantiſsimos, quom primum hũc in locum deuenerint, ſapientiam exuere: ſuię oblitos diuerſam atę adeò aduerſam ſuis moribus perſonam arripere. En tibi is qui fabrum imitatur, multaę oblitus fuligine ferrariã ſupellectilem cõuehit: hic philoſophus eſt, qui paucis diebus ante fucatos mores pro ſuggeſtu deteſtabaẽ, omnesę ad facile ac ſimplex uiuẽdi genus hortabaẽ. At at hic qui præterit nens columę ſiniſtro lateri alligauit, & nũc dextra ac ſiniſtra fila deducit fuſo illa agglomerans: hic prætor eſt, qui mane ius populo ſeuero adeò uultu reddebat. Hunc ſequitur eius matrona, mulier aliàs ad exemplum nata pudicitiæ. Viden' ut ſuccincta iaculum librat? Sed iſthuc age oculos amabo: ij duo quos ſi habitum ſpectes, piſtores dixeris: nam & farina conſperſi ſunt, & pollinaria incernicula prætendunt: hi ſacerdotes ſunt ex eorũ cœtu, quos ἀναχωρέτας uocant. Di boni quantum humanum genus delirat, quantum homines à ſe ipſis degenerant. Haud ſanè falſum putarim quod de lauru inſana Cyzici tradunt, quam quiſquis attigerit protinus in furorẽ cõcitatur. Nã & omnes quicunę in hanc ſcenã prodierint, inſania rapi uideo. Quin ego quoę his infenſus deliriis neſcio iam quomodo animum ad eadem hæc prætentari & geſtire ſentio: ut niſi me conſueta uitæ ratio teneat ac remoretur, parum abſit quin in medium proſiliens nomen dem huic militiæ. Quom hæc Chronius paulo concitatius pronuntiaret, quàm hominem modeſtum deceret, ita uultu & ſupercilijs nictabat, ut facile intelligeres eum mox ad eadem ſacra prouolaturum. Tum Aphrodiſius æditimus deę: erat enim & ipſe proximus dum Chronius ea loquebatur: caue ſis, inquit, caue obſecro mi Chroni, ne tu has interpreteris inſanias, quę Volupię deę ſanctiſsima ſunt myſteria parata ad uegetationem animorum & humani generis inſtaurationẽ. An tu nõ audiſti hanc uitam mimum eſſe, in qua quiſqę eam perſonã gerit, quam aut natura aut fortuna impoſuit: eaę ſuſtinenda eſt tantiſper dum hanc fabulam, id eſt uitam agimus. Hoc eſt quod Plato hominem deorum ludum uocabat. ſed qualem ludum Di boni? Amphitheatralem ſcilicet & gladiatoriũ, in quo uelis nolis depugnandum eſt, ut uincas aut ſuccumbas oporteat. Hoc ante me uidit Chryſippus, qui hanc uitam Pancratium aut paleſtram uocauit: nosę aduerſus fortunam paratos eſſe oportere ſemper admonuit, ut eius tela atę ictus aut ſubeamus aut depellamus. Hæc tamen nemo irridet, ſed multo magis miſeratur. At hic Volupiæ ludus quanto dulcior & iucundior? In quo nemo ingratus hãc uel illam perſonam ſubire cogit: ſed quã ſibi quiſqę uolẽs atę ultro imponit, hãc induit atę exuit pro ſui animi ſententia. Nihil hic ſeruile, nihil coactum, nihil inuitũ, plena omnia ſummæ libertatis ac ſuauitatis ſunt. Quare quiſquis hoc Volupiæ theatrũ aut Libertatis proſceniũ dixerit, non eſt quod à quocunę coarguatur, aut male audiat. Vtroę enim titulo dignus eſt locus. Rei fac periculũ, me uera dixiſſe intelliges. En qui heri naccã ſeu mauis fullonem ſimulabat, hodie ſpreta priore perſona pharmacopolam agit. Hic modo ſceptro ac tiara promiſſoę peplo multo famulitio aſſectante regem præſtabat: en ut dimiſſo cœtu deducẽtium nũc uili amictus centũculo aſinum & hunc quidem clitellarium impellit. Is mane coriarium ueteramentariũ profitebatur ſubula & galla inſignis operam locans: pomeridiano ſe maluit grallatorem, & nunc longis phalangis aſſurgens grandi ſe paſſu metitur. Integrum ergo cuię ac liberũ eſſe aut eſſe deſinere quod lubet. Nun' tu hoc ſtultitię an magis felicitatis opus putaueris? Quòd ſi hæc forte dixeris ficta, cõmentitia, temporaria, fateor: ſed interea plena uoluptatis, plena boni animi, uacua atę immunia ab omni moleſtia. An hoc tibi parum uidetur, ſi humanum genus dies aliquot à miſeria & calamitate ferietur. Sic Athenien-

ſes, quom ille uictoriam falsò nuntiasset, ac primo succẽsuissent, mox gratias egere, quòd eius beneficio mœroris triduum lucrifecissent. certè qui noctu per quietem se aut prædiuites aut conuiuas deorum aut reges esse mentiuntur, se tamẽ interim beatos putabant, dum inducias habent cum humanis negotijs. Sic Mycillus apud Lucianum gallum execratur, qui tam bonam quietem cantu excusserat. Sic Grillus apud Plutarchum non aliunde brutorum felicitatem agnoscit, nisi quòd per insciam conditionem suam ignorant. Nam quom in mortalium rebus nihil ferè sit non pœnitendum, nihil uideo felicius posse euenire quàm unũ quenq; mala sua ignorare. Elegãter enim ille dixit, magna & sæua mercede naturam nobis rationem impendisse: ut non facile sit æstimare parens melior homini an tristior nouerca fuerit. Contrà forte aliquis sentiat. Quoniã scilicet mala prospicere, seq; ad ea præmunire & (ut aiunt) animum obfirmare, uel multum lenit, uel prorsus subleuat imminentem calamitatem. At mihi longe diuersa est opinio. nam mala prospicere & se ad ea parare, quid est aliud quàm felicitatis dies, seu tu mauis tempus à dolore ocioſum perdere: teq; infelicem facere præsumpta cogitationis infelicitate, antequam infelicitas aduenerit. Timor enim futurę calamitatis plerunq; calamitate ipsa longe infelicior. Atqui prænidentes tempestatẽ nautici, præmolientesq; quæ ad salutem sunt accommodata, & funes expediunt & anchoras parant & uela conuoluunt, atq; ita plerunq; euadunt. Bene bene, equidem placet exemplum. non enim expectant illi ut signa tempestatis appareant, quo classem ad dubios casus instruant: uerum ipso ab initio, quom naues ascendunt, longe omnia quæ accidere possunt prouidentes, in medium semel consulunt. Nam & funes paratos habẽt, & anchoras expeditas, & uela in procinctu apparata, ut explicari complicariue possint, prout postulauerit necessitas. Illis itaq; nullis opus est præsagijs, utpote qui multo ante prouiderint, quicquid poterat euenire: multoq; ante periculum præcogitarint, quid consulto, quid facto opus ad tempestatẽ defendendam siquando tẽpestas ingruisset. Non secus prudentes homines, & rerum mortalium conscij, nihil putant sibi improuisum aut impræmeditatũ posse euenire. Toti enim pendent ex se, nõ aliunde: sciuntq; optime nihil sibi, ut ait Epictetus, sed aut corpori suo, aut familiæ, aut fortunis aduersi posse euenire. Quare intrepidi & securi humanarum rerum, hominum contumelias, fortunæ iniurias, lubricas temporum uices rident, utpote qui se omnibus telis fatorũ imperuios animi magnitudine reddiderunt. Sed fac hanc ipsam futurorum prænotionẽ homini usui esse posse. Est enim salutare, ut persæpe in se quisq; descendat, & mortalitatem suam cogitet. Nam sic minus insolescit, & à superbia atq; ambitione longius recedit. Qui uero illud fieri prohibet temporaria isthæc & solennis nõ multorum dierũ interspiratio ad instaurandum animũ inuenta, ut mox alacriores ad seria studia reuertamur. Ita enim comparatum est natura, ut animus uicissitudine & rerum cõmutatione alatur, & labori quies, quieti labor succedat, atq; hoc temperamento diutissime omnia continentur. At tu has putas insanias, quòd eo habitu & schemate prodeant, quòd tam licenter lasciuiant, quòd tam uarijs formis hanc fabulam agant: ut nemo ita sit perfricta fronte, nemo tam probrosus, cui hæc non possint ruborem incutere. Paucis poterã tibi respondere: Non aliter scilicet hanc geri fabulam: & togam saltanti prætendere, uel prouerbio improbatum. Omni enim in re agunda, præcipuum esse consilium, ut tempori & decoro inseruiatur. Nam tragœdia & comœdia, ut aiunt ijsdem literis constant, uaria tamen ratione aguntur. In illa planipedes ingredi & soccos inducere deforme est, in hanc cothurnos & sceptra afferre importunum. Huic ergo fabulæ publicæ, huic mimo, quem sibi quisq; indicit pro sentẽtia, huic libertati, quam Volupię beneficio toto anno semel assequimur, ne suas obsecro ratiões, sua iura, suas prærogatiuas quisquam auellat. Agamus hęc sacra ex præscripto. si Herculi Lindij cõuitijs operantur, si Lanuuini Priapo, si Romani & Cyprij Veneri per impudentiam, quom aperto uultu detecta facie ea fiant à matronis, quæ uix in meretrice perferamus, & quæ uix quisq; sine præfatione honoris eloqui audeat: quæ inuidia est, rogo, pudenter & tecta facie Volupiæ solennia ex ritu celebrare? Nam & Socrates in conuiuio amatoriam fabellam non aliter quàm reiecto in caput pallio ausus est pro-

nuntiare

nuntiare. Sed & Aeschylus & Aristophanes non aliter in proscenium prodierunt. Quin & actores alij aut fecibus ora illinibant aut psymithio: aut certè prosopite herba, qua nulla folia habet ampliora, quam & hodie inuersis aliquot literis personatiam uocat rusticana simplicitas, faciem inducebant: ut cõmodius & licentius sua munera obire possent in scena. Sed hoc illi deteriore conditione, quòd in sumendis uestibus & adaptanda persona tum scenæ magistro tum siparío fuit obsequendum: & quod hi propria animi inductione faciunt, illi faciebant imperio & necessitate coacti. Atqui tu in argumentum impudentiæ ac stultitiæ hoc ipsum arripis, obtegere faciem, cultum dissimulare & cognitionem hominum effugere. Atqui nisi ego probauero longe rem secus habere, non est quod recusem me pro conuicto haberi. Nam tu dic amabo, quem impudentẽ, quem insanum, uidisti unquã delitescere ac subterfugere conspectum hominum? Pugnant certè inuicem, impudentię pudorem inhærere: stultum cum modestia insanire. uetus dictum est: qui semel impudentiæ fines transierit, eum bene & nauiter impudentem esse oportere. Matronas certè à scortis nulla præterea uideo differre ratione, nisi pudore, unde & pudicitia dicta est. Ex quo Liuianum illud exijt: nihil mulieri saluum amissa pudicitia. Non est enim quod quisquã putet castissimas matronas minus illecebris Veneris cõcitari, aut minus iucunde in uxorios amplexus descendere: quàm prostitutam mulierẽ in lenonis aut amatoris concubitũ, uerum quod hæc improbe agit atq; impudenter, quod palàm nullius conspectum uerita: hoc matrona cunctãter agit & seorsum inclusa cubiculo, unius testimonio contenta. Hinc simul exierit, lasciuia protinus omnis abscedit. rursus autem apud molles uerecundiæ facilis & nouissima iactura est. An tu Bagoas illos, Batyllos, Timarchos, Megabyzos, effœminata nomina & omni ætate detestata, alia re magis quàm publico exemplo odiosos fuisse putas? Quom Leænę meretrici, quom Clitheni cinædo Athenienses statuã erexissent: quom Aegyptij reges Rhodopæ meretrici permisissent ut pyramidẽ erigeret, quom Romani Accę Larẽtiæ sacra annua instituissent: nulla re peius audiuere, q̃ quod priuatã impudẽtiam publicũ probrum fecissent. Hinc illud in Athenienses prodijt: qui potest huic urbi bene esse, in qua mulier dea armaturam: Clisthenes textorium radium tenens publice ostenduntur. De stultitia autẽ nemo puto tam stultus est, qui eam facile dissimulari posse suspicetur. Dissimulari enim non potest, nisi taciturnitate & modestia, quarum utraq; Palladi comes est: ut protinus sapiens agnoscatur, quem tu insanum statuebas. Contrà stultitiã opportune & suo loco emẽtiri magna prudentia est: quod multi clari uiri dicuntur facti tasse, Vlysses, Brutus, Solon, Pisistratus, & alij plerique. Quare nõ imprudenter assertum est à Claudio imperatore, à nemine stultitiam simulari: quando stultitia esse desinit, quæ tempestiue in usum ueniat. Habere autẽ temporum optionem, imprimis est cuiusq; sapientissimi. Nam in occasione & opportunitate, quæ tantilla res fortasse alicui uideri possit, omnia quæ ad uitã bene ac beate agendam pertinent, posita sunt. Hoc melius intelliges, si in stultitiæ comitatu ebrietatem agnoueris: cuius ea imprimis consuetudo est, ut nihil abscondat, omnia retegat. Vnde uetus illud: in uino ueritas, &, ebrio esse in lingua, quod sapienti est in pectore. Et profecto non aliunde factum puto, ut ueteres Morychum Bacchum sub dio, & in ipso propyleo constituerint: nisi quòd stultitia aperta est, & actiones suas minime nouit abscõdere. Ob id myste non stultitiam ex testimonio etiam Platonis, sed ἀνοήτων à morum simplicitate appellauere. Nec sanè eius rei causa difficilis: quãdo stultus minime hominum seipsum cognoscit: nec tacẽda, nec dicẽda secernit, & planè ineptus est, si Ciceroni credimus. Nec enim ubi, nec quãdo nec apud quos quicquam agendum sit intelligit: sed ubiq; & semper & apud omnes se uendítat sine discrimine. Nosti enim quàm difficile atq; arduum sit, uel oraculo teste, in se ipsum descendere, se explorare, & obuersam in tergus manticam ad pectus reuocare. Quare nemini dubiũ esse potest, quin impudens tantisper dum impudẽs est, nunquam impudentia uacet: stultus uero à professione, cui nomen dedit, nunquam desciscat. Proinde nihil magis ab impudente ac stulto abest, quàm mores obtegere, & secretum quærere improbis actionibus. Quod si ita esse nos fateri ueritas cogit, nauiter etiam fateamur oportet, hæc eadem facere ad pu-

dentem & uerecundum ac minime ſtultum pertinere. Sed age & tecum cogita, num & aliæ gentes perſonatos ritus approbauerint. Mars certè ſuos habet perſonatos, cono, galea, caſside, obtectos. Aegyptus in ſupplicationibus deorum, ut mileſia fabula teſtatur, uarios habitus induit. Hic canicipiti tegmento, ille felliformi, hic myſticam uannum aut palmam, alius amphoram geſtat. Quidam ciſta, quidam aſpide inſignes. Alij urnulam anſatam & ſiſtrum, uel ſoccis & ſerica ueſte & compoſitis crinibus fœminam ſimulāt. Vel pallio & baculo & hircino barbitio philoſophū fingunt, uel purpura & faſcibus magiſtratum ludunt. Quæ omnia ſanè ſunt perſonatorum ſimulachra, & ad eorum imitationem comparata. Accepimus imperatores quoſdam umbella tectos & diſſimulata perſona conſueuiſſe popinas & tabernas pererrare: quin & hoſtium caſtra & peregrinas nationes: ut exciperent, quænam de ipſis haberetur opinio, uel ut quæ ratio uiuendi foret apud hoſtes explorarent: ut intelligas hanc habitus mutationem, non iocis tantum ſed & rebus ſerijs inſeruire. Exercitum Alexandri uictorem & redeuntem ab expeditione Indica, clariſsimi autores prodidere lauro hederaq; præcinctum & bacchantū more magnas regiones peragraſſe, non Græco habitu ſed barbaro: ut non fortiſsimos certatores, ſed molles ac perditos comeſſatores uictæ gentes agnoſcerent. Tibareni ab uxorum partu earum uices ſubibant, lecto accubantes quaſi puerperæ: quod ab ijs factitatum puto, ut ſe prolis natæ participes teſtarentur: quem morem natura auitio & quibuſdam animantium indidit, ut ſcilicet per uices incubent. interim mitra & muliebri peplo tecti iacebant, ſe puerperas ſimulātes. Quid de Lycijs ſentiemus? qui in funere & ipſi fœmineas ueſtes ſumebant, non ut inepte aut impudenter quicquam facerent, ſed ut à luctu & lachrymis, quas uiris indecoras ſuſpicabantur, cito deſinerent. Sed & mulieres Germanæ armatæ facibus & furiali habitu in expeditionem caſtrenſem deſcendebāt, ut eo habitu hoſtes perterrerent. Honeſtior cauſa, nō melior Romanis perſuaſit, ut nonis caprotinis (ſic Iulias uocabant) ancillæ matronarum ſtola & ingenuo amictu procederent, ne ueteris obſequij memoria deperiret. Ipſi etiā tibicines in quinquatribus, id eſt idibus Iunij, totam per urbem excurſabant, perſonis tecti: idq; illis non modo erat impune, ſed magni loco beneficij cōceſſum à ſenatu exiſtimatū eſt. Atqui nónne & ipſi ſacerdotes quom deos ſalutant, & ſacris operantur, induunt perſonas: & ritu ueteri obnupto capite & demiſsis ad talos ueſtibus dijs immortalibus ſupplicant? Sicut & nouæ nuptæ fronti flammea pudoris ergò prætendunt. ex quo factū eſt, ut ſolenni etiā ritu ἀνακαλυπτήρια celebrarētur, quom ſcilicet retegebantur. Cæterū & ipſi Di ſe aſpectibus noſtris non poſſunt niſi perſonatos oſtendere, aereisq; corpuſculis induti oculis humanis ſe proferūt. Mitto Iouem ac cæteros deos, ſed & ipſum Proteum, qui ſe mutat cuncta in rerum miracula. Sanè cenſores Romani non prius quicquā agebant, quàm Iouem miniandum, & anſeres paſcendos locaſſent. Ad hoc ceritos, laruatos, citerias, manduces, mormolycia, & alia huiuſmodi monſtra referebat antiquitas. Sed quid ego plura perſequor? quom meliori hominis parti, immo uero (ſi Platoni credimus) ipſi uero homini, natura perſonam, molem ſcilicet hanc corporis induxerit? qua mortales omnes obtecti mortalibus ignoti uitā agunt: multi in aurea uagina plumbeum gladium abſcondentes, plericq; leones, lupos, uulpes, ſues & alias id genus feras ſub perſona diſſimulantes. Ex quo metamorphoſes illæ apud Circem natæ ſunt, & illud Plautinum exijt: homo homini nō homo, ſed lupus. De qua re ab ipſis mundi incunabulis & primogenia hominis origine, Momū illum (ut accepimus) Somni & Noctis filiū, ſed inter deos imprimis perſpicacem apud Iouem expoſtulaſſe accepimus: deosq; increpaſſe, qui tam uarium & uerſipelle animal rerum humanarum adminiſtrationi præfeciſſent: neq; illi ſpeculam ſaltem ullam adaptaſſent in pectore, unde animi, id eſt ueri hominis arcana perſpicerent. Sed fruſtra Momus querimonias ſeu mauis accuſatiōes illas ſuas attulit. Nihil enim credēdum eſt non ſapienter ac exacte à deo optimo maximo atq; à natura inſtitutum: quando expedit hoc habitu hominem eſſe conditum, quo & uoluntatē liberā, ſuiq; mancipij habeat, & ſapientiæ munia non inuitus exerceat. Meliore tamen conditione, ſi uera fateri uolumus, perſonam hanc in Volupiæ ac ſacri genij gratiā ſumimus, quam exi-

mere

mere possumus quom lubet, & palàm nos profiteri, quod eleganter Græci φαινοπεσωπεῖν dixere: aut certe, si ita fert animus, alio schemate nos exornare. Atq; interim innocentissimam uitam agimus. Neminem lædimus, neminem defraudamus, nemini insidiamur, ad uoluptatem, ad amores, ad pacem, ad lęticiam omnia comparamus. Ex quo mystæ hanc quam alij personam dixerunt, ipsi aptiore multo uocabulo μάσχαραν. est enim hoc nostri ordinis iusiurandum: ceu si tu μὰ τὴν χαρὰν, id est per lætitiam dixeris. χαρὰν enim lætitiam Græci omniũ bonarum artiũ inuentores uocant. Sic Pythagorici μὰ τὴν τετρακτὺν iusiurandum cõcipiunt. Neq; enim satis mihi sententiam suam persuasere, qui mascharam quasi μεγάλην ἀσχάραν, id est magnam incrustationem, dictam credunt. Est enim hoc tectorium apud idoneos cæratis plerunq; linamentis confectum, ac desuper coloribus bellissime perlitum. aut certè ἀπὸ τῶν μασχάλων. uillosis enim hoc genus centonibus bona pars sese inuoluit, quom uult delitescere. Sed utcunq; nomen hoc perfluxerit, certum est nihil non habere hilare, iucundum, pacatum, plenum suauitatis, plenum deliciarũ, plenum illius, quam tantopere optabat Democritus, τὴν εὐθυμίας, quam tu uel tranquillitatẽ animi uel securitatem potes appellare. Quare absit ut quisquam tam sit inauspicato natus ingenio, qui tantum ac tam beneficum uoluptatis munus non agnoscat, aut agnitum detestetur. Tu certè Chroni hoc unus omnium minime feceris, quem Apollo ad deæ sacellum reparandæ salutis gratia delegauit: ceu quondam Xenocrati mandatum accepimus, ut Gratijs sacrũ faceret, si uellet aut in philosophia proficere, aut uitalẽ uitã degere. Ex quo tempore nemo prius Academiã ingressus est, quàm Gratias salutasset.

AD ILLVSTREM ET EXCELLENTEM PRINCIPEM NICOLAVM CORRIGIVM, CÆLII CALCAgnini apologus Obligatio. cuius argumentũ: obligationem, quæ solo animo constat, prodi non posse.

QVOM Saturno rege hęc lex uigeret apud superos si dereis tabulis inscripta: quòd Di deæq; appetiuerint potiuntor: è comitatu Veneris iunior Charitũ, quam Di Pasitheam, nostri crassiori uocabulo Gratitudinẽ dixere, uehementi amore percita Beneficium patrem deperibat. Venus eius uotis facile subscripsit. Cõuenere apud Orchomenum in Chloridos uireto: hic uoluptati pariter ac naturæ pro sententia litauere. Pasithea ex eo concubitu filiam concepit, quam Græci Ophileniam, nos Obligationem nuncupauimus. Ecce autem interea dum menses ad partũ procedunt, regno exturbatur Saturnus, Iuppiter ui cęlo potitur. At Themis quę fatorũ arcana & iuris mysteria tuetur, præuidens ex eo partu proditurã sobolem, quæ formæ miraculo esset omnibus deabus factura inuidiã, quęq; omnibus Dis mirabiles sui amores accẽderet, cui uni mortales sacrificia adolerent: non rata hoc fore ex cælestis reipublicę cõmodo, per Mercurium præconem hoc edictum pronuntiari iussit. Themis diuinarũ rerum arbitra, & deorũ parens unica, immortalium quieti ac felicitati consulens, præsidibus partus ipsiq; Ilithyæ edicit, sibi non placere ut quicquid Pasithea concepit in lucẽ reluatur. Quòd si qua edictum parum seruarit, ei esto pignoris captio, strophioli rosis lemniscati, narthecioliq; alimmate delibuti, quæ Veneris promptuario accedũto. At si Pasithea, quæ perpetua prægnatione damnata est, imprudenter auserit ambire, tentareq; unquam gratia aut munusculis partum edere, ei actutum inditi nominis mulcta esto. Ex eo igitur tempore, princeps excellens, animi obligationẽ prodi non licet, utpote quæ penitissimo gratitudinis utero delitescat.

AD ILLVSTREM ET EXCELLENTEM PRINCIPEM NICOLAVM CORRIGIVM CÆLII CAL

cagnini apologus, cui titulus Gigantes. Argumentum, uí/tia præter naturã genita, bonitate principum ex/pugnari, uirtutesq; allici.

NATVRA, ut est per se ferax, primo partu Decorem atq; Harmoniã edidit nulla opera uiri adiuta. Antiphysia uero semper naturæ aduersa tã pulchrũ fœtũ protinus inuidit: usaq; Tellumõis amplexu duo ex aduerso mõstra peperit, Amoduntem ac Discrepantiam nomine. Si formam indicaro, excitabo risum legentibus. Ea enim capite circumrotato incedebant, auribus prominulis, manibus in posteriora uorsis, rotundis pedibus in sublime porrectis. Erant oculi talaribus ossiculis affixi, prominentes, nullis tecti supercilijs, obduri, quales cancrorum uidemus. Defendebat tamen (placent enim sui simijs catuli) natorum formam Antiphysia: præstigiatorijsq; rationibus ostendebat capillos esse quasi hominum radices. Et si quid exempla persuadent: arbores omnes inferius radicibus, commodius & pulchrius teneri: in quarum ramusculis gemmulæ quasi oculi inhærent, quorum instar pedes gerunt diuaricati. Se igitur longe potiorẽ imaginem elegisse quàm natura comprobabat: quom illa plantam inuersam, ipsa rectam prorsamq; effigiarit. Addebat circularẽ eorum incessum habere quid diuinius, quo cælorum absides æternaq; omnia circumagantur. Manus etiam prudentius ad occiput uerti contendebat, quando ea pars suis defensaculis carere non deberet. Si quidem priora dentibus satis munita existimabat, qui facile absq; manuum ministerio sibi mordicus possint cibum arripere. Itaq; ferarum testimonio ferè omnes, qua erat argutia, in sententiam traxerat, atq; in sui admirationem excitarat. Sed Di naturam, quę diu eorum opem implorarat, miserati in hæc uerba senatus consultum fecerunt. Quando in omniparentẽ deam Antiphysia simultates agit, censemus ac statuimus ut eius liberi Decor atq; Harmonia proximis comitijs coniugati prouideãt, ne quid damni patiatur Natura. At illi è uestigio oratores ad humanũ genus delegarũt, ueritatem, doctrinam, industriam, simplicitatem, paritatem, prudentiã, uenustatem, uoluptatẽ, illecebras, liberalitatem, sellularias etiam artes uitæ accõmodas. Quorum oratione (erat enim illa fauis uberior ac dulcior) illico mortales à uictu ferino & inhumano reuocati sunt. Florebatq; aureum seculum, floruissetq; diutius, ni partu terra nefando Cœumq; Iapetũq; & grandi mole Typhœa cæterosq; terrigenas progenuisset: quos Di sceleraspices, homines uero gigantas nuncuparunt, terribiles forma iuuenes & dentibus atris. Hi ergo primum à parentibus pulchre in nequitiarum disciplina instituti atq; adornati, sub oratorum quos diximus personis tecti, furtim sese hominibus insinuarũt: paulatimq; materna uenena mentibus sub medicata offa instillarunt. Tum breui sub sapientiæ habitu magnum nomen compararunt, bonitatem candoremq; insaniam & rerum inexperientiam interpretantes. Mox uero, Di boni, quanta quamq; atrocia Damastor sub utilitatis & cõmodi specie cõmentus, metari agros, uicinum impellere, fines propagare, fruges excantare, armis ac ui rem agere, iudicia sistere, curias, fora, nundinas, æraria, sycophantias, libellos supplices, denicq; magna illa legũ uolumina, quas publicũ uirus Cæsar ille nũcupabat: mox tyrãnides, rapinas, bella, oppugnatiões, expugnatiões machinas, seditiones, atq; alia innumera meditatus est. Subinde Mimas uoluptatis prætextu incestus, adulteria, raptus, subationes, mariũ diuerticula, deglubẽdi, fellandi, liguriẽdi, columbãdi, lenocinãdi, tribadũq; artificia, & quæ Græci δώδεκα μηχανήματα, id est cõcumbendi rationes duodecim cõmentus est, quibus factum est nostrum genus tanto feris nocẽtius. Nam quid pultaria, cupedias, embammata, ientacula, ganeas, turbucinatiões, ebrietates, tricõgia, patinas, tortiugas, artoptas, comessationes, & mille gulæ instrumẽta, scitamen

ſcitamenta mille, mille irritamina uel capitis periculo conquiſita diutius perſequar? Tum Besbicus quietis imagine gentibus perſuaſit, profligandi laboris gratia, longe ſatius eſſe per furta, depeculatus, piratariam, interceptionem, falſariam, dilationes, adulationes, paraſitariam, decoctiones, reliquosq; id genus fucos uictitare. At Polybotes ſub honoris ſchemate, præfecturas, oculos auresq; regias, triumphos, ouationes, à muneribus uacationes, tricolores calculos, inſignia, imagines, faſcias, uirgas, torques, phaleras, annulos, coronas, haſtas, titulos, purpuras, byſsinas, colores, aurũ etiã & margaritas inauresq; diſtinxit, & ſexcenta huiuſmodi. Cęteri præterea gigantum alius alio prætextu graſſabantur. Sed demum Typhon ille deorum terror, centimanus, centioculus, ſpecie incerta, deſultorio uultu, ſub parſimonię ac frugalitatis amictu, homines, immo uero humani generis præcordia uexabat. Horret animus meminiſſe, quanto comitatu, quanta inſtructus acie impetum fecerit: quàm late ſæuierit, quanta internecione omnia deuaſtarit: quàm omnibus deniq; inuiſus, utpote quem odit & ipſe pater Pluton, odere ſorores Tartareæ monſtrum, tot ſeſe uertit in ora, tam ſæua facies, tot pullulat ora colubris: ut non ſolum uirtutes omnes illico procul exturbarit, ſed maximũ etiam uitiorum agmen ſublatũ alis è ueſtigio quàm longiſsime euolarit: putes Herculẽ ſtymphalidas, aut natos Borea harpyias eieciſſe. Eius conſertiſsimi pugnatores uariis armis & amiculis exculti: hypocriſis, inſidiæ, technæ, ſutellæ, liuor, cædes, uenenarij, proditiões, propudia, alij innumeri, quos nõ facile explicem, ſi fuerit uox indefeſſa mihi, compactaq; lingua adamante. Nunc obſecro audite, ſi uacat, quò interpretes ſeu mauultis oratores illi deorum effugerint. Veritas quidem protinus ſeſe in præaltum puteum pręcipitem dedit, quam longo poſt tempore Heraclitus neſcio quis, nugator ut puto maximus, ſe deprehendiſſe gloriatus eſt: Honeſtas intra cancellatam elephantorum cutem, induſtria intra maris conchylia ſeſe abdidit. Prudẽtia morum arborem, Doctrina quercus dodonidas atq; Apollinis fides, Simplicitas monadem ſubijt. Voluptas melior cognominẽ cingluũ Veneris & Zephyri quadrigas induit. Paritas in picturam, Venuſtas in floſculos, Illecebræ in lepuſculos, Liberalitas in apeculas tranſmigrarũt. Sellulariæ artes ad hirundines coptitias defecere. deniq; omnia fugerunt ſceleratas numina terras. Temporibus tamen priſcis fortunata quædam & cælitus demiſſa ingenia effulſere, uti ſidera nautis expectata diu: quæ digitum & quaſi uexillum bonis artibus ſuſtulerunt: reuocaruntq; omni opera deſtitutas iam & profligatas uirtutes: ceu tempeſtate noſtra mactus omni laude, omniq; præconio celſior, Nicolaus princeps fortunæ indulgentia clarus, auito ſtemmate clarior, ſed ſuis uirtutibus longe clariſsimus. Cui niſi cor regium nuncupatione patria cognomentum dediſſet, è meritis certè ſuis non aliud adoptaſſet. Hic litteris ac litteratis fauet, multo ipſe literatior. hic optimum quemq; fouet, hic bene ingeniatos allicit, exercitamenta ac uoluptates Heroicas magno Herculis hæredi conciliat, concertationem ſcilicet ad palum, palæſtras, ſcænicos actus, Muſarum deniq; ac nympharum conciliabula. Huius deniq; auſpicijs bonæ diſciplinę caput exerunt, audentq; promptius gemmatas alas explicare, quom adhuc uideant in eo homine aliquas aurei ſeculi reliquias ſupereſſe.

CAELII CALCAGNINI APOLOGVS SVPER INSCITIA.

PHILOSOPHVS quidam multis precibus à Dis efflagitarat, ut causam sibi aperirent: cur res mortalium tot fluctibus uexarentur, aut cur plerunq; à uirtutibus eorũ animi descisserent. Cur principes bonos uiros reformidarẽt, malos ac flagitiosos allicerent, atq; in delicijs haberent. Quomq; in hac cogitatiõe diutius fuisset obuersatus, somno succubuit. Ecce autem Mercurius per quietem illi è caliginoso quodã specu, qualem apud Cimmerios fuisse finxit Homerus, prodire uidebatur: atq; inde puellam quandam pertrahebat, uultu atq; habitu insignem meretricio, deformem alioqui, & fœda illuuie sordidã, hallucinantibus oculis, prominẽtibus labris, & perforata lingua: quæ obuoluta etiam auribus focalia habere uidebatur: nudo quidem pectore, sed utraq; manu uibrans iacula, ut instar Asteropæi illius Homerici ἀμφιδήξιος uideretur. Feroci autem equo & infreni, quales Numidarum celebrantur, insidebat: qui neq; mores pati didicerat, neq; sessoris imperium. Tum hæc est, inquit Mercurius, quæ animos atq; animas mortalium peruagatur, quę deorum cum hominibus cognationem conuellit, quæ felicitatem ex omnibus terris abdicauit, quæ se deniq; omnium oculis oggerit, ne possint rerum ueritatem uidendo assequi. Eam Græci ἄγνοιαν, latini dixerunt Inscitiam.

CAELII CALCAGNINI APOLOGVS ABSENTIA AD ILLVSTREM NICOLAum Corrigium.

QVOM Natura Priuationem persequeretur, qua nulla fermè Erinnyum sibi odiosior: hæc enim compacta soluit, structa diruit, nata occidit: Priuatio Absentia mex se & Loco genitam in auxilium acciuit, fœminam clancularíam, quæ facile uideri nequeat, ex longinquo propugnantem: qua adiutrice nõ leuiter Natura eam poterat cõsequi. Dedit igitur prouinciam natura Cupidini alumno: ut eam sagittulis, quibus pollet, inuisis expugnaret: quod ille quam est industria, sedulo sanè effecit: iudicioq; deorũ omnium opima merebatur, uno Cernuo deo acri & iudicioso reclamante. Asserebat enim eam nondum è medio sublatã esse, quæ se ex insidijs magnis calamitatibus afficeret: adducebatq; ad hoc magnos testes, qui omnes ita prorsus esse profitebãtur: quorum si quis unquam ex uero id exploratum habuit, ego certè princeps illustris nũc unus accedo: qui non id modo testari sed maximo etiam iureiurando deierare possim: utpote cuius iniuria me maximis dispendijs affecerit, magnisq; desiderijs incesserit.

Quorum dubio procul illud potissimum, quod meo more tua iucundissima præsentia frui non licuerit: teq; uerba facientem, in cuius ore lepores omnes Pitho concinnarit, audire atq; admirari non potuerim.

IOANNI HIERONYMO MONFERRATO, ALVMNO SVO.

RIDEM ego de apologis meis, quos penè puer edideram, nihil reſciueram: quomcp eos conclamatos exiſtimarem, ecce illi ad me nihil minus aut ſperantem aut expectantem oratorem miſere: qui mihi eorum nomine ſignificaret, ſe diu cum blattis & tineis luctam habuiſſe, & propè extrema adiſſe pericula: ſaluos tamẽ eſſe adhuc & ſuperſtites Ioannis Hieronymi Monferrati mei beneficio: qui quom eos & uernas meos & grauiter laborãtes agnouiſſet, ab exitio & internecione uẽdicaſſet: quin & ſitum exterſiſſet, & accepta uulnera ad cicatricem perduxiſſet: ob id me rogare, ut eos in ſui uindicis fide permitterem poſt hac ætatem degere, à quo tam liberaliter alerentur. Id ego nõ inuitus accepi, eorũcp precibus facile annui: ea tamen addita cõditione, ut apud uindicem ſuum perpetuò deliteſcerẽt, necp eos deſiderium unquam prodeundi inceſſeret. Siquidem ſub eorum oratum oraculum hoc è Themidis cortina fuiſſe auditum:

Si quando dabitur blattarum euadere morſus,
Vos bene uiuetis, modo uos uiuatis in umbra.

APOLOGI CAELIANI

ROGABAT laqueum ſuſpendioſus, ne ſe ſuſpenſum teneret, néue enecaret: idcp nunc miſericordiã mouens, nunc ponderis ſubleuationem proponens, nunc ſe illum in poſterum pro baltheo habiturum promittens orabat. Cui ille: nihil à me, inquit, rogaueris, priuſquam tute ipſum exoraueris, ne grauis pendeas.

Adiurabat ignem olla fictilis per ſanctũ elementorum fœdus, ne ſe tam diu cruciaret, ac perureret: ſed diffinderet aliquando, ut tam nocenti miniſterio utilis eſſe deſineret. Malle enim ſe reiici atcp inter ſcruta cenſeri, quàm tanto cruciatu licere. Huic ignis, reiici, inquit, reiici leue ſit: ſed è rudere pauimentum batui memineris.

Imputabat flamma candellæ ceu rarum ac eximium beneficium, quòd ab ipſa illuſtraretur, omnibuscp eius cauſa eſſet admirationi. At candella: obſcuriorem me malo, dum ſim tutior, inquit.

Acuta uox inter ſotias ſeſe efferebat: tribuebatcp exiſtimationis plurimum quòd excelleret, emineretcp ſupra cæteras. Tum uox grauior tantum inſolentiæ non patiens. at tu inquit ſtridula atcp auribus odioſa ſatis habe, ſi bene in noſtro ſinu deliteas, & inde opportune caput proferas.

At tu ſtridula, inepta, ineleganscp,
Nec auri bene grata delicatæ,
Si ſapis rogo parcius ſuperbi.
Et ſi quando potis es exeruiſſe caput,
Sit ſatis in noſtro delituiſſe ſinu.

Canis caudæ inſultabat: quòd iners ac deſes ſineret ſe à reliquo corpore pertrahi: necp iter oſtenderet uelut oculi. necp iuſſa acciperet, uelut aures: necp hoſtem perſequeretur ut pedes, necp more dentium dimicaret, ſed quaſi inutilis appendix penderet à natibus. Ego tamen inutilis, inquit cauda, & muſcas abigo, & patrono adludo, & pudenda contego, & ſum corpori honeſtamento.

In iudicio uindiciarum olim ſibi multum placebat feſtuca: ſecp libertatis opificem

gloriabatur: iubebatq; libertorum genus omne sibi fortunas & caput ipsum acceptũ ferre. Tum è libertis unus paulo argutior, si militaribus, inquit, signis uictoria accepta ferenda est, & tibi libertatem debebimus: sed uide ne tu libertatis magis symbolum sis quàm opifex.

Festuca & pileus fortè inter se contendebant. erat contentio eorũ utri plus libertinum genus deberet. Illa enim se manumittere, hic manumissiõis dignitatẽ seruare, gloriabatur. Disceptationẽ deniq; arbitrio cõmittere decreuere. Illa seruorum, hic libertorum stetit iudicio. Serui festucam, liberti pileum prætulere: illi spem, hi proximum beneficium secuti. Hæc quom audissent ingenui subrisere, & uos aiunt neutri debetis: quando neuter beneficium dedit, sed uterq; beneficium indicat: illa quom datur, hic quom dari desiit.

Cristæ gallinaceę in pauonis caudam his olim uocibus uelitabantur: Nos quidem in summo capitis fastigio prominemus ac regiam quandam dignitatem preferimus, quam uel ille ferarum imperator leo perhorrescit. At tu in postremissimo loco nata terram uerris, & uix scoparum uices obis. Tum cauda iritatior. Respondebo his, inquit, quom tu pallidula ac ętate exesa è militari cono me hostibus minitãtẽ suspicies.

Expilatum noctu à furibus templum in iudicium fores uocabat, quòd irrumpentibus illis aditũ dedissent, nec pro templo sat fide excubassent. At fores: Ne nos prius accusaueris quæ inuitæ ac terebratæ uix demum cessimus, quàm teipsum damnaueris, quòd ingressos receperis, & expilantes tuleris, & fugientes remiseris.

Tintinnabulum se inclementer ab agnato plectro pulsari querebatur. cui plectrũ. Aut hoc patere: aut quod es, hoc esse desine.

Perditissimus lusor talos manu pertractans in eos sic inuehebatur: Pessimi uulturij, quid in uobis unquam aut boni aut honesti deprehendi? qui si assem lucro imputastis, mox talentũ iacturę addidistis. Si tunicam attulistis, mox ademistis togam. Si gaudij unciolam dedistis, mox ad satietatẽ mœrorem & pœnitentiam inuexistis, pessimi pessime pereatis. Tum uero tali: Fallerís amice toto, ut aiunt, stadio. Nã boni multũ poteras à nobis doceri, si aduertisses nos ut senionẽ uel uenerẽ uel canẽ preferamus, semper eosdẽ esse, semper rectos cadere, teq; ad nostros mores cõformasses.

Dormiente olim insano, membris omnibus cõquerendi de sua fortuna ocium datum est. Oculi quòd odiosis lassarentur spectaculis: manus quòd in rapinam porrigerentur: pedes quòd cursu urgerentur præcipiti allideréntq; ad omnem locum: aures q; obscœnis tantũ paterent: lingua q; pœnitenda loqueretur: stomachus quòd plus nimio farciretur: inguina quòd ad lasitudinem exercerentur in uenerem quereban tur: omnia deniq; uicem suam detestabantur, quòd homini impudentissimo & nequã fuissent addicta. Tum caput interrogatũ, qua conditione frueretur: (eius enim silentium mirabantur) maius est, inquit, meum infortunium quàm de quo possim expostulare. nam quæ uobis singillatim miseriam inuehunt, ijs ego omnibus cumulatis sum conceptaculum.

Cum puella digitũ acu confixisset, conuicijs acum persequebatur. huic acus. Iniuria succensés mihi bellissima. non ego te confixi, sed morem tuli.

Pyramidis fastigium uento deturbari metuens, cum pyramidis pede locum optabat cõmutare, quòd ille ad ferendum impetũ robustior uideretur. At ille: Optas non optanda, suus cuiq; locus seruandus est, & parendum architecto.

Impactam cruribus asciam, faber uri iusserat. tum ascia. Quid criminis imputare potes

pòtes mihi: niſi quòd manibus, quibus reluctari non potui, obſecuta ſim.

Dentiſcalpium uoracis & lentiſciuori cuiuſdam ſubire hiatum reformidans, ſe auriſcalpium fieri optabat. Huic ſcalptor: ſemel data fata non mutantur.

Lychnum ligneolum redarguebat ſtudioſus quidam, quòd inter uolumina & lucubrationes tamdiu uerſatus, nondum tamen quicquam profeciſſet. Cui lychnus, non huius ergò hic ſtetimus.

Quom ad maturitatem peruenisſet caſtanea, ſe ab echino extrudi querebatur. At ille: non te extrudo, inquit, ſed pario.

Puer ſuppoſiturus prunis caſtaneam eam ferro perſtrinxerat. quod quom illa ægreferret: perſtrinxi, inquit, ne diſſilias & pereas.

Poeta maxime omnium ſapientem cepam, uoracem autem cucurbitam exiſtimabat: quòd illa in caput, hæc in uentrẽ excreuiſſet. Cui raphanus: at illa ingenio, hæc dentibus caret.

Mirabatur ficus, cur morus quæ ſapiens arbor diceret̃, à ſtultitia nomẽ accepiſſet. at morus, Ne mores à nomine metiare. utiq; nomen, neq; dat, neq; adimit ſapiẽtiam.

Audierat taurus Momum olim deos incuſaſſe, quòd taurorum capiti cornua affixiſſent, quæ humeris multo fuiſſent aptiora, utpote in quibus plus uirium ineſſet, quæq; ſubiecta oculis poſſent in hoſtem acrius dirigi. Quomq; hoc Momi conſilium bouino iudicio cõprobaſſet, procurauit ut ſibi cornua exciderentur, humeriſq; quàm aptiſsime adglutinarentur: & quom ſibi plurimum placeret hoc cõmento, cum tauro riuali auſus eſt inire certamen. Sed quom in primo protinus impetu arma excidiſſent, alioqui inutilia, quod neq; in dextrã, neq; in ſiniſtram facili niſu moueri poſſent: caputq; ipſum exarmatum ad declinandos tantum ictus, non inferendos paratum eſſet, poſt multas plagas ex arena profugus delituit, ſero intelligens uim naturę afferri non oportere, & Momi conſilijs diuina præſtare.

Multi è philoſophis Athenienſibus omiſſa diatriba Laidis domum frequẽtabant. Ibi forte nata eſt contentio, qua in parte mulieris maxime conſtaret pulchritudo: hic alijs frontem, alijs oculos, alijs genas, alijs oſculum, alijs pectus, alijs ulnas præferentibus: tum Lais: at uos uiri philoſophi nonne id pulcherrimum exiſtimatis, quod maxime omniũ appetitur? atq; iccirco ſummum bonum formoſiſsimũ putatis quod ab omnibus expetatur. & ita ſoletis amorem perfinire, ut ſit deſiderium perfruendi pulchritudine. Quis autẽ ueſtrum amabo in muliere aut frontem aut oculos aut genas aut oſculum aut pectus aut ulnas expetit? Liceat uera ingenue fateri, omnes interfœmineum amatis, amatum expetitis, expetito frui optatis. Quare pars in muliere pulcherrima eſt infœmineum. Quod & naturæ ratio comprobat, quando id repoſitiſsima corporis parte (ut ſolet quæq; precioſiſsima) obdidit.

Liber quidam è meis optans prodire in publicum & clauſtra refringere, hoc in me argumento utebatur: quòd liber eſſet & contra leges in ergaſtulo teneretur: iamq; in me plagij crimen intendebat. Tum ego, non eſt tibi à libertate nomen ineptiſsime, ſed à libratione, quòd te librari atq; in Critolai trutina ſuſpendi oporteat.

Inſanus quidam uidens alliſas undas littori ſpumas excitare, ſcipione aquas caſtigabat: atq; eo magis ſpumæ excitabãtur: atq; hoc ille fortius inſtabat. Tum expumatio, Deſine coercere: deſinam. Nam quo acrius coerces, hoc excitas magis.

Quom forte puer in tonstrina tonsorem exercentem nouaculam uidisset, arrepta nouacula existimauit se protinus artem omnem imbibisse. sed quom male tractans nouaculam manum perstrinxisset, & effuso cruore lugeret pueriliter: ait exerta uoce tonstrina: ne tonsoriam à nouacula inchoaueris.

Canicies & caluitiũ in senili capite certatim sibi primas uendicabant. Et canicies quidem se candidi coloris, qui solet esset oculis gratissimus, prædicabat. Tum homini magnam afferre existimationem, nec alia causa Numam regem tam gratum fuisse P. R. quàm quòd in adolescentia canuisset. Quin & uulgo sapientiam canis tribui. at Caluitium se tersæ ac leuigatæ cutis, se acuminis & acrimoniæ testem: idcirco Ludouicum Insubrum ducem uirum sapientissimũ caluos undiq; ad obeunda regni munia collegisse: se Cæsari uel à prima iuuenta familiarem fuisse testabatur. Tum caput rancidæ huius contentionis impatiens. Apagete, inquit, deliria. Nam planè uterq; uestrũ inuisus mihi: dum tu fateris tibi superesse, quod huic deest: tu deesse tibi, quod superest illi. (Nam canicies alumna humoris, humoris indigum est Caluitiũ.) Quid uero interest desit an superfluat mihi, quom æquè utrunq; mihi sit dehonestamẽto.

Legerat opus meum Dẽ columnationibus architectus, & uix cachinnos sustinẽs ait: quæ nugatur Cælius, ego reapse faciam. Quom idem opus Antonius Constabilis percurrisset, quando est illi nuncupatũ, probo quidem hoc, inquit: sed quom substructionem tamen faciam, consilio utar architecti. At Cælius: sapis nimirum Antoni, ut cætera.

Oderat quidam umbram suam, quòd se uelut arbiter & Coryceus quidem sequeretur, nec per latum unguem abesset unquam. Quare illam pugnis & calcibus, interdum & gladio persequebatur. Sed quom illam acerrime reluctantẽ & ipso pugnante repugnantem, & gladium arripiente dimicantẽ, atq; ictus nunc inferentem nunc declinantẽ (eius enim motus omnes umbra imitabatur) animaduertisset: cœpit plurimum extimescere, nec aliter umbram quàm hostem reformidare. Quare aduersus soli aut lumini procedere recusabat. umbræ enim à tergo sequentis insidias uerebatur: præeunti autẽ ipse umbræ insidias struebat, & ex improuiso sæpe adoriebatur. Sed quom eam nunquam imparatam offendisset, uerum in omni pugnæ genere parem sibi atq; ad repugnandum expeditã, cautam & ingeniosam rem admodum umbram putabat. Quare habito cum amicis cõsilio eam mole aliqua iniecta elidere decreuit, secretissimo quodam loco, & (ut ipse putabat) umbræ imperuio. Erat enim locus sine lumine. decreuerat proinde mutatis moribus nõ umbræ amplius insultare, sed blandiri atq; amica uerba dicere, dum illam in insidiarum locum perduceret. Ad quem quom aliquando peruenisset, signo dato molem præcipitari iussit: atq; ipse ne eadem ruina allideretur, subito saltu se subtraxit: respiciensq; à tergo umbram quam mole oppressam existimabat, secum euasisse intellexit. Quare absumpto frustra omni consilio æger animo esse cœpit. Tum umbra, quid me inepte reformidas innocentem, quæ sum comes tibi, non hostis addita, nec sine tua internicione abigi possum aut aboleri. Te prius perire necesse est, ut peream.

Diogenes Cynicus interrogatus cur Magni Alexandri mensę inuitatus accumbere recusasset: mensam, inquit, dubiam non adibo.

Imputabat quidam amico quod per pluuiam penulæ suæ umbram accõmodasset: idq; quasi ingens beneficiũ magna aliqua gratitudine compensari contendebat. huic ille: parce, inquit, mecum expostulare: nec enim tecum ingrate agam, & quoties maxime esuriueris, large tibi culinæ meæ nidorem accõmodabo. Puto me deinceps minime ingratum appellaueris.

Audiuerat talpa senes, & quos iam oculorum acies defecerat, specillis affectos oculos su

los sustinere, & fugientem lucem coercere. Atq; illa, putans sibi nonnihil emolumento esse posse perpetuis tenebris damnatę, comparata naribus quasi forfices discunea tas inseri affigiq; iussit. Sed quom ea nihil prodesse intelligeret, quin etiam caput addita sarcina atteri & grauari magis cognosceret: nihil, inquit, iuuat industria reluctante natura.

Canis atq; aper fortè olim ea conditione amicitiam iniuerant, ut alteri alter suos dentes accõmodaret. exertos itaq; aper cani, caninos apro canis irrogauit. Sed quanta est, Di boni, facta protinus uirium utrinq; immutatio? Nam quom neq; canis satis sciret fulmineos illos dentes uibrare, neq; aper subulatos & acuminatos illos pectinatim allidere: & frustra canis aprugnis appetebat, & caninis aper irruebat atq; incursabat. Quare ignauam & inutilem prorsus cõmutationem eam agnoscentes, natiuis & genuinis telis maluerunt esse contenti.

Græculus in hanc sententiam Homericæ Iliadi carmen inscripserat.
Illa ego sum partus diuinæ uocis Homeri:
Quæ chartis, ceu fasciolis, excepta superstim.
Hoc quom argutus quidam legisset: grandis, ait, filia adhuc fascias terit.

Audiuerant aures à primis usq; naturæ incunabulis oculos sibi ideo præferri solere, quòd multo pernicius suo munere fungerentur, quàm aures. Atq; id ex eo prouenire ratæ quòd ipsę circa tempora, oculi in prima fronte locati essent: statuere & ipsæ in priorem partem diuertere. Sed quom mox præter id quòd cæteris sensibus impedimento essent, uultumq; deformarent, uentorũ etiam impetũ & frigoris inclementiam ferre non possent: obliſæ demum ac retortæ in pristinã sedem ingratis refugêre. Qua forma & in posterum damnatæ sunt à natura. Nam ea reclamante locum creditum sibi deseruerant.

Cõmendabat Crœsus rex Lydiæ memoriam suam Aesopo fabulatori, ut scilicet post cineres illa perfrueretur. Huic Aesopus: Minime, inquit, tibi rex negaturus sum, quod somnijs meis nunquam negaui. Ea sæpe à me precibus efflagitarunt in gratitudinis testimonium, quòd me noctibus inuiserent, ut eis memoriam diuturnam rependerem. Eam quom iure deberi intelligerem, libẽter adeò rependi: & nunc ea in Cimmerijs conuallibus summa cum hilaritate perfruuntur.

Noctu cum meis somnijs familiariter agẽs ab ijs percũctabar, cur Atlantes illos, qui soli hominum insomnij dicuntur, nunquam conuenirent. At illa, conuenimus quidem, sed non agnoscimur.

Reformidabant Apologi mei manus & conspectum Hippolyti principis. Audierant enim ex Tiresia in fatis esse, ut ab eo in inuolucra & segestria conuerterentur. Hoc eorum timore agnito Parca, Ineluctabile fatum est, inquit: sed uos ite confidenter, nusquam potestis felicius mori.

Pictor in perpetuo flumine spectans suam fortè in aquis uidit imaginẽ: eamq; coloribus exprimere uehementer optabat: arreptoq; protinus penicillo lineas ducere & collinere cœperat. Sed quom sæpius repetiti conatus perfluerent, & cursu aquarum auferrentur: secum ipse admirari cœpit, quomodo hoc fieri posset: ut imago staret, colores natarẽt. Huius admirationi arundo proxima fortè, in quam Di Syringa uerterant, ita adsusurrabat. Te stante, imago stat, quæ in te nititur. Non stant colores, aqua subnixi fluida.

Membra omnia corporis capitales olim inimicitias aduersus podicẽ exercebant: atq; illi aliquando apud Hippocratem summũ corporis uindicem diem dixere; sellu-

lariam autem illi desidiam fœtoremq; inenarrabilem, & omnium sordium conceptaculum: quodq; nulla pars in toto corpore magis pudenda esset; imputabant. At ipse innocentiæ suæ conscius minime iudicem recusauit, neq; uadimoniũ declinauit, sed ad clepsydram breuiter causam suam dixit. Nam & se ad corporis fores excubare, & quasi ianitorem à natura positum locum summa diligẽtia seruare respondit: quas uero sordes, quę excrementa membra cætera aut alerent aut conciperent, se fideliter euehere atq; exportare. Fœtoris autem causam nõ sibi qui sit natura defæcatissimus, sed ijs sordibus quas extruderet, adscribi debere: quin eo nomine gratiam non accusationem aut reprehensionẽ deberi, quòd pro reliquorum membrorũ salute in perpetuo squallore ac pedore uiuat. neq; pudendam aut pœnitendam partem corporis existimari oportere, sine qua homo diu esse non possit. Tutissimã uero potius ac repositissimo loco conditam, utpote quam inter geminas symplegadas natura locauerit. Audierat hæc Hippocrates summa attentione, req; mature animaduersa, pro pondere sententiam tulit: accusatoresq; sub perpetui palloris atq; internecionis cõminatione, ad persoluendum certum tributum damnauit. Atq; ex eo tempore σκατοφάγος nomen accepit.

Percunctabatur quidam cur cornicum & bubonum cęterarumq; obscœnarum auium garritus superstitiosos tantum terrerent, & non cæteros. Nil mirũ, inquit Democritus. Soli enim superstitiosi aurium fores garritibus protinus aperiunt, cæteris uix summam aurium chartilaginem adpultant.

Candens scintilla flãmæ ui in sublime adacta mirum in modum sibi placebat, putabatq; mox se in siderum consortiũ referendam. Sed uix spiraculi medium attigerat, quom extincta in cineres abijt, & fluida corruit.

Natura buxum oratorẽ ad Iouem miserat, ut perpetuum uirorem herbis & arboribus indulgere uellet. Iuit buxus, sed ante Iouem admissa postquam fidei literas reddidit, non cõmunem causam, uerum priuatam proposuit, ac perorauit: exorauitq; Iouem post longas preces, ut æternæ uiriditatis prærogatiua donaretur. Reuersa itaq; domum buxus, maximã sibi omnium inuidiam cõcitauit. Atq; ob id facinus in eam adeò natura exarsit, ut eam quoniam largitatem Iouis mutare aut reuocare non licebat, perpetua sterilitate damnauerit.

Viderat pauonem uariegato cultu & amictu Babylonico, ut ille ait, insignem coruus: atq; ex illo quasi molliciem obiectans, percunctabatur, quis eum pictor tam cõmode expinxisset? Cui pauo. ille prorsus, inquit, qui te tam graphice denigrauit.

Sordidus & detestabilis auaritiæ senex tyrocnestis mores damnabat, quæ multo plus trãsmitteret q̃ seruaret: quom ipse quasi Vestę faciẽs nihil quicq̃ efferret è promptuario uel natali die. Huic tyrocnestis. At ego sum multo meliore cõditione, inquit. Quicquid enim tibi seruatur, deperit. Quicquid mihi transmittitur, id omne usui est.

Gallus inopes mulieres, sellularios q; opifices, & uiros studiosos debere sibi plurimum iactabat: quòd illę ad pensum, illi ad opera, hi ad lucubrationes eius cantu excitarentur: atq; ita ab illis & uita sustineretur & quæstus fiat: ab his honor & immortalitas comparetur. Videbantur hæc uero proxima: donec uir quidam summus in iuris disciplina in morbum incidit, & ex morbo iugi peruigilio afflictabatur: & quod illi grauissimũ accidebat, antelucanis horis quibus gratissima ægris mortalibus quies arridere solet, gallus uernaculus, quẽ uir summus in delicijs habebat, & propè ut cognatum Pythagoræ uenerabatur, importuno cantu obstrepens omnes morbi inducias abrumpebat. Existimauit uir bonus gallum ipsius ægritudinis ignarum pro more ad studiorum uigilias uocare, atq; insuper illi pro diligentia gratiam habebat. At postquam uocatum ad se exorare non potuit, ut paucis saltẽ noctibus cantibus parcer et

ceret: quin & in cubiculũ adscitus & suauibus escis pastus: quo propius agebat hoc licentius & alarum plausu & intempestiuo occentu interstrepebat: apage, inquit, importunam bestiam, cuius conclamatio uitium est, non iudicium.

Festus ac profestus dies olim inter se rixabantur. Exprobrabat enim illi profestus & segnitiem & lasciuiam, & quòd quæ ipse per labores peperisset, ille per ocium absumeret. Tum festus, parce, inquit, tam nefanda eloqui, aut in te iram deorum iritare. An ergo ignoras me Dis gratias agere, qui tuos labores benefortunent? Benefortunant, inquit, fateor: sed tu fortuna perfruere. Si placet conditio, has clitellas arripe, ego Dis grates soluam. At festus. fieri posset quod ais, si nondum initiati ad mysteria admitterentur: sed illud nosti, ἐκὰς ἐκὰς ὅσις ἀλιτρός. ad hæc profestus erubuit.

Seres uermiculi quom tenuia illa sua fila depecterent, interrogati quid facerẽt: damus, aiunt, operam, ut quom magni illi, quos homines reges & optimates uocant uno Græcorum uerbo ὑπερφύας, raro superbi amictu prodibunt in publicum, sciant se splendere à uermiculis.

Interrogabat Morio quidam Socratem, cur deus stultitiam creasset. At Socrates, ut agnoscatur quantum prudentia præstet in rebus humanis. tum Morio, minime, inquit, sed ut homines habeant cur rideãt. Immo cur fleãt, inquit Socrates. est enim stultitia non ridenda, sed miseranda.

Præceps & cernuus quidam, qui ad silices cæteraq; id genus obuia imprudenter crura allidebat, naturæ uitio dabat: quare præpostere poplitem locasset, quam in tibię fronte locari oportuisse contendebat. Cui natura: quid amice quereris, nónne tibi istos oculos dedi quibus hæc discrimina deprecer is? At poplitẽ qua parte neruos porrexi, quæq; minus defendi potuit, nónne ibi quasi puluinũ adjici oportuit. Tum ille obstinatior, minime uero inquit. Nam si oculi præsidio esse possent, quomodo ego tibias attererẽ? At natura. Quoniã oculis non uelut oculis, sed quasi specularibus uteris. Qui pote? inquit ille. Quia ad oculos uocãda est mens, ut uideas: respondit natura: alioqui frustra oculos acceperis.

Vir hebes admodum ac miræ simplicitatis ex philosopho percunctabatur, cur natura geminas homini nares fecisset. tum philosophus homini hebeti physicam rationem reddere indignatus, quam minime captu ille assequi potuisset: respondit: ut altera bene olentia, altera male olentia possit explorare. Tum hebes ille, at qua nare obsecro, buxum explorabimus? quod nec bene nec male olere uulgo existimatur. Qua te ipsum planè odoramur, inquit philosophus, qui per Iouem mihi nec bene oles nec; oboles.

Quom Ouidius in Pontum ab Augusto relegatus peruenisset: solusq; in littore ageret, secum ipse uoluens cur locus ille Axenos prisca nuncupatione dictus fuisset, regionemq; & faciem loci miraretur: tum squallidum atq; horridum illi simulachrum sese obtulit, tacite percunctationi occurrens in hæc uerba:

Thessalus ó nunquam hoc tetigisset littus Iason:
Quom graue phasiacæ uellus adiret ouis.
Quòd si fata uiri fuerant hoc tangere littus:
At certè fuerat sat tetigisse semel.
Ne miseras cædes, nocturnaq; bella uiderem:
Strictaq; in exitium Cyzice tela tuum.
Quom mala Tisiphone dulces cõmisit amicos:
Impulit & magni ius uiolare Iouis.
Ille tamen nobis nomen grauis indidit error:
Axenaq; ex illo tempore terra uocor.

Scilicet hoſpitium fregit Pagaſea iuuentus:
Et luitur probro culpa aliena meo.
At tu hoſpes pia tura feras.nec nomina cures:
Dant adimuntq; homines nomina:fata manent.

Ad hæc Ouidius, ut erat totus & natus & effectus ad carmen à natura, totumq; habebat ingenium in numerato, hæc reſpondit ſubitario impetu.

Dant adimuntq; homines fateor, ſua nomina terris:
Dent adimantq; licet nomina, fata manent.
Me miſerum, quòd me non irrita nomina terrent:
Nec me per ſuperos fabula ficta mouet.
Sed facies inculta loci, damnataq; nimbis:
Perpetuæq; hyemes, perpetuumq; gelu.
Nubibus æternis ſuprà grauis incubat æther:
Et mons ſæuus aquis:& niue cinctus apex.
Illic Sauromatæ bacchantur, Iazyges illic:
Præſentemq; ferunt illa uel illa necem.
Dotibus his nobis ſeſe probat Axena tellus,
Exilio tellus addita pœna meo.
Hæc ſunt, quæ iuſtum poſſunt afferre timorem:
Naſoni nequeunt nomina ferre metum.

Quom amator quidã ſe annulum fieri optaret, quem aſsidue puella manibus uerſabat, ut eius amplexu diu perfrueretur. annulus indignationis impatiens exclamauit: ó te miſerum ſi & noſtras uices obire, & pudenda ac pœnitenda audire & perferre ſit neceſſe. Illa una felicitas eueniret, quòd inſanire & amare deſineres, quã odiſſe non potes: quom in ea nihil non odio dignum inuenires.

In tractu Pontico portus eſt Amyco Bebrycũ rege interfecto clarus. Eius tumulus à ſupremo die lauro tegitur, quam inſanam uocant: quoniam ſi quid ea decerptũ inferatur nauibus, iurgia fiant, donec abijciatur. Quom in eum portum ſorte nauis appuliſſet, nauta uectores ſuos admonebat, ne illam attingerent, neu quicquam decerperent: multisq; uerbis in laurum inuehebatur, eam ſæpius inſanam uocans, & ut ab inſana cauerent inclamans. Crebra itaq; inſultatione laceſsita Hamadryas, quæ arborem tuebatur, in hæc carmina prorupit.

Dic meliora hoſpes: nec te grauis implicet error:
Conciliet noxam ne tibi lingua procax.
Hic Amycus, diuorum Amycus contemptor & æqui,
Procubuit cæſtu Caſtoris: oſſa uides.
Tum uictor noſtris incinxit tempora ramis,
Et cinctum ramis plus ſapuiſſe ferunt.
At dedit inſanę mihi mox uictoria nomen:
Inſanos quoniam punio, non facio.

At inſperata uoce nauta exterritus puppi ſic clamat ab alta:

Feſtinate uiri, date uela, impellite remos:
Et ſecet æquoreas iam cita puppis aquas.
Nulla mora eſt: properate uiri, iam iurgia ſurgunt.
Iam furit, & lites enthea laurus agit.
Quòd ſi aliquis ueſtrum captus torpore moretur:
Cedere, ſed fruſtra cedere mox cupiet.

Quom quidam redeundum eſſe cum matre in gratiam diceret, idq; ſummæ pietatis indicium affirmaret, atq; eo nomine plurimum gloriaretur: uir bonus ſorte præſens, ego, inquit, cum matre mea in gratiam nunquam rediui: & hoc maioris pietatis teſtimonium puto.

Vir

Vir quidam sanè ineptus, sua culpa in paupertatem adactus, mores atq; homines sui seculi damnabat: & quòd suam paupertatẽ contemnerent: & quòd moriones pluris facerent, resq; omnes uoluptatibus posthaberent, acerbissime querebatur. Atq; ad hoc betę ac lactucę exemplis utebat: quorũ illam appositã non nemini degustare antiquis erat religio, quæ nunc uulgo reijcitur: hanc inter infaustas & soporiferas da pes olim habitam nostra ætas ciborum inuitamẽtis annumerat. Has ineptias quom forte audisset uir bene eruditus: at te inquit bone uir, neq; inter betas, neq; lactucas prisca ætas censuisset: sed planè inter arbutos, quos unedones uocant.

Incessebat ambitiosum hominẽ incredibile desiderium attingẽdi sydera. Quomq; è spiraculo culinæ principis magnã uim fumi ad cælum euehi anima duertisset: consilium cœpit erependi per tegulas, sperans ui erumpentis fumi, ut interdum solent arripi nube ranunculi, ita & se in cælũ pertrahi posse. Sed quom illo progressus præter aditum præcipitij periculum, etiam fumus oculos præter spem inuasisset: existimabat enim principum fumum non modo acapnon, sed meras delicias: pertesus consilij sui spem in lachrymas commutauit.

Indignabatur cubiculũ æstiuo tempore & puros soles & mites auras specularibus intercipi: tantaq; ira exarserat, ut ad illa excutiẽda properaret. Tum specularia metu perculsa exclamare: parce cubiculũ parce, nam si quid molestiæ æstate forte à nobis acceperis, at maxima utilitate posthac hyeme & uentos & frigora defendentia sarciemus. Inhibuit iram cubiculum, & arrepto meliore consilio specularibus pepercit.

Audierat quidam rationem Pythagoræ, qua ille probabat ignem ideo tam acrem tamq; paratum ad exurendũ, quòd eius forma pyramidẽ imitaretur, atq; ad penetrandum foret aptissima. Et mirum est, inquit, profecto nos homines huius pyramidis fastigium & acumen semper, basim autem & sedimentum nunquam arripere, utpote cuius attactu protinus offendamur. Tũ philosophus: ne mireris, ait. Cautus enim & promptus gladiator est ignis, statimq; in aduersarium obuertit aculeum.

Quom uir spectatæ prudentiæ, id quod plerisq; euenit, insanos filios suscepisset: eaq; res uirum sapientem male haberet: Grynæum Apollinem cõsuluit, cui deorum salutem filiorum cõmendaret. Tum uox è cortina. Harpocrati rite sacra faciunto. Is uel sapientiam reddet, uel stultitiam dissimulabit.

Quom ad Fusci tumulũ nuper uenissem, eiusq; aspectu memoria esset quasi refricata summi doloris, quem ex optimi & clarissimi uiri obitu conceperam: post longas lachrymas in hæc uerba sepulcrale carmen inscripsi.

Fusce tibi Musæ, Pallas tibi uel nascenti
Attulerant larga florea serta manu.
Et quom te mater luco peperisset opaco,
Protinus illustri te statuere loco.
Famaq; & ad cunas blandis Honor adstitit alis:
Illa caput myrto cinxit, at ille rosa.
Regibus hinc magnis, hinc magno gratus alumno,
Et rerum & regni munia solus obis.
At nunc Fusce iaces, & tot bona perfluxerunt:
Totq; animi flores deperiere tui.
Vna dies nobis longum decus abstulit: & tot
Annorum frugem colligit urna breuis.
At populus putat in primo te limine raptum,
Quom uixisse diu te tua facta probent.
Quod si metimur rerum monumenta tuarum,
Nulla ætas potis est, nulla abolere dies.

Quom

Quom hæc lachrymans & acerbo ſingultu perculſus dicerem tumuloq; annotarem: obſcura quidem, & ſubluſtri uoce, ſed quæ tamen aures attigerit, à tumulo reſponſum accepi.

Heu heu, quòd muti nil curant carmina manes,
Nil tumulus lachrymas, & cinis aure caret.

Athenienſis rogabat Spartanũ, quæ maxime mœnia probarent Lacones. At ille, quæ defenſore nõ egẽt, ſed ſe ipſa defendũt. Cur Lycurgus nõ ſcriptas leges tuliſſet. At ille, ut boni mores ſint his pro monumẽto. Cur oneroſa pecunia uterẽt. At ille, ut cito faſtidiãt. Cur breuibus ſicis? at ille: ut hoſtis propius adeatur. Cur breui oratione? at ille, ut cito ad rem accedatur. Cur ſine cæreo noctu ambulandũ. at ille, ut induſtria ſit pro cæreo, qui neq; igni abſumi, neq; uento extingui poſsit. Cur ante pugnam Muſis faciant. At ille, quod neq; auaritia neq; neceſsitate, ſed amore gloriæ pugnent Lacones.

Quom Timon in ea quam forte agebat ſolitudine, ficum unde multi ſe laqueo ſuſpenderant ſuccidiſſet, quod facturũ ſe in publica Athenienſium concione recepe-rat, ueritus multis occaſionẽ ſeſe enecandi ſublatã eſſe: uidensq; ſe conſueta uoluptate fraudatum iri, tabellam cum hoc elogio propoſuit. Si quis ſe penſilem facere uolt, excíſa ficu, ut id faciat licet. Timon tigillum & laqueũ parauit. Quòd ſi ceſſarit, Timon induet laqueum, ne locus uacet. Quom itaq; per urbem elogij ſentẽtia uulgata eſſet, expectabant omnes incredibili expectatione, ut Timon ſuſpendioſum ſe faceret. Et iam per uicos à populo clamabatur: quando te ſuſpendes Timon? Quorũ uotum quom diu Timon fruſtratus eſſet, in panathenaicis denicq; his duobus trimetris ſententiam profeſſus eſt.

Placere Timoni ſuſpendium poteſt,
Si diſplicere Athenienſibus poteſt.

In Megalenſibus ludis uictor magnum aliquod uictoriæ præmium ſperabat. Ecce autem è quadrigis deſcendenti plenum abſinthite poculum prætor propinauit. Quod quom ille contracto ſanè uultu & recuſanti ſimilis hauſiſſet: ad illum prætor: diſce fortunæ mores uictor, quæ ſuauibus & iucundis ſolet ſemper nonnihil amari intermiſcere.

Ardentis Semeles ardens puer excidit aluo:
Ardebatq; uno mater & ille rogo.
Et ſpes nulla ſuper miſeræ ſuccurrere matri:
At puer in flammis, non tamen uſtus erat.
Ogygis occurrit: ſed non prius attigit illum,
Succubuit multæ quàm Iouis ignis aquæ.
Ignis abit, ſed non abijt uix ignea prorſus:
Quicq; cuti ſummæ parcit, in ima furit.
Nympha igitur, procul ó puerum ne tangito, clamat,
Quiſquis es: ignis enim eſt, ni prius imbre laues.

Ceruos ceruasq; pariter ab initio rerum cornupetas natura creauerat. Sed quom fœminę inſolentia uterẽtur, ſeq; maribus ſtuderẽt præferre, indignata natura cornua execuit, & ut in poſterum excornes naſcerentur perpetuò damnauit.

PROMETHEVS ET MERCVRIVS.

Quo Mercuri tam perniciter? M. Ad carnificinam. P. Qui pote ad carnificinam? M. Ita coniugales rixas uoco. P. At qui rixantur? M. Cũ Bathycide Nauclerus, id eſt cum Furia Cerberus. P. Egregium par, cũ Bitho Bacchius. Sed nun' tu modo ab ijs redibas? M. Redibam ſanè. P. Atqui reuolas nunc

nunc. M. Ita est. Hydram Euro, rixa rixam parit. P. Miserum cõiugale consortiũ. M. Immo insanum. Non enim recte miserum dixeris, quod miseriã sponte aucupatur. P. Sed ubi obsecro caduceum? M. Sub sago abditũ. P. Cur præter morẽ sub sago? M. Pudet effari, sed uale, nam propero. P. Ne pudeat, dic ingenue, dic Mercuri. Quid amabo de caduceo? M. Dicam tibi, sed uni. At tu ne cuiquam dixeris Prometheu. Attritus est & confractus caduceus (me miserum) uxorijs litibus.

AD GRALLATOREM.

Cum tibi Myrmicinus grallator ἰῶπα uocetur:
Te, qui magnus homo es, num bene λάμβδα uocem?

Prope frutices & paliuros fortè natus fœniculus erecta coma (ita muscarium appellabat) & tereti crure (est enim è ferulaceo genere) mirifice à uicinis & finitimis amabatur: quos etiam ad se amandum suaueolentia inuitabat. Quare eius sortem miserabantur quòd uiatores & prętereuntes omnes quoties pertransirẽt, ex eo semper aliquid decerperent. Et sæpe illum admonuerãt, ut sese intra uepres abderet, atq; ibi deliteſceret, ne obuius omnium iniurijs prostaret. Tum fœniculus quasi philosophiam de Platone, uel animi magnitudinẽ è Lycurgo didicisset: Ne uos, inquit, sors mea cõmoueat: euehit enim me ad cælestem gloriam liberalitas mea. Nam hanc comam atq; has opes quas mihi ad paucos dies hyems est ademptura, quo loco possum prę clarius exponere quàm in munificentia, quę omnibus mortalibus usui sit? Et si pereundum est, ceu natis omnibus pereundum est, ubi possum felicius quàm in manu hominum perijsse?

Percunctabatur uenatorẽ asinus, cur ceruus tam grandibus cornibus prædituſ, uiso tamen hoste quàm primum à pedibus consilium caperet, & salutem fuga quereret. At ille, ut intelligas, inquit, nihil arma prodesse, si animus defuerit.

Accepimus Orpheum ex eo tẽpore, quo & amare, & amare frustra Eurydicen cœpit, quoties se ad canendum accingeret, hac præcentione, quam πρόοιμιον Græci uocant, usum fuisse: atq; ita citharam fuisse allocutum:

Plectrum age si potis es, si quid te gloria tangit:
Flectatur q; sono dura puella tuo.
Traxisti, fateor, uicino è uertice cautes:
Vidimus ad cantus obstupuisse feras.
Accurrit ceu quæq; fuit tibi proxima quercus,
Cum fibris quercus sponte reuulsa suis.
At tibi nil actum. Eurydice nil carmine mota est,
Caute, feris, quercu durior Eurydice.

In conuentu olympico fortè sapientiæ stultitia occurrerat. Erat autem magna sapientiæ existimatio. Quare omnes in eam oculos uerterãt, persuasissimum habentes ab ea aduersariam ictu uno allisum iri. Sed ibi pręter expectationem res euenit: & ut est audax stultitia, in eam irruit: probrisq; & pugnis male habita sapiẽtia uix tandem euasit. Interrogata uero cur uim ui non repulisset, respondit: Quid si me asinus percussisset? Rogata etiã cur probra probris non retudisset, πάντα καιρὸς inquit. uulgo itaq; illusa atq; irrisa abijt. Et ex eo tempore stultitia melior & promptior existimata est, pluresq; & fortiores habet sectatores.

Post debellatos gigantas Iuppiter ex ambustis marmoribus, quos Tephrias uocant, tropheum erexit sic inscriptum. Iuppiter pater semper uictor expugnatis ac protritis gigantibus exemplum & monumentum posuit mortalibus. Huic proximum alterum è cruentis lapidibus, quos Porphyrionis sanguine tinxerat: quare &

Porphy

Porphyritas illos uocamus: Mars ſtatuit cum elogio. Diſcite iuſtitiam moniti & non temnere diuos. Mars inuictus de uictis gigantibus Ioui patri ſemper uictori.

Proinde & Tephrias & Porphyritas, id eſt cinericij & purpurei coloris marmora, plerũq; in tẽplis ſtatui, Pronœæ anus ſtoicorũ æditimus mihi ſignificauit, ut eorũ aſpectu poſteritas admoneatur, nec Dis reluctari, nec pietatẽ diſsimulari oportere.

Muſca in certamen deſcenſura (nam forte inter muſcas bellum ingruerat) culicem rogabat, ut ſibi buccinum & ſpiculum tantiſper accõmodaret, dum receptui caneretur. At culex: fortunæ munera accõmodari poſſunt, naturæ non poſſunt.

Rogabat cochleam limax, ut ſibi in eius domo locus præberetur: ut ibi eſſe poſſet, dum frigoris inclementia remitteret. At Cochlea, aliunde petendum eſt, inquit, hæc uix me capit.

Proteus abducente Helenam Paride.

Ibat optata tumidus rapina
Paſtor Idæus: ſecat alta puppis,
Et replet blandis Cytherea uictrix
Carbaſa uentis.
Prodeunt nymphæ uirides ab antris,
Et fauet natæ Iouis omnis ordo,
Surgit excitus ſtrepitu à profundo
Gurgite Proteus.
Iamq; proſpectans, mala quanta ſecum
Ferret inceſta ratis aucta præda:
Fata ſic cœpit reſerare nixus
Murice uiuo.
Lætus ah lætus properas per undas
Dyſpari: nam te Pari non uocabo:
Quippe mens plerunq; hominum futuræ
Neſcia ſortis.
Quanta per campos Phrygios procella
Scæuit? ah quantos Simois cruentat
Vortices? quantis Priami remidet
Regia flammis?
Illa quæ gentes domuit rebelles,
Illa tot ſubnixa caput triumphis,
Nunc cinis tantum, ſupereſtq; Troiæ
Nil niſi nomen.
Dicta enim cunctis populis dies: &
Par manet finis, uicibusq; certis
Regna ſtant, & regna cadunt: mouet ceu
Iuppiter urnam.

Vir diu in aulis regum uerſatus, & qui uulgo multæ exercitationis, multiq; conſilij habebatur: audiens alios ſuadentes polypi mores imitãdos eſſe, qui ſe rerum & locorum coloribus accõmodat. Alios hortantes, ut ſepiæ aſtum ſequeremur, quæ aquas atramento obturbat, atq; ita deliteſcit. Alios monentes, ut in uita ceſtreũ ducem haberemus, qui deprehenſus ſaltu retia tranſilit: alios item ſuggerentes, ut moreglani auerſi eſcam uoremus. Contendentes etiam alios moribus labracis obtemperandum, qui obuerſus furtim ſeſe naſſa liberat. At ego, inquit ille, acipenſerem uobis appono. huic præpoſteras natura ſquamas dedit: ut fluctibus parendum & ſecundo flumine natãdum intelligat: nam illi planè Fortuna ſolet arridere, qui (ut ait poeta) nunquam direxit brachia contra torrentem.

Circum-

Circunſtrepebant conopeum culices, orabantq; ut uel tantillum aditus daret, ut ad delibandam puellam accederent, quæ molliter ſomnos capiebat. Tum conopeum: cum pertinace res eſt. deſinite quicquam ſperare.

MERCVRIVS, DIOGENES.

Hoc unum etiã dic obſecro. M. Iam unũ hoc ad decada excreuit. D. Sed tu nos & decada unũ eſſe docuiſti. M. Quo uero in gymnaſio? D. Italico ſanè: cui Pythagoram præfeciſti. Nam & unum eſſe plures & plures unum docebas, nunc actu, nunc poteſtate. M. Mitte argutias, & apud negotioſum atq; aliud agentem fac uerbis compendiũ, iam enim mihi aures attriuiſti. Quid tandem eſt quod à me uelis? D. At me libens audi beliſſime Mercuri. M. Dic aliquando, alioqui me actutum in pennas dabo. D. Expone ſis, quid eſt quòd hiſtrionibus, morionibus, planis, & id genus inſanientibus fauet adridetq; adeò Iuppiter, ut eos propè habere in delicijs, ſapientes uero & philoſophos nõ modo aſpernari, ſed & infenſos habere & inopia & magnis calamitatibus perſequi uideat? M. Myſteria petis à me Diogenes. D. Sed eñ initiatus ſum. M. Initiatũ planè te putabo, ſi per canicipitẽ Anubin deieraueris, te hęc in arcanis habiturũ. D. Et per Anubin, & per Siriũ & per Procyona & per Herculẽ autorẽ noſtri dogmatis: per totũ denicq; Cynoſarges, quæ mihi ſanctiſsima ſunt ſacramenta, me nunquam myſteria editurũ in uulgus ſanctiſsime adiuro. M. Nunc itaq; breui rem audi. Philoſophorum genus quale putas? D. Diuinum & longe ſupra hanc mortalitatem. M. Falleris bone Diogenes, inane eſt, opinoſum, nugiuẽdum, impoſtorium, Dis inuiſum. nã & de Dis multa mẽtiuntur, & plerunq; peſsima ſentiunt. Et hos, quom omnem ætatem in figmentis uel dei uel naturæ, in rancidis & puerilibus contentionibus abſumpſerint, neq; arent, neq; ſerant, neq; merces cõmutẽt, neq; reip. uacent, neq; quicquã agant uitæ cõmodum: miraris tamen & egere & pro ſomnijs ſomnia metere. D. Rem certè nouam aperis Mercuri. At ego nullos Dis gratiores philoſophis putabã, qui de ipſis quotidie magna quædam & noua cõmentantur. M. Rem tenes. Imo uero ni ego ſępe interceſsiſſem, de eijciendis ablegandisq; philoſophis deorum s. c. confectũ eſſet. Dicunt enim Di nõ eſſe è rep. ut philoſophi mortale genus inſatuent: cõmodiusq; ſimplicitatẽ cẽ philoſophiã apud homines uerſaturã. D. Eſto ſanè de philoſophis, quod dixiſti. De hiſtriõibus uero & morionibus & id genus alijs qd affers? M. An tu beneficijs referendã gratiã putas? D. Planè. M. Atqui nulli hominũ generi magis debet Iuppiter. D. Quipote? M. Audiſtin' Iouẽ ſtatim natum ab Ope matre diſsimulatum, ſuppoſitumq; pro illo lapidem & obiectum Saturno deuorandũ? D. Audiui ſanè, ſed quid tum? M. Cum eius itaq; furtim mandanda eſſet educatio, ſapiẽtes primo uiri mox cęteri ſuo ordine rogati ſunt, ut Iouis curam ſuſciperent: ſed alij alia cauſati operam ſuam ſubtraxere, ſoli hiſtriones, moriões, plani, & huius generis cęteri, quos Curetas & Corybãtas appellamus, & ſaltu & tympanis & ſanica ſedulitate tum Iouem tutati, tum deos omnes promeriti ſunt. Quare hos Iuppiter & liberalitate & munificẽtia præ omnibus maxime proſequit. qua in re quom aliquãdo à Momo culparetur, ita palàm profeſſus eſt: ſi graſſatorum & ſicariorum ope in tuenda ſua dignitate & ſalute uſus eſſet, talibus quoq; ſe parem gratiam relaturum. Sed tu hæc minime cuiquam efferre memineris. nam ſi hæc in uulgus prodeãt, periculum eſt ne gymnaſia & diatribæ in quibus ego color, deſtituant, & planè omnes ad hiſtriones deſciſcant. D. Ne dubita Mercuri. His enim quę dixiſti, ſolus ipſe mecũ in ſinu gaudebo: & poſthac philoſophos, quos prius mirabar, uaniſsimos putabo: & ſimplici admodum uitæ genere utar: & me quaſi humani generis hiſtrionem profitebor.

Amicus meus uir multæ ſuauitatis hoc modo ad Quintiæ tumulum, quam perdite amauerat, ſuccinebat.

Defle amor ad tumulum, ſolue Elegia comas.
Myrha tuos crines, pone, Hyacinthe tuos.

Quintia obit, sed non Quintia sola obijt.
Risus obit, obijt gratia, lusus obit.
Quintia obit, sed cum Quintia & ipse obij.
Nec mea nunc anima in pectore, sed tumulo est.
Hei mihi, non posthac decipietur amor,
Quoi mater crebro Quintia uisa fuit,
Incp huius posuit nescius arma sinu.
Arma, inquam, quæ me surripuere mihi.
Heu heu, triste iugum quisquis amoris habet:
Et prius, ac norit se perijsse, perit.

Quom pater forte audisset duo celeberrima esse in orbe terrarũ gymnasia, in quibus adolescentes erudiri solerẽt: ad Indos alterum, in quo ob caloris magnitudinem auditorũ aures semper paterent, sed uoces ita liquescerẽt, ut uel statim uel certè mox effluerent: ad Hyperboreos alterum, ubi frigoris ui uoces adeò torpescerent & cõgelascerent, ut uix demum superueniente æstate resolutæ auditorum aures transmearent: cõsulebat Solonem ad eorum utrum filium disciplinæ gratia mitteret. at Solon, optio tua sit, sed ego Hyperboreos malim.

Post Leandri & Herus infortunium ferunt Sestiacos lucernam illam nocturnę natationis testẽ Anteroti consecrasse, addito titulo. Anteroti sacrum. Qui se felicem in amore probauerit, hanc succendito. At qui eam succenderit, ad hanc diem inuentus est nemo.

Musculi domestici, caduceatore usi sciuro, cum Aeluro delicio meo & chartaceæ supellectilis uindice fœdus in hæc uerba percussere: inter Aelurum Myagrã & uernaculos musculos tantisper fœdus esto, dum nullam supellectilis partem polluant: nihil è penu absumant, rebus herilibus abstineant: sin secus facere aut fecisse deprehendantur, sublato fœdere hostiliter infensa infestaq; omnia sentiãt. Sed paucis post diebus quom deprehẽsos è musculis aliquot sepaceum lychnum abligurientes Myagra inuasisset, atq; obtruncasset: illi sibi iniuria uim illatam querebãtur, & uiolati fœderis & parricidij iudicium apud Cercopithecum intentabant. Nec renuit conditionem Myagra: sed ad diẽ certis testibus probauit: musculos neq; arare neq; serere, sed Cyclopiam uitam ducere & rapto uiuere, neq; fœderi stetisse. Quare musculos iure cæsos Cercopithecus pronuntiauit. Mœsti itaq; mures iudicio abeuntes secum ipsi consultabant de summa rerum. tum unus è decurionibus ætate grandior, Accipite, inquit, oraculum: aut omnibus nobis cadendum, aut omnibus propere fugiendum est. nunquam enim inter eos conueniet, quibus natura dissidium indixit.

Ridebat philosophum Pyrrhoniũ Diogenes, suam illam ἀκαταληψίαν pertinaciter tuentem: quom ille omnia uideri & re ipsa nihil esse obstinate contenderet. Tum Diogenes sublato baculo hominis humeros & caput cœpit contundere. At ille propere ad iudices profectus iniuriarũ agebat. Vocatus itaq; in iudicium Diogenes iudices rogabat, ut accusatore præsente sibi causam dicere liceret. Id quod iudices facile permisere. Tũ Diogenes, quid ais bone uir? inquit. an ego iniurias feci tibi, an fortè facere uisus sum? At ille memor dogmatis. Prorsus, inquit, iniuriam non fecisti mihi Diogenes, sed profecto facere uisus es. atq; ob id te in iudiciũ uocaui. Tum Diogenes: Accusationis, ait, formulã audistis: & ego me ultro sanctissimo iudicio uestro permitto. Mox eum iudices absoluêre omnibus suffragijs, quando nõ in eum qui uideretur iniuriam intulisse, sed qui re ipsa iniuriam intulisset, lex pœnam statuisset.

Texerant discipuli pallijs Cratem cum Hipparine concumbentem. At Crates: Si colono uitem aut arborem plantare turpe non est, cur mihi plantare hominem rem tanto clariorem turpe sit? Tum eius sectatores, Atqui hoc uulgo fœdum

uulgo fœdũ pudendumq́ existimatur. At Crates, nec hoc profecto, inquit, male ceciderit, si magni isti qui uel Herculem uel Pelopem uel Cecropem progenitores iactant, quàm fœda & pudenda origine nati sint intelligant.

Citharœdus qui arte sua quæstum faciebat, ad aulam auari & præcupidi principis peruenerat: optabatq́ illius aures demulcere, quo ipse nõnihil lucelli emulgeret. itaq́ adiens prudentem & bene doctum hominẽ, qui moribus suis promeruerat esse principi & ciuibus quàm charissimus, ab eo percunctabatur, quo maxime nomo (ita cantilenæ legem uocant) posset aures principis tenere. se enim nuperrime Phrygijs modis mellitissimã cantionẽ parasse iactabat. At uir ille singularis prudentiq́ uolens tacite admonere, principẽ parum hoc suauitatis genere oblectari, Nolo, inquit, te bone uir falli. noster enim princeps minime Phrygios modos amat, sed Doricos tantum. Hos si sub manu habueris, non hominem natum magis allexeris.

Iners & perditissimæ desidiæ uir pertesus ignauiam suam, ut se aliquando excitaret cœpit tergus suum flagello uerberare. huic tergus: peruerse facis qui currum instiges, quom tibi equi instigandi sint.

Pastor Libycus cuius armenta leo creberrime infestabat, centum bobus se leonis dentes unguesq́ empturum promisit. At leo forte fame uexatus conditionem accepit: sed paucis diebus exarmatus inedia perijt.

Inter noctem & diem perpetuæ sunt inimicitiæ, semperq́ aduenìente crepusculo inter se digladiantur. Illud uero contingit admirabile: ut neuter uincat, nisi uictus: neuter uincatur nisi victor. hoc scilicet statuit deus perenne, ut agnoscatur rerum uicissitudo.

Ad Iouis conuiuium, quod publice omnibus datum est quom primum Iunonem duxit uxorem, Persarum optimates, quos Satrapas uocãt, magna frequentia conuenerunt. Erat inter eos Chrysalus prædiues, aureo & manicato peplo, tiara etiam aurea conspicuus, alioqui multæ leuitatis & nullius prorsus homo consilij. ingredienti huic multo fastu, non homines modo, uerum & deorum plurimi ex habitu mores metientes assurrexere. Sed quom hominis ingenium, leuitatemq́ & insolentiã Iuppiter perspexisset: at tu, inquit, esto bambilio. Protinusq́ uestis illa manicata in amplissimas alas conuersa est: & nunc miser ille uolucer factus uolat inter Holoptera: atq́ eum uulgo mortales Chrysalidem uocant.

Legerat quidam apud Orpheum, Noctẽ ouum hypenemium peperisse, ex eo Amorem natũ. Sanè, inquit ille, Orpheus ueritatem attigit: nam & amatores in perpetuis tenebris uersantur, & amore uanius ac subuentaneum magis nihil.

Vir parũ cautus, sed qui de pernicitate sua sibi omnia pollicebatur, audierat solem inenarrabili uelocitate circumagi: remq́ oculis & sensu suo metiẽs, certũ mendaciũ putabat omnes philosophorũ in ea re probationes. Quin ad id insaniæ peruenit, ut posito pignore se cursu cũ sole certaturũ profiteretur. Itaq́ præscripta die certamini, licet multi illudentes hortarent ut statim à prima luce cursum præoccuparet: non faciam, inquit, ut quisquã me hoc fretum auctario certamen inisse calumnietur: aut sol se hac occasione uictũ excuset. Expectatoq́ meridie quom sol ad parẽ lineã ueniisse uideretur, ille dissimulante primo cursu & quasi per iocũ, mox quanta poterat pernicitate in cursum effusus solẽ adequare adnitebat. Quẽ quo pernicius incitatiusq́ sequebat, hoc se maiori certioriq́ interuallo superari intelligebat. Quomq́ ille non dũ quingẽtos stadios cõfecisset, iã sol peracto medio cæli spatio planè occiderat, finitoremq́ nostrũ peruaserat, integris uiribus & nihilo ad omnẽ ambitũ perficiẽdũ segnior. At ille uirib. exhaustis, luxato corpore, uix animæ capax in stadio ꝓcubuerat, in-

ſcitiamq; & tarditatem ſuam accuſabat, quòd nõ antea proſpexiſſet, uires humanas diuinis nulla ratione poſſe conferri.

CAELII CALCAGNINI ORACVLORVM LIBER.

Non tractanda moues, cur unguis in ulcere ſæuit?
Quom terret Rhenus, Rhenus ciet agmen aquarum,
Atq; paludatos ſub uortice miſcet aſellos,
Indigenas Portumne tuos, quid Tibris inundas?
Intempeſtiuo quid linquis in aggere rupis?
Quid cano canos conſumis tempore crines?
Inconſulte ſenex longum Metanœa laborem
Apparat: incertis nunc demum certa reſarcis.
Nunc fruſtra Rhodanum, fruſtra nunc deniq; Betin
Anchora fracta uocas: ſed enim durum omnia fatum
Implicat: & Rhodanus lentum conuerſus in Oenum:
Et deploratis protuberat hiſpida aſellis
Talorum concreta ſeges, iaculantur in orbem
Quò furor & ſceuæ iubet inclementia tedæ:
Inſiduntq; altis in piſtribus, aſpera circum
Monſtra maris totis ſublatis frontibus horrent.
Ecce autem ſeſe comunt Nereides alga,
Et nobis Pæana canunt, ruit omnis ab alto
Axia, & in radios decircinat uua racemos
Autores tantorum operum: cui Pimpla corymbos
Noſtra tulit, uos rurſus uoluite penſa ſorores
Hactenus Italiæ nobis licet ire per oras.

Vnde hęc uox auribus intonuit? quóue ex hypogeo prodijt ille cõcentus? Aed. St. parce, parce occinere, nõ uox, nõ concentus ille: ſed Enthuſiaſmus, magni ac uenerandi Apollinis. Caueſis obſtrepas. Nunc enim nimio plus cortina laborat: nec tantum mugire poteſt. multi enim importuniq; conſultores quotidie hunc lapidem atterunt reſponſa expetentes. A. Quid uult concurſus ad aras? quidúe petunt? Aed. Magni toto orbe bellorum motus, gentes conſternarunt: aguntur itaq; ſpe ac metu atrociſsimis impotentiſsimisq; humanarum mentium tyrãnis. Suſpenſi igitur ſcitatum ueniunt oracula Phœbi. A. Ardeo deſiderio cognoſcendi qualia petãt illi, qualia ille reſpondeat. Aed. Qualia uero putas? niſi inepta, inſana, ridicula percunctentur illi, in quibus facile ſani nihil agnoſcas: ambitionis, cupiditatis plena atq; inſolentiæ, quibus prorſus ſtomacheris: quom tam incerta, tam lubrica, tam ſubſultantia, quid uero dicam? quom ſibi & ſuis pernicioſa ac plerũq; in caput reditura excupiant, & quę accepta mox damnent. uſq; adeò uota hominum pœnitenda ubiq; occurrũt. quin Apollo ipſe perſæpe indignat, quòd ad eũ tam impudentia referant. ſed pulchre ipſe illudit, inſultatq; & quaſi reponit contumeliam. Nam obliqua, ambigua, contorta, multoq; incertiora reſpondere ſolet: iactoq; ſcrupo illos diſcruciari & quaſi è cruce pendere ſinit. A. Quid ſi uelit certa indubitata & comperta reſpondere, an liceat? Aed. Riſum cies, ſed non hæc promulganda. A. Dic ſodes, ſi uelit ille, an aulæum adimere, & totum chorageum detegere, omnemq; nubem reſponſis queat detergere: dic rogo per illum ipſum Apollinẽ. Aed. Quipote plus id poſsit q̃ tu aut ego? Vnde eñ futura minus illi futura, aut magis præſentia, quàm nobis? A. Ain' uero? nõ igitur ſerio aut ex fide dixit ille: Quiſquis deus eſt & quacũq; in parte, totus eſt ſenſus, totus eſt uiſus, totus auditus, totus animę, totus animi: & qui ſecula omnia illi præſentia exiſtimauit. Aed. De deo quidem longe altior quæſtio. Nam Plato facile dixit deum indagine perquirere, inueniri autẽ poſſe nunquam

quam. Et Osiridi Aegyptio hæc forte cõueniant, qui ab oculorũ multitudine nomen accepit: aut Ioui Aratæo, cuius sunt omnia plena: aut Orphico, qui est quodcũq; uides, quodcũq; mouet. nostro aũt Apollini quomodo illa cõueniant, nõ sanè uideo. Si enim Apollinẽ solẽ iure existimamus, en per duodena regit mundi sol aureus astra. Qui si ubiq; præsentia omnia haberet, quid opus tam cõtinua pernicitate? quid tãto anfractu, tot cæli plagas obire, ut tempora, dies, annos, menses, horas, uer, æstatem, autumnum, hyemem, metiatur aut distinguat. Ita uelim habeas: præter summũ illum rerum opificem mortaliumq; atq; immortaliũ rerum arbitrum, neminẽ esse cui uenturi temporis ratio constet. Quod si quid cuiquam fortè huius numinis contingat, huius unius omne id beneficium est. & autore quidem ac consentiente poeta hoc dicimus. Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo prædixit. Ille autem pater omnipotens is est, qui Nicocreonti Cypriorum tyranno his uerbis suam formam expinxit, Græce quidem, sed quę nos ita latina fecimus:

Sum deus his membris compactus, qualia dicam:
Ornatus cæli uertex, uenter mihi pontus:
Sunt mihi terra pedes, summo stant ætheris aures.
Sunt oculi nitidi splendentia lumina solis.

Nec profecto quisquam Apollinem mẽdacij potest insimulare, qui clara atq; adeò exerta uoce mortalibus sæpe dixit:

Quid frustra petitis, non nostrum est scire futura.

At illi obstinatiores, & in ea quæ negantur magis magisq; obluctantes, non desinũt responsa extorquere cõuicijs, & mouere nõ mouenda: & ne gratis insaniãt, magna & opima munera afferunt: ut scilicet charius discãt ineptire. A. Rem uidelicet uobis ingratam insuauemq; facientes. Aed. Immo gratam & expetitam & ad helluationes aditialesq; epulas nostras oppidò quàm opportunam, ut hinc expostulãdi nobis cum Apolline occasio data sit: quibus fames & internecio imminebat illo conticente, nisi nos actutum ab offucijs consilium cepissemus: exornatoq; præstigiatore aliquo ex nostris popularibus, supposititia personataq; responsa edidisse mus. A. Opto ex his aliquot cognoscere, ut quàm belle commenta uobis procedant intelligam: nam si quæstus arriserit, nulla mora est & qua ducitis adsum pari religione initiandus. Aed. Dies multos per inediam egeramus, iamq; donaria conuellere cogebamur, & flauissas penitiores relinere. Adibant enim frustra mortales oracula, & adyta araneis obsepta obmutuerãt: cum Gallus quidam è proceribus morbo laborans intercute, quem ex crapula (puto) contraxerat, obeso uentre, torosis lacertis, prominentibus labris, glabro caluicio, torque alioqui insignis, & frequenti famulitio. Rogabat autem Apollinem, consuleret: qua ratione sine morbi præiudicio posset gemmatas lagenas haurire: magnamq; ad id mercedem pollicebatur, scutatos bis mille. Tum nos inspiciẽtes tam opimam, tamq; paratam prædam oblatam nobis diuinitus, diximus Apollinẽ diu sceleribus hominum indignatũ responsa denegasse. Tunc demum eius motum pietate statuisse cum hominibus in gratiam redire: reuerti itaq; post triduum deberet, atq; interea maiores uictimas lautioraq; sacrificia instaurare, & in templo lectisternium pararet, pellibusq; incubaret, tertia trinoctij uigilia responsum accepturus. Quæ omnia quom luxu barbarico lautius etiã instruxisset, nos per mediam noctem aptissimo usi puluisculo, sulphurato nitro attritoq; carbone confecto, eoq; tenui admodum funiculo delibuto, momento paratas lampadas omnes accendimus: ingensq; lux protinus nocturnas omnes tenebras ablegauit. Tum è nostris quidam ad hanc scænam formatissimus cõspicuo & habitissimo corpore, totus mattiacis pilis perlitus, corona redimitus, crinesq; habens ramentis auri aspersos, stellato peplo insignis, ex antithalamo prodijt expapillato brachio citharã gestans: atq; tamen furtim, ut uix agnosci posset, hęc angusta, sed uerenda admodum uoce pronuntiauit:

Thesprotios cineres Nabatheaq; lilia misce.
Iunge latus catulo, femur hiatum iunge.
Naritiumq; piper terras cum Syrius urit

Clunibus admoueas: sed clunes dropace leua
Castoreumq; linas. tum masculapellis hyenæ
Virus in exertos inspiret nocte molares.
Terq; pedes, bis terq; caput sub gurgite Hydaspis
Merge. trientales demum continge dyotas.

A. Concinnum planè pharmacum egregij medici commenti estis. Quid uero ille? An his acquieuit ambagibus? Aed. Quid ille his acquieuerit, quæ admirare tur magis quàm intelligeret. Quod unum licebat ostentabat, prędicabatq; omnibus se dignum habitũ uoce numinis, tricliniaresq; omnes crateras, stragula & cæteram supellectilem dono deo reliquit: & pro bis mille scutatis regijs, ter mille elargitus est. A. Liberaliter sanè ac pollucibiliter. Sed quoniam me mire oblectauit quod modo enarrasti oraculum, amabo animi ac uoluptatis gratia, quando nihil agendum nobis uacat iucundius, alia item mihi enarra: quo ego posthac ijsdem sacris cõfarreatus mysteria & teletam uniuersam ediscam. Adde etiam, si lubet, eorũ percunctationes qui oracula adiuere. Quo utrũq; exploratũ habeam, & quid illi petierint & quibus præstigijs uos eorum uotis occurreritis. Aed. Longi subsellij rem petis, nec quæ à me facile expediri possit. Sub compendio tamen quædam colligã, quæ si non ex asse, ex sextante tamen tuæ uoluntati responderint; atq; ita ut se memoriæ obtulerint, neq; serie, neq; tempore obseruato expromam. A. Fac ut lubet: quicquid enim illud, mihi gratũ futurum puta. Aed. Eorũ rogationes edam, quibus mox subdã responsa, fuco omni, omniq; emblemate reiecto. Salue Apollo, salue Pæan. Carolus Gallorum rex Neapolitanos inuasurus festinat. Honores tibi meos cõmendo, ne miser ego è dignitate excidam, quæ multo mihi uita ipsa charior. Qui enim ego sine magistratu uitalem uitam agam? dic Apollo, dic obsecro quid futurũ? Quos penes futura uictoria, ut qua ratione existimationem tueri possim intelligam. Tu Hecatombam expectato. Eutychus Numini & maiestati tuæ deuotissimus. Cui nos Apollinis uice.

Vincent, non uincent, qui sese uincere malunt:
Sedigiti uenient Erythreo ex æquore cancri:
Concha maris fias, cui tortile spuma cacumen
Ambit: & hirsutum ne dedignere tarandrum,
Pastoremq; sequi sub murice Palleneo.

Mollissimus etiam quidam ex his qui corpore quæstum faciunt, domini gratiam forma promeritus, quom iam exolesceret, Apollinẽ adijt his uerbis. Formosus Phanius formoso Apollini salutẽ. Myrobrechati cincinni mei, osculũq; hoc pudicolore, quod amãtes mille optarunt dissuauiari, prò nefas ceu flosculus flaccescẽs euirescit. Subsiste Apollo, ætatemq; ingraueſcentem suffrena. Sentio enim me iam domino uiliorem pristina indicatura destitutum. Baltheolos meos, speculumq; famiatum tibi dicabo. per meam Iunonem adiuro delicium gentium commendatum habe. At nos ita illusimus:

I puer & Libyam & molles accede Gelonos:
Quaq; Erycina solet uentris deponere pondus,
Hac septem prostare dies, noctesq; memento:
Quæq; solo inuenies, mater linat œsypa fronti.
Caulis adoptiuus thalami subsellia uincat,
Suppositæq; nuces lasciua per atria currant.
Myrteolos demum flores adolere Napęis
Cura sit: & quoties primum uaga lumina Phœbe
Sustulerit, succide comas. Sipyleiaq; æra
Admoueas sicæ: sicam opprime corda iuuentus.

Salacissima dehinc mulier planè tentiginosa, & pruriens (ut aiunt) usq; ad umbilicum: qualem comicus recellicuniam appellauit, ad nos uenit cum uitellianis tabellis hoc inscriptis elogio. Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras quid ego tibi uota mea subducam? Tu enim tacitos animi recessus illaberis. Misella ego tot experta

perta uiros aliarum mulierum cõmendatione celebres, sola inquam ego euiratos è-mentulatosq; deprehẽdi: nec plus sanè penitos quàm bimuli trimuliúe infantes. Succurre huic desiderio. Doce ubi inueniam qui huic uoto honesto sanè & mulieribus consueto satisfaciat. Ne sine ut fraudata tua pietate inteream Pythie Apollo. Turturella se cõmendat, ex uoto phallum tibi positura. Ad illa autem nos hæc protinus:

Est locus inter aquas & nubigeram Cyllenem,
Est locus Italiæ qua prominet omphalos ingens,
Est locus austrinas ubi seruant horrea cepas.
Huc age nec boreas nec sæuus terreat auster,
Nec spatiosa time sed nec sinuosa profundi,
Ipsa ratem subigat per deuia saxa Charybdis:
Donec inexhaustas symplegades irruat olcas.
Hic tribus accensis facies de more lucernis
Sacra Lycarcheo: qui paucis ducit ouanteis
In nemus Oetæum, penetrat quà Cynthia nunquam,
Sed timor atq; udæ facies squammosa charadræ.

Venerat etiam paulo ante perditissimæ auaritiæ senex, maria ac montes pollicẽs, si compos uoti abiret. uotum autem pugillaribus huiusmodi expresserat. Argenteos radios, aureum q; currum tibi Apollo argyrotoxe, Philargyrus sexagenarius optat. Sunt mihi ex fratre prædiuites nepotes, hos tuis telis confige ut te Hecatobeleten uere agnoscam. Hæres ego tantarum opum colossum statuam tibi eleaginum olopechiũ plus minus dodrantalem cũ sicilico. Si magna & difficilia abs te peto, memineris turpe esse à magnis petere exigua. Tu seculorum arbiter, tu temporum moderator, præproperum præposterũ potes efficere, rerumq; ordines uariare. Nec profecto id absonum, si abstemius & præparcus ego ad modulum uiuẽs Nestoreum ævum superuixero: si proluuiosi & Asoti illi crapula ocyssime supprimantur. Adde quòd minime diuitijs digni, qui eas adeò intemperanter prodigũt, quas ego semper consultissime obseruaui. Quòd si hoc improbum putas, at Menecratem popularem meum eiusdem ætatis putidum ac sordidum senem, cadaueroſum planè simulachrũ, quem captare non desino, iamq; me hæredem conscripsit (nam ego illum mutuo hæredem conscripsi) deijce ex hac uita obsecro. tum ego tibi mulsi faciam congiali fidelia. Philargyri bene ac probe de te meriti rem auge, ætatem serua. Risimus uotum fœdissimi senis, pollicita illusimus, & hæc breuissime respondimus.

Coruus ad Hesperium quom se subduxerit axem
Bruma teget frondes, nec se uindemitor uuis
Defraudare potest, longos licet urgeat antes:
Dona tuo cineri post proxima funera conde.

Nec multos post menses magnus militum tribunus, robustissimi uir corporis ut uidebatur, sed hebetissimi animi cum obsignatis apostolis, quos tamen nos ut cæteros commodissimo artificio releuimus accessit. In his hæc deprehendimus. Ie Pæan, ie Pæan, ie Pæan. profecturus in bellum imprimis mihi Numen tuum propitium precor: ut deinde abeunti, redeuntiq; hanc uitam serues rogo. Nam clypeum aut lanceam nihil moror, quorum iactura haud sanè multo ære sarciri potest. At quom nobis semel occidit breuis lux, nox est perpetuò una dormienda. Expetentissimum itaq; tui luminis hominẽ sospita, & utri parti uictoria affulgere debeat expedi. Tum à me discrimen omne ablega. soteria tibi persoluam, aurato tauro tibi faciam. Pyrrhocali tui memor uiue. Nos uero ad hæc.

Cum primum Zephyro uolucer confliget eous
Nautilus excutiet tota de fronte saburram.
Quo magis attiguos saltus delphines inibunt,
Hoc quadrantali grauius tege tempora cono.
Nec culices, quamuis latam salpinga mouebunt,
Te procul abducant è gurgite Leneæo.
Nam donec uitreis hastilibus agmen inibis,

Horridaq́ instrato procumbent spicula campo,
Ales amica Iouis cæli de parte sinistra
Sidus atlanteum geminosq́ aget ungue dracones.
Sed tu lecythus nostras adolere memento,
Perpetuum maneatq́ tuos ea cura nepotes:
Si secus hæc, uotis diuos uenerabere seris.

Quin & ex patribus purpuratis unus mulionis sago indutus furtim ad nos uenit ita consulens. Summe Apollo, alterum expedi. aut quomodo ad summum sacerdotium ego niti possim, nihil omnino pensi habiturus, fas nefasue ineundum mihi: aut cuius ambire possim gratiam, qui eò sit euasurus. Tu tamen mihi faueas malim. machinas ad hanc prouinciam accõmoda, summi numinis loco & pro Ioue ipso mihi futurus posthac. Interea smaragdinũ uitulum accipe, plura accepturus quom rem perfeceris. Faustini tui memoriam habe. At nos tam bonum piscem nacti, neq́ eum spe decussimus, neq́ certi quicquam recepimus, sed hoc biuio usi sumus.

Seu Maometheam cupias excindere gentem,
Siue Palæstinas optes inscendere pinus,
Seu Vaticanum malis pertundere limen,
Fata parant aditus, nec te mora longa fatiget.
Nam maris Euxini ueniet bis thynnus ad oras,
Bis refluet magno reiectus murmure ponti.
Interea patrias Carchesia tollet in auras
Qui fatus Angitia corypheo uertice fulget.
Huic age mattiacos propera supponere lapsus,
Obstipamq́ feras arcano in pectore uulpem,
Sic dabitur libycos demum frenare leones.

Alius perditissimũ prostitutissimũq́ scortũ amans hæc ad oraculum rettulit. Flagrantissime Apollo non tamen me flagrantior. Pasida amo, depereo. Pasis me nec deperit nec amat. uel fac mutuas operas demus, uel ego amore soluar. Serua hanc animam tibi deuotissimam. Huius ergò sol aureum lychnuchum cum suis parergis statuam tibi. At protinus hæc Apollo supposititius:

Dædaleas conuerte rotas, ignemq́ flagrantem
Vtribus Ogygijs Vulcaniq́ abde camino.
Et medijs rhombum uibret fornacibus iynx.
Flammosasq́ faces extingue in gurgite hibero,
Qua Tartessiacus uertex sub uespere feruet,
Attrita emeritis quom desinit orbita bigis.
Actiacosq́ sinus, suppostosq́ appete nautas.
Nec tibi terrorem incutiant decliuia montis.
Præsto ego, præsto meus frater tibi supprimet alas.
Inde tuo generi plaudet Memphiticus orbis,
Et repetet Phariæ præconia nota iuuencæ.

Nec multi dies abierunt, quom locuples mulier defuncti uiri desiderio confecta, nec iam doloris patiens, die noctuq́ miserrime uicem suam deplorabat in templo. Ita uero desiderium suum in pagella expressérat. Apotropęe Apollo, quid effletos oculos tamdiu pateris? quid incestari te finis? quin inuisam mihi uitã adimis? quin ad uirum meum: ah quid meum dixi? qui cuiusuis esse desiit. cur non eò me ablegas, ubi aut suauissima aut nulla uita futura est. Quur inuocatus ille toties nusquam tui copiam facit? At me amabat uiuens, at me delicium me animulam uocabat, cur nunc ferreus me suo fraudat aspectu. Dic Apollo quibus eum blanditijs eliciam, ne me miseram semper destituat. quantum mihi illum ostenderis, tantũ illum tibi holosphyraton dicabo. Amores suos cõmendat tibi Lusciniola. At Hypobolimęus ille Apollo:

Desine noctiuagos lemures incessere fletu.
Vir tuus Idalio texit de flore coronam
Ante pedes Paphiæ, Paphio latet abditus horto.

Hic tibi

Hic tibi odoratas ubi ſpirat amaracus umbras
Chloridos in curru, fulcrum geniale parauit.
In quo alternatim nebulas iungetis amantes.
Mœſtus amor ſi quis incumbit lugentibus aruis:
Lætus amor Paphio in luco blande explicat alas.
Tu uero geminas aras ſub rupe ſiniſtra
Inſtrue regifico luxu: quem lubricus anguis
Actutum emergens auido depaſcet hiatu.

Mox ad perſonatum hunc Apollinem chymiſta quidam ex his qui ſe Democriti ſectatores profitẽtur, rettulit quomodo elicium aurum euocaret, aut pyritem eliqua ret, ita conformatis tabellis. Deſultor & transformator Apollo, tu rerũ naturæ o/pifex, tu rerum uices temperas, moues, mutas, alternas, tu ex imbribus fruges, è fru/gibus animam, tu corpora producis: quin tu & homo hominem generare diceris. Da, ut te autore naturæ opes augeam, uilioraq; metalla, & quaſi retrimenta in ue/ram auri faciem redigam, aurumq; ipſum ad propagandam uitam mei poſculentum reddam: da deniq; ut tot annis fruſtra abſumptas opes farciam. Pro hoc munere au/reos lateres munus accipies. Chryſophili ne temne preces te dignas. Tunc Apol/lo ille uerſipellis:

Aſtrue Amaltheum conſueto in limine cornu,
Oleniſq; tuis inſultent ædibus hedi,
Et geminis nati ſuccendant follibus ignes,
Follibus hydrauli quales detraximus olim:
Tum medio calici anguinos infunde ſuſurros,
Hyſginumq; premas: ne forte extuberet ulcus.
Cadmia pompholygis cum pondere miſta recenti
Accedat, miſtis æſtiua metopia iunge:
Atq; molybdenæ xeſtum cum ſulphure condi.
Sed cuci & cyphii pariter ſarmenta cremato.
Sic ſtrigmenta Tagi precioſo in uellere condes.

Venit etiam aliquando magni principis legatus cum literis ad Apollinem, quarum exemplar ſubijciam. Salue Apollo rex Alexicace. Quom in fatis eſſe acceperim, ut proditor aliquando mihi & meis excidio ſit, ad opem & præſidium tuum confugio, ſi quo pacto fati inclementia declinari poſsit. molior enim inexpugnabilem arcem ſtruere, quam neq; hominum cuniculi, neq; miſsilium impetus, neq; aſellus auro onu ſtus, nulla deniq; uis, nullus aſtus poſsit euertere. Tantæ architecturæ locũ & ratio/nẽ tuis auſpicijs approbrari cupio. potes enim pollesq;. moles tuo nomini, numiniq; dicabitur. Huius uoluntatis noſtræ arram ſcutatos mille mittimus. Maurum ſcito ex te totum pendere. Nos uero noſtro uſi choragio:

Iuppiter ut ſciret medij diſcrimina mundi
Hac atq; hac geminas miſit de parte uolucres:
Somnus hyperboreis ſi quando in rupibus illas
Preſſerit: audacem dubites ne immittere dextram:
Et roſtrum roſtro uincire & nectere pennas.
His ſuper artifices, nec deſit iuſta ſupellex,
Ire iube citimo quà iungitur extimus axis.
Hic locus aptus erit, hic arx æterna manebit.
Huc nunquam ſe prouehat Actias Orithya.
Verum adimas, prorſusq; adimas, cuſtodibus ungues,
Quos memor ante omnes ornato haſtilibus aureis.

Quin & gladiator quidam laniſta primi nominis rogatum Apollinẽ uenit, ut quo artificio inuicta arma ſibi parare poſſet, oſtenderet: his uſus precibus: Apollo, qui æreo curru æreũ cælum quatis, inuictum hominẽ inuictis uiribus uides. Digno di/gna arma comparare ſtudeo mihi: quid ad hanc rem opus ſit Apollo expedi, facq; ut Vulcanijs armis uti poſsim, quæ neq; tragula, neq; catapulta perforare poſsint, ſed imper-

imperfossus impenetrabilisq; dicar. Hoc nomine homines decẽ fortes uiros tibi immolabo. Hæc Machærophorus pollicetur. Nobis ita respondere uisum est, hominumq; immolationem utiliore elargitione commutare.

Non Temese, Chalybumue ferax tibi terra petenda est,
Sed mons à uestris qui longe dissitus oris
Inter arenosas syrtes fastigia tollit.
Hic leo conuoluit clypeo genus omne triuesper,
Quom misero, ah misero uellent succurrere fratri.
At tu nodosæ sobolis tua sanguine trage
Telaq; loricæq; cutem suppone cruentam.
Nec mihi dulce putes hominum dare corpora letho.
Da potius totidem totidem cum matribus hedos.

Venit & poeta quidã de quo illud dici poterat, aut insanit homo aut uersus facit. Erat autem constitutus in summa inopia, uersiculos autem hos attulit.

Cura mihi Aonides, semper mihi numen Apollo,
Nocte dieq; illi barbita nostra sonant.
Sed mihi quid fructus dulcissima barbita præbent?
Qua tandem Aonides utilitate iuuant?
Pauperies me dura premit, sæuiq; labores,
Atq; arcere hyemem uix toga sarta potest.
Nónne fuit satius medicas excurrere ad artes,
Nónne fuit satius ciuica iura sequi?
Da rogo consilium uotorum inspector Apollo.
Nam te dulce sequi: sed mihi egere graue est.

Nos insaniam & iniquam hominis sortem miserati hæc reddidimus.

Quod iugulare hominem, quod defraudare clientem
Non datur, ingrato nimirum es carmine questus.
Vnde etenim aut famam aut inopem producere uitam,
Aut aures mulcere hominum sine carmine posse?
Vnde tibi spes ulla uices euertere fati?
Nec tibi pauperiem nec sæuos plectra labores
Conciliant: sed iure tuis contraria uotis
Pallas oliuifera nunquam redimita corona.

A. Miram oblectationem attulisti mihi & mirifice hæc uestra cõmenta probo, sed res una scrupum facit, quonammodo quom obsignatas illi percunctationes afferrent, uos saluis signis quæ intus scripta erant, legeritis. Aed. At hoc nobis perquam facile. nam & Alexander qui hãc artem multa autoritate in Ponto ad Abonimurũ professus est, tres imprimis astus sectatoribus suis imitãdos reliquit. Nam uel eam ceræ partem, quæ post signum hærebat, acu candefacta liquefactam diducebat. Tum ubi legisset rursus calefactã acu cæram: eam quæ à tergo funiculi fuerat, signo eodem manente facile coagmentabat. Aut certo peculiari utebatur collyrio. Id ex pice berittia, bitumine ac lapide perspicuo trito & cæra & mastiche cõstabat. Hoc igni calefactũ, inuncto tamẽ prius suillo pingui, signo applicabat, ac symboli figurã excipiebat. Id simulatq; aruisset (arebat autẽ protinus) cõmode resignabat libellos: quibus perlectis impositæ ceræ denuo, perinde atq; è lapide, signum idem imprimebat ad archetypi similitudinem mire effictum. Interdum etiam calce in gluten coniecta quo uulgo codicillos adglutinant, atq; ex his confecta ceu cæra, mollem adhuc eam admouebat signo, statimq; detrahebat. Nam illico siccescit adeò ut cornu uel ferro potius reddatur solidius. Tribus his quidem ille cõmentis utebatur. Sed nos alia & commodiora & faciliora his excogitauimus, quæ aliàs opportunius enarrabimus.

A. Conditionem accipio, meq; iam totum uobis in disciplinam trado, nomen quod huic sacramento adscribo ex hoc albo nunquam adempturus.

CAELII CALCAGNINI DICTA MORALIA QVÆDAM IN GRATIAM IOANNIS Hieronymi Monferrati alumni sui.

Nullum certius felicitatis argumẽtum, quàm posse quamplurimos felices facere.

Peruersa magnitudinis & potestatis æstimatio est, iniurijs uires metiri: quas fœdissimum est nõ repellere, quom possis. Illud amplitudinis certum est testimonium, omnes beneficentia promereri.

Mihi uero Di immortales dent, ut à nullo accipiam, omnibus largiar.

Breue ad diuitias compendium tibi propositum est, si à cupiditate animum libera ueris, non his quæ possides addens, sed ex his quæ putas necessaria adimens.

Quàm male comparatum est, ut amicos tunc eligamus, quom agnosci nõ possunt: tunc agnoscantur, quom mutari non possunt.

Adulator tantisper amici personam gerit, donec eam reluctantis fortunæ aquilo reuulserit. Tunc adulatorem agnoscis, quem amicum putaras.

Vti colonus male audire solet, qui ita agrum exhaurit, ut in sequentes annos nihil reliqui faciat messi: ita minime ferendus est qui intempestiua liberalitate liberalitatis fundum exhaurit.

Popularis status malis expetendus est, principis bonis. In hac enim inæqualitas æqualis, in eo æqualitas inæqualis obseruatur.

Vt tibi mors felix contingat, uiuere disce.
Vt felix possis uiuere, disce mori.

At non difficile est principem tyrannumq; dignoscere. Hic omnia ad suam, ille ad publicam utilitatem refert.

Turpe est diuitem beneficijs, pauperem officijs uinci.

Anaxilaus rex hoc unum regibus felicissimum euenire existimabat, quod à nemine beneficijs uinci possent.

Omnibus in rebus uinci turpe est, in amore turpissimum.

Neq; factionis ordinem ducas, neq; te factiosum dici uelis: ne cum multis pereas, uel unus pro multis pœnam luas.

Quom festus dies suam hilaritatem suasq; delicias iactaret, profesto autem labores exprobraret suos: atqui, inquit profestus, nisi ego laborassem, non esset tibi unde tibi placeres.

Adulator te nunquam tristem, amicus etiam minus lætum non reformidat relinquere: hic ut semper placeat, hic ut semper admoneat.

Nulla uictoria illustrior esse potest, quàm quom uictus uincit, uincit uictor. Tam generosum certamen si tecum ipse depugnaueris, te felicem putato.

Non qui palàm tribuitur, sed qui seorsum impendit, uerus honor existimãdus est.

Hoc gloria diuitijs potior est, quòd illæ etiam à malis, hæc non nisi à bonis possideri potest.

Is princeps omni laude efferendus: non quem, sed cui ciues timent.

Ea constantia seruanda est in uita, ut mors neq; timeatur, neq; expetatur.

Quom decreto naturæ omnibus semel moriendũ sit: gratis mori, quom id gloriose facere possis, mera insania est.

Mortem timidi, fortes ignominiam reformidant.

Archidamo natus medios penetrarat in hostes:
Tum pater: aut animo demas, aut uiribus addas.

Si homines extimesces, te pudor à flagitijs palàm deterrebit: sin deos, etiam seorsum continentiam seruabis.

Nihil usquam pœnitendum admittes, si tecum ipse cogitabis, deos ubiq; esse atq; omnia intueri.

Longe fallitur qui putat pacem quiete melius parari quàm bello. bello paratur, quiete alitur.

Fortitu-

Fortitudinis nulla planè utilitas, si absit iustitia. At si omnes iusti sint, frustra fortitudinem expetamus.

Est quod tecum paciscí uelim hospes, si tamen loco libero cuiquam libertatem adimi licet. Sed quom paciscendo libertatem, demus, non demamus, per te puto paciscí licebit nobis. nam & leges sic paciscuntur, sic imperant, ut dum seruimus legibus, libertatem tueamur maxime. Quare si tibi libertas cordi est, age pacta seruato, quæ dicimus tibi. Quom primum intraueris, oculis omnia circunspicias uelim. Tum nihil prius damnaueris, quàm ratione inquisiueris atq; audiueris. Cætera te curiosum esse nolo. Addo illud ut castas manus serues. Nam castam mẽtem aut oculos seruare, tua magis interest quàm nostra.

Imprimis te mentiri nolim, tum nec mendacium dicere. Nam alterum à bono uiro, alterum à prudente præstari oportet.

Antigonus rex, quom impar hostibus cederet, non se fugere, sed utilitatem retrò sitam persequi aiebat.

Antigonus fugiens hostes: nanq; hostibus impar.

Non fugio: huc, inquit, me uocat utilitas.

Iudicum imagines sine manibus conniuentibus etiam oculis Thebis locatæ, rem incorruptam & inexorabilem iustitiã esse demonstrant.

Si generosus es, ne preces expecta, ut beneficentiã exerceas: en hic sol qui mundũ radijs illustrat suis, non exoratus, sed gratis salutare lumen mortalibus accõmodat.

Hic Babylon. sed Susa Padi stant margine. uicus
Bactra nouus. mea sors Persarum ita regibus æqua est.

Scientia à iustitia seiuncta, callidítas non sapientia existímanda est.

Auaritiam metropolin uitiorum appellauit Bion sophista.

Auaritiam & ambitionem elementa uitiorum dixit Timon Misanthropos.

Nõ est iustitiæ munus hominẽ occidere, sed prospicere, ne quis locus adsit iniuriæ.

Vmbræ longitudo ad gnomonem redigenda est.

Vt statua basi nititur, ita uirtutum omnium constantia fundamentum est.

Non his artibus, quas instituisti, famam & nominis immortalitatem parare potes. Tu specie & uiribus places tibi, nescius quàm cito uel morbo uel tẽpore rapiantur. Genus iactas, nec intelligis hãc alienæ uirtutis cõmendationem esse. opes ostentas: atqui fortuna, ut lubet, has accõmodat. Magnifice ædificas, quasi uero in hæc ætas uires nõ exerceat. Literatura gloriaris, hęc te nihilo meliorem facit. Alia tibi, alia ad æternitatem uia comparanda est. Iustitiam & liberalitatem cole: altera deos, altera homines conciliat. utraq; te immortalitatis curru in cælum subuehet.

Audacter hospes accede, N te inuitat. & si bonus es, ne te hospitem puta, sed domesticum ac uernaculum. nam sibi & suis ædes posuit N. suos uero putat omnes probos, omnes ingenuos, & festiuo natos ingenio. Quare audacter accede non iam hospes, sed inquiline: nec te puta beneficium accepisse, sed dedisse, qui occasionem exercendæ liberalitatis N. dederis.

Memineris te maioribus obsequiũ, minoribus comitatem, paribus officiũ debere.

Rempublicam si male gubernaueris, Dis: si bene, hominibus displicebis.

Quemadmodum bonum histrionem personam, quam eum poeta induit, bene sustinere oportet: sic & bonũ uirũ, quam sibi fortuna accõmodauit, tueri par est: utpote quæ interdũ primarũ, secũdarum interdũ partiũ, quin & regis & tibicinis aliquando personam dispensat. Ne uelis igitur, quom secundarum partium personam agas, primarum tibi uendicare: uel quom primas acceperis, ad secundas descendere.

Vti cautos gubernatores decet, dum tranquillitas arridet, ad defendendam tempestatem instrumenta expedire: Sic par est uirum prudentem afflante fortuna, reflantis præsidia comparare.

O felices homines, si tam curent quæ ad bene uiuendum faciunt, quàm quæ ad uitam pertinent.

Tibi Iuppiter opt. max. tibi Iuppiter xenie N. sacrificat, non thure aut uictima, sed ingenuo animo, sed liberali uultu & exposito omnibus bonis hospitio.

Italus

Italus prouincialisúe sis nihil interest, ex æquo utrũq; amat, excipit, promeretur N. neq; ullum discrimẽ inter Italum prouincialemq; facit, utpote qui inter bonum malumq; tantum discrimen faciat.

Miraris hanc ædium magnitudinem, non est quod mireris hospes. non fecit N. uni tibi sed omnibus. amplas uero esse oportuit, quæ omnibus forent expositæ.

Magnæ ædes sanè fateor, populiq; capaces,
Sed magni Antoni non capiunt animum.

Ne quis putet tãtas substructiones temere institutas: ita maluit N. quàm multum auri congerere, quo abuti possit posteritas. Atqui nemo erit nepotum qui aream & atria hæc ingrediens non erubescat maioribus angustijs animũ suum quàm domus suæ ambitum præscribi.

Tantum abest ut Publij comprobemus sententiam, asserentis ita cum amico agendum, quasi inimicus fieri possit: ut multo magis approbemus cũ amico ita agendum esse, quasi hostis nunquam fieri possit: rursus ita habendum inimicum, ceu mox amicus fieri debeat. Hoc si obseruaueris, neq; temporarias amicitias, neq; immortales inimicitias suscipiendas putabis.

Nec cito amicitias admittes, nec remittes temere: ne te alterum præcipitis, alterũ inconstantis uitio suggillet.

Harpocrati quàm Mercurio litasse iucundius. Sed & ueteres Angeronam coluerunt in templo Volupiæ.

Ego N. N. filius, nepotibus posterisq; meis quicũq; erunt ex perpetua agnatione, mando, iubeoq; ut amicos ueteres quos ego unice dilexi, ament, & nouos parent, & cum ijs omnia habeant communia: putentq; inter omnem hæreditatem hanc unam eximij precij supellectilem à me sibi relictam. quòd si secus fecerint, deos infensos, homines sentiant iratos.

Hoc uno silentium orationi præstat maxime, quòd si quid tacueris, rursus effari potes. at si quid elocutus es, id in silentio relabi non potest. Multos itaq; dixisse, neminem tacuisse pœnituit.

Caue cuiquam male dixeris, ne lætitiã quam male dicendo hauseris, male audiendo amittas.

Audi multa, loquere opportuna.

Acquire dum iuuenis es diuitias, quas senex condias sapientia.

Satius parsimoniæ accusari, quàm diligentem uiuere.

In felicitate mediocritatem, in aduersis constantiam tuere.

Omnibus omnia gratificare, si modo beneficentia tua digni sunt, ne gratias uirgines prostituisse uideare.

Cur tam timide, quasi elephanti assem porrigas? An tu nescis tibi N. adeundum esse, cuius humanitas potest quem cunq; quantumuis meticulosum & inertem excire. Hospes. Atqui quantum me inuitat humanitas, utantũ deterret autoritas. Admissionalis. Male rationem timoris tui inisti. Hospes. Quid ni? Admissionalis. Nam hæc ipsa autoritas tibi inuitamentum esse maximum debet, quom ex N. spera re optima quæq; debeas: cui humanitas persuadet, ut uelit, autoritas ut possit large omnes promereri.

Tu qui pecuniam congeris, quasi aliam uicturus uitam, memineris hanc iam efluxisse: quod uero reliquum est, esse in incerto. Aetatis uero quæ iam præterijt, certam esse iacturam.

Philippus rex quom apud Cheronæã Athenienses fudisset, qua ex uictoria se paulo insolentiorem factum intelligeret, iussit ut puer singulo mane se his uerbis saluta ret: Philippe homo es. Sic enim putabat se posse insolentiam dediscere, & in memoriam suæ mortalitatis redire.

Multos annos transegi, paucos uixi: ex ijs plerosq; alijs, nullum mihi.

Socrates Alcibiadi pleno sui & superbienti ob ingẽtes opes & magna latifundia, proposita tabula in qua terræ periodus expressa erat, percunctatus est ubi Attica? quam quom digito indicasset rursus quæsiuit, ubinã sua magna latifundia? quę quom

nusquã inuenisset, tum Bone adolescens, inquit Socrates, quæ (malum) isthæc dementia est, his agris adeò superbire, qui in nulla terræ parte conspiciantur?

Tum externos adulatores, tũ maxime teipsum adulatorẽ tibi reformidare debes. Nam cæteri quidem interdum abs te, at tu ipse nusquam abesse potes.

Aiunt lamias sine specillis nihil intueri posse. hæc sumunt domo egredientes, redeuntes, deponũt. Nihil itaq; mirum si risui omnibus sunt, quom externa perspecta habeant, domestica & familiaria prorsus ignorent.

Iusiurandum nemini deferto. nam si bonus, uel absq; iureiurando ei fides præstanda est. Sin malus, periurium non extimescet: & te Di plectent, si fidem habueris

Elige optimum ac laudatissimum uiuendi genus, nec difficultate deterreare. Illi enim facilitatem conciliabit assuetudo.

Priusquam deos salutes, crepidas abstergito.

Solis radium ne captato.

Oculos ne perfricueris.

Horreum ne pice perlinito.

Duobus locis impune loqui potes, uel quom tibi uel quom ueritati obest silentiũ.

Præclarum est suscipere inimicitias ut amicitias tuearis. tanti enim est amicitia, ut uel inimicitiarum periculo emi debeat.

Interdixerat N. aditum malis, bonos tantum, id est ingenio suo similes admittẽs. Sed illi sibi alia uia aditũ aperuere, sic interpretati, nõ hoc esse liberalis hominis munus, paucos admittere, plures excludere. Quare & hos admittendos existimauit N, nõ tanquam suos, sed tanquam uel homines uel hospites. Proinde & uobis mali iam licet accedere, iam licet. Sed ut uobis apud bonos bene sit, dedisce amabo, esse mali. Nam bonis malisq; difficile est consortium.

Hospes non hospes N hospitem non hospitem agnosce. Atq; hoc ænigma si nescis, accede propius, & quid illud significet, non oratione sed actione percipies.

Alij seipsum noscere, ego seipsum ignorare, puto felicissimum. Si te ignoraueris, eris minus infelix, si te noueris minus superbies.

Conniuere plerunq; præstat in rebus humanis.

Liberalitas parit delicias, sed eas educat parsimonia.

Nec parsimonia sine liberalitate laudari, nec liberalitas sine parsimonia diuturna esse potest.

Mores seculi dissimulandi magis quàm effingendi.

Si mores seculi laudaueris, displicebis tibi: si exprobraueris, cæteris.

Hę fores, neq; adulatorẽ, neq; morosum admiserint. Vterq; enim odiosus. Ille dum nimium omnibus, ille dum nimium sibi, placere contendit.

Illa uoluptas uera uoluptas est, quæ nunquam esse desinit uoluptas.

Nulla secula suis temporibus acquieuerũt, laudarunt transacta, optarunt meliora.

Heus tu, ne properes: subsiste dum tecum paciscor: Si inuidus es, si morosus, si obtrectator, abito procul, néue hunc locum incestaueris. hic charites, hic lepores, hic simplex colitur uoluptas: quibus iocis, comitate, & urbanitate litamus. At tu, heus tu, tibi dico, qui suffarcinatus curis & graui supercilio tantũ inanium cogitationũ tecum conuehis, aut flecte aliò, aut onus depone infensum tibi & nobis. Quòd si mala mẽte huc adegerit, ah tunc te miserũ, cui bis est pereundũ, & tuo fato & nostris delicijs.

Caue te infelicem dixeris: dic incontinentem. Felix enim est quisquis didicit fortunæ suæ acquiescere.

In emporio amicitiæ non auro aut gemmis licitamur. Paratum tibi est quod impendas. amore amorem rependimus.

Nisi tu tecum molestias attuleris, hic hilaritatem inuenies.

Heus tu, tibi dico qui onustus & suffarcinatus ingrederis, longe longe inquam onus abijce, priusquam ingrediare. Quid circunspicis? quasi uero tu nullum pondus aduehas. An tu ipse non sentis te ambitu, te immodica cupiditate, te immodica libidine laborare. Hæ sunt quas te iubeo hinc procul sarcinas summouere. Nam N. securitati locum dicauit.

At tu

At tu, qui huc aduenies belle te putas rationē inijsse, meditatus scilicet quid primum, quid postremū loquare: nescis te præposteram rationē inijsse. Nam tibi prius meditandum est, quid primum quid postremum taceas.

Si putas nos gratis amorē fœnerari: longe aberras. Mercedem, sed paratam, sed qua nulla maior esse potest, appetimus. Amorē scilicet amore fœneramur.

Animi magnitudo ita colenda est, ut ad præscriptum prudētiæ colatur. Nam si quando ab eo discesserit, magnitudo animi esse desinit.

Omnes quidem homines ad nominis æternitatē aspirant: eam pauci magnitudine rerum gestarū parant: nullus assequitur, nisi qui sepia & papyro immortalitati rite litauerit.

Si uiolandum est ius, promerēdi hominis causa uiolandum est: cæteris in rebus pietatem colas.

Nusquam pertinacia seruanda est, nisi ut seruetur officium.

Tunc pertinaciæ locus est, quom in periculo uersatur officium.

Quom summam consiliorum iniueris, hanc ita tueare, ut tamen tempestatibus obsequare.

Prudens est, qui in felicitate amicos inuenit: felix, qui in rebus aduersis amicos experitur.

Nusquam tutius opes reponas, quàm apud amicos, qui amicitiæ titulū mereant.

Si te populo dederis, te multicipitem belluam tractare memineris: cui quom cumulate satisfeceris, nunquā tamen satisfactum putabit sibi. Quòd si tibi malueris uiuere, plus quietis, gloriæ minus tibi propositū puta. Nam gloriam & quietē esse qui tam facile est, quàm medijs fluctibus non agitari.

Qui se neminē habere inimicum profitetur, is se amicum neminem habere profiteatur necesse est.

Regium est male audire, quom benefeceris.

Si quid per laborem recte feceris, labor cito abit, recte factum nunquā abscedit. Si quid rursus per uoluptatē nequiter feceris, uoluptas cito abibit, nequiter factum emper manebit.

Otio qui nescit uti, plus negocij habet, quàm quom est negociū in negotio. nam cui quod agat institutum est, nullo negocio id agit: studet ibi: mentē atq; animum delectat suum. Otioso in otio animus nescit quid uelit. Hoc idē est: neq; domi tunc nos, nec militię sumus. Imus huc, hinc illuc. quom illuc uentū est, ire illinc lubet. Incerte errat animus præter propter uita uiuitur.

Nemini fraudi esse debet, si leonis pelli ex qua uestis confici nō potest, uulpinæ laciniam assuerit.

Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.

In cursu uelocior, in consilio tardior uincit.

Nemo lædítur, nisi qui se læsum putat.

Si quis te beneficio ornarit, & tu tibi iniuriā factam putes, iniuriā accepisti: rursus si iniuriam obtulit, nec tu tamen iniuriā agnoscas, nō est quod de iniuria querare. nemo enim iniuriā accepit, nisi qui animo præsumpsit iniuriam.

CAELII CALCA GNINI PANEGYRICVS DVM ESSET ADMODVM PVER, PRO CALcagnino Protonotario apostolico.

ADVERSVS æui breuitatem, atq; annorum concitata curricula, plerique ueterum sibi duxerunt egregium atque excellens statuarum monumenta collocare, & elogijs marmora insignire, quibus uirtutis & gestorum memoria propagaretur in posterum: nec quicquam popularis adulatio tyrannis potuit conferre grandius, quàm publice & collatitia stipe eorum imagines proponere. Populus Romanus lapide numidico magni Cæsaris funus illustrauit. Artemisia coniugis desyderio confecta memoratissimum illud opus & inter septem orbis miracula celebratum construxit, in quo egregij opifices, & statuarij primi nominis elaborauere. Quotus tamen quisq; C. Iulium agnosceret, nisi eius commẽtarij legerentur, haberenturq; in manibus quæ nobiles historici de summa hominis uirtute literis mandarunt. Iampridem omne Mausoli nomẽ, è rebus humanis excessisset: sed illud ab iniuria obliuionis Theopompi uictoria, & Theodecti carmen asseruit. M. Varro ille omnium doctissimus, quo non temere alius plura conscripsit: & si adhuc uiuens in bibliotheca Palatina statuam meruerit: licet hominum primus auream statuam & solidam Gorgias Leontinus summus artis oratoriq; magister Delphis in templo sibi posuerit: suam tamẽ immortalitatẽ utercq; acceptam refert literis. Debilia (mihi credite) sunt lapidum atq; æris monumenta. Videmus enim ea non temporum modo contumeliæ obnoxia, quæ proculdubio omnibus rebus nostris inimica atq; infensa est: uerum & innumeris fortunæ ictibus, ruinæ ædificiorum, tyrannorum sæuitiæ, hostium incursibus, ignium incendijs proposita. Ita est profecto, ita est: nihil inanius, nihil imbecillius, nihil est illis infirmius. Sicyone, ubi semper fuit præstãtissima Mercurialium officina, uisebatur Aristratus in curru uictor, nobile opificium discipulorum Melanthi, qui in eius artis excellentia cæteros facile superauit. uix propter operis præstantiam, patriæ libertatis assertores pedibus eius intra carrucam latitantibus pepercere. Solebant etiam prisci statuis demere capita, suaq; illis accommodare. Dicant (oro) Rhodij testimonium, & si possunt mihi explicent, in quot effigies suus se uerterit Apollo, quot mortalium formas induerit, qui etiam aliquando fuit Nero: ut iam æquè statuarum metamorphosis credenda sit, ac Pythagoras animarum metempsychosim existimauit. Quamobrem satis liquet, sicuti ego arbitror, quàm leuis, quamq; tenuis ea spes sit, quæ in imaginum diuturnitate locatur: quando, ut ille inquit, mors etiam saxis marmoribusq; uenit. Vnum mihi uidetur remedium funeris, & nostræ infirmitatis solatium, literarum scilicet thesaurus: quo dempto, nescio quid reliquum sit communis omniũ calamitatis expers. Sed nõ sumus profecto tam Dis inuisi, ut id uoluptatis, quod in tantis malis unũ superat, ademerint. Neq; tamẽ ibo inficias, perspe librorum fuisse naufragium, & nos identidem autorum fecisse iacturam: quandoquidem peruulgatum est, in rebus nostris nihil unquam totius felicitatis numeros attigisse. Id certè mihi exploratissimum est: hoc unum esse commodissimum tutissimumq; mortalibus immortalitatis comparandæ instrumentum: quod nec ui tempestatum, nec uentorum turbini, nec tyrannorum imporentiæ succumbat. Faceſſant enim procul, qui in ingenia aliquando sæuitum esse autumant. Non tanti sumus

mus, ut ea diuinæ particula auræ nobis subijciatur, eiusue partus à nobis possit offendi: qui temporis minas, atq; æui morsus nunquam, aut certè rarissime reformidat. Vrbes desolantur, arces corruunt, turres prolabuntur: & ut paucis absoluam, quicquid hominum manibus conficitur, interit. Ingenij & uirtutis monumenta fiunt sempiterna: atq; ijs uerus honos, & certissima gloria potest comparari. Quod ego sæpius mecum recensens, eos felices duco, quibus contigit excellens scribendi materia, unde sibi nomen consequantur: eos uero felicissimos, qui fecerint scribenda, & in omnem ætatem memoranda. Id enim interest inter eos qui faciunt & scribunt celebranda, quo ab olympionice distat præco. Hic decertat in harena & puluere, hic securus sedet: hic uiribus aduersum sibi pugilem sudore perlitus expugnat, hic membris integer magna uoce uictorem declarat. Procedit tamen uterq; in pompam conspicuus, haud pari tamen conditione. hic lemniscatus, hic tuba insignis. huic omnes applaudunt, hic uni applaudit. Occupauit uero animos ferè omnium mortalium, inuidia ne an ingratudo sit nescio: ut malint cædes, bella, excidia, miracula, etiam scelera literis mandare, unde nihil sit posteris emolumenti, quàm summorum hominum laudes præconiaq; conscribere: qui inter cæteros, grauitate, moribus, & sapientia præstiterunt: unde exemplar & effigies quædam imitabilis possit effingi. Mirũ est enim quàm animos ad recte agendum alliciãt magnorum uirorũ exempla. Ingrati profecto ingrati sumus, qui beneficia ætatis nõ agnoscimus. Quod uitium ego semper fui detestatus, & nunc longe refugio. Conscius nanq; mihi quantũ Calcagnino eminentissimo Protonotario debeam, cuius munificentiæ, & excellenti largitati quicquid sum, quicquid sapio, quicquid intelligo, post deum optimũ maximum libẽtissime profiteor acceptum: essem inhumanus, essem ferreus, essem adamantinus, nisi aliqua ex parte, quãdo beneficiorum eius in me magnitudo prohibet omnino gratũ uideri, animi saltem non undecũq; ingrati testimonium præberẽ. Nam quis me expiaret? si tam celebris uiri, tam de me bene meriti, laudes, & egregia facinora impie, ne dicã impudenter præterirem: qui plurimorum stemmata attingo, nec ij ad par gloriæ fasti gium prouecti sunt, nec eorum cuiquã æquè auctoratum me cẽseo. Quamuis ego is sim: quem neq; beneficia, nec cõmoda præter officium impellant ad cuiusquam laudes simulandas. Vera uirtute, & bonitate non personata, permoueor. Cuius nũc etiam fulgore inuitatus, summi uiri laudes aggredior: quarum mihi difficilius est exitum, quàm principium inuenire. Ea tamen utar moderatione, ut facile omnes intelligant, non mihi copiam, sed me copiæ defuisse. Nec quisquam existimet me necessitudini aliquid indulsisse: satius fuerat silentium tenere, quàm sponte mẽtiri. nec amor obstrepit iudicio, immo uero eo uehementius amo, ueneror, admirorq; hominẽ, quo ueneratione atq; admiratione digniorem duco. Id etiam exoratum uelim: ne cui nouum uideatur, aut mirum: si eum hominem laudibus euehо, cuius laudes meæ sunt, & in totam familiam deriuantur. Exploratum habeo, uix quempiã alienas laudes æquis auribus accipere. Quis uero eum patiatur, qui se cõmendare non desinat? Non meum hoc exemplum, non primus hoc instituo: à uetustate, ut cætera, mutuamur. C. Cæsar Iuliam amitam pro rostris, Augustus auiam laudauere. Nero qui primus omnium imperatorum aliena eloquentia indi guisse dicitur, Claudij memoriam uerbis illustrauit. Nec cuiquam datum est crimini laudes familiæ recensere: & si illę pro defunctis minus inuidiæ subierint: nostræ pro incolumi, atq; inter mortales agẽte accipiẽtur forsitan inuidiosius. Sed Domitianus pro se in senatu orationem habuit: de suorum laudibus Cæcilius bibliothecam dicaturus egit. Quã ergo uenią illi meruerũt, cur mihi denegabitur? Ego equidem liuidulorum & maleuolorum calumnias fusq; deq; faciens bonorum iudicio cõtentus auspicabor. Sedit in omnium animis hæc opinio, tribus omnino felicitatem constare animantum: uirtute scilicet, bona corporis habitudine, ac fortuna. Virtus sine controuersia sibi principem locum uendicat, & ueluti summa in arce sedem posuit. Cuius apicem priusquam attingamus, lustrandi sunt cæteri omnes

anfractus, quoſcunq; ualetudo, & ſors occupat. Antiſtitis utique mei uenerabilis tam conſtans ualitudo, tam firma ſanitas, ut uel hoc ſit potiſsimum indicium ſummæ in uita moderationis. uidemus enim pleroſq; ex uictus intemperie in grauiſsimos morbos incidere, & uitæ periculum ſubire. Calcagninus uero nunquam mihi abſq; laudis præfatione nominandus iam multos annos, Dis bene fauentibus, uiribus & corpore integer, præter leuiſsimas quaſdam ſtomachi fluctuationes aduerſi nihil expertus: quod poſſet aliquibus mirum uideri. Raris enim utitur de ambulatiunculis, niſi domeſticis, ob ſarcinam occupationum. quòd ſi quando foris eſt, ſemper ferè equo uehitur, nec curſu quidem incitato, qualem corporis incolumitas deſyderat. Atqui bis die ueſcitur cibo perfacili, nec ſine maturitate manſo, tanquam arbitrio medici aſsiſtente. Qui ſicut omnibus in rebus circunſpectiſsimus, dexterrimusq; eſt: peculiarem ſibi antidotum quandam præſentariam optauit. Vtitur nanq; creberrime aloe: quam adeò ſibi reddidit familiarem, ut non iam id inglutiat, ceu mos cæteris in catapotia circumſcribentibus: ſed ore penitiſsimo emolliens, neq; amarorem detrectans, uim illam cathartică in mentis uſq; adytum ſinat penetrare: quod eſſe mirabile prouidentiæ argumẽtum crediderim. Iam uero formę decor plurimũ è cęlo dicitur trahere: nec ullus unquam fuit deformiſsimus, atq; optimus. Diuinus enim ille ſpiritus, quo maximus opifex corpora ſolet uegetare, quãto eſt defæcatior & ſyncerior, eo ſibi digniorem, clariorem q; deſtinat carcerem. Certè Homerus omnium rerum ſcientiſsimus Therſitem ſuum deformitatis nõ arceſſeret, niſi magnum malum foret deformitas: qui alibi pulchritudinem rarum dei munus appellitat. In conuiuijs, inquit Plato, inter felicitatis uota formoſum eſſe computabant. Deum ipſum profecto pulcherrimum, uenuſtiſsimumq; credi par eſt: & eius opificium à perfecta, abſolutaq; elegantia mundum appellauimus. hoc munere ita præclariſsimus Antiſtes meus enitet, ut uere eius effigies ingenitam illam animi maieſtatem prodat. Eſt enim magnifica dignitate citra omnem fœmineam molliciem inſignis. Quæ illum non modo conſpicuum, uerum & uenerabilem reddit. Nemo hominem intuetur, qui tacito quodam deſyderio eius amicitiam beniuolentiamq; nõ expetat. Corpus ei procerum, rarum & relicinum capillitium, uultus blanditijs & lepore non ſine grauitate amabilis, oculi uegeti, os preſſum, paulo labia prominula, ſubnixum pectus, uenter ſubſidens. crus rotundum, & pro corporis amplitudine robuſtum. pes decens, nullus artus diſpar, nihil nõ ad analogian diſpoſitum. Quod aũt ad corporis craſſitudinem attinet, pinguiſsimis habitiſsimisq; macilentior, macilentis pinguior. Sed præ cæteris ineſt quidam decor, quidam latitans omnium Gratiarum afflatus: qui longe melius ſentiri, quàm explicari poteſt. Omnibus præterea affabilis, beniuolus, benignus, ſuaui uerborum illicio omnium aures permulcens. Vidi ego pleroſq; ex loquentis ore pendulos, & admirationis magnitudine ſilentes. utitur nanque ſententijs electis, uerbis non proculcatis, periodis rotundis. Ego ipſe me oculatum teſtem facio, in eodem argumẽto, ſeu mauis rhetorum more theſin dicere, eum repente plurimas ſententias, & multijugas orationes profudiſſe: quomq; ex ijs aliquã prompſerat, ut elegantius aut terſius nil poſſet cõminiſci, tam argute ac ingenioſe aliam ſubdebat annectebatq;, ut me plurimum falli agnoſcerem, qui nihil melius expectaram. Addebat pronuntiatio magnum decus, ſonora, arguta, grauis, neq; incitata, neq; flacceſcens, clara, mellea, allíciens, atq; auditorem tenens, qua nunquam te ſatis imbutum crederes. Optares te aurem fieri uniuerſum, ut linguæ illius tam beatos concentus uberius imbiberes. Hæc eſt, qua ſummi reges, magni principes, maximi pontifices, bona deniq; pars orbis detenta eſt. Hæc eſt qua totijugæ lites, controuerſiæ, ſimultates, ſedatæ ſunt. Huic debent urbes, ciuitates, exercitus, cuius exorabulis, legationibusq; ſeruati ſunt. Plura dicerem, niſi eius modeſtiam, & uerecundiam offenderẽ, quę ueriſsimas de ſe laudes dici prohibet. Sed poſtquam corporis faciem tractauimus, de fortunis dicendum ſupereſt. Illuſtrent ne digniſsimum Antiſtitem meum, an magis illuſtrentur natales egre-

egregij, non facile dixerim. Francisco patre equite insigni, & magnis honoribus perfuncto natus, è Calcagninorum nobilitate: quæ licet per se satis, & uetusta origine, & summatum uirorum, quos genuit, præstantia, & oppidorum, quibus dominatur, imperio polleat: magnum tamen adepta est ornamentum, simulac in familiam principalem Atestinorum per affinitatẽ sese insinuauit. De qua ideo pauciora loquor: ne ipsi mihi uidear blandiri, & (ut dicunt) palpum obtrudere. quòd si Calcagninum unicum celebrare graue est: quanto id mihi, in cunctorum laudibus foret difficilius. Quare properanti aliò progrediendum est. Diuitias dari secreto quodam deorum iudicio, quod nequeat consequi humanæ coniectura mentis, multi existimarunt: & profecto nemo opibus suspicitur, qui aut parentum industria, aut sua non sit conspicabilis. Nam id quàm rarissime accidit, ut cui neq; ingenium est, neq; gratia, aut diuitias pariat, aut partas norit conseruare. Quantum etiam ea opinio probanda sit, nescio: quæ fortunas inter mala, & calamitates hominum computat. Fatebor equidem, si malo uiro diuitię contigerint, illico perperam ac pernitiose administrari solere, & subinde ad quædam flagitia fieri instrumenta. Malas autem esse constantissime diffitebor: sicuti naufragium facere nemo naui, sed nauiculatoris aut inscitiæ, aut ignauiæ, aut profecto uentorun uiolentiæ imputarit. Ita propemodum habent diuitiæ. Reguntur enim ipsæ non regunt. Accipiunt imperium, non imperant. Falluntur, qui eas interdum imperium exercere autumant. Nihil illæ præcipiunt, nihil suadent. Nos autores malorum sumus, nos earum cupiditates nobis imperare iussimus. Nos earum desiderio animum illaqueauimus: quod sic esse uel id potest certissimũ indicium facere. nam si ad nouum possessorem transmigrarint, qui bonis institutis animum excoluerit: mirum est quàm repente immutentur, & quàm cito fiant liberalitatis ac munificentiæ opifices. Quæ quàm probæ quamq; optabiles eo tempore sint: si desunt exempla, unus certè Calcagninus meus, Antistes undecunq; ornatissimus exploratissimum testimonium proferet, & eius mores penitus agnoscentibus fidem faciet. Hic enim manifestario indicat opes præstantissimum deorum munus: atq; id ueritatem abhorrere quod dicitur, immerentibus scilicet semper tribui. & medius fidius ab eo exploditur Græcanicum adagium, πλησμονὴ βαρβάρων, recipitq; uernaculo cultu quod dicunt, δάτος ἀγαθῶν. Nam ita opulentias habet, ut plus alijs prosint, quàm sibi. idq; tenet semper in mentis promptuario positum, hominem homini natum esse: quare domi frugalitatem seruat, foris largitatẽ. Satis amplos habet prouentus. Nihil uero in chrysophylacijs, & conditorijs capsulis offendes custodiri. Quicquid possidet obuium, atq; expositum est: & id aut religiosis uiris impenditur, qui uitam inopem degunt: aut sacris fœminis, quæ terrenis quisquilijs posthabitis, uirginijs includuntur, erogatur. Miseri ciues quotidie eius munificentiam periclitantur: plurimi etiam uitam adscribunt, quibus ad summam necessitatem redactis, opem tulit: & si præmia benemerentibus antiquo ritu præberentur, iampridem Protonotarius meus tot ciuibus seruatis innumeras sibi quernas coronas promeruit. Priuatas erogationes dispendio temporis omitto: quibus mẽdicos, paupertinos, & uiritim misericordiæ munus implorãtes honestauit. Atqui magnum liberalitatis miraculum narrare aggredior, mirum equidem omnibus, sed plerisque cognitum. Bello Veneti foris patriam nostram oppugnabant, intra lues acerrima sæuiebat: & quod utroq; uidebatur acerbius fames urgebat. Nam, ut inquit Eurylochus apud Homerum, fame mori miserrimum est. Tribus hostibus atrocissimis Ferraria premebatur. Erat passim uidere, hic enectorum corpora, hic tabescentium membra, hic absumptorum cadauera, inhumata, reiecta, desolata: quorum tumulo obscœnarum alitum, & inauspicatorum canum uoragines parabantur. Horresco tam infandi spectaculi memoriam. Si qui tamen ægra trahebant corpora, & adhuc erant calamitatis superstites, quos uere poteras reliquias cladis appellitare, pleriq; ad Calcagnini ædes ueluti ad sacram anchoram confugiebant. Hic quietem, hic miseriæ lenimen, hic malorum solatium, hic

famis remedium, comperiebant. Nobiliorum pars maxima aut communibus infortunijs premebatur, aut domo & auitis laribus euaserat. Antistes solus indemnis, solus expers tanti excidij, præter quorundam prædiorũ iacturam, quæ hostes impetiuerant, in eo luctu nihil priuatim sensit infensum. Hoc cœlestis bonitas, & dei immortalis clementia magnæ hominis integritati condonauit. Mihi credite quisquis pauperiorum uitam sustinet, is deum promeretur. Immo ut ille inquit, deum computat debitorem. Tantum abest ut Plautina sententia mihi uera uideatur: qui ait eum de mendico male mereri, qui ei dat quod edat: profert enim uitam ad miseriam. Immo uero ideo egestosis dandum duxerim, ut mala uiduertas, fortunęq; sæuitia ab eis propulsetur. Dare enim pauperi, est inopiam adimere. Cuius uirtutis tantam uim in præsule meo agnouimus, ut quom ea infelici tempestate eius bonis foret derogatum, quom tanta hominum multitudo ad eum confugeret, quanta non temere aliàs, & uberiora lautioraq; fierent expensa, & nemini quicquam negaretur: omnia tamen opulentius tacita quadam fatorum catena & cœlesti fluxu procederent. Ex quo facile intelligitur neq; auaritia, neq; fœnore opes suggeri mortalibus, sed animi, atq; mentis bonitate, quæ suppetias diuinitus promereatur. Scio culpa quorundam procuratorum rei domesticæ Calcagnini mei inculpabilis, sæpicule contigisse, ut nõnulli eius munificentiam desiderarent. Sed hæc est profecto iniuria, aliena crimina alteri imputare. Nec me fugit improbos quosdam, & diffamatos homines, quorum opprobrationes laudes duco, de meo Antistite non recte sentire: tum inuidia quadam, qua peculiariter mali bonos insectantur: tum eorum in omnes odio genuino. Sed horum uituperonum caninas uoculas & (ut eleganter inquit Sidonius) liuoris cote acuminatas, omnino nihil moror. Mali enim (ut ille ait) ideo mali sunt, quia bonos oderunt: & bonorum existimationem possunt quidem detrectare, lædere autem non possunt. Aduersus quorum calumnias quia satis differui, iam aliò flectenda est oratio. Ad animi enim cultus iamdudum properamus, ubi Calcagninum undecunq; licebit intueri: uerus etenim homo animus est: corpus autem ut Plato in libello, cui Menonis nomen inscripsit, adseuerat: non homo est, sed hominis umbra, & receptaculum. Hic uero reuerendissimus Calcagninus meus adeò cæteris antestat, ut sentiam me rei magnitudine obrui. Nam & si ad animum uti ad scopum superiora omnia direxerim, pars tamen hæc illi uni priuatim nuncupatur: cuius uirtutem quom prudentia, sapientiaq; constare doctissimi existimarint, à prudentia uidetur auspicandum, quam præsul meus uniuersam ita complexus est, ut domi ac foris nemo accuratior, nemo cautior. Eius familiare dicterium est, seu chriam malis appellare: quom uirtutes omnes maxime præstent, sola diligentia coronatur. Hic tam subiti præcocisq; consilij, ut non sub die, uerum (ut dicunt) sub manu natum merito uideatur. In regunda familia, in tuendis clientibus, in amicorum fragijs, in excellentium uirorum concilianda beniuolentia, quis solertior, quis omnino promptior? Nemo profecto nemo. Prudentissimus ille ac maximus omnium ducum felicis memoriæ Borsius, cuius nomen nulla est ætas tacitura, cuius ossa urbs ista semper uenerabitur, cuius cineres perpetuis lachrymis familia nostra irrigabit, tantum sibi de pręclara mei Antistitis, quom foret adhuc inter ephebos, indole spopondit: ut nullum unquam reliquerit studium, nullam curam: qua non sit eum complexus, eiusq; annos adhuc rudes formauerit. Præter hoc enim, quòd neminem habuit fratre Calcagnini Theophilo equite illustri chariorem, ut nullum maioribus fortunis cumularit: ea pietate præsulem meum semper alumnatus est, ut neq; pater sese in filio instituendo gerat accuratius. Effecit igitur ut studijs bonarum artium ab ætate ineunte operam nauaret. in quibus breui adeò profecit, ut Romæ ueluti in excelsa omnium summorum hominum specula, amplissima doctrinæ pontificiæ insignia sit consecutus: multum etiamnum decoris in ecclesia primaria nostræ urbis uix annos uiginti natus non absq; magno emolumento comparauerit. Eam dignitatem canonicatum appellant. Omitto sacerdotia,

quibus

quibus eum prædiuitem reddidit: nec alius è nostris municipibus ijs magis enitet. Prætereo quoties episcopia & dignitates summates fuerit amolitus. Tanta fuit eius animi magnitudo. Nūc ad legatiōes, quas obijt, & fidē qua familiam Atestinā promeruit, descēdo. Penè infans quom illustrissimi Borsij nomine ad Maximum pontificem Paulum secundum legatus accessisset, tam fauorabiliter acceptus est: ut mox legatione perfunctus, cubiculo sacro præficeretur: & summo patre sic iubente, Protonotarius crearetur, quod apud sedem apostolicā excellens ornamentum arbitrantur. Vix dum ætate pubescente ad regem Neapolitanum Ferdinandum, oratorem tam impetrabilem egit, ut amplissime per omnem Apuliam Calcagninorū nomē propagarit: ad Florentinorū itidem senatum sapientissimū, quo tēpore Laurētius ille Medices pater patrię Italiā consilio moderabatur. Qui ea humanitate Calcagninū meum amplexatus est: tum Herculis ducis inuictissimi causa, cuius personam gerebat: tum uirtutum ratione, quas in oratore unice admirabatur: ut quom gratia uisendi ad eum accessisset, in ædes nulla pactione uoluerit admittere: sibi iniuriam factum iri adseuerās, q̄ tantus uir ad eum ueniisset: proinde ut diuersorium repeteret, monebat: quem mox habitu priuato, & satis ciuili prosecutus est. Lustrauit etiam oras Pannonum: ubi eum maxima omniū uiraginum Beatrix regina excepit tam humane, tam affabiliter, ut postremo literas mutuas & singularis beneuolentiæ plenissimas inuicem creberrime dederint: cui pro admirabili sua pietate me conciliauit, & in penitiorē clientelam insinuauit. Ad Ludouicum Sphortiam Mediolani principē quom se cōtulisset, magnos honores & plurimam existimationem meruit. Quom illum præterea princeps in secretiorem senatum asciuerit, quantum eius consilio tribuat, quidūe de excellenti eius fide sentiat, facile indicauit. Quare ego non desino hominē magni animi, summæ prudentiæ, & qualem Sextū Aelium scribit Ennius, ingentis sapientiæ, bonitatis immensæ admirari. Quamuis enim in eodem contubernio, intra eosdem parietes cum homine uiuam, quoi omnia debeo: qui pueritiam meam aluit, instituit, ordinauit, qui nunc adolescentiam fouet, quem ego mihi exemplar feci bene beateq̄ uiuendi: ex quo tanquā à Polycleti canone lineamenta mutuor: & quamuis inter cæteros consuetudo pariat contemptum, apud me in præstantissimū Antistitem meum uenerationē parit. Nulla dies est, quę meæ in illum obseruātiæ non addat auctariū. Nunc enim contemplor mores præclarissimos, nunc uitam illibatissimam, nunc religionem sanctissimam, nunc ingenij acumē admirabile, dexteritatē eximiam, eleganti am florentissimam, nunc fortunā undiq̄ bonis eius conatibus subscribentem. Ab omni parte magnus occurrit, admirandus, amandus, colendus. Cuius laudes minuit oris mei penuria. Conor enim eas omnes expromere, sed humeri desunt. Maior est materia, quàm quæ oratione possit includi. Verum cæteri sentiāt, quod ego orationis culpa integre non assequor: sciatq̄ omne ævum nullum hominem ita cumulatissime omnibus uirtutum numeris emicuisse: atq̄ omnes iure post Lesbiam cantilenam censeri. Quæ si felicitatis summā implent, hunc uel fortunatissimum sempiterna ętas fateatur necesse est: cui neq̄ Metellus, qui uenit in potestatē inimici, neq̄ Sylla toties uictus, æquari possint, licet antiquitatis calculū meruerint. At si meo Antistiti conferantur, omnino sunt mera mortualia. qui, utinam

Di faxint, cum ea qua nūc foret autoritate, integra familia,
incolumi cognatione, omnibus amicis superstitibus degat felicissimam ætatem diutissime.

Operum Cælij Calcagnini finis.

IN CAELII CALCAGNINI OPERA INDEX

IVXTA ORDINEM ALPHABETI, VBI SI POST NVMERVM DEPREN
datur aſsignatum p, paginæ principium: ſi m, eius medium: ſi uero f,
finem notabit. Hoc pacto columna quauis in tres partes
diſtincta uiſum eſt lectoris ſuccurrere labori,
ne diutius inueſtigando fatigetur.

A

Abacus quid 296.p
Abalienãdi modi duo 575. 576
Abalienatio duob. modis fiebat 354.m
ἄβακον Rhodiorum cur extructũ & ſic uocatum 21.m
Abaris ab Hyperboreis ſagitta Athenas uectus 478.m
Abſinthium cur uictori in Latinarum ferijs præmio datum 386.f
Abeſſe & amiſiſſe rem, quando dicatur 345.346
Abietis materiæ laus 303.p
Abolla ueſtis 39.m
Aborigenes qua de re gloriẽtur 512.f
Abſentiæ deſcriptio 624.m
Academiæ foribus quid inſcriptũ 23.f
ἄκαμας ſol Homero cur dicatur pag. 607.p.f
ἀκαταλυψία quid 388.p
Acatium, nauigium quale 307.f
Acation, magnum nauis uelum 310.p
Acca Laurentia, ſcortum 294.m
Accenſus quis & unde dicebatur 75.m
Accipitris natura 242.f
Acciꝰ cur noluerit agere cauſas 445.f
Acelinus hoſtis eccleſiæ 520.m.531.m & 538.p
Acetabuli menſura 66.p.m.f
Aceti uis 28.f
Acipenſeri ſquamas eſſe præpoſtere ſitas 636.f
Acmon, Idæorũ Dactylorũ unus 570.p
A cõmentarijs qui dicantur 60.p
ἀκρονύκτιοι Aegyp. cur dicti 494.p
Acquirere, uide Conquirere.
ἀκρίμωρ quid 10.f
ἀκριβοδίκαιον quid 260.m
Acroama uel acroma quid ſignif. 4.f
ἀκροαματικοὶ libri Ariſtot. ibid.
ἀκροκρέμα quid 310.p
Acron taxatur, eiuſq; locus enodatur 291.p
Acron medicus qd Athenis fecerit tempore peſtilenti 251.f
Acroſtoliũ in naui quid 309.p
ἀκροσωμία quid 451.p
Actij Eſtenſis geſta 513.m.516.m & 521.m
Actio legis quid 576.m
Actio oratoria quid 596.m
Actio & pronunciatio quid differant 450.m. eiuſq; partes, ibi. et 252.p
Actionis uox quid comprendat 358.f
Actio ἀσύγκριτος 184.m
Actio & factio differunt 460.m
Actio ad quem pertineat 343.p.m
Actio popularis qualis 345.m
Actionis rectæ quanta ſit uis 450.m.f
Actiones homini cõuenientes & Chriſtianæ, quæ 131.m
Actionum humanarũ diuerſitas ibid.m
Actionũ humanarũ nõ idem finis, idem tamen uotum 453.p.& m
Actionum legitimarũ inſtitutio 543.f
Actiſanes rex quomodo Aegypto capta latrones eius multarit 12.p
Actuariæ naues 307.m
Actus quid ſignificet 349.p.f
Actum & geſtum quõ differũt 372.m
Acuminum auſpicium quod 17.f
Acutus ſonus 71.f
Acuti accentus ſedes 448.f
Acylos Homero glans ilicis 357.m
Adaſus ueſtis 38.p
ἀδελφάγοι naues 312.f
ἀδιάνοητα quæ Græcis dicantur 447.p & quãtopere fugiẽda ibid.
Adiãti mira natura, et eius ratio 27.p
Adiantũ non madefieri 478.f
Admiratio quid ſit 337.p
Admiratione affici quid ſignif. 11.p
Admonitionis patientiæ laus & utilitas 334.f
Admonitionis impatiẽtes quid ſibi conquirant 335.p
Adnominatio, qualis figura 64.m
Adoleo unde dictum 565.p
Adoleſcentibus quàm neceſſarium ut in ſe deſcẽdãt et quõ id poſsint 327.m
Adoptator quot annis ſuperare debeat adoptatum 573.p
Adoptio in quorum gratiam inſtituta pag. 573.p
Adoptio duplex ibidem
Adoptiuis adoptantium nomina imponuntur 566.p. 572.f
Adraſtiæ quæ ſubiecerit Cic. 398.m
ἄδρον ſtilũ quẽ Græci uocent 451.p
Adulatorum quanta copia in aulis principum 327.p
Adulatoris & prudentis diff. 402.p
Adulator quando agnoſcatur 647.p
Adulterium natura turpe eſſe 363.f & cur 364.p
Aedes ſacræ quæ dicantur 348.p.m
Aegidius Cardinalis 101.m
Aeginetæ in ſtructuris nimium ambitioſi 63.m.f
Aegyptus nunc, olim mare fuit 239.f
Aegyptus cur μελάγχρως dicta & χημία 237.f. eiuſq; qualitas ibid.
Aegyptũ qui Græcorũ acceſſerint ſapientiæ diſcendæ gratia, & cum ſacerdotibus ſint uerſati 231.m
Aegypti reges cur uino abſtinuerunt pag. 12.f
Aegyptij quos reges & ſacerdotes eligant 231.p
Aegyptiorum potentiſsimi cur in Abydo ſepeliri cupierint 234.m
Aegyptij quomodo uariis utantur in ſacrificando habitibus 620.p
Aegyptiorum ceremoniæ, myſteria, & abſtinentia, aliaq; inſtituta 229 & 230. & deinceps
Aegyp. ſtultitia & leuitas 248.m.f
Aelurus Aegyptijs & Arabibus ſacer habitus, & quomodo Cælio fuerit in delitijs 13.m. eiuſq; natura. ibid.
Aeluromorphos ſcarabæus, ſacer etiam Aegyptiis ibidem
Aelurus cur lunæ ſimiletur, eiuſq; prolifica uis 246.p
Aelurarij equites unde dicti, & Aelurorum lucta qualis 4.m
Aemulationis quanta uis 332.p.m
Aenæitidis ſtatua qualis 346.p
Aenigma qd ſit eiuſq; ppria 44.p.m
Aenigma de ludo teſſerarum 296.p
Aeoles ubi & abijciant 222.p
Aequabilitas quid proſit hõi 416.f

Aequi formula quid iubeat 110.f
Aequitas quid sit 260.m
Aequitatis studiũ neglectũ esse 210.p
Aequinoctium quid 314.m
Aequinoctium neq; in ariete neq; in libra nunc fieri 548.m
Aequinoctiales dies & horæ quæ, ibid.
Aer cur coloribus excipiendis accommodatus 472.f
Aeris qualitas 427.p
Aeris non eadem semper dispositio, & quomodo temperetur 251.p
Aer & ignis subtilis. corporũ 475.f
Aeromantia 498.m
Aes & libra in quibus emptionibus adhibebantur 575.576
Aes primũ quis signarit 577.m
Aes alienum quid 361.p. & nomina ab ære ducta ibidem
Aeris confessi multa 377.m
Aera milites merere qd 353.f.354.p
Aerarium unde dictum 354.p
Aesalon qualis auis, eius q; cum coruis inimicitiæ 437.p
Aeschinis oratio excutitur, qualis sit, et qd in ea desideretur 591.p & inde
Aeschines quale Demosthenis testimonium præbuerit 450.m
Aesculapij filij quatuor, & eorum nomina 425.p
Aesculapius quomõ delubra meruerit
Aesculi arboris natura 1.m (197.f
Aesopus quales fabulas egerit 451.p
Aetatem omnem de suo tempore questã esse 16.m
Aeternitas quos maneat 504.m Vide etiam Immortalitas
Aether unde dictus 395.p
Aethiopum regina quid signif. 239.p
Affect⁹ homini adimere, qd sit 476.f & 477.p
Affectus quomodo mouẽdi 446.p.m
Affectuum duo genera ibidem
Affectus nostros nos supprimere posse, at non extinguere 534.f
Affici admiratione quid significet 11.p
Africani ad Metellũ prouocatio 282.f
Africani clara sententia 266.f
Africi flatus ex qua parte 314.m
ἀγαθῆς τύχης pictura 491.p
ἀγαθὸν quid Græcis 367.f
Ager quid & unde dictus 353.m
Ager duplex est ibidem
Agrum male colere, probrum censorium 385.p
Agros quid fœcundet 590.m
Agrorum terminorum feriæ à quo institutæ 384.f
Agriculturæ præstantia 281.f.282.p
Agere & facere quõ differant 349.f
Agesilaus quomodo amicum commendarit iudici 280.p
Aglaonice quõ populo persuaserit, se lunam cœlo deducere 501.f
Agnatorum hæreditas quousq; admittatur 375.m
ἀγνοίας descriptio 624.p
Agoracritus quomodo tulerit ac ultus sit Atheniensium iniuriam Alcamenem sibi præferentium 336.p
Agrestis rei quæ pars utilissima 356.f
Agrigenti domus Triremis unde dicta pag. 388.m
Agrigẽtinis cur ceruleus color inuisus
M. Agrippæ gesta militaria maritima (37.m 313.p
Agrippinæ paludamentũ aureum 39.f
Aio cur ara extructa 565.f
Ait, quid significet 9.m
Alaudas colunt Lemnij 249.m
Alchymistarum stoliditas 322.p
Alcibiades 168.m
Alcibiadis impudentia, & linguæ uitia 331.m
Alcibiadis symbolum quale 173
Alcyones quando fœtificent 314.f
Alcyonij dies ibidem
Aldrouandinus Marchio Estensis pagina 520.m 521.f 531.m
Alea, de omnibus ludis fortuitis dicitur
Aleatorũ fraudibus quomodo olim occurrebatur (294.f 293.f
Alectromantia 498.p
Alethiæ descriptio 611.f
Aleuromantia quæ 498.p
Alexander Aphrodisæus philosophus præstantissimus 276.p
Alexandri Magni dictum 22.f
Alexãder Magnus Campsacen pictori dedit dono 139.p
Alexander Magnus qua ex re se felicẽ imprimis iudicauerit 155.f
Alexandrum magnũ ex suis præceptoribus Leonida & Lysimacho, plus uitiorum q̃ uirtutis hausisse 161.m
Alexander imperator Mameæ fil. quos lares habuerit & coluerit 207.m
Alexandro Magno, multo fuit iucũdius de dis recte sentire, quàm multis gentibus imperare 229. & 328.p
Alexandri Macedonis uictoriæ 235.p
Alexandrum Magnum uitia Leonidæ pædagogi etiam grandæuum expressisse 278.m
Alexander quõ donarit militem acu cicer eminus figere peritum 322.f
Alexander Magnus quõ poetam uaniloquũ explosrit 327.p. & cur Lysippum Apelli prætulerit ibidem
Alexander Philippi inuictus, Alexander Apellis inimitabilis ibidem
Alexander Magnus quomodo orthionomo fuerit cõcitatus 330.m. eius q; continentia ibidem
Alex. Mag. arrogantia 331.p
Alexandri Mag. modestia 334.p
Alexander Mag. quõ ex Hephæstionis salutatione acceperit omen 424.f
Alexandri Magni somnium 560.m.f
Alex. Mag. quomõ Hephestioni silentium indixerit 568.m. 581.m
Alex. Magni effigiei uis 571.f
Alexander Magnus à Pyrgotele tantũ scalpi uoluit 583.p
Alexandri Magni studium literarium pag. 602.f
Alienare et alienatio quid 354.355.m
Alienarum cõmentationum Aristarchi taxantur 203.p
Alimentum quædam animalia secum ex ipsa generatione afferre, quod ipsis sufficiat donec adoleuerint 464.p
Alimenti conquirendi studium omnib. animalibus inesse 463.m.f.464.p
Alioqui, uox Augusti seculo imitata pag. 42.p
Alliũ gustantibus interdictũ ne Magnæ matris templũ ingrederẽtur 230.f
ἄλλο πρὸ ἄλλου, cui⁹ epitheton 327.f
ἀλλοῖαι uirtutes quæ & cur dicantur 258.p
ἄλως quid Græcis 316.p
Alphitomantia quæ 498.p
Alphonsus Siciliæ rex 503.f
Alphonsi I. Ducis Ferrariæ II. encomium 515.f & deinceps, & 520 & 521. & 529. & deinceps
Alni qualis materies 302.f.303.p
Altercatio quid, & quale ingenium requirat 271.f
Alueolus quid 296.p
Aluus & uenter multũ differunt 49.f
Amabo non esse aduerbium, sed dicendi figuram 24.f
Amalphiorũ inuentum 312.p.390.p

Amanuensis, uox noua 60.p
Amaracinum subus uenenum 29.m
Amaranthi natura, & quæ sit herba & unde nomen 35.f
Amasis Aegyptiorum rex quomodo sui contemptum subditis exprobrarit
Amator senex, monstrũ (468.m.f turpissimum 567.p
Amatorum qualia ingenia 599.m
Ambitionis neglectus quantum gratiæ conciliet hominibus 331.p
Ambitio quomodo multanda 384.f
Ambitionem, gloriæ imitamentũ esse
Ambola quid 310.p (479.p
Ambusta ludus Italicarum matronarũ pag. 297.p
ἀμβύθη, locus quis 236.m
Amethysti coloris præstantia 35.m
Ameth. color quali miscela fiat 36.m
Amicorum electio & cognitio præposterа 647.p
Amici nomine indignus quis 133.p
Amicitia uera ibidem
Amicitiam libere tueri, quid ibid.m
Amicitiæ necessitas & uis, & quare in hominum genus inducta 112.m.f
Amicitia quæ augescat 112.f.113.p
Amicitia, res optima & suauissima in mortalium uita 280.m
Amicitias quis colat, & qs non 412.m
Amicitiam quid maxime cõciliet in omnibus rebus 416.f
Amicitiæ quatenus indulgendũ 419.m
Amicitiæ quibus animalibus mutuæ sint pag. 437.p
Amiclæ quomodo pericrint 492.p
Amictorium, uestis 38.f
ἄμιλλαι quid 294.p
Amnes alios esse perennes, alios temporarios 428.f
Amodontis natiuitas & forma 622.p
Amoris natiuitas et educatio 440.m.f
Amoris cæcitas 64.p
Amoris uis 78.m
Amor cur Platoni magus appellatus pag. 188.p
Amoris Lethæi cultus, eiusq; cum Anterote certamen 410.m
Amoris & Ganymedis ludus 292.p
Amoris inimicitias esse acerbas 418.m
Amoris illectamenta magica 500.p
Amorẽ cur necessitati Plato prætulerit
Amor mutuus quib. rebus in- (93.f situs 437.p. & m
Amoris mutui uis 436.m
Amorginæ uestes quales 37.f
Ampechonium, uestis 38.p
Amphiboli, quid 311.p
Amphimalla, uestis 38.f 311.p 365.m
ἀμφιμάσχαλα 38.f 311.p
Amphimetrium nauis 309.m
Amphiproræ naues 307.p
Amphistomi quid 311.p
Amphitapites uestes 39.p.311.p
Amphiteroplum quid 308.p
Amphitricos nauis et ampheris 306.f
Amphitrites cur sic appellatus 250.p
Amphora Capitolina 295.m
Amphora & quadrantal. idem 201.p
Amphora quudrãtalis qualis sit 295.p
Amphoræ capacitas quanta ibidem
Amplificatio oratoris qualis sit 271.f
Amplificatio qualis uirtus 447.f
Amuletorum uariæ species 498.p
Amun Aegyptijs secretum significare pag. 231.m
Anacalypteriorũ celebritas unde orta pag. 620.m
Anagnostæ qui dicantur 75.p
ἀνάθημα quid 59.p
ἀναθήματα quæ dicantur 217.p
ἄναυρος cur Nilus dictus 315.p
ἄναξ quis primus dictus 571.p & unde nomen sit ortum ibidem
Anaxagoræ sententia de fulgure explo ditur 433.p
Anaxyris uestis 37.m
Anchora, & quis eius inuentor 310.f
Anchora, elogium Vespasiani 311.p
Anchoralia ibid.p
Ancus Martius primus salinarum uecti gal instituit 16.m. 347.f
Ancylæ nauis 301.p
Andreas Critius 92.f
Androcydes quomodo Alexandrũ Magnum ab ebrietate deterruerit 12.m
Andronici Cyrrestis columna uentorum index 314.m
ἀνδριάντιοι naues 311.m
Angelorum nomina humana uoce non posse enunciari, & quomodo finiant pag. 30.f
Angelorum 72. nomina quomodo finiant 30.f. 31.p.m
Angelorum felicitas 398.p
Angelicorum corporum pernicitas pagina 495.f
Angeronæ simulacrũ quale, & cur institutum 492.f
Angerona quõ Ro. expressa 568.m
Angeronam cur Romani in templo Volupiæ colucrint 333.m.401.f
ἄγγεια βραχύσομα 333.p
Angiportus quid, & unde dictus, pagina 373.p
Anguillarũ tergorib. prætextatos uerberari 378.f. 385.m
Animæ immortalitatem esse persuasam, multum interest reipub. 186.p
Anima duplex Aristoteli 398.m
Animæ ratio, quare harmoniæ optime conueniat 71.m
Animæ rationalis partes duæ 264.p
Animam dominari corpori naturæ ordine 461.p
Anima mundi 393.p
Animarum diuinitatis argumentũ, pagina 393.p
Animal quodnam ad bellum descendentibus commodissimum 233.f
Animal omne quibus constet 461.p & duplex in his imperium ibid.
Animalia cætera præter hominẽ quare supernatent 305.f
Animalia ἀγελαῖα quæ sint 458.f
Animalibus inter se quæ communia, pagina 469.m
Animalibus quibus optime conueniat, & inter quæ sint dissidia è natura pag. 437.p
Animaliũ in omni specie fœminis mares habentur præstantiores 368.m
Animus cur homini à deo datus 24.p
Animum hominis cuiusq; quid maxime ad labores perferendos illiciat 30.p
Animus quõ à deo conditus 69.f
Animi affectus quantopere sint compescendi 278.f
Animi labes ineluibilis 379.m
Animũ i nostra manu esse nobis 503.m
Annonariæ naues 307.m
Annularis ratio quæ 584.m
Annulorum ius 551.f
Annulus quàm uarijs appellctur nominibus 581.p
Annulus pronubus quis 581.m
Annulorũ signatoriorũ usus 581.p
Annuli cur sinistræ manui induti, pagina 580.m
Annulis an mortalium aut immortaliũ insculpere conueniat imagines pagina 579.f. & 581.f. 582.p
Annuli primi ex quo metallo, & cur digitis inducti 580.p. ubi de annulis multa traduntur, & etiã 581.f. 582

Annuli illustrium aliquot uirorum quõ insigniti fuerint 582.f. 583.p
Annus solstitialis quid 604.f
Anni partiũ ad ætatẽ collatio 547.m
Anni temporum indicia 607.m
Anser quantopere Lacydem philosophum adamarit 437.f
Anserum cibaria cur in primis censores locarint olim 387.p
Anteambulones, πρόδρομοι 44.f
Antemnæ, quæ ueli partes 310.p
Anteretes in naui 313.p
Anteros quur ueteribus cultus 410.m
Anterotis natiuitas 440.p.m.f
Anterotis potentia 436.m
Antestari quid & unde dictum 361.m
Antestatio quomodo fiebat ibidem
ἀντὶ in compositione aliquando paritatem significat 438.m
Antiatũ naues in subsellia publica à Romanis mutatæ 305.f
Antigoni incorruptus animus 327.p
Antigoni scnioris dictum in Hermodotum poetam adulantem ipsi 235.p
Antiochi Soteris signum quale fuerit pag. 42.m
Antiochi Soteris somnium, & uictoria contra Galatas 424.f
ἀντιπαθέια 27.m
Antiparistasis quid 427.m. 428.p
ἀντιπελαργίαι quid 344.f
ἀντιπερίστασις quid 473.f
Antiphon quare suam imaginem se uidere putaucrit 434.f.435.p
Antiphysia 622.p
ἀντίφραξις Pythagoræorũ 240.p
Antipodes nosipsos nobis quotidie fieri, pag. 390.m
Antiquis uocibus quõ utendũ 447.m
ἀντισροφὴ quid 392.f
Antonij Berni laudes 105.p
Antonij Constabilis dictum 436.f
Antonij Constabilis encomium funebre pag. 512.p
Antoniæ Drusi familiaritas cũ murena pag. 437.f
M. Antonij Magni eruditio 119.m
Ant. Musa, medicus Ducis Ferrarien. 211.p
Antonij Musæ libellus De simplicibus 168.m
Antonius Thebaldæus 506.f
Antoninus Imperator uniuersum orbẽ ciuitate Romana donauit 347.m
Antlon & hyperantlon 310.p
Anubis sub nomine puerum coli apud Aegyptios 233.p
Anubis natiuitas 239. p. quid signet pagina 240.f
Anubis & Hermanubis significatio pagina 245.m
Anubis cur canina facie exprimebatur pag. 306.f
Aparctiæ flatus unde 314.m
Apathia & sympathia rerum unde. pagina 410.f
Apellis discipulorum persuasio 167.p
Apelles Veneris ἀναδυομένης superiores tantum partes cur expresserit 177.f
Apelles quales imagines expresserit pagina 209.m
Apelles multos se præstantiores esse aiebat pictores, sed illis Charita deesse pag. 267.f
Apelles quomodo Protogenis æstimationẽ reddiderit illustriorẽ 418.p
Apes cum occupantis sint, quomõ desinant esse publicæ 226.m
Apũ regi cur demptus aculeus 537.m
Aphlasta quid 309.f
Aphracta nauigia quæ 310.p
Apim cur Aegyptij à Nilo arceant pagina 230.p
Apis, animæ Osiridis symbolũ 234.m
Apis corpus quomõ sepeliatur 238.p
Apicæ uestes 38.m
ἀπλήρωτα nauigia 312.f
ἀποβάτρα 311.p
ἀπόγαια & ἐπίγαια 310.f
ἀπόγαιον quid 607.p
ἀποινονόμηθη, uitium quod 447.f
Apollo Aegyptijs unitatẽ signat 231.f
Apollo cedrinus Romæ 483.p
Apollo cur λόξιος 614.f
Apollo Rhodiorum quàm uarias figuras induerit 652.f
Apollodorus grãmaticæ professor quomodo ab Amphictyonibus honoratus 553.f
Apolloniatæ quale omen acciperint pagina 561.p
Apollonij Alexandrini grãmatici duo fuerunt, neq; eodem uixerunt tempore 438.f.439.p
Apollonius Milonis audito Cicerone orante quomodo ingenuerit 273.f
Apologus de inscitiæ & satietatis contentione 410.m
Apologus Magiæ 503.p
Apologus Frãciſci Calcagnini 403.f
ἀποφάσις, quid 9.m
Apopis Iouis frater, eiusq; cũ Ioue pugna 238.m.f
ἀποζωμὴ quid 72.p
Appij prætexta toga 64.p.65.p.m
Appius cur cæcus redditus 492.m
Appij senis & cæci fortitudo 266.f
ἄπτερος, locus unde sic dictus 187.f
Apua piscis, qualis 62.p
Apud & penes differre 374.m
ἀπτωσία quid 238.p
Aqua cur omnium rerum principiũ dicatur 237.f
Aquæ natura 237.f
Aqua dulcis quõ in nauibus præparari & asseruari possit 311.f.312.p
Aquæ quando salsiores, & quando minus 429.f
Aquã marinã reliquis aquis calidiorem & ponderosiorẽ esse crasioremq; pag. 429.f
Aqua marina quõ fiat poculenta ibid.
Aquam per cinerem aut calcem eliquatam salsescere 428.f.429.m
Aquæ filum, quid 432.f
Aquarũ ponduscula & qualitas 43.p
Aquis quædam etiamsi mergantur non tamen exaquescere, quæ sit ratio. pagina 27.p.m
Aquifoliæ mirabilis natura 46.m
Aquilæ gratitudo erga altricẽ 437.m
Araspis cur tantopere sit miratus Pantheam captiuam 331.p
Arati qualis statua 43.p
Arbiter bibendi apud Horatiũ 291.p
Arbor mirãdæ magnitudinis 303.p.m
Ar. domestica cur nõ incidẽda 238.m
Arborum in Persico mari nascentium natura 401.p
Arbores quæ nauibus fabricandis cõmodissimæ 302.303
Arboribus quibus ignem excutere possis 304.m
Arbores quæ scutis aptissimæ ibidem
Arcera quid 377.f
Arcesilas unde uoluerit probare, res esse incomprehensibiles 498.f
Arcesilæ columba 402.p
Arcesilaus cur collum columbinũ tanto pere sit contemplatus 388.p
Archimedes cur ueterib. miraculo fuerit 387.f
Archimedes se arte sua terram in locũ alium affirmauit posse traducere pagina 394.m

Architas percunctatur oraculum de ciuitate condenda 425.m
Architæ columba lignea qualis 390.f
Archipoſiam talis olim ueteres ſortitos eſſe 291.p
Architectonicarum artiũ dignitas. pagina 453
Arcuatis omnia uideri uireſcere 388.m
Arcus cœleſtis. uide Iris
Ardentes roſæ apud Ouidium 35.m
Area ſiue halos quid, & quomodo fiat pag. 434.p.m.f
Aretinum oraculum 280.p
Argentũ ante Pyrrhi tempora non fuiſſe ſignatum 354.p
Argo nauis cur πασιμελὸς uocata pag. 292.m
Arges fulminis ſpecies, & quanta eius uis 433.f
Argumentatio ab æquiuocis, reijcitur
Argumentum quid 444.p (199.f
Argumenta duplicia, & quæ ibidem
Argumentorũ genus quod Platoni & Ariſtoteli admodum eſt frequens. pagina 546
Argus centoculus 477.p
Argyria quàm grata mulier 611.m
Arianorũ fraudulentia in Concilio Ariminenſi 30.m
Arimanius Zaroaſtri quis, eiuſq; ſacrificia 241.m
Ariſta quid 356.f
Ariſtinus quõ ſe expiarit 574.p
Ariſtippi de ſe fiducia 335.f
Ariſtoteles probationes per literas cur certiores putet 5.m
Ariſtoteles cur bracchio è pallio exerto pingatur 42.f
Ariſtotelẽ ſua uolumina non diſtinxiſſe in capita 48.p
Ariſtoteles quantum ſupra naturam aſſurgat 131.f
Ariſtotelis uirtus in diſſerendo 185.m
Ariſtotelis locus caſtigatus 202.f & pag. 288.f.289.m.f
Ariſtoteles qd geſſerit in uita 322.m
Ariſtotelẽ qd grauiter torſerit 392.f
Ariſtotelis uerborũ obſcuritas 398.m
Ariſtotelis Ethicorum & Politicorum lib. quid tradant 546.m
Ariſtoteles unde dæmonius cognominatus, eiuſq; de hiſtoria animaliũ libri pag. 555.p
Ariſtrati monumentum 652.m
Arithmetica ratio 71.m
Arithmetice quid doceat 554.p
Armorum appellatio quid cõtineat. pagina 363.p.m
Arma antiqua quæ fuerint ibid.f
Armato militi quot milia paſſuum in diem præfinita 341.p
Arnaldi Conſtabilis geſta 512.f & pag. 513.p.m
Aromatum multorum confuſio ad quid utilis 251.f
Arquati prognoſticon 212.f
Arragoniæ familiæ ſanctitas, & imperij origo 503.f
Arrogatio quid 573.p
Arrogatio quid & quõ fiebat 577.f
Arſaphes dictus Dionyſius 238.f
Artem deam ueteribus cultam 3.p
Ars nulla in ſuis imitijs abſoluta 270.p
Artis præmium honor 330.f
Artiũ inter ſe cõnexio 453.m.553.m
Artes eſſe triplices 350.p
Artiũ gradus in honoribus, & quæ honoratiores 453.m.f
Artium ſingularũ qui præſides 550.m
Artes quæ illiberales & ſordidæ pagina 467.m.f
Artes liberales quæ & cur ſic dictæ, & quotuplices 553.p.m
Artium nomina ſingulariter uſurpari ſolere 592.p
Artemiſia quomodo Rhodios regnum ipſius occupare conantes trucidarit 21. p. & quomodo Rhodum ceperit ibidem
Artemo quid 310.m.311.f
Arteria ex quibus conſtet 50.m
Arterias ad rationem muſicæ agitari pag. 554.f
ἁρπάζειν ludus qualis 293.f
Articulorum præpoſitiuorum & poſtpoſitiuorum contentio 225.f
Articuliqui numeri, & cur dicantur. pag. 584.m
Aruales fratres quis inſtituerit 384.f
Arualium fratrum collegium 411.p
Arueris natiuitas 232.p
Aruræ quantitas 18.m
Aruſpicium quale 498.m
Aſandium, quæ nauigij pars 309.f
Aſbeſtinæ ueſtes quæ 35.m
ἀσκιαι mathematicis quæ 327.m
ἄσχυμαχον quale uitium 447.f
Aſclepiadis medici cum Fortuna ſponſio qualis 342.m.423.f
Aſcoma quid 309.m
Aſcopera quid 313.m
Aſelgiæ deſcriptio 612.m
Aſinum cur quidam populi auerſentur pag. 236.f
Aſinus Typhoni ſacer & cur 236.f & pag. 237.p
Aſotiæ deſcriptio 612.p
ἀσωτοφαγὶς quid Polluci 61.f
Aſparagonia quid, & quis eius uſus pag. 62.p
Aſparagi noĩa & ſignificatio 61. m.f & an antiqs ctiã fuerint altiles ibi.
Aſparagus in quãto honore apud Ioxidas fuerit 62.m
Aſparagorũ ſatio facultasq; & honor pag. 62.p.m
Aſpidis qualis natura 249.m
Aſplenij uirtus, & unde ei nomẽ 44.f
Aſſentatorum ſtudium 97.f
Aſsis æſtimatio 377.p
Aſſes quomodo mutati 578.p.m
Aſtacte quæ ſit 61.p.233.p
Aſtra quõ cœlo fixa 293.m
Aſtragalorũ ludũ ſenibus æque ac pueris familiarem 292.m
ἀστραγαλίζειν καὶ ἀστρίζειν quid. pag. 293.p
ἀστράγαλος, ἀστρὰς, ἀστρινὸς ibid.
Aſtragalos, nomen polyſemon & unde ortum ibidem
Aſtragalomantia 498.p
Aſtronomos ridet 393.f
Atabulus uentus Apuliæ peculiaris. pagina 314.f
Athenæ multas res bonas inuenerunt pag. 379.f
Athenienſes quos publice execrati ſint pag. 27.f
Athenienſibus quomõ fauerit Minerua pag. 189.p
Athenienſium de uirgini uim adferenti bus lex qualis 204.m
Athenienſiũ qui ocij damnabantur mulcta quæ 364.m
Athenienſium gloria 512.f
Athyr menſis quis & quando 45.m & pag. 232.f. 247.f
Atilæ uirtute regnum auctum, diſſidio liberorũ rurſus cuerſum eſſe 413.m
Atlantes inſomnes homines 629.m
Atomi quomodo deferantur, opiniones pag. 396.m
Atrabiliorum imaginationes 388.m
Atractos in naue quid 309.p
Attalicæ ueſtes quales fuerint 34.p

Attentum auditorem quomodo faciamus 271.m. 445.p
Atteſtata fulmina Senecæ quæ 361.f
Atteſtari quid 361.m
Attici quàm fugiant σ literã 222.p
Atticus, amicus & accuratus Ciceronis ſcriptorum cenſor 202.f
M. Attilij Reguli factum improbatur pag. 265.f.& 266 p.m.f
Attilus qualis piſcis ſit 68.m. & quo differat à ſturione ibidem
ἄτροφον quomõ latine dicatur 46.f
Auaritia quõ omnibus innata ſit 278
Auaritia quomodo plectenda 384.f
αὐχέω quomodo latine dicatur 48.f
αὐχὴν nauis pars 309.f
Auditus qualis ſenſus, & ad quid conſerat potiſſimum 470.f
Auerunci dij 571.p
Auguris boni officium 384.m
Augurem regibus & conſilijs aſſediſſe apud Laconas 560.m
Augurum ius quod 379.f
Auguriorũ uaria genera 498.p.m.f
Auguria rerum agendarũ ex talis olim capta 292.f
Auguria & auſpicia quando ceſſarint. pag. 565.m
Auguſti prodigium de leuo ſibi calceo præpoſtere inducto 2.p
Auguſti dictum in negligentius accipientem ipſum conuiuio 157.f
Auguſtus Cæſ. quomõ imperij onus ſibi leuarit 287.m
Auguſtus cur equitis Romani maxime obærati culcitram ſibi emi iuſſerit.
Auguſtus Cæſ. quõ uocem emendarit (361.p 450.f
Auguſtus quomõ ex agaſone fortè occurrente omen ſumpſit 565.f
Auguſti imaginem quis artifex optime expreſſerit 583.p
Auguſtũ omnia quæcunq; loqueretur, literis mandaſſe 597.p
Auguſtalis nauis 307.m
Auicula Homerica 334.m
Aui .p maioribus in uniuerſum 368.p
Auris Memoriæ dicata 361.m
Aurem cur uellimus alicui ibidem
Aures liberorum cur parentes exoſculentur 470.f.492.p
Aurum qui primus ſignarit ignotum. pag. 577.m
Aurum & argentũ quomodo in uſum tantamq; æſtimationem uenerint. pagina 282.p
Aurum poſculentum ſeu potabile. pagina 322.p
Aurum in animis adoleſcentum apud Platonem ſitum, quid ſit 328.p
Aureæ ueſtes 39.m
Aureus apud Iuſtinianum quantũ ualeat 297.m
Auſpicia per acumina quæ fuerint 17.f
Auſpiciorum obſeruatio, & quod maximum & præſtantiſsimum auſpiciorum genus 21.m.f
Auſpicia magiſtratibus cur data. pagina 376.f
Auſter unde ſpiret 430.f
Aut ter ſex, aut tres teſſeræ, prouerbium 295.m
αὐτοεκάσυ Academicorum 455.p
αὐτάρκεια quomodo latine reddatur. pag. 464.m
αὐτοκράτως & αὐτάρκης 223.p
αὐτάρκης cur Iouis pollici Agoracritus inſcripſerit 330.f
Autumni conditio 237.f
Axierus quis 570.f
Axinomantia quæ 498.m
Axiocerſa & Axiocerſus qui 494.p
ἀξιώματα quid 366.p (570.f
Axiomata quæ dicantur 555.m

B

Babylonica periſtromata qualia. pagina 33.f
Bacchi uis ignea 634.f
Bacchus è cõcremata matre æditus cur dicatur 12.f
Bacchica ſacra qualia 238.p
Bal Aegyptijs myrrham ſignificare. pagina 251.m
Balthaſar in pariete humanam manum ſcribentem uidet 293.m
Βάναυσοι artes quæ dicantur 467.m
Baptiſtæ Fidelis laudes 73.m
Barbarus & ſeruus natura idẽ 362.m
Barbara nomina in el quomodo ueteribus pronunciata 31.p
Barbaros inſectatur 270.271
Barbariem occupaſſe Italiam, omneſq; ſimul artes 270
Barbatæ mulieres num abominabiles. pagina 8.m
Bardocucullus quid 311.p
Baris quid 562.f
Baris nauicula Charontis 308.p
Baris papyracea Iſidis 233.f
Baſara quorum ueſtis 37.f
Baſiliæ ueſtes 37.m
Bauari unde oriundi 551.m
Batrachides & batrachiæ ueſtes 36.f & pag. 37.m
In Beatricis Pannoniarum reginæ funere oratio 503.m
Beati qui 367.f
Bebæon & Bebon 242.m
Becceſelinus qualis uir fuerit 610.m
Belliſſarij exercitus quomodo pane corruptus 311.f
Belluata inſignia quomodo cœperint. pag. 248.m
Belluata ſtromata apud Plautum quæ. pag. 365.m
Bellum una de cauſa tantum ſuſcipiendum 544.m
Belli ciuilis origo 583.p
Bellum cuiuſmodi iuſtum ſit 464.m
Bellum pater & dominus uniuerſorum Heraclito 241.f
Bella quando ſuſcipienda ſint 530.f
Beltrandus Conſtabilis 513.m
Benedicti de Acoltis Card. Rauennatis laus 137.m.f. & 138.p.m.f
Beneficiũ à quibus ſit petendum 523.f
Bencuentum unde appellatum 558.f
Beroſo cur erexerint ſtatuam aurata lingua Athenienſes 554.f
Betæ ueſtes 38.f
Betonicæ ſeminis uirtus 498.p
Binarius numerus notatur Aegyptijs per Dianam 231.f
Binarius numerus quid ſignificet. pagina 250.p
Biremis quis inuentor 301.f
Biſextilis anni ratio 547.m
Bœotios cur ilici ſimiles dixerit Pericles 411.p
Βῶλος in naui 309.f
Bombardæ deſcriptio, & quomodo inuenta 312.m.f
Bomonicæ Laconum 493.p
Bonus uir priſcis non temere quiſquam appellabatur 190.m
Bonum quibus nominibus Pythagorici expreſſerint 242.p
Bonum naturale quod 367.f
Bonum ciuile quod ibidem
Bonũ omnia appetere 453.p.& inde
Bonum inter tranſcendentia cenſeri. pagina 454.m
Boni cõmentitiam eſſe ideam 454.m
Bona alia potiora, alia poſteriora eſſe pag. 454.p

Bona ex malis nunquam, mala ex bonis aliquando oriri posse 30.p
Bonarum rerum ubertas conditionem non facit meliorem 318.p
Bona publica quæ dicantur 347.p
Bona mala, quid significet 356.f
Bona alicuius quæ dicãtur 360.f
Bona quomõ proportione quadam conueniant 455.m
Bona esse duplicia 455.f
Bonorum uirorum epitheta quæ apud Homerum 235.m
Bonorum & malorum miscellam esse quandam 241.p
Bonorum appellatio duplex 367.m.f
& quæ complectatur ibidem
Bonis nostris quæ annumerentur, ibid.
Bonitatis argumentum quod maximũ. pag. 528.p
Borcas unde spiret 430.f
Boreæ flatus unde 314.m
Borsus primus Ferrariæ dux 538.m
Bos, serui uices gerit in familia paupe rum 362.f. 458.p
Brasidæ dictum 329.p
Breuitatis affectatio, & qualis deceat. pag. 443.p
Briareus centimanus 477.p
Brimo eadem quæ Proserpina 501.p
Britanni quur se obleuerint glasto. pagina 14.m
Βρογχὸς, quid 48.m
Bruto quale spectrũ occurrerit 360.m
Brutia pix, & eius efficacia 305.p
Bou in compositione quid faciat 16.f
Buccellatum. Marcellino 311.f
Buccinum, conchylij nomen eiusq; descriptio 36.m
Bucentaurus nauis unde sic dicta. pagina 306.m
Burenses ex talis augurari 292.f
Busiritæ quare non utantur tubis. pagina 236.f
Buxus cur sterilis 630.m

C

κ. literæ ius usurpat sibi ὁ τῶ 222.m
κ & γ affinitas 222.m
Cabala cur sic dicta 3.f
Cabala quid significet 41.f
Cabalistarum secta 41.f
Καθόλου quale uitium 447.m
Cadauera uirorum supina, fœminarũ prona fluitare 302.p
Caduca glans, caduca poma 356.m & pag. 357.m
Caduceus Mercurij qualis, & qui eo sint olim usi 410.f
Caduceatores qui ibidem
Cæci cur prudentiores mutis & surdis. pag. 470.f
Cæcias quando spiret 314.f
Cæcilia Metella quomodo omen sororis filiæ acceperit 560.p
Cælij Calcagnini libellus de appellationibus rei curulis 7.m.f
Cælius libellum Plutarchi De Iside & Osyride latinum fecit 12.f
Cælius non offenditur obtrectatoribus eum erronem in disciplinis & desultorem compellantibus. Ibiq; studiorum suorum rationem docet 22.f & pag. 23.p.m.f
Cælius quomodo sua studia instituerit. pagina 26.f
Cælius hic quid de se iactet 83.m.f
Cæl. quõ oculorũ uitio laboret 84.p m. & quam artem exerceat, ibid.
Cælij Calcag. familiæ nobilitas 93.p
Cælij Calcagnini cum Constantia Rangona contentio 282.f.283.p
Cælius Calcagninus quomõ sua sit studia moderatus, quæq; gesserit. pagina 324.f
Cælio Calcagnino, cur Cælij nomen inditum 566.m. & quomodo infans se gesserit dum baptizaretur. ibid.
Cælij Calcagnini ingenium & natura. pag. 54.f
Cælij amor erga Zieglerũ 54.55.56
Cælius quid annulo suo inscripserit. pagina 591.f
Cælius ut populum opprimeret nocuit etiam Reip. 384.p
Cælum quomodo expresserint Aegyptij 231.f
Cœlum stare immotum, quibus rationibus probet 389. & deinceps
Cæneus qualis fuerit corpore 476.f
Cæræ odor, qualis 53.m
Καιρικὰι horæ quæ Græcis 340.p
Cæruleus color 37.m
Cæsaris scripta qualia 273.f
Cæsaris dictum 279.f 280.p
Cæsar dictator quomodo itinerum securitatem precatus sibi sit, cõscensurus uehicula 585.m
Cæsar quod iratus male iudicarat, quomodo placatus rasartierit 422.p
Cæsar cur cautior in senecta ad bella suscipienda 546.f
Cæsarem sex dactylothecas Veneri consecrasse 581.m
Cæsitius color quis, & unde dictus. pagina 36.f
Caij Imperatoris nauis & obeliscus in Vaticano constitutus, ingentia opera 303.m
Calamus, seu culmus quid 356.f
Calantica, quæ uestis 37.p
Calcagnini Protonotarij laus 654.p
Calcagninæ familiæ sacerdotium gentilitium inuadũt fratres Capones. pagina 76.f. 77.p
Calcancum in naui 309.f
Calculi quales ab initio fuerint 297.f
Calculis in ludo quot fuerit opus. pagina 299.m
& qui eo ludo sint usi ibidem
Caligo unde proueniat 427.f
Caligula quomodo se deum esse affirmarit 326.f
Calliblephara ostrea, cur ita uocata. pagina 73.f
Callidius quomodo à Ciceron reprehensus 452.p
Callisthenem quid perdiderit 401.f
Callimachi texitechni uitium 446.m
Καλώδια quid 310.f
Calor lumine fortior ad penetrandum. pag. 432.m
Calthulæ uestes unde uocitatæ 43.f
Caluitij & caniciei contentio 628.p
Calumniatoris quàm uirulentus morsus 286.p
Calumniæ apparitores qui ibidem
Calumniæ fontes tres 416.m
Calumniæ ministri commodissimi qui. pag. 419.f
Calyptra, quis uestitus 37.p
Calx sarmenti quid 10.m
Camilli Vistarini præconia 53.p
Camillus Constabilis 513.m
Campsoria ars merito odiosa 467.p & cur introducta ibidem
Cancellarius, uox incertæ significationis 60.m
Candauli uxorem suam alieno spectandam exhibenti quid obuenerit. pagina 418.f
Candidati qui, & unde dicti 34.m
Candor an nigredini præstet 599.m
Candys uestis quæ 37.m
Canicies senum cur albicet 237.f
Canos & prudentes uiros sectando qd proficiamus 22.f

Caniculæ ortus uis in maria 315.p
Canidia uenefica 501.m
Caninij læſæ maieſtatis accuſati magna nimitas 422.p
Canis Græcis, Iſidis aſtrum 234.f
Canis ligneus quid 569.p.m
Canis quomodo Iſidem in Aegyptum uexiſſe dicatur 306.f
Canem maſculum catellos duos lactaſſe, pag. 8.f
Canẽ die iuxtà noctuq; uidere 240.f
Canis honor apud Aegyp. & cur ibid.
Canes pro calculis 297.f.298.p
Canes cur annua ſupplicia pendant. pagina 387.p
Cannarum internodijs nauigatum aliquando 305.p
Canobus, quid Aegyptijs 234.f
Canon quid ſignificarit olim Romanis 16.m
Canon Polycleti quis 275.m
Canon frumentarius Pertinacis Imperatoris quem moriens reliquerit. pagina 200.p
Canonia quid 310.p
Canterium quid 10.m
Cantilena quid ſit 593.p
Cantilenam biſariam aduerti poſſe. pagina 593.m
Canuſina lana qualis 39.f
Canuſinum & canuſinati 311.p
καπηλικὴ mercatura quæ 263.p
Capnomantia 498.m
Capparis à Zenone honorata 62.m
Caprifici materia qualis 29 m
Caprifico boues reddi immobiles. pagina 29.m
Caprifici cineris qualis uis ibidem
Captum ab hoſtibus maxima capitis diminutione teneri 341.p
Capyris, ueſtis 37.m
Carbaſa quæ dicantur 310.p
Carbonis ſtudij aſsiduitas 320.f
Carcheſium in naui quid 309.f
Cardinalitia dignitas 509.m. 600.f
Carina nauis 309.p
Carinarum forma & ratio 305.m
Carneadis opinio de neceſsitate 396.f & pag. 397.p
Carneadis argutum ingenium 497.m
Carnem humanam in campo ligneo oſſibus ludere, ænigma exponitur 3.f
Carnes quæ optimæ ſint 72.f
Carolus Ruinus 277.p
Carolus Strozza 506.p
Κάρπος, liber Ptolemæi 399.p
Caſmilos quis putetur 494.p.570.f
Caſſiaca ueſtis 37.p
L. Caſſius qualis uir eiusq; lex 384
Caſteria quid 310.m
Caſtor & Pollux primi ἄνακτες dicti 571.p
Cataclyſmus unde proueniat 428.m
Catagogis, ueſtis 37.f
Κατάφασις quid 9.m
Cataphractum nauigium 310.p
Cataſcopiæ naues 307.f
Cataſtictos ueſtis qualis 37.f
Cataſtroma quid 310.p
Catechiſtæ qui dicantur 3.f
Catechumenos, qualis uox et quid ſignificet 3.m
Κατηχεῖν quid ibidem
Catonis ſenis de abolenda Carthagine conſilium 266.f
Cato cur L. Flaminium ſenatu eiecerit pag. 285.p
Catonem nauigaſſe pœnituit 301.m
Catonis aſsiduum ſtudium 320.f
Cato cur in humili loco uoluerit tumulari 334.m
Catonis dictum in comatulos 418.f
Catoptromantia quæ 498.p
Cattæ, naues 307.f
Catulli locus interpretatus 357.p
Caua luna, & Caui menſes quid ſignificent 9.f
Caucaſi mare 428.m
Cauda & caput draconis 607.p
Caunaces ueſtis 37.f
Cauri flatus unde 314.m
Cauſa ſua nullam rem carere 337.p
Cauſam omnes res habere, etiamſi nobis incerta ſit 391.m
Cauſas rerum eſſe duplices 398.f
Cauſæ iugulus quid 344.m
Cauſeum quid 311.m
Cedi iure quæ poſsint 577.p
Cedrelate arbor quæ 483.p
Cedri materiam eſſe æternam 302.f de ea prodigioſum exemplum ibid.
Cedrum ingentem in Cypro olim cæſam ibidem
Cedri deſcriptio 482.f.483.p
Cedriũ quid, & quanta eius uis 305.p
Celebranda ſcribere & facere, quid differat 653.p
Celeuſma quid 313.m
κελεύστης quid 313.p
Celetes, Celetia, Celox 307.m
Cellarium in naui 311.f
Celocis inuentor quis 301.f
Celmis, unus ex Idæis Dactylis 570.p
Cementitias ſtructuras ultra centeſimũ annum non durare 63.m
κεγχρὶς quæ auis 437.p
Cenſores qualia nomina prima in cenſu recipiebant 11.f
Cenſorum munera quæ fuerint 378.p
Centaurus nauis cur ſic uocata 306.m
Centauri poetarum qualia monſtra pagina 477.p
Centaurium potum omnia mala medicamenta aluo eijcere 498.p
Cento 37.p
Centones in nauibus 311.p
Centrum quid Græcis dicatur 360.m
Centrum terræ umbilicum eſſe 390.m
Cepionis & Druſi inimicitiæ unde ortæ, pag. 581.m
Cepas cur Aegyptij ſacerdotes auerſentur 230.f
κεφαιὸς φολὶς quid 433.f
Cerberi in Somatia deſcriptio 612.f
Cercurus à quibus inuentus 301.f
Cercurus unde nomen habeat 306.m
κεραιοπλαστικὴ quæ ars 463.m
Ceres quæ myſticè 239.f
Cerinæ ueſtes cur ſic appellatæ 34.f
Cereris ſacra 333.f
Ceruchi quid 310.m
Cerui quando & cur lateant 28.f
Ceruis fœminis cur dempta cornua. pagina 634.f
Ceruleus color qui 12.p
Ceſsio iuris quid, & quomodo fiebat pag. 354.f. & 576.m
Ceſtrei ingenium 636.f
Cethegi menſa magni precij 483.m
χαίρειν omnibus diei horis uſitatum pag. 424.p
Chalaſsiris ueſtis 37.f
Chalazophylaces Cleonis 315.f
χαλκέμβολα 312.m
Chalcembolæ triremes ibidem
Chalcenetes quid 309.p
Chalaza quid 38.m
Chalybis uis 314.p
Chalybeum ſpeculum ibidem
χάμαι in compoſitione 16.f
Chamæleonis uarietas 402.p
Chamæleuce, quæ herba ſit 43.f
Chaos quid 244.m
χαρὰ quæ dicatur Græcis 621.p
χάραξ quid & Characatæ uites 10.p

χάρις decor 267.f
Charitonis & Melanippi mutuus amor pag. 439.p
χαρμόσυνα festa 236.m
Chasma unde fiat 427.m
Chelysma in naui quid 309.p
χυμία quid 237.f
Chenosiris, id est hedera 238.f
χίος, talorum iactus 290.p
Chiromantia quæ 498.m
Chirodota uestis unde dicta 37.f
Chius ad Coum, prouerbij interpretatio 289.f
Chius adstans nõ sinit Coum loqui, prouerbium in quos conueniat 290.p
Chlæna, quæ uestis 37.f
Chlamys, Chlamydula, Chlamydatus pag. 37.f
Chœac mensis quis 45.m
Chordax quis pes Aristoteli 449.p
Chordum quid 358.p
Chorteas uestis 37.f
Chriarũ usus in oratione & uirtus, pagina 447.f
Chrysius quàm honoratus uir 611.m
Christũ non prius sanctã ciuitatem ingressum esse quàm domitæ asinæ insedisset 128.f
Christus quatenus plus deus quàm homo 494.m.f
Christi corporis proprius locus ubi, pagina 494.f
Christus quomodo in eucharistiam recipiatur ibid.f
Christianorum omnium eadem respub. pag. 409.p
Chroni descriptio 611.f
Chymistarum uanitas 322.p
Chrysalis quomõ ex Chrysalo immutata 637.m
Chrysippo cur manus fingatur contracta 42.f
Cibi retrimentorum conditio 229.f
Ciceronis locus explicatur aut emendatur 4.f. & 5.p.m. 6.f.7.f.17.f 21.f. 31.f. 32.p. 53.p. 63.p m.64.p.m. 65.p.74.m. 299.m 339.m
Cicero quem sibi imitandum proposuerit 331.f
Cicero librum De officijs aliud agens scripsisse uidetur 263.m
Cicero quomodo imitationi studuerit pag. 274.m.f
Cicero quomodo sua studia temperarit 322.m.quando & cur philosophiæ operã impenderit ibidem
Cicero qua de causa pessime ab aduersarijs audiuerit 334.m
Ciceronis ioci 259.p
M.T. Ciceronis oratio qualis 273.m illicq; eius laudes percensentur
Ciceronis laus 284.m
Ciceroni quid uitio datum in Cluentiana 445.m
Ciceronem imitandum sibi proposuisse, proficisse est 448.p
Ciceronis intrepidum responsum pagina 422.p
Ciceronis & Roscij certamen 452.p
Ciceronis sumptus eximij mensa. pagina 483.p
Cic. iniquitas in oratione qua proscindit legum peritiam 544.m
Ciceronis matrem lagenas etiã inanes obsignasse 581.p
Cic. in oratione pro P. Sextio commentario usum 596.f
Ciconia cur Thessalis sacra 249.m
Cidaris, uestis 37.m
Cilicia 312.m
Cillius color 36.f
Cimbaricum amiculum 38.p
Circius uentus Galliæ peculiaris 314.f
Circuli nec initium nec finem esse. pagina 318.m
Circulus, & circularis motus 392.m
Ciris pietas in parentem, & cur crista ta sit 478.m
Circumferentia quid 392.f
Cithara datum remigibus signũ in Argo naui 313.f
κίμβος quid Doribus ibidem
Citrea materies qualis 302.f
Citreta quõ apparanda 480.p.m
Citri arboris descriptio 482.p.m
Citrius unde translata & propagata, generalisq; eius descriptio 479.f
Citrosæ uestes unde sint dictæ 482.m
Ciuis non legittimus quis 23.p
Ciuis pernicioſus quis habitus 385.f
Ciuilis principatus qualis sit 468.m
Ciuilium seditionum causæ quæ 222.f
Ciuitas quid 457.m. & quis eius finis ibidem & 458.m
Ciuitatis gubernatoris officium ibid.
Ciuitatis incunabula unde proficiscantur 459.f
Ciuitatem quid inficiat & quid emendet 383.f
Ciuitatem & uitæ aptissimã & secundum naturam esse 458.f
Ciuitates quæ optimis legibus institutæ existimentur 332.m.f
Ciuitates olim singulas suum habuisse regem 458.m
Ciuitatum pulchritudo quæ sit 414.f
Classes suas pro imperij tutela ubi habuerint Romani 315.m
Classis unde constet 307.f
Classi procinctæ necessaria 312.m
Classicum quid significet 313.m
Classendix quid ibidem
Classis Veneta quomodo in agrum Ferrariensem irruperit, expugnataq; sit à duce Ferrarien. 184.& dein.
Clauatæ uestes & Clauus quid 39.p
Claui nauium ex qua materia debeant fieri 304.f
Clausula quid oratoribus dicatur, pagina 448.m
Clausulæ uitia quæ & uirtutes ibid.f
Cleanthis assiduitas in labore 328.m
Cleanthes quomodo ad philosophiam excitatus 333.p
Cleanthes quomodo exprimatur à statuarijs 43.p
Cleobinicon, uestis 37.f
Cleonis chalazophylaces 315.f
Cleonis sententia peruersa 419.m
Cleopatra quali naui & qualiter exornata profecta sit ad M. Antonium pag. 307.p
Cleopatræ sponsio cum Antonio, qualis pag. 342.m
Cleopatræ unionis preciositas 115
Cleis in naui quid 309.f
Clientuli qui dicantur 37.p
Clitopodium quid 309.p
Clodij adoptio cur improbata 573.p
Clupea piscis 68.f
Cn. Flauius cur tribunus plebis, & senator & ædilis curulis simul creatus pag. 543.f.580.m
Cnephagenetus, deus æternus & immortalis 234.f
Cnephatus seu Technatis cur Menidem sit execratus 231.p
Cnidurges naues 307.m
Coccinis uestibus unde nomen 34.f
Coccum ubi & quid 36.f
Cocci coloris præstantia 35.m
Cochlearis mensura 66.p.m
Cochleariũ duæ species 67.p. earumq; mensura Ibidem

Codex

Codex seu caudex quid 306.m
Codicariæ naues ibidem
Coemptio inter uirum & mulierē quo modo fiebat 366.m
Cœnatoriæ uestes 537.m
Cognationis graduū dimensio 368.m
Cogentia quæ dicantur 261.f.262.p
Cognatorum hæreditas quousq; admittatur 375.m
Cognitionis nostræ maximam partem à sensibus pendere 321.m
Cognitionum opifices quinq; 15.p
Cognoscere instrumenta quid 371.p
Cohortis prætoriæ stipendium quantum 354.p
κοιλία ἡ ἄνω καὶ ἡ κάτω 49.f
κοιλοστομία quid 451.p
Colobia uestimenta 37.f
κῶλον orationis 451.m
Colonum bonū appellari, quondam laus amplissima 385.p
Colonorum, id est, in colonias missorū, quæ fuerit conditio 349.p
Colophona addere, unde ortum 306.p
Color ceruleus & silaceus qui 12.p
Color colossenus, qui 16.f.17.p
Colorum nomina uarijs ex rebus desumpta 35.p.m
Colores principales in uestib. qui 35.m ibiq; de coloribus multa
Colores personarū apud Comicos 38.p
Colorum dinotio & descriptio quàm difficilis 198.m
Coloribus tantum quatuor, immortalia opera expressisse clarissimos pictores 11.f
Colossenus color quis 16.f. 17.p
Colossenses unde dicti 17.p
Colloquia Erasmi cur Paulus III. pontifex prohibuerit legenda 195.m
Columba Arcesilæ qualis 402.p
Columba lignea Architæ 390.f
Columbæ ne mutent sedem quomodo fiat 437.m
Columbarum amor erga tinnunculum pag. 437
Columna execrationibus in Menidem inscripta cur Thebis posita 231.p
Columnarij redemptores qui dicantur pag. 208.f
Colus in naui, quid 309.f
Colymbetes 313.m
Colaciæ descriptio 611.f
Cometa & pogonia quomodo differant 427.m. & cuius sit substantiæ ibidem
Cometæ unde ꝓueniāt 427.m & inde κωμικὸς μαρτύς quis dicatur 65.p
Comicus testis quis 208.f
Comitia cur nundinis non licebat habere 385.f
Commendationes Tyrannorum quales pag. 279.f
Commentarij subsidio uti quàm fœdū sit 595.f
Commentarijs in recitandis orationibus qui sunt usi 569.f.567.p
Comitialis morbi remedia 568.m
Commissum pro delicto seu pœna delicti 174.p
Cōmitti in publicum ibidem
Committere uarie usurpatur apud Iurisconsultos 173.174.p.m.f
Cōmunia esse omnia secundum naturā, & quomodo priuata fiant 257.p
Cōparatio rei conditionē mutat 256.f
Compluuiatis uestib. unde nomen 43.f
Compluuium & cōpluuiatæ uites quid pag. 10.m
Compositio ἄρυθμος & εὔρυθμος 449.m
Conatus egregij quando maxime laudandi 553.p
Concha, nauis 307.f
Concha duplex, eiusq; mensura 67.m
Conchilij coloris præstantia 35.m
Conchyliatæ uestes & purpureæ quomodo inter se differant 36.p
Conchyliorū descriptio 36.m
Concoctio ubi fiat 49.m.50.m
Concordiæ templum à Camillo consecratum 414.f
Concordiæ Symbola qualia ibidem
Condicere quid 31.f
Condici & condictio quid 369.f & 370.p
Conditionales creditores & debitores qui 370.p
Conducere quid 341.f
Cōfirmatio qd debeat efficere 445.m
Confutatio quid faciat 445.m
Congius quantum capiat 201.p
Congium liquidis & aridis æquè conuenire 201.f
Coniuncta pro disiunctis accipi aliquando 368.f
Coniunctionem aliquando pro disiunctione accipi 356.p
Conquirendi disciplina an eadem sit cū œconomica 463.m & inde
Conquirendi quæ species secundum naturam 464.m
Consciētiæ causa cur bonus libēter emoriatur 280.p
Consecranda dijs quæ sint & quæ non pag. 380.p
Consentes dij unde dicti 410.f.411.p
Consilium nocendi quis habuisse censeatur 369.m
Consilium sine effectu quādo puniatur, & quando non 370.p
Consilia secunda esse meliora, sed non carere pœnitentia 413.m
Consonantium lis pro genere auitio pagina 225.f
Cōstabilis familiæ laudes 512.f et inde
Cōstantia fundamentum omnium uirtutum 648.m
Constitutiones principales seu imperiales quando cœperint 543.f
Consuetudinis uis 329.f
In Cōsultatione quid spectandū 212.p
Cōtentiōis in actionib. utilitas 332.p
Contentiones quorum uehementissimæ 410.m
Contestatio quando fiat 362.p
Conti cur inuenti 311.m
Continens & temperans quid differant 259.p
Continentia ædificia quæ 339.m
Contractum quid sit 372.m
Contractus & cōtrahere quid 349.m & pag. 450.p
Contractus quibus rebus fiant 338.p
Contractus nominis & rei appellationem requirit 341.f
Controuersia per quas res fiat 343.m
Contumeliæ aram fuisse apud Athenienses consecratam 3.p
Contumeliæ templum Athenis 379
Contumelia quæ minime tolerabilis pagina 418.p.m
Conuentiones quibus rebus fiant 338.p
Conuexum & pandum 392.m
Coopteria quæ dicantur 310.p
κῶος, talorum iactus 290.p
Copta Rhodiaca 311.f
Coptitæ quomodo sacrificent Typhoni 236.f
Copto urbi unde nomen 232.f
κόπτειν quid significet ibidem
Corbita qualis nauis 306.m
Corbo, qualis uir, eiusq; lex 384
Corinthiorum in ædificando ambitionimia 63.f

Cornelij

Cornelij Nepotis locus emẽdat. 201.m
Cornelij Ruffini factũ & dictũ 401.f
Cornicũ amor cõiugalis quãtus 564.f
Cornus quibus rebus usui esse posit pag. 304.m
Corona apud Romanos prima quæ fuerit 384.f
Corona rostrata cui data olim 312
Coronaria quæ dicantur 14.f
Corporũ cœlestiũ prærogatiua 495.f
Corporum dimensiones quales 268.m
Corruda sylvestris asparagus 61.m.f
Coruinorum nobilitas 503.f
Corybantes qui 332.p
Κορυβαντιᾶν, quid 569.f
Coscinomantia qualis 498.p
Cosdroes, se deũ haberi voluit 326.m
Cothon quid significet 315.p
L. Cotta quid sectatus in agendis causis 450.f
Cottabi usus 225.m
Cotyla quæ & hemina 201.p
Cotys quomodo voluerit deus haberi pag. 326.f
Crassus diues, qualis decoctor 361.p
Crassus quomodo usus sit indice in agendo 452.m
Crassus quomodo monitus ne iret in Parthos 558.f
Crassi libertas erga Philippũ 448.p
Crateras tres in conuiuiis in usu fuisse quondam 425.m
Crateri odium in Philotam Parmenionis 286.p
Cratides cur Agesilao cõsuluerit ut Lysandri orationẽ supprimeret 595.p
Credere omnia, & nihil credere, æque uitiosum 603
Creditor & creditor cõditionalis quid pag. 370. m. f
Creditores qui dicantur 344.p.m.f & pag. 345. p
Cremasterium quid 406.m
Cribro pollinario cur eruditionem Aegyptij significauerint 125.m
Crici quid 311.m
Κρικωτὸς ratio, quæ 584.m
Κρίνον, lilij species 24.f
Κρίους quasdam naues cur Libes appellauerint 306.f
Crispi Passieni sententia 523.f
Crispus Passienus orator à quibus iudicium, & à quibus beneficium sibi optauerit 210.f
Critolai trutina 327.m
Crocodilũ carere lingua, eiusq; natura pag. 249.m
Crocodili ubi edantur 242.f
Crocodili quibus diebus neminem lædant 315.p
Crocotæ uestes cur sic uocatæ 34.f
Crocutæ uariatio 402.p
Crœsus ab oraculo illusus 588.f
Κρομμύων ἐδωδή 230.f
Κρόνου esse χρόνου 237.p
Crotone salubrior, prouerbium unde ortum 425.f
Crotoniatarum iactantia 418.m
Κτλωνίαζοι qui dicantur 44.p
Ctesibij organa pneumonica et hydraulica 554.f
Ctesibium cur tantopere admirati sint ueteres 387.f
Cubos antiquis osseos fuisse 3.f
Cubum Latinis produci, Græcis corripi perpetuo 296.m.f
Cuci & Cuciophora, arbor 311.m
Cucupha pro ciconia 19.p
Cucuphã seu ciconiam cur in regum sceptris exculpserit Aegyptij 537.m
Culeus quid 313.m
Culmus alias calamus quid 356.f
Cupido. uide Amor & Eros
Cupidinis natiuitas 276.p
Cupidinum descriptio 612.m
Cupiditas hominum quàm late grassetur 420.f
Cupressi materies qualis 302.f
Cupressus ære diuturnior existimata quondam 302.f
Curiatus homo sordidissimus Decium Brutum & P. Scipionem uiros clarissimos in uincula coniecit 383.m
Curio quomodo taxatus sit in agendo pag. 452. m
C. Curionis theatra qualia 388.f
Curionis obliuio 449.f
Curij in talario ludo eruditio 293.p
Cusæ opinionem fuisse, quòd cœlum staret & terra moueretur 395.p
Custos, palmes quis dicatur 10.m
Cyanus quid sit 35.f
Cyathus quota sextarij pars sit 201.p
Cybiotactes cur rex Syriæ cognominatus 299.f.300.p
Cybelum oppidum 219.m
Cybium quid sit 299.f
Κύβοι tesseræ latinis & pag. 294.m.f 295.p
Cyclamini radicis amuletum 498.p
Cyclas uestis 38.p
Cyclopũ terra et qualis fuerit 477.m
Cydarim erectam soli Persarum reges gestabant 326.f
Cydarus & Cydalus nauis 307.f
Cygnus nautis cur gratissimus ales pagina 314. p
Cymatilis uestis 34.f
Cymbæ 307.m
Cymbam quis inuenerit 301.f
Cymindes quæ auis 572.f
Cynopolitarũ cum Oxyrynchitis pugna 248.f
Κύων, talorum iactus 290.p
Cypasis uestis 37.f
Cyphi qualis mixtura, & quis eius usus 251.m
Cyrbasia uestis 37.m
Cyrene cur Λωτοκαμψάκη appellata 4.f
Cyri pædia Xenophontis 5.f
Cyri insignis memoria 450.p
Cyri potentiæ regis 220.p
Cyri uictoriæ 235.p
Cyrrhæis quid oraculum responderit 336.m
Cytos in naui quid 309.m
Cytinus quid, eiusq; usus medicus pagina 568.f

D

DActyli Idæi, qui corumq; uis 569. m. 570. p. m
Dactylothecam quis primus Romæ habuerit 581.m
Dædali tripodes quales 460.p
Dædalum pennis uolasse quid significet 306.m
Dæmonum præstigiæ 498.f. 499.p
Dæmonum magnorum natura qualis pag. 235.p
Dæmonum appellationem bonis & malis tribui 235. m. corumq; functiones Ibidem
Dæmonum aereorum & terrestriũ functiones 563.m
Dæmones nunc non posse illudere hominibus 112.p
Dalmaticæ uestes 34.p
Damatrius mensis quis 247.f
Damni illati quæ mulcta ex leg. 31.f
Damnamenæus, unus Idæorum Dactylorum 570.p
Dantes Poeta 132.p
Dati pro tesseris 296.m
Datatim ludere quid ibidem

Daucus qd & qualis eius radix 63.p
Debitores conditionales & certi qui pag. 370.m
Debitor quomodo ſatiſdatoris locũ obtineat 374.p
Δηκαπρώτοι qui Græcis 7.f
Δηκαπρωτία quid 8.p
Decem primi aut decẽ legati apud Cic. qui dicantur 7.f
Decem & ſeptem numerum abominantur Aegyptij 240.p
Decius Brutus à C. Curiato in uincula coniectus 383.m
Decor χάρις, eiuſq; uis 267.f 268.p
Decoris natiuitas 622.p
Decumani qui dicantur 347.f
Decuriones qui ſint 7.f
Defenſio quot modis annotetur in iudiciali ſtatu 444.m
Defenſio finitiua & legalis quæ ibid.
Definitio ex quibus conſletur 253.f & quid 254.p
Definiendi ordo quis ſit 254.p
Definitionibus Iureconſulti & oratores nõ temere ſe obſtringũt 254.m
Deformitas magnum malum 654.m
Delationi qui maxime cõmodi 419.f
Deliberatiuum cauſæ genus quid tractet 444.m
Deliacorum ambitio in ſtructuris 63.f
Delicias quid pariat & quid educet pag. 650.m
Deliciatum 63.m
Delicia trabs et Deliciares tegulæ ibid.
Deliquia ſolis & lunæ quomodo antiqui obſeruarint 314.f
Delphici gladij uſus multiplex 457.f
Delphis in naui quid 309.p
Delphinophori naues quæ ibidem
Delubra. uide Templa
Demarati dictum in Philippum Macedonem 411.p
Dementiæ diſcuſſorium mirrham eſſe pag. 251.m
Demetrius ignominiæ cauſa aureis talis à Phraate donatus 292.f
Democritus cur fingatur ridens 43.p
Democriti ſtulta opinio de terra & mari 429.m
Democriti medicamentum qualem felicitatem præbebat 499.m
Demonſtratio quorum haberi nequeat 264.p
Demonſtrationes Ariſtotelis per literas 5.m
Demonſtratiuam orationem quæ ornamenta decorant 448.m
Demonſtratiuum cauſæ genus de quib. tractet 444.m
Demoſthenis qualis oratio 273.p
Demoſthenẽ difficulter expreſsiſſe R. pag. 442.f
Demoſthenis fulmina 449.m
Demoſthenis uis in agendo 450.m
Demoſthenes pronunciandi difficultatem tum alia uitia quomodo emendarit 450.f
Demoſthenes cur Andronico hypocritæ operam dederit 452.p
Demoſthenes quomodo humerorum iactationem correxerit 452.m
Demoſthenem uenenũ anulo incluſum ſecum geſtaſſe 580.f
Denarij pondus quod 577.m.578.m
Denicales feriæ unde dictæ 380.m
De officijs Cic. inſcrip. taxatur 253.f
Dependere unde dictum 354.p
Deris quid 311.p
Deſignator quis dicatur 39.f
Deſpuendi mos antiquus 567.p
Deteſtatio quid 362.p
Dei uerũ & propriũ nomen nullũ efferri poſſe, & quæ dei cognomina 30.f
Dei imago quid 132.p. & quomodo ad eam reformemur ibidem
Dei gratiã & promiſſa quomodo conſequamur 195.m.f
Deus autor & conſeruator omnibus & ſemper 229.p
Dei felicitas & immortalitas ibid. m
Deus idem ubiq;, ſed diuerſa eius nomina 247.p
Deus cur ὠμοκράτως Græcis dictus 330.f
Deo proximus quis ibidem
Dei beatitudo in quo 390.f & 391
Deus quid 392.p.m
Dei prænotionis qualitas 397.p.m
Deũ nõ proſpicere ſed ꝓſpicere 397.m
Deus quõ intelligere dicatur ibidem
Deo quid iuris in præterita, iuxta Agathonem 397.f
Deus cur lupina pelle ueſtitus 493.p
Dei maieſtas & bonitas unde potiſſimum cognoſcatur 523.p
Deum cupere præſentem, magnum ad uirtutem profectum eſſe 581.f
Deus quomodo cognoſci & explorari poſsit 582.m
Dei deſcriptio 641.p
Dij Nouenſiles ſeu Nouenſides qui Liuio 10.f
Dij cur hoẽs quidã haberi uelit 326.m
Diis an dis ſit enunciandum 16.p
Deorum omnium nomina à duabus uocibus eſſe 245.m
Deorum dona quomodo in deorum nomina cõmutata 248.p
Deorum uniuerſale & particulare pag. 259.m.f
Deorũ templa cur Magi Perſarũ incendi autores fuerint Xerxi 379.m
Deorum quædam ſimulachra ſudare nõ mirum 483.p
De dijs nouas opiniones non introducendas 247.m
Dijs quid deceat conſecrare, & quid minus 380.p
Dis ignotis cur ara Athenis dicata
Deos eſſe & nõ eſſe argumentatio (492.f 564.p
Δέξιον ἐς ὑποδημα, εὐρυσεφὸν ἐς ποδόνιπτρον, interp. 1.f.2.p
Dextera manus quos numeros exprimat 584.p
Dexterã ac ſiniſtrã omnibus rebus præfinitam eſſe 391.m
Διαβάθρα 311.p
Diacoreuſis deſcriptio 612.m
Diagondas nocturna ſacra ſuſtulit
Dialectices uſus, & quæ (380.p eius partes 554.p
Diana binarium numerum Aegyptijs ſignat 231.f
Dianæ epheſiæ ualuæ ex cupreſſo erant pag. 302.f
Διάνοια & διανοεῖν quid 15.m
Διανοηλλω μάθησιν impropric reditã ab interpretibus, & quid proprie ſignificet 15.p
Διατεσσάρων harmonia quibus conſtet 71.f
Dibapha purpura quando cœperit, & quæ dicebatur 36.p
Dicroton unde dictum 307.m
Dictionis præſtantia 271.f.272.p
Dictys alumnus Iſidis quomodo perierit 230.f
In Dicendi rationẽ quæ ueniãt 271.m
Dicendi copiã & ſupellectilẽ quomodo tibi parare poſsis 446.f. & à quibus petenda 447.p
Dicere pro dignitate rei, quàm arduũ munus 272.p
Dichorius qualis in oratione 272.m

Didymi obliuio 449.f
Diei pars quæ melior putatur 340.p
Dies cõstituta in iudicio quomodo præstanda 340.f. & 341.p
Diei maior pars quæ Iurisp. 339.m
Diei dimensio quæ sit ibid.f
Dies æquinoctiales qui ibidem
Δίκαιος quid 72.p
Digitorum nominibus ad propellendos terrores antiquitatem usam 569.p
Digiti qui numeri dicantur, & cur. pagina 584.m
Digitis pectinatim consertis alicui assidere, ueneficium esse 568.f
Digitorum usus in agendo 452.p.m
Digitorũ noĩa græca & latina 568.f
Digitis uim quandam singularem inesse 568.m
Dimensiones quas natura corporibus omnibus bene compactis adiunxit, earumq; subdiuisio 268.m
Dimensum menstruum seruorum quantum 200.p
Dimitæ, trimitæ & polymitæ uestes unde dictæ 34.p
Dindymene Cybele 571.p
Diogenes suæ professiõis pertæsus quõ in instituto persistere sit monitus. pagina 328.f. & 329.p
Diogenis statua qualis 43.p
Dionis epitomen collegisse Cælium Calcagninum 43.m
Dionysia sacra 238.p
Dionysii Syracusani ganeones 271.p
Dionysius Syracusanus quõ monopolam multauerit 468.p
Dionysum esse Osirim 236.m
Dionysus quis mystice 239.f
Dionysi forma cur tauriformis fingatur 238.p. eiusq; uaria cognomina ibid.p.m.f
Δίος σωτῆρος templum 425.m
Dioscorides artifex optime expressit Augusti imaginem 583.m
Diphthera Iouis 570.p
Diphtheræ nauium 309.m.311.p
Diphtheræ uestes 38.f.365.m
Diploidion, uestis 37.f
Δίπυρος panis 311.f
Diribitoriũ et diribitores qd 9.f.10.p
Dis quare ἄδλυς dictus 236.m
Discenti credendum 15.m
Disciplinæ cuiusq; nomina exacte scire necessarium 338.m
Disciplinarum quæ utilissimæ 542.p
Disciplinarũ qualis inter sese sit nexus. pag. 453.m. & 553.m
Disciplinas indissolubiliter inter se esse connexas 23.m
Disciplinas, earumq; professores omnibus nationibus aliquando fuisse in pretio 14.f
Discordiæ quis ortus aut natiuitas. pagina 410.p
Discordiæ descriptio 409.f 410.p
Discordiam omnium malorum esse matrem 411.m
Discrepãtiæ natiuitas & forma 622.p
Disertus & eloquens differunt 446.f
Disiuncta pro coniunctis aliquando accipi 368.f
Disquisitionis uox quid signif. 252.f
Dispositio oratoria quid 596.m
Dispositionis in oratione difficultas. pagina 271.f
Dispungere qd & unde dictũ 871.p.f
Distinctionis in oratione ratio & nomina 451.m
Diuina quàm incõprehensibilia sint hominum scientiæ 131.f
Diuinus sermo non opus habet uoce. pagina 249.m
Diuinitas qua re max. præstet 229.p
Diuinitatis affectatores quib. rebus potissimum studeant 229.m
Diuinandi ratio 564. 565
Diuinandi uarij modi 498.p
Diuin. non esse scientiã 588.m.569.m
Diuinatio quid, & quarum sit rerum. pag. 587.p.m
Diuinatio quid in iure 345.m
Diuin. an in rebus locũ habeat 586.f
Diuinatio quæ præstantissima 564.m
Diuisionis maxima uitia quæ 257.p
Diuitiæ animi quantopere amplectendæ 64.f
Diuitijs inhiantium conditio 329.p
Diuitijs quomodo utendum 419.p
Diuitiæ quid 464.f. 465.f
Diuitiæ ueræ unde pendeant 465.f
Diuitias cõquirendi cõpendiũ 647.p
Diuitias qui possideãt plerunq; 655.p
Diuitias ex se non esse malas ibid.m
Diurnæ animæ cur dictæ 610.m.f
Dochimo pes ex quib. syllabis 449.p
Dodecamoria signorũ Zodiaci 604.f
Dodonæi lebetes 492.f
Dolia duo in Iouis limine 241.p
Dolon, minus uclum 310.p.m
Dominatum esse scientiam 459.f
Dominus unde appellationem suam haberat 462.f
Dominum legitimum quæ res faciant. pag. 257.m
Dominum non seruorũ possessione, sed usu dignosci 463.p
Dominiũ quid recentioribus Iurisconsultis 352.m
Domitianus ludos edens quõ obtrectatorem multauerit 349.m
Domitius Chalderinus 294.f
Domitij Vlpiani in Iuris cognitione laus 544.p
Domus ex quibus constet 362.m
Domus ex quibus coalescat, & qualis societas sit 259.p. 458.p
Domus sacræ quæ dicantur 348.m
Domesticæ rei quæ sint partes 459.f
Vide Oeconomiæ
Dona imperatorum ac fortium ciuium amplis. quanta fuerint olim 385.p
Dores quantope uitent literã σ. 222.p
Doryphorus Polycleti statuarij 202.f & pag. 203
Drachmam sex obolis cõstare 200.f
Draco, palmes quis 10.f
Draconis leges quales 204.m
Dromas, nauigium 307.f
Drusi & Cepionis inimicitiarũ origo (581.m
Δρύοχοι quid 309.p
Dryudum religio 1.f
Dryudas Gallorum sacerdotes γοητείαν calluisse 497.f
Dualem numerum cur Græci singulari & plurali inseruerint 358.f
Dubitari de omni re non esse inutile, Aristot. dictum, non cuiuis homini & ætati conuenire 337.p
Ducis egregij officia 513.f
Duci & sequi quid apud Iureconsultum 367.p
Duellij classis naues quàm paruo tempore factæ 364.p
Dura prius teneris nata 202.p.m
Durum & duramentum quid 10.m.f
Δυσωπίαι qd, et quàm inutilis 159.m
Δυσωπίαι quid & q̃ mala 331.m
Δωδεκάδωρος acies seu ordo. pagina 299.p

E

EAnos uestis 37.f
EBrietatis consuetudo 619.f
Ἐβδομάδων ἡμέρα 58.f
Ecbolia medicamenta quæ 5.p
Ἐκβολινὸν uinum Plin. ibidem

ἐκπᾶϵ᾽ ἠπϵ᾽ cur in nuptijs Aegyptij clamabant 564.f
ἐχϵμυθίαι Pythagoræ 492.m & pag. 333.p
Echencidis uis ſtupefactiua 29.m
Echinorum natura & prouidentia. pagina 302.m
ἐχιοδλήϰϵι qui dicantur 332.p
ἦχω & ἠχεῖν quid 3.m
ἐϰλιπάϱεσθαι quid 17.m
Ecnephias quid & quomodo genereatur 433.m.f
Ecnephias quomõ differat à typhone. pag. 433.f
ἐϰτενὴς quid cõtineat, & unde dictus. pag. 200.f
Edictum cõmitti, quid 174.f.175.m
Edicta prætorum quando orta 543.f
ἐδάλσιον proraticum 309.f
Educationi primæ deberi omnes profectus clarorum ingeniorum 276.f
Egenis largiendum 656.p
ἐϰὰς μεγάλη, & ἐϰαδίστη 605.f
τῇ ἐμαρμένῃ quæ Ciccro ſubiecerit. pag. 398.m
ἐς ἔμιλλαν, qualis ludus 294.p
El & Iah quid Hebræis ſignificĕt 30.f
ἐλαϰάτη quid 309.f
Elæorum ſtulta perſuaſio de Democriti medicamento & alijs quibuſdã. pagina 499.m
Elaterij optimi experimentum 52.m
eius facultates quæ ſint ibidem
ἐλϰεσίπεπλοι Troades 37.f
Electræ inſula quæ dicatur 571.p
ἐλεοσέλινον, paludapium 16.f
ἕλος palus ibidem
Elephanti natura 606.f
Elementorũ quæ prius condita 202.m
Elephantorum quantus amor erga homines 437.m
Elocutio quid, & ad quem pertineat. pag. 446.f
Elocutio oratoria quid 596.m
Elocutionis tractatio 443.p.m.f
Elocutionis genus opt. quod 449.m
Eloquens & diſertus differũt 446.f
Eloquentia ſola nos præfert cæteris hominibus 443.f
Em pro eum 378.p
Emancipatio quid 575.m
ἔμβολα &
ἐμβολὴ, &
ἐμβόλιον, &
ἐμβολιμαῖοι dies quid 5.p
Embolia apud Cic. quid 4.f
ἔμβολον 310.p
Embolum in naui 309.p
ἡμέϱαι ἐπαγόμεναι Aegyptijs. pagina 232.p
ἡμιπλόαι naues 312.f
Empedoclis nugamentũ de ſudore terræ. pag. 429.m
Empedoclis opinio reijcitur 433.p
ἔμφασις quid Græcis 472.m
Emphracta nauigia 310.p
ἔμπορος & Empocretiæ chartæ. pagina 313.p
Emptio per æs & libram quõ fiat 575.f
Emptor familiæ quis dicatur 577.m
En pro eum 378.p
ἐνάϱγια, quæ figura 447.f
Enchiridion in naui quid 309.f
Encleticæ dictiões quo accentu pronunciandæ 443.p
Enclinea nauis, quis locus 309.f
ἐγϰυϰλοπαιδείαι quid 318.m
ἐγϰυϰλοπαιδείαι cur ſic uocata. pagina 23.m. 553.m
ἐγϰυϰλοπαιδείαις ſcientiarũ nexus qualis 204.p
Endromis, ueſtis 38.p
ἔνη νὴ νέαι, quæ lunæ pars 606.m
Ennius quomõ ſub aliena perſona ſuos mores & ingeniũ expreſſerit 76.m
Ens ex tranſcendentiũ numero eſſe. pagina 454.m
ἐντελέχιαι unde dicta, & quomodo interpretata 226.f
ἐνδέμιον, quid in naui 309.f
ἐπαχθὴ Cereris feſta 247.f
Epactrides naues unde dictæ 307.m
Epactroceletes ibidem
ἐπαγόμεναι ἡμέϱαι Aegyptiorum. pag. 232.p
Epagon quid 310.m. 311.f
Epeminũdæ laus à Spintaro quæ 333.m
Epaminundæ laus 491.f
Epephi, quis apud Aegyptios menſis. pag. 45.m
ἐφοβόλιαι quid Athenien. 200.f
Epholcea & Epholcides, naues 307.f
Epholcis quid 309.p
Ephori Lacedæmoniorum cur Phrynin citharæ ultra conſuetudinẽ duas chordas adijcientẽ eas reſecare iuſſerint 330.p
Ephori cur regiæ poteſtati impoſiti.
ἐφϕάϰται qui 311.p (316.f
Epiblema, ueſtis 37.f
Epibules deſcriptio 611.f
ἐπίϰωπτος 313.p
Epictetus quomodo ſuos auditores monere ſolitus fuerit 334.f
Epicurus quõ depingi ſolitus 43.p
Epicuri de ſolis magnitudine opinio. pag. 388.m
Epicuri ſtolida curioſitas 396.m
ἐπὶ δέϰα menſis pars quæ 605.f
Epidromus, quod uelum 310.p
ἐπίγαια & ἀπόγαια 310.f
ἐπιγάιου quid 607.p
ἐπιγλώττις cur à natura homini data 49.m. & quæ eius functiones pag. 50.m
Epigrammatis laus quæ ſit 137.p
Epiſcalmis quid 309.m
ἐπισείων, quid 309.f
Epiſtolas Cælij non ea cauſa ſcriptas ut ederentur 1.p
Epiſtoleus quis 313.m
Epitogium, quæ ueſtis 37.p
ἐπίπροπος qui dicatur 463.p
ἐπῶλος quid 392.f
Epomis ueſtis 37.f
ἐποπτιϰὴν philoſophiæ genus 250.f
Equapium, hippoſelinum 16.f
Equeſtris dignitatis quod inſigne fuerit olim 551.f
Equos Claudij Cæſ. excuſſo auriga palmam occupaſſe 332.m
Equorum πϱωτοπυθμονία quid, & quomodo diſcutiatur 44.p
Eraſmum Rot. fato ad digladiationes proritari 149.m
Eraſmus quomodo argumentum De libero arbitrio contra Lutherum tractarit 395.f
Eraſmici ingenij felicitas 399.m
Ergatæ Vitruuio qui 311.f
Eridis mater ſatietas 410.m
Erithias deſcriptio 612.p
Eros non prius potuit adoleſcere quàm Anteros ei frater natus fuiſſet 112.f
Erotis & Anterotis natiuitas 276.p
Erotis natiuitas et educatio 440.p.m
Erotes quatuor eſſe ibid.f
Error honeſtus quis 332.p
Error honeſtus quorum 548.m
Erus Pamphylus quomodo uitæ reſtitutus 610.p
Eſcharei qui 313.m
Eſdram Cabalam conſcripſiſſe primũ. pag. 41.f
Eſſæi ſeu Eſſeni, qui 574.m

Esse nunquam, fieri semper quæ dicantur 389.m
Esse semper, fieri nunquã quædã 391.p
Estensis familiæ claritas, & unde oriunda sit 516.m. & 533.m
Estensis familiæ laudes 508.& inde & pag. 516.m.& inde
ἦθος, qualis affectus 446.m
ἑτερομάχαλα 38.f
Etesiæ quando spirent 314.f.430.m
Etruscorum lingua 199.p
Euclides cur expansa manu exprimatur 42.f
Euclides quanto desiderio audiẽdi Socratem detentus fuerit 328.m
Eudamus præstigiator 580.p
Εὐδία quid in naui 310.p
Eudoxus quem audiuerit in Aegypto præceptorem 231.m
Eudoxi artes 212.f
Euemerus Messenius deos omnes in regum ducumq; descriptionem redegit 234.f
Εὐκλέα unde dicta 619.f
Εὐφαντασίωτος quis 446.m
Εὐφημίαε cur Musarum altrix fingatur, & quæ eius sit conditio 330.f
Εὐφρόνη cur nox dicta 492.p
Εὐπροσωπίαε 216.f
Euri flatus ex qua regione 314.m
Euripidius talorum iactus quis, & cur sic nuncupatus 290.p
Euripi incerta uicissitudo unde proueniat 392.f
Europam sub tauri specie auectã à Ioue quid significet 306.m
Eurymachi, unius ex procis Penelopes, stultitia 299.f
Euteles naues 307.f
Εὐθυμίαε quid 621.p
Euthymiæ templum aditu difficile esse. pag. 336.p
Exactio subsidiaria & imposititia. pagina 16.m
Exactionibus populos omni tẽpore uexatos fuisse 16.m
Excalceatus apud Hebræos quis dicatur 364.p
Excantare segetes 378.m
Exceptio cui competat & quid sit. pagina 343.p.m
Exceptiones aliæ dilatoriæ seu temporales, aliæ peremptoriæ seu perpetuæ 343.m. & 344.m
Exceptionum duo genera, & quæ. pagina 370.f.771.p
Exconsul, exquæstor qui 40.f
Execrationi publicæ apud Athenienses qui fuerint obnoxij 27.f
Exemplaria uniuersalia à quibus intro ducta 453.f
Exercitationibus qualibus uiri præstantes post res seras recreentur. pagina 286.f. 287.p
Exhalatio quid, & unde fiat 427.m
Exhalationes quæ terra alat 239.p
Exhibere quid Iureconsultis 350.f & pag. 351.p
ἔξιτης, talorum iactus 290.p
Exomides uestes 37.f
Exorare & orare quid Græcis 17.m
Exordiorũ clausulas cur Domitius Afer exasperarit 445.p
Exordijs ubi opus nõ sit. ibid. Vbi prohibitum fuerit eis uti 446.p
Exordiorum officium 445.p
Exoticæ uestes 37.m
Expensa unde dicta 354.p
Expetimus aliquid tribus modis. pagina 259.p
Expiare, uerbum pontificium 386.p
Exprobrare unde ductum 364.p
Expuere in sinum 567.p
Expuncti milites qui 371.m
Exputationis amuletum 567.p
Extispicium 498.m
Extra pro præter, uocabulum Plinij & eius sectatorum 42.p

F

FAbij patientia 402.f
Fabula de eo qui cũ umbra sua colluctabatur 325.m
Fabula de laboris & uoluptatis confinijs 328.m
Fabulis quomodo utendum 244.f
Facere & agere quid differant 349.f
Facere & gerere 372.m
Factio & actio differunt 460.m
Facultas quæ nusquã in actionem se promit, inutilis 322.f
Fagi materies qualis 303.p
Falcis usus & genera 358.p
Falces unde dictæ ibidem
Fama, Terræ filia 394.f
Familia quomodo uendebatur 577.m
Familiæ significatio quæ 362.m & pag. 363.p
Familiæ nomen quantum comprehendat 573.m
Familiæ patriciæ annumeratus amittit nomen obscurius 386.f
Familiaris rei quæ sint partes, uide Oeconomicæ
Familiares epistolas Cic. minime familiares esse 352.m
Famul quid Oscorum lingua sonet. pagina 362.f
Fascinum unde dictum 417.m
Fatum quid 398.f
Fatum. uide Necessitas
Fata rerum oratione posse reuocari. pagina 585.f
Fatale ac necessarium, idem 397.p
Fatidicorum & uanorum hominum seminarium, & stultitia 321.f
Fauces quid proprie 50.m
Fauere linguis quid & quõ 492.m.f & 559.p.565.m.567.m
Febris ara in Palatio Romæ 379.m
Federicus Siciliæ rex 503.f
Felices & Felicissimi qui 653.p
Felicitatis testimoniũ certissimũ 91.p
Felicitatis duæ classes apud Hesiodum. pag. 214.f
Felicitatis pictura 491.p.f
Felicitatis certissimum indicium quod. pag. 647.p
Felicitatem animantium tribus constare 653.f
Feltriæ uestes, quæ 33.f
Ferarum imagines quur in pugna gestauerint ueteres 278.m
Ferentaria nauis 306.f
Ferrandus Siciliæ rex 503.f
Ferrariæ ciuitatis elegantia 536.p
Ferraria quomodo in ditionem Estensis familiæ peruenerit 538.p
Ferrariæ quis primus dux salutatus. pag. 538.m
Ferrariensis cœli cõmoditas 183.p
Ferrariensium res quamdiu in discrimine fuerint 513.p
Ferrugineus color qualis 37.m
Ferrum, Typhonis os uocari 245.f
Festorum mobilium appellationes unde sumptæ 547.m
Fibulæ machinamenta 311.f
Fidei cur templũ Romæ sacrũ 379.m
Fidei expressio picta 491.p.f
Fidei fundamentum est iustitia 265.p
Fidem sine operibus, fidem esse desinere 195. m. tum à fide omnia pendere ibidem
Fieri semper, esse nunquam quæ dicantur 389.m

Fieri nunquam, esse semper quæ 391.p
Figurarum quæ formæ quibus dijs adscribebantur 236.f
Filium esse parentis partem 353.p
Filium eligere maius quàm parere. pagina 504.p
Filiorum significatio stricta 371.f
Fimbria noluit iudicare super eo qui se bonum uirum dixerat 190.m & pag. 285.m
Finis quid significet 253.f
Finis rerum quid 465.f
Fines actionũ humanarũ uarij 453.m
Finitio quid 254.p
Fiscus quid proprie 348.m
Fiscum, esse reip. lienem 536.p
Flammæ cœlestes unde oriãtur 427.m
Flaminum annuli quales 581.m
Flaminicarum uestis qualis 36.f
Flauius scriba autor abolendæ legũ ferendarum immodicæ licẽtiæ 281.m
Flauus color qualis 435.f
Floris uulgo archangelicæ nuncupati descriptio 58.p
Fluuij cur dulces sint, & mare salsum. pag. 428.f. & 429.p
Fluuij qui terræ specus subeant 429.p
Fluuijs nec colorem nec saporem inesse à sua matura 430.p
Fœminæ & serui non eandem esse conditionem 457.f. 458.p
Fœmur percutere in agendo quis inuenerit, & quibus conueniat 452.p
Fœniculi fabula 635.p
Fœnum quod præstantius 358.p & quomodo parandum ibid.m
Fœnum in cornu habere, & Fœnum cornu detrahere 410.p
Fœnus unde dicatur 467.p
Fœnebris quæstus præter naturã est & maxime reprehendendus 467.p
Fons Siciliæ acetum redolens 430.p qualis & apud Lingonas ibidem
Fons Scytharum qualis ibidem
Fontes unde progenerentur 427.m
Forensis uestis, & Forensia 37.m
Forma hominũ dignitati plurimũ adfert 409.f
Formæ decor, è cœlo 654.p
Fornacalia festa quæ, et à quo instituta. pag. 384.f
Fors & Fortuna 379.f
Fortis uir quis 269.p
Fortitudo cur homini data 466.m
Fortitudinis cum Infortunio pugna. pag. 403.f
Fortitudini quare princeps locus inter uirtutes tribuatur 265.f
Fortitudinem duo præstare 601.m
Fortitudinem sine iustitia inutilem. pagina 648.p
Fortuna cui arridcat 636.f
Fortunæ malæ ara Exquilijs 379.f
Fortunæ reducis imago & templum. pag. 425.p
Fortunæ iniuria summa quæ 419.p
Franciscus Calcagninus 403.f
Francisci Strozzæ uirtus & gesta. pagina 505.f
Fraternas simultates longe acerrimas esse 410.m
Fridericus Aenobarbus uel Barbarossa. pag. 520.f
Frenum mordere, quid 65.m
Fritillus, quid 296.p
Fructuarius palmes qui 10.m
Fructum in alienum fundum cadentem cui liceat colligere 357.p
Frugalitatis commoda 231.p.m
Frugalitas quur sic dicta latinis, eiusq; laus 330.f
Fruges nouas nõ gustabãt ueteres, nisi prælibatas à sacerdotibus 385.p
Frumentariæ naues 307.m
Frumentatores unde dicti 347.f
Frutex Phrygiæ. qualis arbor 482.p
Fulgur quid, & quomodo generetur. pag. 433.p.m
Fulmen quid, & quomodo generetur. pag. 433.m.f
Fulminum in res durissimas uis maxima, in facilioribus nulla est 29.m
Fulmina atteſtata quæ apud Senecam. pag. 361.f
Fulminum species quot 433.f
Funambuli, funirepi 311.p
Fundamentum nauis quid 309.p
Fundus quid 373. m, f & quomodo à loco differat ibidem
Fundus populi Romani quomodo fiebat 349.p
Funeris sumptus quomodo fiebat olim. pag. 380.f. 381.p.m
Funebres orationes cur habeantur. pagina 515.m.f
Funeta quid 10.m
Funium nauticorum circi, ansæ, ansulæ, cycli 311.m
Furiæ quæ sint apud Poetas 221.p
C. Furius Cresinus quomodo ab Albini accusatione liberatus 590.m
Furum pœna in Somatia 612.f
Furunculus quid 10.m
Furtum quis facere uideatur 369.m
Furta lance & licio comperta quæ. pagina 578.p
Fusius quomodo C. Fimbriam imitatus sit 278.m
Fusterna quid 303.p
Fusum Necessitatis 610.m
Futura uni deo cognita 641.f

G

G litera quomodo enuntianda. pagina 442.f
γ cum κ affinitas 222.m
Gabini, & Gabino ritu uestitus quis. pag. 39.f
Gabriel quam mũdi partem possideat. pag. 14.p
Gabriel unde nominatus 31.p
Galaxia unde generetur, & quà se protendat 427.f
Galæ quõ coeant & pariant 249.m
Galeni laus, et eius de talo hominis opinio 289.p
Galeno adscripti libri locus castigatus 66.f
Galli Asinij sumptuosa mensa 483.p
Galli cantus quam uim habeat 29.f
Gallorum reges saliua strumis mederi, mirandum non esse 7.m
Gallos uerbenaca sortiri 498.m
Galus, nauis 307.m
Gamma deliciatum 63.m
Ganymedis cum Cupidine ludus. pagina 292.p
Ganymedem aquilæ imagine raptum, unde originem habeat, & quid significet 306.m
Garrulitas seruile uitium, & qui potissimum eo capiantur morbo. pagina 493.p
Garrulitatis taxatio 492.f
Garyophilli semen quale 63.p
Gaspar Contarenus 140.m
Gastra in naui, quid 309.m
Gausapinæ uestes 38.f
Gausape ibid. & 39.p
Gellius Asiæ proconsul quantum paci studuerit 396.m
A. Gellij locus castigatus 577.f
Gemellus Castor, siue Gemellus Castoris, nauigij nomen apud Catullum. pag. 306.f
Generosus & nobilis differunt 6.p

Genitale muliebre ignauiam, ut uirile fortitudinem significare 21.p
Geniti natura quando cognoscatur. pagina 458.m
Genituram ex omnibus corporis partibus deduci 353.m
Gentiles qui dicantur 6.p
Gentium mores ad rationẽ uocare perdifficile 572.f
Geomantia 498.m
Geomantiæ uaticinia 18.p
Geometria quid tradat 554.m
& quanta eius utilitas ibidem
Geometrica ratio 71.m
Georgius Trapezũtius taxatur 111.f
Gerania uestis unde dicta 34.f.35.p
Gerere & facere 350.p.372.m
Germaniæ bombardæ inuentio debetur 312.f
Germanorum uitium in pronunciatione 442.f
Germanorum inuenta industria quæ. pag. 551.p
Germanæ mulieres quomodo armatæ descẽderint in expeditiones castrenses 620.m
Γεροντία quid 560.m
Geryonis oraculum in agro Patauino. pag. 292.f
Gestus & Gerere qd significẽt 349.m
& pag. 350.p
Gestum & actum an differant 372.m
Gestus quidam superstitiosi describuntur 568.f
Gesticulationes in agendo quæ nõ conueniant 452.m
Gigantum more deos oppugnare, quid sit 476.m
Glandes inter opes censeri, & quis earum sit usus 357.m
Glandium differentiæ ibidem
Glandem quæ arbores ferant & qualem ibidem
Glans caduca 356.m
Glanus quomodo escam capiat 636.f
Glaucomate laborãtibus cuncta uideri uiridia 388.m
Gleba quid uocetur 380.m
Gloria subita 137.m
Gloria diuitijs cur potior 647.f
Gloriæ desideriũ generosis animis insitum 278.p
Gloriam rem esse uanissimam 507.f
Gloria quem maxime comitetur. pagina 330.f
γοητία, species magiæ, & qui eam calluerint 497.f
Gorgiam Leontinum sibi primum auream statuam posuisse 652.m
Gracchouiæ situs 51.m
C. Gracchus quomodo in agendo τὸ πρέπον obseruauerit 451.f
Græci quõ conuertendi Cælio 26.f
Græcos omnium orationis scitamentorum conditores esse 17.m
Græcos cur iure barbaris imperare dixerint poetæ 458.p
Græcæ linguæ contemptori respondetur 58.m.f
Graduũ cognationis dimensio 368.m
Γράμμαι pro scrupulo 201.p
Grammaticã carere uoce latina, eamq; esse duplicem 553.f
In Grammaticorũ disceptationibus controuersis quid faciendum 207.m
Grando unde constet 427.f. 428.p
Grandinis auertendæ quis mos olim. pag. 315.f
Gratia dei quibus se cõmunicet 195.m
Gratia quæ rebus inest, occulta 267.f
& pag. 268.p
Gratijs sacrificãdum olim adituris philosophiam 621.m
M. Gratidius 384.p
Grauis sonus 71.f
Grauitatis decor qualis obseruandus. pag. 448.p
Grauitatis ueræ indiciũ quod 149.m
Grauitatem omnis momenti esse causam 391.m
Gryllus Plutarchi 111.m
Grylli insuem immutati felicitas 188.p
Gryphi piscatorum 313.f
Γρίφοι & γριφῶδες λόγου quid significet 44.m
Grittæ uestes 35.m
Gryni oppidum, &
Gryneus Apollo 5.f
Guido Rangonius 283.p
Guidus Strozza eques 506.m
Gula quid 47. m.f. & quibus constet 49.p
Gula ex quibus constet 50.m
Gula tam cibo quàm respirationi idonea 49.p. & m
Gustus cur animalibus maxime necessarius 470.p
Gygis annulus 580.p
Gylippo Syracusas petenti stellam super lanceam cõstitisse 17.f
Gymnosophistæ quos in suum collegiũ admittant 402.m
γυμνοκρεατόμυοι, uox ignominiosa 326.m
Gyromantia 498.p

H

HAbenæ nauium 310.f
Habitudinis bene cõstitutæ quãta uis 461.f
Habitus quid 336.m
Habitationum terræ diuersæ dimensiones 430.f
Habitus causas agentium qualis 452.m
Hadrianus Imp. cur summos architectos perdiderit 33.m
Hadriano oratio gratulatoria oblata. pag. 527.f
Hæredis appellatio quousq; pertingat. pag. 375.p.m
Hæredes substituti uel surrogati 375.f
Hæres unde dictus 351.f
Hæreditas quid 351.f
Hæreditate crescere quid 352.p
Hæreditatẽ obtigere sine sacris qd. ib.
Halcyon quæ auis 170.m
Halcyonum nidi quales 170.m
Halcyonæum quid ibidem
Haliades naues 307.m.308.p
Halos quomodo circa astrũ excitetur. pag. 427.f
Halos quid, & quomõ fiat, eiusq; significatio 434.p
Halos & iris quantũ differant 435.p
Hamiotæ & Hamitrahones qui. pagina 313.f
Hamon Iouis nomen quid significet. pag. 231.m
Hannibalis insomnium, eiusq; interpretatio 410.p
Hannibalem annulo uenenum inclusum semper secum habuisse 580.f
Harmonia quot uocibus contineatur. pag. 330.f
Harmoniæ natiuitas 241.f.622.p
Harmonia cur ex Marte & Venere genita dicatur 414.m. 554.f
Harmonica ratio 71. m
Harmonicus concentus ibidem
Harmoniarum rationes quomodo inuestigarit Pythagoras 71.f.72.p
Harpagones 312.m
Harpocratis natiuitas 234.p
Harpocrates, quid intelligatur & quale symbolum eius 246.f
& pag. 247.m

Harpocratis cultꝰ apud Aegyp. 333.m
ei cur Perſea arbor dicata ibid.
Harpocrates quõ expreſſus 491.m.f
& pag. 568.m
Harpyiarum uolucrum natura 478.f
Hebræi quas diſciplinas maxime celebrent 42.p
Hebræorum inſtitutum in diſquiſitione arcanorum 15.f
Hectoris & Aiacis permutatio qualis. pag. 559.f
Hedera Dionyſo ſacra 238.f
Hegeter piſcis, muſculus latinis 307.f
Helciarij 310.m
Heliacus ortus quis 607.p
Heleny herbæ uis 586.p
Helioſcopus herba, ſpecies cyclamini. pag. 390.p
Heliotropij ingenium 389.f
Heliotropiũ cum ſole circũagi 607.m
Helitomeni natiuitas 234.p
Helpim leonibus conuixiſſe familiariſime 437.m
Hemina quæ & cotyla 201.p
Hemiolidæ & hemiolia nauigia unde dicta 307.m
Hemionium minus quid 72.p
Hemiploidion, ueſtis 37.f
Henrici Angliæ regis laudes 155.m.f
Hephæſtion quomõ Alexandrũ Mag. ſalutarit 424.f
Heracliti liber quàm fuerit obſcurus. pag. 447.p
Heraclito cur appingantur oculi conniuentes 42.f.43.p
Herbæ ad remedia quomodo olim decerperentur 585.p
Herculis Cantelmi interitus 485.p
Herculis Eſtenſis encomium 177.m
Herculis Strozzæ funeris celebritas. pagina 505.p
Herculi Ogmio cur catenam Celtæ appenderint 232.m. & cur claua oleagina ei tributa ibidem
Hercules Ogmius 443.m.579.p
Hercules Ogmius quomõ monſtra perdomarit 553.f
Hercules Prodicius quando ad præclara facinora animũ adiecerit 166.p
Hercules quis myſtice intelligatur. pagina 239.f.240.p
Herculis ædituus quõ ipſum deũ ad ludum teſſerarũ prouocarit 294.m
Hercules quomodo olla nauigaſſe dicatur 306.f
Herculem cur lanas mollientem apud Omphalem finxerint ueteres 403.p
Hercules cur ἀποτροπαῖος & ἀλεξίκακος dictus ſit 571.m
Herculis ærumnis quomõ Natura ſuccurrere conata ſit 614.m
Herculis claua unde facta 614.f
Herculei nodi uis 571.f
Hermes cur dictus Mercurius 365.f
Hermetes & Hermathenæ imagines, quales fuerint 553.f
Hermias Magnes quomõ inimico ſuo ceſſerit 401.f
Hermanubis interpretatio 245.m
Hermata quid 311.m
Hermatiſmenæ naues ibidem
Hermodori nauale apud Athenienſes. pag. 315.f
Hermolaus Barbarus 46.m
Hermolai Barbari laus et defenſio 51.f
Hermolai Barbari locus emendatus. pagina 67.m
Hermolai Barbari ſtudia & geſta magnifica 323.f. 324.p
Heſſenorũ ſecta 41.f. Vide etiã Eſſæi
Heroum quid 381.p
Heroum apud Seſton extructũ 437.f
Heroum matrem eſſe uirtutem 328.p
Heteromalla quid 311.m.365.m
Heteromaſchala quid 311.m
Heteroplum quid 300.p
Heteroſtomi quid 311.p
Hiatus terræ ũde fiat 427.m.428.m
Hierobotanes herbæ uſus 386.f
Hieromenia qualis ludus Græcis 4.m
Hieronis regis ingens claſsis quàm paucis diebus fuerit extructa 304.p
Hieronicarum mos 557.f
Hieronymus Aleander 101.p.102.m
Hieronymo Aleandro Cardinali facto gratulatur 164.p
Hier. Sauorgnanus 142.p.143.p.m
Hieroſolymus Typhonis filius 237.p
Hilaria feſta Romanis riſu & iocis celebrata 3.p.236.m
Hipparchus quantus aſtron. 593.m
Hippous epitritus qualis pes 448.f
Hippocratis lapſus 335.f
Hippocrates unde medicos libros ſuos collegerit 421.f
Hippocrati cur pares cum Hercule honores ſint decreti 555.m
Hippolyti Card. Eſtenſis in funere oratio habita, & uirtutum eius laus. pag. 508.m
Hippolyti fides erga Lud. Sfortiam. pag. 509.f
Hippomanes equarum furor 500.m.f
Hippoſelinum unde dictum 16.f
Hircum lac copioſiſs. præbuiſſe 8.f
Hirpinas quaſdã familias ab igne lædi non potuiſſe 478.f
Hirundo cur eijcienda 492.m.
Hiſpani genus hominũ callidiſsimum. pag. 518.m
Hiſpaniarum reges Chriſtianum imperiũ longe lateq; promouiſſe 481.f
Hiſpanica lana qualis 39.f
Hiſtorias qui non cognouit, iure puer uocatur 280.f
Hiſtorico & uati communia quædam pag. 110.p
Hœdi Olenij quãdo mare infeſtum reddant 314.f
Hœdi in aſtra relati 570.p
Holcas Ptolomæi quindeciremis 306.f
Holobuzæ ueſtes 39.m
Homerum omnium diſciplinarum fuiſſe peritum 23.f
Homeri de ſe fiducia 335.f
Homo cur μικρόκοσμος dictus 392.p
Homo quale animal 458.f
Homo, cur indiuiduum dicatur 594.f
Homo ludus deorum Platoni 616.m
Hominis uoluntatem eſſe inconſtantem. pag. 533.p
Hominis actio in hoc mundo iuxta Pythagoram 553.m
Hominẽ duab. reb. præſtare brutis. ibi.
Homini nõ aliunde plura damna quàm ab homine proficiſci 281.f
Homini quædam, humanitati quædam ſatis eſſe 364.m
Hominem quid adegerit ad nauis excogitationem 301.f
Hominem carere talo 288.f. quem tamen ei Galenus adſcribit 289.p
Hominem hominis gratia progenitum. pag. 419.p.m
Homine nullũ animal infelicius, ſi animi immortalitas ei dematur 185.f
Hominum tria genera 413.p
Hominem quemq; hoſtem habere ſuam umbram 326.p
Homines impuri qui ueteribus habiti. pag. 573.f
Hominum ſtudia uaria & ſtulta 90.f
Honeſtum ab utili ſeiungi non poſſe ex natura 444.m
Honor præmium artis 330.f

Honor uerus quis 545.f. 647.f
Honor in exhibente est situs 545.m
Honoris definitio ibid.m.& f
Honores quibusdam ob turpitudinē habitos 619.m
Honorariæ leges & ius earum 281.m
Hora quot momentis constet 608.m
Horæ simpliciter, et cum adiūctis. f. hybernæ aut æstiuæ quæ intelligantur. pag. 4.p
Horæ καιρικὰι uel temporariæ ibid.
Horæ καιρικὴ quæ dicantur 340.p & quō annotentur ibidem
Horæ ἰσημερινὰι, & horarum dimensio qualis fuerit ueteribus 339.f
Horologia scioterica 389.f
Horatij iudicium de Plautinis iocis reprobatur 258.f
Horiæ & Horiolæ, nauiculæ 308 p
Hormineon quid 61.f
Horomazes quis, & eius facta 241.m
Hortensius quantopere murenam dilexerit 437.f
Hortensii scripta qualia Quintilianus iudicarit 450.f
Hortensia lex 543.f
Horus q̄ dextro fuerit ingenio 233.f & pag. 234.p
Horus quid pulcherrimum iudicauerit. pag. 233.f
Horus quomodo Typhonem superauerit pugna 234.p. & quomodo in matrem fuerit iniurius ibidem
Horus quis deus mystice 239.p
Hori hieroglyphica in latinitatem conuersa esse à Cælio, & eorum summaria explicatio 18.m
Hospitales erga quos deceat esse 515.m
Hostia unde dicta 565.p
Humanitas Græce παιδεία, & quid. pag. 23.m
Humanitas uera quid sibi in natum habeat 84.f
Humanitatis studium quid complectatur 553.554.
Humati qui dicantur 380.m
Hydromantia quæ 498.p
Hyenæ pellis natura 402.m
Hymenæus cur inuocetur in nuptijs. pag. 564.f
Hymettus & Hymettij 226.p
Hypates & parhypates sonus 330.p
Hyperantlon quid 310.p
Hyperboreorum montiū situs & temperamentum 477.f
Hyparos 513.m
Hyphedros ibidem
Hypiresium quid 309.m
Hypocriseos descriptio 611.f
Hypozoma in naui 309.f
Hysceæ piscis descriptio 68.m
Hysginus color quomodo fiat 36.f

I

IAh & El uoces Heb. quid significent 30.f
Iacio quomodo in compositione alteram literā in i mutet 206.f.207.p
Iacobi Azaioli laudes 60.m
Iacobi Ziegleri laus 54.p
Iacobo Sadoleto gratulatur de cardinalatu 163.m
Ianthinus color 35.m
Ianus quō à Numa expressus 583.f
Iano cur principia consecrata 392.m
Ianuarij calendarum sacra 423.m
Iapix Apuliæ peculiaris uentus 314.f
Iason professor Iuris Ticinij 277.p
Ibis hieroglyphicarum literarum princeps 45.p
Ibidis natura, & quomodo medicæ cuacuationis autor sit 249.f
ἴνιξ μεγάλη 605.f
Ichnographiæ facultas 18.m
Ichthiulcos quid 313.f
Idæi dactyli, eorumq; uirtus 332.p
Idæi dactyli qui, eorumq; uis 569.m & pag. 570.p.m
Idæis Dactylis qui annumerati sint. pagina 570.571
Idæas uniuersales qui introduxerint 453.f. nullas esse 455.p. & inde
Idithiæ sacrificia 249.p
Idus unde appellatæ sint 605.f
ἱερογλυφικὴ literæ 45.p
ἱεροσόλοι & ἱεροφόροι qui 229.m
Ignis forma iuxta Pythagoræos 393.p
Ignē natura sursum uehi, deorsum nunquam 433.p
Ignis & aer subtilissima sunt corporum 475.f
Igniaria ex qbus arborib. fiāt 304.m
Ignobile ociū Virg. cur dictū 364.m
Ignominiam qui timeant 647.f
Ilex cur Vergilio præ cæteris arboribus electa cui aureum ramum uirtutis symbolum affinxerit 1.m
Ilicis materies cur improbetur 411.p
Iliados carmen primum reprenditur. pag. 335.f
Im pro eum 377.f
Imago dei quid 132.p
Imagines cœlestes unde generentur. pagina 427.m
Imaginum uana diuturnitas 652.f
Imitatio quibus utilis & quādiu 25.m
Iimitatio uera quæ 272.f
Imitatio quid sit 274.p
Imitationis præcipuū & ratio 275.m
Imitationem omni ætate fuisse pernecessariā, sed nunc omnium maxime. pagina 270.p.m
Imitationem optimi cuiusq; necessariā ei qui profecturus in dicendo est, & qualis debeat esse 273.274.275
Immodicum omne, uitiosum 318.p
Immortalium rerum conditio 391.p
Immortalitatem affectantes quibus rebus dent operam 229.m
Immortalitatem unde tibi parare possis 648.m.651.p
Immunitas unde dicta 348.f
Impendia unde dicta 354.p
Imperare bene quō quis possit 333.m
Imperare in rerū natura quid debeat. pag. 362.m
Imperiū cui conueniat 457.f.460.f
Imperium naturale in animantibus duplex 461.p
Impluuia & Impluuiatæ uestes 38.f
Imposititia exactio 16.m
Imprecationum quanta uis sit 585.m
Improbitatis insigne exemplum 220.f
Improuisa mala maxime animum consternunt 335.m
Impudentiæ templum Athenis fuisse. pag. 379.m
Impudentiam deam ueteribus cultā 2.f consecratam ei aram fuisse apud Athenien. 3.p
Incantandi uerba qualia 563.p
Incendiariæ aues 512.m
Incertum quid 361.f
Incomprehensibilitas quid 388.p
Incontinens & intemperans quo differant 259.p
Index digitus, cur salutaris dictus. pagina 333.m.& 492.p
Indictio, qualis species exactiōis 16.m
Indiæ fluuiorum incrementa quo anni tempore fiant 315.p
In diem emere quid 75.p
Indolis bonæ quod certissimum specimen 22.p
In eadem naui, prouerbium 301.m

Ingenij generosi natura 278.p
Ingenij cõtumelia ĩtolerabiliſsima quæ pag. 428.p.m
Ingenia præclara nihil proficere niſi habeant antagoniſtam 276.m
Ingeniorũ profectus omnes deberi primæ educationi 276.f
Ingeniorum ſibijpſis tantum addictorum uitium 321.f
Ingolſtadij ſitus deſcriptio 550.f
Inguinum tumorem quid ſedet 568.f
Infantibus motum agitationemq; eſſe ſalubrem 572.p
Infantes quõ à terroribꝫ liberẽtur. ibid.
Inimicum quõ ulciſcaris optime 333.p
Inimico quis careat 412.m
Inimicitias eſſe ſalutares in uita, refellitur 412.m
Inimic. inter quæ animalia ſint 437.p
Inimicitias illuſtres exercuiſſe, olim magnificum, & quare 277.f
Iniuria quæ publice inferri, & quæ priuatim dicatur 420.p
Iniuriæ illatæ quæ pœna ex legib. 31.f
Iniuriam quis accipiat 651.f
Iniuriarum pœna 376.f. 377.p
Iniurias leniendi modus 420.m
Iniuſtitia nihil perniciosius 459.m
In publicum cõmittere 174.p
In pulicis morſu deũ implorare, adag. unde deductum 407.m
Inſcitiæ deſcriptio 624.p
Inſcitiæ & ſatietatis contentio 410.m
Inſignium belluatorum origo 248.m
Inſtratum quid contineat ſub ſe 365.p
Inſtrumenta qd Iureconſultis 371.p.m
Inſtrumenta eſſe duplicia, eorumq; ſubdiuiſio 460.p.m
Inſularum fortunatarum ſitus 477.f
Intangibile, quõ latine dicas 46.f
Integer diſcipulus Cic. quid 357.p
Integra terra quæ dicatur 356.m & pag. 357.p
Intellectus quõ res cõprehendat 32.m
Intellectus uim corruptam eſſe 388.m
Intemperans & incontinens quo differant 259.p
Intemperanter de ſe loqui quàm turpe & odioſum ſit 334.m
Interceſſor malæ rei, qualis uir debeat eſſe 384.m
Interlucare quid 356.f
Interlunium quid 9.f. 304.p
Intereſt unde compoſitum 6.m
Interminũ in reb. humanis nihil 318.p
Interpontani lupi quare dicti 72.m
Interſcalmia nauium 309.m
Inteſtatus quis dicatur 375.p
Inteſtinum opus quid 28.p. 374.m
Intuſium unde dictum 37.p
Intuſium quid Plauto 365.m
Inuentio oratoria quod 596.p
Inuidia inter quos potiſsimum uerſetur 417.f
Inuidentia unde dicta 416.f
Inuidia quõ uitari poſsit ibid.f
Inuidia in quos cadat maxime 416.m
Inuidiæ qui maxime expoſiti, & cur pag. 418.f
Inuidiã cur maximis cruciatibus annumerarit Iſocrates 416.f
Inuidi aliorum uirtutibus qui 507.p
Inuidos uel ſolo obtutu nocere creditum 417.m
Inuidũ neminem uideri uelle ibidem
Inuitus quid facere quis dicatur 261.f
Io. Baptiſtæ Angariani laudes 196.p
Io. Franciſci Calcanei prædicatio 90.f
Io. Manardi mors 160
Ioan. Medices poſtea dictus Leo Pont. quàm præclare ſe geſſerit 323.m
Io. Franciſci Pici Mirandulani doctrina 105.p, 111.m.f
Io. Franciſci Mirandulæ ſtudia, & beneuolentia principum quali uſus ſit. pag. 324.m
Io. Pici Mirandulæ laudes 324.p
Io. Stephani Eremitæ laus 112.f
Iocandi genus duplex 258.f
Iones quando σ in ζ mutent 222.p
Iouis natiuitas iuxta Aegyptios ciuſq; interpretatio 245.f
Iouis & Apopis pugna 238.f
Iouis ſeruatoris templum 425.m
Iouis ſimulachrũ auribus carẽs 249.f
Iouis teſſeræ, prouerb. 296.f
Ioxides quãtũ coluerit aſparagũ 62.m
Iphicli fabula 3.p
ἱππαγωγοὶ & Hippagines naues. pag. 307.m
ἵππος in cõpoſitiõe quid ſignif. 16.f
ἱππόι πνδμονικοὶ q dican. 44.p
Iram cotem uirtutis eſſe 479.p
Iræ nõ bene imperat animus generoſus (159.p
Ireneæ principis liberalitas inliteratos 149.f. 150.p
Irio cur infamis 411.p
Iris quid 234.m
Iris cur & à quibus Thaumantis filia dicta 337.p
Iris quomodo fiat, & qui eius colores. pag. 472.m
Iris & halos quo differant 435.p
Iridis generatio qualis 434.f
Iridis colores q, & c. ibid. 435.p.m.f
Iſatis quæ herba ſit 14.m. & cur ea Britanni ſe obleuerint ibidem
Iſiacum quid faciat 229.f
Iſiacorum inſtituta ibid. & 230
Iſæum, quid 229.m
ἰσομοιρία quid 314.m
ἰσομοιρινὰι horæ 339.f
Iſis Aegyptiorum dea cur dicta, à quibus prognata, & q̃d ſignificet, eius ſacra qualia 229.m
Iſis unde dicta 245.in
Iſis quomodo feratur cane in Aegyptũ uecta 306.f
Iſis quõ Meleandrũ nutriuerit 233.p & quõ in hirundinẽ mutata. ibid.m
Iſidis natiuitas 232.m. luctusq; propter Oſirim ibid. & 233
Iſidis ſtolæ quales, & cur 250.f
Iſidis phylacterium 247.m
Iſidis ſacrarij pauimento quid inſcriptum 231.m
Iſidem eſſe Proſerpinam 236.p
Iſocrates forenſem actionẽ reformidans cur maluerit orationes conſcribere. pag. 450.m
Iſocratis dictio qualis 273.p
ἰσταμένου menſis quæ pars dicatur. pagina 605.m
ἰσοδόκαι & ἰσοπέδαι 310.m
Iſtrigonẽſis epiſcopatus, qualis 509.p
Ita fugias ne præter caſam, explicatur. pag. 65.m
Italiæ cum dignitate imperij etiã latinæ orationis maieſtatẽ deperijſſe 102.m
Italorũ uitiũ in pronũciatione 442.f
Italicæ linguæ admiratores immodicos taxat 198.f. 199.p. 270.m
Iubæ regis ſumptuoſæ menſæ 483.p
Iudæus Typhonis filius 237.p
Iudex an aliquid indulgere poſsit amicitiæ 280.p.m
Iudici ut rectam ferat ſententiam quæ ſint neceſſaria 361.f
Iudicũ imagines quales Thebis 231.f
Iudiciũ q̃ difficilis res 277.m (648.p
Iudicium recuperatoriũ quomodo introductum 31.f
Iudicium ſubituri qualem olim facultatem habuerint reijciendi ſuſpectos ſibi iudices 282.m

Iudicium quorũ sit expetendum 523.f
In Iudiciũ actus quõ se gerat 283 &
Iudicia magistratus cur (284
habeant 376.f
Iudicare pure quis nesciat 280.p
Iudicandi rationem à maioribus institutam, non temere soluendam 280.f
Iudic. difficultas & obscuritas 285.f
Iudicaturo quid faciendũ sit 280.281
Iudiciale genus orationis in quibus uersetur 444.m
Iugum quid 10.m
Iuga in naui, quid 309.m.f
Iugarij qui ibidem
Iugulus causæ quid 444.m
Iuliani Naselli mors 193.f
C. Iulius quem sibi proposuerit imitandum 331.f
C. Iulij Cæsaris laus eximia 420.m
Iulij II. pontificis facta 519.f
Iulio II. Pont. gratulatoria oratio habita 526.p.m
Iulij Pauli legum conscriptoris laus. pagina 544.p.
Iulopeza nauis 307.f
Iumentum pro uectabulo, & unde dictum 377.f
Iumenta pomorũ onera statim sentire, quæ si eis non prius ostendãtur, ilico sudant 29.f.30.p
Iumenta unde dicta sint 461.m
Iuniculus, palmes qui 10.f
Iuno Moneta cur sit dicta, & ara ei extructa 565.f
Iunonis sospitæ templum 425.p
Iupiter Elicius cur dictus & cultus
Ius quid sit 459.m (385.p
Ius ciuile quale 344.m
Ius ciuile pop. Rom. 542.f.543.p
Ius collegij apud Venetos 279.m
Ius honorarium quale 31.f.344.m
Ius honorarium quando introductum.
Ius in quo uerseris ignorare, turpe (343.f
281.p
Ius patronatus unde ortum 543.p
Iuris cessio quid 354.f.576.m
Iuris & legum studiũ corruptũ 210.p
Iuris studij præstantia & utilitas 543
& pag. 544.& 550
Iureconsultis memoria plurima opus esse 597.f
Iureconsultorum infamia unde nata. pagina 129.m
Iurisconsulti domus quid sit 544.m
& pag. 546.m
Iurisprudentiæ quãta sit utilitas, ubi de eius præstantia q̃ plurima 542.p
Iusiurandum an semper præstandum. pag. 261.m
Iusiurandum cuius causa institutũ. ibid.
Iusiurandum nemini deferendũ 650.p
Iustinianus quomodo leges digesserit. pag. 544.p
Iusti dies Χυιρῶν 377.m
Iustitium quid ibidem
Iustitia qualis uirtus, & quotuplex. pagina 542.m.f
Iustitia & liberalitas cur cæteris uirtutibus præcellant 258.p
Iustitia ordinem semel initum, sine uitio semper tuetur 281.m
Iustitiæ cũ liberalitate affinitas 257.f
Iustitiæ imago 231.f
Iustitiæ duo esse fastigia 265.p
Iuuenalis locus explicatur 37.m & f
& pag. 294.f.296.m
Iynx, quæ auis 500.p.& 562.m

L

Labizum, unguentum regum Persarum 326.f
Labeo quomodo antiquum ius enucleauerit 338.m
Laboris & uoluptatis uicissitudo. pagina 328.m
Laboribus exerceri, & laboribus sucũbere differunt 607.f
λάβραξ, lupus piscis 72.m
Labrax quõ è nassa euadat 636.f
Lacedæmonij de Athenienſe ocij damnato dictum 22.f
Lacedæmoniorum nauale ubi 315.f
Lacerna, uestis 37.f
Lacon in infimum locum positus quid dixerit 545.m
Laconum instituta quædam, & eorum ratio 634.p
Laconismus qd, et unde dictus 443.p
Lacus Lucrinus cur alijs omnibus prælatus sit 423.m
Lacus Lucrinus cur sic uocatus 589.m
Lacydes philosophus ab anſere adamatus 437.f
Ladislai episcopi Vat. laudes 404.m
Lamiarum natura 650.p
Lamiæ exemptitijs oculis 477.f
Lana histrica et liburnica qualis 38.m
Lanarũ genera et diuersitas 39f. 40.p
Lance & licio furta comperta quæ dicantur 578.p
Lăciloti Cõstabilis gesta 512.f 513.m
Lancrum, uestis 38.f
Lararia qualia ueterib. fuerint 207.m
Laricis materies qualis 303.p
λάξυγξ, quõ reddatur latine 47.f &
Lasanum quid 235.p (48.m
λασανοφόρ& quid 235.p.327.p
Lasus Hermionenſis scripsit odam & hymnum citra literæ signa usurpationem 224.f
Latifundia quid & unde dicta 373.f
Latinæ linguæ corruptores arguũtur
Latinos omnes artes Græcis debere (270.m
560.m
Latro & latrunculus quid 297.f
Latrunculorũ regiones quales 297.f
Latus clauus 39.p (298.p
Laudis appetẽtes esse generoſos animos
Laudes suas aut suæ familiæ qui recensuerint (278.p
653.f
Laudes nostras quõ & cur debeamus propulsare aut supprimere 417.p
Laudatiua oratio in quibus rebus uersetur 442.m
Laurentius Strozza 506.p.m
Laureola, et laureolã in mustaceo quærere, quid sit 7.p
Laur⁹ insana 414.m.617.m.632.m
Leæna quoties, & quot pariat catulos
Leænam meretricem quid (575.m
honestarit 492.m
Lebetes Dodonæi 492.f
Lecanomantia quæ 498.m
Lectio ueterum quàm sit utilis 329.m
Lectionis assiduitatem obesse semper, prodesse nunquam 319.m
Ledos uestis 38.p
Legere ossa 378.m
Legendum multum nõ multa 26.m.& quõ quiq; autores euoluendi. ibid.
Legumina incoctilia quomodo coctilia fiant 28.f
Lembum quis inuenerit 301.f
Lembi nauiculæ 308.p
Lemuria unde dicta, & quando celebrata 564.f
λεώς quid 309.f
Leo Byzantinus ob staturã corporis irrisus, causam tamen agens admirationi fuit 409.f. 450.f
Leonis Byzantini ad Athenien. oratio ex cõmodisimo agrumento captata
Leo Mitylenæus in ludo cal (409.f
culorum inuictus habebatur 299.f
Leonis animositas quõ frãgatur 603.p
Leoni qualis talus 288.p

Ingenij generosi natura 278.p
Ingenij cõtumelia ĩtolerabiliſsima quæ pag. 428.p.m
Ingenia præclara nihil proficere niſi habeant antagoniſtam 276.m
Ingeniorũ profectus omnes deberi primæ educationi 276.f
Ingeniorum ſibijpſis tantum addictorum uitium 321.f
Ingolſtadij ſitus deſcriptio 550.f
Inguinum tumorem quid ſedet 568.f
Infantibus motum agitationemq; eſſe ſalubrem 572.p
Infantes quõ à terroribꝰ liberẽtur. ibid.
Inimicum quõ ulciſcaris optime 333.p
Inimico quis careat 412.m
Inimicitias eſſe ſalutares in uita, refellitur 412.m
Inimic. inter quæ animalia ſint 437.p
Inimicitias illuſtres exercuiſſe, olim magnificum, & quare 277.f
Iniuria quæ publice inferri, & quæ priuatim dicatur 420.p
Iniuriæ illatæ quæ pœna ex legib. 31.f
Iniuriam quis accipiat 651.f
Iniuriarum pœna 376.f. 377.p
Iniurias leniendi modus 420.m
Iniuſtitia nihil perniciosius 459.m
In publicum cõmittere 174.p
In pulicis morſu deũ implorare, adag. unde deductum 407.m
Inſcitiæ deſcriptio 624.p
Inſcitiæ & ſatietatis contentio 410.m
Inſignium belluatorum origo 248.m
Inſtratum quid contineat ſub ſe 365.p
Inſtrumenta qd Iureconſultis 371.p.m
Inſtrumenta eſſe duplicia, eorumq; ſubdiuiſio 460.p.m
Inſularum fortunatarum ſitus 477.f
Intangibile, quõ latine dicas 46.f
Integer diſcipulus Cic. quid 357.p
Integra terra quæ dicatur 356.m & pag. 357.p
Intellectus quõ res cõprehendat 32.m
Intellectus uim corruptam eſſe 388.m
Intemperans & incontinens quo differant 259.p
Intemperanter de ſe loqui quàm turpe & odioſum ſit 334.m
Interceſſor malæ rei, qualis uir debeat eſſe 384.m
Interlucare quid 356.f
Interlunium quid 9.f. 304.p
Intereſt unde compoſitum 6.m
Interminũ in reb. humanis nihil 318.p
Interpontani lupi quare dicti 72.m
Interſcalmia nauium 309.m
Inteſtatus quis dicatur 375.p
Inteſtinum opus quid 28.p. 374.m
Intuſium unde dictum 37.p
Intuſium quid Plauto 365.m
Inuentio oratoria quod 596.p
Inuidia inter quos potiſsimum uerſetur 417.f
Inuidentia unde dicta 416.f
Inuidia quõ uitari poſsit ibid.f
Inuidia in quos cadat maxime 416.m
Inuidiæ qui maxime expoſiti, & cur pag. 418.f
Inuidiã cur maximis cruciatibus annumerarit Iſocrates 416.f
Inuidi aliorum uirtutibus qui 507.p
Inuidos uel ſolo obtutu nocere creditum 417.m
Inuidũ neminem uideri uelle ibidem
Inuitus quid facere quis dicatur 261.f
Io. Baptiſtæ Angariani laudes 196.p
Io. Franciſci Calcanei prædicatio 90.f
Io. Manardi mors 160
Ioan. Medices poſtea dictus Leo Pont. quàm præclare ſe geſſerit 323.m
Io. Franciſci Pici Mirandulani doctrina 105.p, 111.m.f
Io. Franciſci Mirandulæ ſtudia, & beneuolentia principum quali uſus ſit. pag. 324.m
Io. Pici Mirandulæ laudes 324.p
Io. Stephani Eremitæ laus 112.f
Iocandi genus duplex 258.f
Iones quando σ in ζ mutent 222.p
Iouis natiuitas iuxta Aegyptios eiusq; interpretatio 245.f
Iouis & Apopis pugna 238.f
Iouis ſeruatoris templum 425.m
Iouis ſimulachrũ auribus carẽs 249.f
Iouis teſſeræ, prouerb. 296.f
Ioxides quãtũ coluerit aſparagũ 62.m
Iphicli fabula 3.p
ἱππαγωγοὶ & Hippagines naues. pag. 307.m
ἵππος in cõpoſitiõe quid ſignif. 16.f
ἱππόι πωλμονικοὶ q dican. 44.p
Iram cotem uirtutis eſſe 479.p
Iræ nõ bene imperat animus generoſus
Ireneæ principis liberalitas inliteratos (159.p 149.f.150.p
Irio cur infamis 411.p
Iris quid 234.m
Iris cur & à quibus Thaumantis filia dicta 337.p
Iris quomodo fiat, & qui eius colores. pag. 472.m
Iris & halos quo differant 435.p
Iridis generatio qualis 434.f
Iridis colores q, & c. ibid. 435.p.m.f
Iſatis quæ herba ſit 14.m. & cur ea Britanni ſe obleuerint ibidem
Iſiacum quid faciat 229.f
Iſiacorum inſtituta ibid. & 230
Iſæum, quid 229.m
ἰσομοιρίαι quid 314.m
ἰσομοιναὶ horæ 339.f
Iſis Aegyptiorum dea cur dicta, à quibus prognata, & q̃d ſignificet, eius ſacra qualia 229.m
Iſis unde dicta 245.in
Iſis quomodo ſeratur cane in Aegyptũ uecta 306.f
Iſis quõ Meleandrũ nutriuerit 233.p & quõ in hirundinẽ mutata. ibid.m
Iſidis natiuitas 232.m. luctusq; apud Oſirim ibid. & 233
Iſidis ſtolæ quales, & cur 250.f
Iſidis phylacterium 247.m
Iſidis ſacrarij pauimento quid inſcriptum 231.m
Iſidem eſſe Proſerpinam 236.p
Iſocrates forenſem actionẽ reformidans cur maluerit orationes conſcribere. pag. 450.m
Iſocratis dictio qualis 273.p
ἰσταμένου menſis quæ pars dicatur. pagina 605.m
ἰσοδόκη & ἰσοπέδη 310.m
Iſtrigonẽſis epiſcopatus, qualis 509.p
Ita fugias ne præter caſam, explicatur. pag. 65.m
Italiæ cum dignitate imperij etiã latinæ orationis maieſtatẽ deperiiſſe 102.m
Italorũ uitiũ in pronũciatione 442.f
Italicæ linguæ admiratores immodicos taxat 198.f.199.p.270.m
Iubæ regis ſumptuoſæ menſæ 483.p
Iudæus Typhonis filius 237.p
Iudex an aliquid indulgere poſsit amicitiæ 280.p.m
Iudici ut rectam ferat ſententiam quæ ſint neceſſaria 361.f
Iudicũ imagines quales Thebis 231.f
Iudiciũ q̃ difficilis res 277.m (648.p
Iudicium recuperatoriũ quomodo introductum 31.f
Iudicium ſubituri qualem olim facultatem habuerint reijciendi ſuſpectos ſibi iudices 282.m

Iudicium quorũ sit expetendum 523.f
In Iudiciũ actus quõ se gerat 283 &
Iudicia magistratus cur (284
habeant 376.f
Iudicare pure quis nesciat 280.p
Iudicandi rationem à maioribus institutam, non temere soluendam 280.f
Iudic. difficultas & obscuritas 285.f
Iudicaturo quid faciendũ sit 280.281
Iudiciale genus orationis in quibus uersetur 444.m
Iugum quid 10.m
Iuga in naui, quid 309.m.f
Iugarij qui ibidem
Iugulus causæ quid 444.m
Iuliani Naselli mors 193.f
C. Iulius quem sibi proposuerit imitandum 331.f
C. Iulij Cæsaris laus eximia 420.m
Iulij II. pontificis facta 519.f
Iulio II. Pont. gratulatoria oratio habita 526.p.m
Iulij Pauli legum conscriptoris laus. pagina 544.p.
Iulopeza nauis 307.f
Iumentum pro uectabulo, & unde dictum 377.f
Iumenta pomorũ onera statim sentire, quæ si eis non prius ostendãtur, ilico sudant 29.f.30.p
Iumenta unde dicta sint 461.m
Iuniculus, palmes qui 10.f
Iuno Moneta cur sit dicta, & ara ei extructa 565.f
Iunonis sospitæ templum 425.p
Iupiter Elicius cur dictus & cultus
Ius quid sit 459.m (385.p
Ius ciuile quale 344.m
Ius ciuile pop. Rom. 542.f.543.p
Ius collegij apud Venetos 279.m
Ius honorarium quale 31.f. 344.m
Ius honorarium quando introductum.
Ius in quo uerseris ignorare, turpe (343.f 281.p
Ius patronatus unde ortum 543.p
Iuris cessio quid 354.f.576.m
Iuris & legum studiũ corruptũ 210.p
Iuris studij præstantia & utilitas 543 & pag. 544.& 550
Iureconsultis memoria plurima opus esse 597.f
Iureconsultorum infamia unde nata. pagina 129.m
Iurisconsulti domus quid sit 544.m & pag. 546.m
Iurisprudentiæ quãta sit utilitas, ubi de eius præstantia q̃ plurima 542.p
Iusiurandum an semper præstandum. pag. 261.m
Iusiurandum cuius causa institutũ. ibid.
Iusiurandum nemini deferendũ 650.p
Iustinianus quomodo leges digesserit. pag. 544.p
Iusti dies Χυιρῶν 377.m
Iustitium quid ibidem
Iustitia qualis uirtus, & quotuplex. pagina 542.m.f
Iustitia & liberalitas cur cæteris uirtutibus præcellant 258.p
Iustitia ordinem semel initum, sine uitio semper tuetur 281.m
Iustitiæ cũ liberalitate affinitas 257.f
Iustitiæ imago 231.f
Iustitiæ duo esse fastigia 265.p
Iuuenalis locus explicatur 37.m & f & pag. 294.f. 296.m
Iynx, quæ auis 500.p.& 562.m

L

Labizum, unguentum regum Persarum 326.f
Labeo quomodo antiquum ius enucleauerit 338.m
Laboris & uoluptatis uicissitudo. pagina 328.m
Laboribus exerceri, & laboribus sucũbere differunt 607.f
Λάβραξ, lupus piscis 72.m
Labrax quõ è nassa euadat 636.f
Lacedæmonij de Athenienſe ocij damnato dictum 22.f
Lacedæmoniorum nauale ubi 315.f
Lacerna, uestis 37.f
Lacon in infimum locum positus quid dixerit 545.m
Laconum instituta quædam, & eorum ratio 634.p
Laconismus q̃d, et unde dictus 443.p
Lacus Lucrinus cur alijs omnibus prælatus sit 423.m
Lacus Lucrinus cur sic uocatus 589.m
Lacydes philosophus ab anſere adamatus 437.f
Ladislai episcopi Vat. laudes 404.m
Lamiarum natura 650.p
Lamiæ exemptitijs oculis 477.f
Lana histrica et liburnica qualis 38.m
Lanarũ genera et diuersitas 39f. 40.p
Lance & licio furta comperta quæ dicantur 578.p
Lăciloti Cõstabilis gesta 512.f 513.m
Lanerum, uestis 38.f
Lararia qualia ueterib. fuerint 207.m
Laricis materies qualis 303.p
Λάρυγξ, quõ reddatur latine 47.f & (48.m
Lasanum quid 235.p
Λασανοφόρ& quid 235.p.327.p
Lasus Hermionenſis scripsit odam & hymnum citra literæ signa usurpationem 224.f
Latifundia quid & unde dicta 373.f
Latinæ linguæ corruptores arguũtur
Latinos omnes artes Græcis debere (270.m 560.m
Latro & latrunculus quid 297.f
Latrunculorũ regiones quales 297.f
Latus clauus 39.p (298.p
Laudis appetẽtes esse generosos animos
Laudes suas aut suæ familiæ qui recenſuerint (278.p 653.f
Laudes nostras quõ & cur debeamus propulsare aut supprimere 417.p
Laudatiua oratio in quibus rebus uersetur 442.m
Laurentius Strozza 506.p.m
Laureola, et laureolã in mustaceo quærere, quid sit 7.p
Laur⁹ insana 414.m.617.m.632.m
Leæna quoties, & quot parĩat catulos
Leænam meretricem quid (575.m honestarit 492.m
Lebetes Dodonæi 492.f
Lecanomantia quæ 498.m
Lectio ueterum quàm sit utilis 329.m
Lectionis assiduitatem obesse semper, prodesse nunquam 319.m
Ledos uestis 38.p
Legere ossa 378.m
Legendum multum nõ multa 26.m. & quõ quiq; autores euoluendi. ibid.
Legumina incoctilia quomodo coctilia fiant 28.f
Lembum quis ĩuenerit 301.f
Lembi nauiculæ 308.p
Lemuria unde dicta, & quando celebrata 564.f
Λεώς quid 309.f
Leo Byzantinus ob staturã corporis irrisus, causam tamen agens admirationi fuit 409.f. 450.f
Leonis Byzantini ad Athenien. oratio ex cõmodisimo agrumento captata
Leo Mitylenæus in ludo cal (409.f culorum inuictus habebatur 299.f
Leonis animositas quõ frãgatur 603.p
Leoni qualis talus 288.p

Leonem galli cantu cõsternari 29.m
Leonibus qui familiariter conuixerint
Lepidoto cur inter pi (437.m
sces tantus honor 233.f
Lepore qui ueſcantur, cur pulchri ali/
quot diebus dicantur 11.m
λεπτὰ quæ Græcis dicantur 268.m
Leſbia regula, qualis 369.p
Leſſum quid ſignificet 381.p
Leſtris, nauis apud Hom. 307.m
Lethe fluuius inferorum 596.f
Letheus Cupido quis 438.f
Leua manus quos numeros exprimat.
pag. 584.p
Leucophææ ueſtes quõ tingantur 36.f
Lex quid ſit 461.f.542.m
Lex æterna, & quæ leges dici merean/
tur 542.f
Lex Athenienſium de uim uirgini inſe/
rentibus 204.m
Lex Gabinia 383.f. Caſsia, Corbõis et
Lex Maria 384.p (Cælij 384.p
Lex Põpeia laudatiões ſubmouit à iudi
Legis actio, qd 354.f (cijs 167.m
Leges Curiatæ à quibus latæ, & quan/
do ſublatæ 543.p
Leges xij. tab. unde ortæ, earumq; præſtantia ibidem
Legũ origo in genere 543.p & inde
Leges ſociales cur primum latæ 16.m
Leges Draconis & Solonis quales fue-
rint. 204.m
Legũ & iuris corruptũ ſtudiũ 210.p
Leges ſcriptæ quales ſint, & quomodo
in eis uerſandum ſtudioſo 281.p.m
Legum, earumq; cognitionis præſtan-
tia 129.p.m
Legum ac Iureconſultorum infamia un
de nata ibidem
Legũ ferendarũ imodica licẽtia 281.m
Leges honorariæ & earum ius 281.m
Legum digeſtione per Iuſtinianum fa-
cta, quantum detrimenti inductũ ſit
pag. 544.p
Liber.p cõmẽtario, unde dictus 627.f
Librorũ deſſores taxantur 27.m.f
Libris libere docemur 329.m
Libros caute legẽdos eſſe et in quẽ uſum
Liberalitas ſumma quæ 81.f (ibid.
Liberalitas intempeſtiua, qualis res ſit.
pag. 647.p
Liberalitatis propriũ qd 258.p & qd'
hæc uirtus cæteris præſtet ibidem
Liberalit. cum iuſtitia uicinitas 257.f
Liberalitate in quos utendum 419.m
Liberatio & ſolutio idem 366.f
Liberorũ appellatione qui cõtineantur
Liberorũ quorum bo/ (371.m.f
na parentibus non accreſcant 372.f
Liberi arbitrij quæſtionem, non modo
Chriſtianorũ, ſed & priſcorũ fuiſſe
philoſophorum 396.p
Liberum arbitriũ ubi ſitum 195.f
Libertate nihil aptius & optabilius ho
mini 573.m
Libertis noua nomina imponi ſolere. pa
gina 566.p. 572.f. 573.p
Libertate donatus apud Maſſilienſes
non relabebatur in ſeruitutẽ, niſi ter
ingrati animi conuictus 299.p
Libertos noſtros quos liceat appellare.
Libralis aſsis et libella 354.p (372.f
Libripens qs dictus 354.p.m. 575.f
Liburnicarum nauium præſtantia, qua/
lesq; ſint 306.p
Licet & licebit, utrunq; tam præſens
quàm futurũ tẽpus ſignificare 343.p
Lictores unde dicti 578.p
Ligno quõ ignis excutiatur 304.m
Ligneæ ſoleæ Ciceroni 205.p
Lilij uocabulum unde deductum & eius
ſpecies 24.f
Liliorum ſatio mira 34.f
Limbus & limbolarij 38.p
λεῖμμα quid 72.p
Linea ſacra 298.p
Lingua quàm nocens telum 420.p
Lini natura & uſus 229.f
Lini floris color qualis 229.f
Linium quid 578.p
Lintres 307.m
Lipara cum aliquot alijs urbibus terræ
motu hauſta 432.f
λιπάρειδι et ἐκλιπάρειδι qd 17.m
Lips, uentus Africæ familiaris 314.f
λείειον quid Græcis 24.f
Lis quid ſignificet 359.m
λίθος pro calculo luſorio 297.f
Literarum ſtudia quid nos primũ doce
ant, & quõ eis incumbendũ 41.m
Literarum cõmutationes inter ſe unius
in alteram 218.219.220
Literarũ inuentores & digeſtores. pa
gina 219.p.221.f
Literarum obſignatarũ ſaluis ſignis re
cludendi artificium 646.f
Literis quomodo ſtudendũ, qui ſcripſe
rint 25.f.26.p
Literaria ſtudia ſibi non diſsidere, imò
connexa inter ſe eſſe ita ut diſiungi
nequeant 23.m
Liticines & buccinatores 313.f
Locare quid 341.f
Locus quid 373.m.f & quomõ à ſun/
do differat ibidem
Loci oratorum quid 444.p. & unde
petantur ibidem
Loci quõ memoriã iuuent, & à quo in/
uenti ſint 449.f
Loculamenta nauium 305.f
Locupletes unde dicti 385.p
Locri Epizephyrij quõ ſacrificarint
dis in rerum penuria 609.m
Lœdoriæ deſcriptio 612.m
λογισμεῖον quid 9.f
λόγος ἄργος quid 396.f
Logus quõ auxiliatus ſit Pſychæ 611.p
& quõ in cœlum ſe receperit. ibid.
Longe proſpecta cur nigriora, minora,
planioraq; ſe offerãt oculis 415.m
Longitudinum & latitudinũ terræ di/
uerſa dimenſio 430.f
Loquaces reprehenduntur 492.f
Loqui quando deceat 494.m
Lora ueſtibus cognomina dediſſe 38.m
Lora nauium 310.f
Lororum in naui nomina 309.m
Lotace donata olim à Perſarũ regib.
q̃ beatos fecerit accipiẽtes 499.m
Loti herbæ natura 389.f.390.p
Lucanum num Nero occiderit 332.m
L. Lucullus quomodo notatus 24.m
L. Lucullus quomodo magnificentiam
ſuæ uillæ excuſarit 383.f
L. Paulus quale omen acceperit 559.m
Lucius Plancus 115.p
Lucius piſcis 73.p
Lucrinus lacus cur omnium primus ut
erueretur locatus ſit 11.f
Lucubrationibus cruditorum obtrecta-
tum iri, indicium eſſe, eas in numero
aliquo cenſeri 29.f
Ludouicus Pannoniæ ac Bohemiæ rex
quàm inique à ſuis nobilib. tractatus
Ludouici Comitis Miran/ (511.p
dulani interitus 486.p
Ludouici Sforiæ beneficia in Hippoly
tum Eſtenſem 509.m
Ludus Claudio Senecæ inſcriptus, do/
ctum refert autorem 296.p
Ludi q max. antiqs fuerint ĩ uſu 287.f
Ludi quõ exercendi, & cur quidã ludi
hac ætate infames 287.m
Ludos ueterũ cõſcripſit Cælius hic, qui
tamen non prodierũt in lucem 4.m

Lumeta cur sic dicta 358.m
Luna silens, sitiens uel sicca, & caua quæ dicatur 9.f
Luna quot diebus cursum suum obeat. pag. 240.p.607.p.608.m
Luna cur ad amatoria inuocetur 243.m
Lunæ cognomina ibidem
Lunæ euocationes magicæ, & unde ea opinio nata sit 501.f
Lunæ obseruationes apud Aegyptios. pag. 240.m
Lunæ defectus quãdo cõtingat 240.m
Lunæ cur Mercurius addatur 240
Lunæ mutationes magnas facere uicissitudines 314.f
Lunæ lumen & cursus 549.p
Lunæ aspectus optimates quot & qui. pag. 604.f
Lunæ deliquio cur tinnitus excitentur. pag. 502.p
Lunaris spuma uel uirus 502.p.m
Lupulus quæ herba 61.f
Lupinum cum sole circumagi 607.m
Lupini qualitas 329.m
Lupus in pscquentiũ periculo qd faciat (401.f
Lupus prior inspiciẽs raucitatem infert 493.p
Lupus quis piscis Cælio 72.m.73.p
eiusq; esse duo genera 72.m.f
Luthei coloris honor 35.f. & cur principalibus coloribus non annumeretur ibidem
Luxuriæ instrumenta suppeditantes ciuitate exigendi 263.p.m
Luxus detestatio 230.231. & inde
Lyceum Arcadiæ qualis locus 327.m
Lychnus ἄσβεστος & Mineruæ 327.m
Lycij cur in funeribus muliebres uestes induerint 620.m
Lycius piscis 73.p
Lycopolytæ cur nõ utãtur tubis 236.f
Lycurgus deliciarum structores exilio multauit 263.m
Lycurgus qualem orationem & qualem gladiũ apud Lacedæmones esse uoluerit 443.p
Lycurgi leges ῥήτραι fuisse dictas 616.p. & quõ Marti sacrificandum instituerit ibidem
Lycurgũ Risus simulachrũ erexisse 2.f
Lydos inuenisse ludos 287.m
Lydius uel Lysius, deus ibidem
Lyenis malo remedia 44.f
Lyncei fabula unde nata 607.p
Lysandri sceleratum dictum 292.f
Lysan. oratio cõtra Heraclidas 595.p
Lysiæ orationem pro Socrate, cur Socrates renuerit dicere 448.p
Lysimachus τ pro σ utitur 224.f
Lysmachi elegans dictio 219.m
Lytæ & Prolytæ q Iurecõsultis 38.m

M

M terminatio græcis inusitata. 442.f & quõ ea litera sit pronuncianda ibidem
M silentij notam esse ibidem
Macariæ ciuitatis descriptio, & quàm difficilis ad eam aditus sit 611.m
Macedones olim uicti, restaurato prælio regeq; infante in cunis in expeditionem producto rursus euasere uictores 414.p
Macedonib. omphacinus color gratus (37.m
Machæra regem Ochũ Aegyptijs notat 232.p
Μαχεραν χαίρειν, quando dicebatur pag. 424.p
Macto, sacrificale uerbũ unde dictum. pag. 565.p
Magdalena quid in sacris literis interpretetur 14.p
Magdalinæ uestes 35.m
Magia quid & qualis 497.m
Magiæ noïe disciplinam ueneficiorũ se insinuasse, & qd magia sit 497.m
Magiæ diuisio, & quas in se artes complectatur ibid. f
Magiæ species quàm multæ 498.p
Magiæ ut mulieres se dedant quid causæ incitet 500.p
Magiæ apologus 503.p
Magiæ istius abiectæ quàm abiecti professores 498.m. & 499.m
Magi cur rerũ naturæ causas reddi non posse affirment 46.m
Magorum cõmentum de bonis & malis dæmonibus 241.m.f
Magorum uanitas 498.m. 499.m.f & ubi multi eorũ reges succubuerint (499.m
Magistrare quid 565.m
Magistratus nimium potens quantum malum 316.f
Magistratibus alijs lictores, alijs uiatores apparebant, & quid cuiq; horũ iuris fuerit 367.p
Magistratus olim functiões quæ 376.f
Magistratus adituri quomodo olim omina ceperint 565.m
Magistratus unde denominati & quotupliciter uocentur 372.p
Magistri qui appellẽtur et unde 371.f
Magistri officinæ qui 372.p
Magistri curiarum, uectigalium, & populi qui 372.p
Magnetis natura 312.p
Magnetis seu magnesii lapidis ingenium 390.p
Magnetis echencidis sale asseruati quãta uis insit 438.m
Magnorum dæmonum natura 235.p
Magnitudo animi quõ colenda 651.p
Magnitudinis æstimatio peruersa quæ. pag. 647.p
Maius unde dictus sit 564.f
Maio malas nubere cur dictum 564.f
Malachæ uestes unde dictæ 36.p
Malea quid 74.m
Malum quibus nominibus expressérint Pythagorici 242.p
Mala tria in uita hominum 301.m
Malorum & bonorum cinnum esse temperatum 241.p
Malis displicuisse, bene uiuendi principium 422.m
Maleficis quid optatissimũ possit contingere 169.m
Malum nauis quæ longitudo deceat. pag. 305.f
Malorum in nauibus usus 310.m
Malleolus quid & unde dictus 10.m
Μάλθη quid 38.f
Mallotæ uestes 38.f.365.m
Mallotes quid 311.m
Mamon quid significet 13.f.14.p
Mancipes qui dicantur 7.f
Manceps & mancipium quid 575.m
Mancipo & mancipatio ibid.m.f
Manceps quid & unde dictus 354.m
Mancipare quid, & unde ductũ ibid.
Mancipatio quid ibid.
Mancipi res & nemancipi 351.f & pag. 354.355
Mancipi seu mancupi res, quæ 575.m & pag. 576.f. 577.p
Mancipium unde dictum 354.m
Mandræ quid 298.m
Manerotis interitus & cultus 233.m
eiusq; inuentum esse Musicam. ibid.
Manicatæ uel manuleatæ uestes 37.p
Manis, & manica facta, quid 235.p
Manlius αὐθάδιαστος 477.m
Μαντείας diuersi modi 498.p
Μάντις adhibitos consilijs apud Athenienses 560.m
Mantuanus princeps quomodo curarit

ſuum filiolum inſtituendum 160.f & pag. 161.p.m
Manus uſus in agẽdis cauſis 452.p.m
Manuum iactura cur pedum periculoſior 211.m
Manibus quomodo numeri expriman-tur 584.p. & inde
M. Antonius quomodo adulationem Athenienſium ultus ſit 334.p
M. Marcellus uirtuti & Honori ædem exſtruxit 545.m
Mare creſcere et decreſcere, & qua ratione 428.m
Mare cur hominum cadauera reijciat. pag. 302.p
Mare cur ſalſum 428.f.429.m
Mare etiã dulcem aquã habere 312.p
Maris Erythræi ſeu rubri tranſitus qd nobis indicet 31.m
Maris reciprocatio unde fiat 392.f
Maria quo tempore claudantur 314.f
Maria non à fluentibus aquis fieri. pagina 428.f429.p
Maria quomodo deſcendant unũ in alterũ, deq; mari uariæ opiniões. ibid.
Marina aqua quomodo fiat poſculenta 429.f. & quod ea ponderoſior calidiorq; ſit reliquis ibidem
Marinæ aquæ natura copioſe deſcribitur 429. 430
Marius Aequicola 558.m
Marij Aequicoli uerſum non eſſe ſolœcum 2.f
Marmora cinericei & purpurei coloris cur in templis ſtatuãtur 636.p
Maris & fœminæ copulatio quàm neceſſaria 362.m
Maris appellatione etiam fœminã comprehendi 368.m
Maritatæ uites quæ 10.m
Maronis lepores quales 561.f
Marpeſiæ cautis natura mira 29.m
Marphacides naues 307.m
Martha quid Theologis ſignif. 14.p
Martialis locus 38.p.f. 294.f.339.f
Μάσχαρα quid 621.p
Maſculeta quæ dicantur 10.f
Maſdes idem qui Manis 235.p
Maſinus homo Gallus ſuis coloribus depingitur 102.f
Maſtrucæ ueſtes 38.m
Materfamiliâs quæ dicatur 366.p
Materia quid ſignificet ,pprie 374.m
Materiarij qui ibidem
Materiei bonitatis obſeruatiões 304.m
Materiem ſuo tempore cædi quantũ referat 303.f. 304.p. & quando cædenda ſit ibidem
Mathematicis nihil illuſtrius 204.p
Mathematicarum diſciplinarũ enumeratio 554.m
Mathematicarũ artiũ præſtãtia 128.m & 131.p. tum quatenus eis incumbendum 129.p. 131.m
Matrona quæ & unde dicta 366.m
Matrona qua re differat à ſcorto 619.p
Matthias Pannoniæ rex 503.f.516.f
Mattiacæ pilæ 312.m
Maturare quid ſignificet 311.p
Maximiliani Imp. bellum contra Venetos 510.m
Maximini annulus quantus 581.m
Mea, tua, ſua, &c. quomodo conſtruantur & interpretentur 6.m
Meum eſſe, quid dicatur 352.p
Meander uiclus à Philemone iniquitate iudicum 335.f
Mechir quis menſis 45.m
Medicamenta ex contrarijs conſtare (259.m
Medicina an ad œconomicam pertineat 466.f
Medicus digitus quis 568.f
Medietas non audet dicere Cœl. 70.p
Medimnus ſiccorũ eſt menſura 295.p
Medimnũ & aridis & liqdis cõgruere
Medimnũ Siculum ſex modios continere (201.f ibidem
Medimnũ & modiũ nõ eſſe eundẽ. ibi.
Mediocritatis uirtus 417.p
Mediocritatem omnibus in rebus maxime expeti 268.m
Meditrina dea, unde uocata 565.m
Meditrinalia feſta ibidem
Megabyzus de umbra & linea coram Apelle diſſerens qd aſſecutus 574.f & pag. 575.p
Μεγαλοπρέπειαι quomõ reddenda 364.f & unde dimetiatur. ibid.
Μεγαλορρῶπες q dicãtur 448.p
Μέλαν oculi quid 471.p (451.p
Melanchlæna, quæ ueſtis 37.p
Meleandri regis educatio 233.p
Melinæ ueſtes unde dictæ 34.f
Meliſſius Mœcenas triennale ſilentium ſibi indixit 492.f
Meliti amor in Timagoram, et quomõ uterq; male perierit 439.m.f
Membra agnata, eſſe inutilia 360.m
Memoria quid & quot iniurijs obnoxia 597.f
Memoria oratoris quid, & ei quàm neceſſaria 596.m
Memoria nihil fluxius homini à diis datum 319.p
Memoria oratoris qualis ſit 271.f
Memoria & eius uirtutes 449.m
Memoria hominis omniũ ipſius rerum lubriciſsima 26.m
Memoriæ iactura quib. ſarciatur. ibid.
Memoriæ lubricitas, & quõ excolẽda. pag. 449.f. 450.p
Memoriæ an literarũ uſus obſit ibid.
Memoriæ excellentis exempla 450.m
Memoriæ quanta ſit præſtantia 595.f & quæ res ex ea conſtent ibid.
Memoriam nõnunquam eſſe inutilem. pag. 596.f. & 598.m
Memphis cur portus bonorũ, aut Oſiridis ſepulchrũ interpretetur 234.m
Mendes, hircus Menditis 249.p
Menedemi ſententia de Athenas proficiſcentibus ſtudij gratia 333.f
Menenius Agrippa quõ ſeceſſionẽ populi Ro. à patrib. ſedauerit 414.f
Menis cur ab Aegyptijs execratus ſit. pag. 231.p
Menſæ quibus præcioſæ fuerint 483.p
Menſarum nomina, & quæ imprimis commendentur 483.m
Menſis quid 604.f
Menſes ciuiles quomodo Romani inſtituerint 606.f
Menſiũ noũa apud Aegyptios 45.p
Menſiũ rationem Macrobiũ aut ignoraſſe, aut latinis inuidiſſe 605.m
Menſis partitio tum iuxta latinos, tum iuxta græcos 604.f. 605.m
Menſium dies ordine cur præpoſtero numerentur 604
Menſium principia cur ab ineunte luna Græci tam religioſe auſpicentur. pagina 606.m
Menſuras aridis priuſquàm liquidis fuiſſe accõmodatas 201.f. 202.p
Mentam belli tempore neq; ſerendam, neq; edendam cur ueteres præcepe-rint, et cur ἀδύοσμος græcis dicta (2.p
Mentis templum cur Romæ dedicatum 379.m
Mentiri & mendaciũ dicere 190.f
Mentiri & mendacium dicere, turpe (648.p
Mentorem cum leonibus familiariter uixiſſe 437.m
Mercatura, quale quæſtus genus, et quo tuplex 467.m

Mercaturæ

Mercaturæ cõmoda & utilitas 263.p
& pag. 282.p
Mercaturam quam recipiat, quamq; reijciat Aristoteles 263.p
Mercurius Cyllus cur dictus 443.m
Mercurius cur deorũ interpres & Hermes fingatur 342.p.& 365.f
Mercurij in caduceo cur angues connexi 410.f
Mercurij interpretatio mystica 243.f
Mercurij inuenta 229.m
Mercurium cur per canem exprimant Aegyptij 231.f
Mercurialium officina præstantissima Sicyone 652.m
Meretricibus quibusdam monumẽta instituta 619.m
Mergus quid 10.m
Meridies quomodo ab accenso Consulis Romæ pronunciabatur 4.m
Meridies quando diei annumerari cœperit, & quomodo Romæ pronunciatus 340.m
Meris quid Arabibus 47.m
Μέροπες cur homines uocati Homero 451.m
Mesites Persis Mitras 241.m
Μεσοδίκης, quis iudex 269.p
Μέσον oculi quid 471.p
Mesonautæ officium 313.m
Mesori quis mensium Aegyptijs 45.m
Mesoromasdes quis fuerit 32.f
Messalæ obliuio 449.f
Metalla unde dicta sint 348.m
Metallicus quæstus, qualis 467.f
Metanœæ descriptio 612.m
Metelli studium tuendæ existimationis suæ 279.f
Meteora q̃, et ubi, & ex quibus 427.p
Meteoroscopij à Zieglero nuncupati Cælio prædicatio 54.p.m
Methes descriptio 612.m
Metopomantia 498.m
Metra uersuum sunt, ut rhythmi orationum 448.m
Metrodori iactantia ridicula 450.p
Metum terriculamentorum quæ excutiant 332.p
Michael unde uocatus 31.p
Michael cui mundi parti præfectus sit. pag. 14.p
Midas anchoræ inuentor 310.f
Μίσλας, iactus tesseræ unde uocatus. (296.f
Midæ quicquid apponebatur, in aurum uertebatur 465.f
Militũ laus olim magna, sub Africano aut Cæsare meruisse 277.p
Militum sigillum annulare quale apud Aegyptios 231.f
Militum stipendium in diem quantum fuerit 354.p
Militiæ conditio qualis 130.f
Militiæ sacramento quando liberari olim licuerit 386.p
Militiæ maritimæ instituta 313.p
Militaris delectus cum fieret qualia nomina prima recipiebantur 423.m
Militari rei quid maxime necessarium. pag. 536.m
Militaris res ad qd instituta 544.m
Milonis Crotoniatæ robur 601.f
Milonis debitum quantum 361.p
Μιλῶς qd & μιλωπάθοι 305.p
Mimus egregius quid obseruet 259.f
Minerua quid significet 245.f
Minerua Cassidata, nomen nauigij Ouidio 306.f
Minerua quõ fauerit Atheniẽsib. 189.p
Mineruæ natiuitas qualis 197.p
Mineruæ oculorum uitium 84.m
Mineruæ propylæum in Sai quibus notis expressum 237.m
Mineruæ simulachro cur Phidias draconem appinxerit 250.p
Minerua septenarij numeri nota Aegyptijs 231.f
Minij contra ignem uis 305.p
Ministri omnibus in artibus instrumenti uice sunt 460.p
Minotaurus quõ Theseum appetiuerit pag. 561.f
Minus soluere quis dicatur 345.m
Minus solutũ, quõ intelligatur 358.m
Mirrhæ uirtus 251.m
Miscelus percontatur oraculum de condenda ciuitate 425.m
Misericordia ad quos pertineat 530.f
Miserum quod non dicendum 635.p
Missi descriptio 612.p
Mistæ uestes 35.m
Mixti seu mixti numeri qui 584.m
Mithridis planta qualis 234.m
Mithridatiæ usus in amuleto 498.p
Mithridatẽ xxij. ling. calluisse 450.m
Mitras Zoroastri quis, eiusq; sacrificia (241.m
& quomodo fiant 433.f
Mneme tertia Musarũ apud Delphos
Mnemosynæ cur Musarum mater dicta (449.m
449.m
Mnestheus unde aduersus Troianos soluerit 315.f
Μνοῦις, bos in Heliopoli 237.f
Modestiæ uis & utilitas 333.f
Modius quid, & an etiam in usu liquidorum fuerit 199.f
Modius agri, quid Columellæ 202.p
Modiperator quis 291.p
Modum omnibus in rebus esse optimũ. pag. 316.f
Mœnia quæ Lacones maxime probent. pag. 634.p
Mollicina uestis 36.p
Molorthes quid 311.m
Moly Homericum radice nigra & fructu aureo, quid significet 328.m
Molæ pro amuleto usus 498.p
Momẽtũ omne à grauitate fieri 390.m
Momenta quot horã constituãt 608.m
Momi genus & mores 479.p.& qui eius discipuli ibidem
Μονάς, tesseræ iactus 296.f
Monogrãmi dij Epicuræorũ 479.m
Μονοειδὲς quale uitiũ pronunciationis 451.f
Μονομίτου uestis 37.f
Μονοπωλίαι quàm facile ditet, et qui ea utantur 468.p
Monoxyla nauigia 305.p
Monstrum unde dictum 359.f
Moram nulli rei præterquàm cõsilio salutarem 264.m
Morbus sonticus, qs intelligatur 377.f
Mors quib. imprimis ĩsidietur 505.m
Mortem qui timeant 647.f
Morte nihil commodius cuiquam posse optari 507.f
Mortis commoda 146.p
Mortaliũ rerum cõditio 391.p.393.m
Mortuales uestes Neuio quæ 35.m
Mortui qui fuerant nunciati, & redibant, cur ingressus per limen non permissus 573.f
Morus cur sapientissima arborũ, & terebinthus stultissima sit dicta 2.m
Morychus Bacchus cur sub dio positus
Μοτὲ quid 297.f (619.f
Motus quid 389.m
Motus causæ quæ 390.m
Motus circularis conditio 392.m
Motus corporis in agendo 452.p
Mulæ partum Cappadocibus non esse prodigiosum 360.m
Mulæ quõ desinũt esse calcitrosæ 28.f
Mulcta suprema quæ 385.p

Mulctam à magistratu olim irrogatã, postea à populo uelut honorario arbitro, uel remissam uel adiudicatã. pag. 376.m.f
Mulieris appellatio qd cõtineat 345.f
Mulieri honestæ turpissimum formæ illecebras affectare 418.m
Mulieres barbatæ an abominandæ 8.m
Mulieres Cereri imitiabantur Romæ. pag. 380.p
Mulieres qd ad magiã adigat 500.p
Mulieres quomõ amatori stimulos incutiant 332.p
Mulierum sacrificia nocturna ne sunto 379.p
Multitia uestimẽta 38.p
Mundus cur ouũ dictus aliquib. 391.p
Mundus animal Timæo 392.f
Mundi anima 393.p
Mundi concentus mutuus & æternus.
Mundi facies, item dextra & sinistra (241.p 237.m
Mundi motus & constitutio 242.p.m
Munus quot modis dicatur 348.f & pag. 349.p.m
Munerarij qui, & unde dicti 349.m
Municipes qui dicãtur 348.f.349.p
Municipibus duas esse patrias 386.f
Munifici milites unde dicti 348.f
Munifices 349.p
Murex, minor purpura 36.m
Murileges piscatores 313.f
Murineus & murinus quid differant, & unde dicta 5.f
Musarum albo inscripti prærogatiua
Musarum altrix θυφωμιάε cur dicatur (212.m 330.f
Musicæ disciplina qualis 554.m
Musicæ rationem nunquam sine periculo Reip immutatam 330.p
Musicæ ratio q̃ corrupta nũc sit, ibid.
Musicam esse triplicem, ibid. & quanta eius uis ibid.m
Musicã à Manerote inuentam 233.m
Musculus piscis quomodo balenæ insert uiat 437.f
Musonij sententia expenditur 319.f
Mustacei quomodo fiebant 7.p
Mustace pro lauro Cypria ibidem
Mustelarum coitus & partus 249.m
Mustum primum gustantes quid soliti dicere 565.m
Muta animalia quæ sint 493.f
Mutarum literarum conditio 219.p
Muti magistri qui 280.f
Mutica spica quæ 356.f
Mutinensis seditio quõ restincta 518.f
Mutinensium statua, muliebre pudendum ostentans arguitur 26.f. & à quo sit posita 21.p
Q. Mutius Scæuola, quõ sibi laborẽ respõdẽdi ciuib. de iure leuarit 287.m
My facere, unde ortum 443.p
Myacãthos cur dictus asparagus 61.m
Myoparones 307.p
Myotos uestis 34.f
μυειαγωγὸς & μυειοφόρος νεὼς. pag. 306.f
Myrices uirtus 44.f
Myrina & Myrinæi campi 5.f
μυρινόννυμος, lunæ epitheton 243.m
Myrmecidis ars 84.m
Myro quomodo Alex. Magnũ expresserit 169.p
Mysterium unde dictum 494.m
Mysteria quando desinant esse mysteria 27.m

N

NAnnes Strozza 505.f
Napuri quid 310.f
Narratio qualis debeat esse 445.p
Narces descriptio 612.m
Natalis oculorum Hori festum quando pag. 243.p
Natatio quib. modis exerceatur 313.m
Natura ex quibus constet 244.p
Naturæ dispendium nõ esse probri loco ducendum 84.p
Naturæ instinctus rebus omnibus ingenitus qualis 389.f
Naturæ rerũ cognitio quid nobis præstet 329.p
Naturæ studioso quid cognoscendum. pag. 469.f
Naturæ non esse certum modum præscriptum 601.m
Naturæ maiestas quàm lõge se in omnibus rebus aperiat 29.p
Naturam quomõ iuuerint quidam docti 275.f
Nauarchis nauis 307.m
Nauarchus quid 313.m
Ναυκληρίαε, spẽs mercaturæ 467.m
Nauicularius Nauiculator 313.p.m
Nauigantibus cœli & aquarum rationes obseruandas 314.p
Nauigatio à quibus inuenta 302.p.m
Nauigatio quàm noxia res hominũ frugalitati 302.p
Nauigationis natalis celebritas 314.f
Nauigaturorum qualia sacrificia & augurio 314.p
Nauis Caij Cæsaris magnitudo 303.m
Nauis Salaminiæ quando usus cœperit. pag. 256.f
Naues à quibus excogitatæ 301.m
Naues aliquas quinquaginta remorum ordinibus instructas fuisse 301.f
Naues quæ olim in maxima fuerint existimatione 306.p
Naues plicatiles ut humeris gestarentur 308.p
Naues papyraceæ in mari Indico & apud Aegyptios ibid. & 233.f
Naues sutiles & uitiles 308.p
Naues fuisse insculptas sepulchris νεωσυγῶν 306.f
Nauiũ uaria cognomina diuersis de causis ipsis indita 306.m.f 307.308
Nauium maiorũ agendarũ mos 306.p
Nauium materies quæ & quando cædenda 302.303
Nauium allitiones, structuræ, formæ & appellationes 305.306.307
Nauium symmetria unde colligatur. pag. 305.m
Naulum, quid 308.p
Nauplij natura 307.p.438.p
Nauphracton quid 309.p
Nautarum habitus familiaris 311.m
Nautica res plusne commodi an incommodi attulerit 301.p. à quibus inuenta ibid.f
Nauticæ supellectili quæ instrumenta non sint annumeranda 310.m
Nauticorum pugnatorum officiorumq; nomina 313.m
Nautilus siue pompilus quomõ in mari uelificet 302.m
Nebula unde fiat 427.f
Necessitas persuasa, quanta incommoda inuehat 396.f
Necessitas Parcarum mater 398.m
Necessitas rerum unde pendeat 587.f
Necessitas unde rebus constet 397.m.f
Necessitatis fissum apud inferos 610.m
Necessitatis filiæ ibidem
Necessitatis dominiũ quale, opiniones. pag. 396.m.f
Necessitati quæ Cicero subdiderit pagina 398.m
Necessitatem cadere etiam in sapientem 284.p
Necyomantia 498.m
Nemancupi res quæ dicantur 351.f & 354.m.355.p.575.m.577.p

Nemanus 233.p
Neniæ quid 381.m
Νέωμαι quid 356.m. 357.p
Νεομλωιαι quæ uocata fuerit 605.m
Neomenias suas hebræi (606.m
quando celebrent 608.m
Νηπενθες quid significet 33.p
Nepenthes Homericũ quid fuerit 91.m
Nepenthes quæ herba sit 586.f
Nephthes natiuitas 232.m
Nephthys quõ Anubim peperit 239.p
Nephthys quid interpretetur 239.p
& pag. 240.f
Nepotes quousq; se protendant 368.p
Neptunus Aegyptijs primũ signat cubum 231.f
Neptunus quis mystice 239.f
Neptuni tridens quid notet 250.p
Neritæ conchæ quõ uelificent 302.m
L. Neritij improbitas & depalmatio. pag. 376.f.377.p
Nero cur Lucanum occiderit 332.m
Nero quando humanitus habitare cœperit 364.m
Nero primus imperatorum aliena eloquentia opus habuit 653.f
Neronis institutum de immunitate orbis 348.m
Netes, paranetes sonus 330.p
Netis, locus qualis 234.m
Neuij sententia à Cic. reprehẽsa 318.f
Neuij de seipso iactantia 334.m
Neutralia, uestimenta 38.f
Nexus quis dictus 575.f. 576.p
Nexus mutui uis 410.f
Nexu traditio, quid 354.m
Nexu traditio quomõ fiebat 575.m.f
Nicctæ opinio de cœlo et astris 394.m
Nicias imperator propter astrologiæ imperitiam quomodo Athenien. res afflixerit 315.p
Nicolai Corrigij laus 623.m
Nic. Leoniceni accusatio ĩ Plin. 609.p
Nicolaus Lazarinus 110.m
Nicolaus Strozza 506.p
Niger color an albus præstantior. pagina 599.m & inde
Nili incremẽtorũ ratio ad lunã 240.m
Nili fluxus 237.m
Nili aquã potantes saginare 230.p
Nilum nullis perstari auris 315.p
eiusq; stata esse incrementa ibid.
Nisea Megarensium nauale 315.f
Nix unde proueniat 427.f. 428.p
Nobilis & generosus differunt 6.p
Nocere nemini quõ possimus 420.p
Nocturna sacra Diagondas perpetua lege sustulit 380.p
Νόυσις unde dicta 245.m
Nomij Tiberij Cæs. liberti mẽsa ex qua fuerit materia 483.m
Nomen suũ immutare, periculosum, & impostorum 189.m
Nominis celebritas in quib. rebus sita. pag. 190.p
Nomina quõ rebus indita 201.f
Nomina qui non recte intelligit, rebus etiam ipsis male utitur 278.p
Noĩa & appellationes cuiusq; disciplinæ exacte scire multũ refert 338.m
Nomina propria quibus immutẽtur, & cur 566.p. 572.m
Nominũ faustorum præfandorum mos. pag. 559.p
Νόμ& cur Græcis dicta 542.f
Nomophylaces ubi, & quod eorum officium 384.f
Nonæ unde appellatæ 605.m
Nonæ caprotinæ, quæ 620.m
Nosse seipsum, quàm difficile 278.p
Nostrum, aut in re expedita, aut in debitoribus esse positum 342.p
Nostra quæ possint dici 442.m
Noti flatus unde 314.m
Noualis uel nouale qd 356.m. 357.p
Nouellare & Nouellata quid 10.f
Nouendiale sacrũ cur institutũ 360.p
Nouensiles uel Nouensides dij apud Liuium qui 10.f
Nouis uocab. q primo usi sint 447.m
Nox pro noctu 377.f
Nox cur terra dicatur nata 394.p
Nox cur νυφρόνη dicta 492.p
Nubere malos Maio cur dictũ 564.f
Nubes quid 430.p
Nuces cur in nuptijs sparsæ fuerint
Nuctetiæ naues 307.f (564.f
Numa quomõ deos instituerit colendos 384.f. aliaq; eius instituta ibid.
Numenius quõ deas offenderit 494.m
Numer⁹ aureus quare sic dictus 547.m
Numero constare quæ dicãtur 606.m
Numero nihil diuinitati propius, quod ab homine agnoscitur 69.m
Numeri orationis q̃ efficaces 272.m
Numeri pro tesseris 295.f
Numeri impares cur dis & sacris attribuantur 565.m
Numeri qui digiti, articuli, & misti uocentur 584.m
Numeri dijs à Pythagora dicati 70.m
De Numerorum proportionib. ibid.f
Numerorum Platonicorum obscuritas. ibid. & pag. 412.p
Numeris Pythagorici deorum nomina indiderunt 244.m. & 250.p
Numeros quomodo Aegyptij exprimant 231.f
Numerandi per digitos ratio explicatur 583.f. & deinceps
Numerosa ratio quæ 448.m
Numismatũ partes auersas antiqui pro temporum & euentuum ratione uariabant 173.m
Nummo nota impressa quid significet. pag. 465.m
Nummum, & legem qua nummus censetur, non esse secundum naturã persæpe 465.f
Nummorũ inuẽtio et cõmoditas 282.p
Nuptiæ per coemptionẽ, quid 366.m
Nurus appellatio quousq; portendatur 368.p. & quid proprie. ibid.

O

Obæratus unde dictus 575.f
Obeliscus Caij Cæsaris 311.f
Obeliscus à Caio Imp. in Vaticano positus 303.m
Oblatio, qualis species exactiõis 16.m
Obliuionis exempla 449.f
Obliuiõi aras antiquitus erectas, eiusq; commoditas 596.m
Obnuntiare quid significet 21.m.f
Oboli quot drachmã constituãt 200.f
Obremex quis 313.p
Obsidianus lapis qualis 493.f
Obsonia quæ ueteribus probata 231.p
Obtemperare imperantibus qui debeant 457.f. 460.f. 461.m
Occasionis lubricitas 176.m
Oceanus circumfluus quid dicatur uetcribus Theologis 427.f
Ochri descriptio 611.f
Ochus Persarum rex quare asinus uocatus Aegyptijs, & quomodo iniuriam ultus 237.p
Ochus rex cur machæra Aegyptijs. pagina 231.f. 232.p
Ociũ qd' apud Athenienses plectebatur, apud Lacones laudi erat 334.f
Otium ignobile cur Virgilius dixerit. pag. 364.m
Ocium ociosum qualis res 651.m
Ocij non minus quàm negotij reddendã rationem 320.f

Ocij qui

Ocij qui damnati fuerint apud Atheni-enses 364.m
Oculus cur ſemper lachrymas habeat paratas 473.p
Oculus in naui, quid 309.p
Oculi uis, & conditio 470.f. 471
Oculorum imbecillitati quomodo oc-curratur 568.f
Oculorum iudicium non minus ſuper-bum quàm aurium 267.m
Oculorũ media cur cornea pupilla ſint feneſtrata 5.m
Oculorum ſenſus præſentiſsimus 61.f
Oculis hebetiores, promptiores eſſe in-genio 84.m
Oculis quatenus fidendum 388.m.f
Oculis ſanguine ſuffuſis omnia uideri rubra 388.m
Odium quorũ ſit acerbiſsimũ 410.m
Odiũ cito deponere, magni eſſe animi. pag. 420.m
Odij duo eſſe ſeminaria, & quæ reme-dia 420.p.
Odor maxime naturã ,pſternit. 29.m
Odorũ ſuauis fragrantiũ utilitas 251.f
Odoratarum rerum utilitas 251.f
Οἰαξ quid 309.f
Oeconomicæ quæ partes præcipuæ. pa gina 459.f
Oeconomicæ quis finis, & quis uſus. pa gina 466.p
Oeſophagus quid 47.m.f & pag. 48.p.m.f. 49.p
Officium quid dicatur 254.p.f
Officium medium, ſolum officij nomine dignum 260.m
Oleæ et oleaſtri materies qualis 303.m
Oleaſtri in foro Megarenſi uetuſtas in-credibilis 303.m
Oleo perlita non exaqueſcere 27.m
Olenia capella in aſtra relata 570.p
Olla quomodo Hercules nauigaſſe di-catur 306.f
Ollæ igniuomæ 312.m
Olympici certatores quàm difficulter admiſsi fuerint ad ludum 552.m
Olympionicarum uictorũ præconia, à quibus promulgabantur 334.m
Omen an in rebus locum habeat 586.f
Omini quomodo occurrendum 559.f
Omina nuptialia quõ olĩ captata 560
Ominibus quantũ olim põderis fuerit, & omina quõ accepta 558.f.559
Ominandi nullã eſſe ſcientiam 588.m & pag. 589.m
Ominatio quid, & an ſit 587.p.m
Ὁμοκάπνοι qui 362.f.458.p
Ὁμώμυ herba 241.m
Ὁμοούσιον quid, & quõ ea uoce Arria-ni Chriſtianos illudebãt 30.m.59.p
Ὁμόϋπνοι qui dicãtur 362.f.458.p
Omphis nomen Oſiridis, & quid ſigni ficet 140.m
Oneraria nauis 306.m.f
Onerariã nauẽ quis excogitarit 301.f
Ὀνομακλήρας 189.m
Onomademi Chij conſilium 333.p
Ὄν & pro monade teſſeræ 296.f
Ὄννξ quid proprie 11.m
Ophiogenum legatũ ſerpentibus impu ne conuixiſſe colluſiſſéq; 478.f
Ope & conſilio, quomodo intelligen-dum 369.m
Opis partus 570.m
Opi cur ſedẽtes ſacrificauerint 391.m
Opes immodicæ poſſeſſorem quomodo lædant 316.p
Opum augendarum ſtudium præpoſte rum 466.p.m
Opibus quõ utendum 419.p
Opinio quid 15.p
Opinionem inueteratã non facile euelli
Ὅπλα nauis 310.m (316.m
Ὅπλα & ὁπλομάχοι qui 361.p
Ὁπλὴ quid 11.m
Oportet, pro decet & par eſt, accipi. pag. 159.f
Oportebit, & præſens & futurum tem pus ſignare 343.p
Optimum quod habeatur 458.f
Optimum quid ſit 190.m
Optimi cognomentum quibus adſcri-ptum 190.m
Optima ſcire antiquius eſt quàm facere pag. 229.p
Opprobrium & opprobrare quid, & unde dicta 363.f.364.p
Opus illuſtrius reddit opifex illuſtris. pag. 460.f
Opus inteſtinum quod 374.m
Opus locatũ uel conductũ, quid 341.f
Opus quorum difficilimum 330.p
Opera Chriſtiana quæ 131.m
Operariæ ueſtes 37.f
Oratio quantum polleat, unde maxime deprendatur 584.f.585.f
Oratio qualis unicuiq; dicendi generi conueniat 448.m
Oratio cur inuenta 447.p. & quàm neceſſaria ſit ei perſpicuitas ibid.
Oratio admirabilis quæ ſit 447.m
Oratio coniunctiua uel diſiunctiua quõ intelligenda 355.m.f
Oratio ubi debeat naſci 492.f
Orationis quanta ſit uis 595.p.m
Orõis ſolutæ quãta ſit libertas 448.m
Oratiõis & rationis conſortiũ ad quid à deo homini traditum 271.p
Orationem quot artes adiuuent 553.f
Orare & exorare quomodo græce di-catur 17.m
Orator quid, eiusq; munera 443.f
Orator & Iureconſultus quare nolint definitione conſtringi 254.m
Oratoris tria munera 270.p
Oratoris quæ partes ſint, & quomodo tractandæ 271.m
Oratoris induſtria quouſq; ſe proue-hat 161.p
Oratori ſuo quid Cic. optarit 443.m
Oratori an liceat uerba innouare. pa-gina 447.m
Oratore cõcionante duo aduertuntur. pag. 594.p
Oratoria quõ in terras deducta 596.p
eiusq; deſcriptio uniuerſalis, ibid.
Oratoriæ uis 553.f
Oratoriæ partes quæ, & quibus rebus comparentur 443.m
Orca quid Perſio 293.f
Orcus fluuius cur ab inferis emergere, & Peneo ſupernatare dicatur 43.p
Ordo quanto pe memoriã iuuet 450.p
Orgia Oſiridis, qualia 238.p
Orionis fabula 3.p
Orionem eſſe Horum 234.f
Orminos aſparagus dicitur 61.m
Ornatus oratiõis in qbus ſitus 447.m
Ornithiæ quando ſpirent 430.m
Ὀρθοέπεια quid Græcis 450.f
Orthoſtadios ueſtis unde dicta 34.m
Orpheo cur Euridice fingatur erepta Oſ, quæ pars corporis ap-pelletur (335.m 49.f.50.p
Oſculana pugna, qualis 298.m
Oſculum quid ſignificet 552.p.555.f
Ὁσία cur ſic dicta 245.m
Oſiris unde dictus 245.m
Oſiris in xiiij. partes diſcerptus, cuius pudendum nuſquã inuentum 233.f
Oſiris qualibus inſidijs à Typhone fue-rit circumuentus 232.m
Oſiris quæ in Aegyptios beneficia con tulerit 232.m
Oſiris quomodo exprimatur 242.f

Osiridis natiuitas et educatio 232.p.m
Osiridis captiuitatis interpretatio mystica 239.m
Osiridis stolæ quales, & cur 250.f
Osiridis multa in Aegypto sepulchra uenerãtur 233.f.234.m.f.238.m
Osir.lata significatio 237.m.f.239.f 210.f. 242.m. 243.m. 245.m
Osiridi unde nomen inditum 641.p
Osirim regem quõ exprimãt Aegyptij 231.f.et qd significet ipsa uox.ibi.
Ossa Homeri, Fama, terræ filia 394.f
Ostentatio ubiq; inuidiosa 416.f
Ostentum quid, unde dictum, & eius genera 359.f.360
Ostentorum expiandorum mos 360.p
Ostomachium quid Ausonio 300.p
Ostreorum cognomina, & quæ eorum sint præstantissima 73.f. 74.p
Otidis natura 401.p
Oua aquæ salsæ innatare 429.f
Oua ὑπωμίαι 322.f
Ouidius quo uitio laborare dictus Senecæ 275.m
Ouidij locꝰ 35.m 64.p 295.f 298.m
Ouis quando masculino genere usurpetur 385.p
Oxiæ naues 307.f
Oxibaphum idem quod lat. acetabulum 66.m
Oxycedros, cedri species 482.f
ὀξυγόνοι uoces quæ Græcis, & quomodo enunciandæ 443.p
Oxyrincho cur tãtus honor iter pisces 233.f
Oxyrinchos piscis colitur Aegyptijs 230.m
Oxyrinchitæ, Aegyptij ibidem
Oxyrinchitarũ cum Cynopolitis prælium 248.f

P

PAcẽ bello parari, qete ali 647.f
Pachon, quis mensium 45.m
Pactum nudum, & uestitũ quod 338.m
Pacta quibus rebus fiant 338.p
Padus quando excrescat 315.p
παιδεία latine humanitas 23.m
Pæon, qualis pes 448.f
Pagus quid & qualis societas 458.p
Palàm, quid 358.m.f
Palamedes tesserarũ inuentor 294.m
Palamedes quàm inique ab Vlysse accusatas, et lapidibus obrutus sit 285.f & pag. 286.p
Palamedem & Pyrrhum ludos excogitasse castrenses 287.m
Palatinus quis Pannonibus 511.p
Palla, uestis mulierum 38.p
Palla unde dicta 37.p
Palladis apud Aegyptios sacrarij paui mento quid inscriptum 237.m
Palladis descriptio 292.p
Pallium cuius gentis proprium 37.p & 365.m. & quid significet Iurisconsultis 365.m
Palmæ fœminæ quantus amor erga marem 438.p
Palmæ natura 607.f
Palmearum trabium natura 402.m
Palmatæ uestes unde dictæ 34.p
Palmitum genera quot 10.m
Paludamentum 39.m
Pamphile, maga celebris 501.p
Pampinarius palmes qui 10.m
Pammyle & Pammyliorum festiuitas. pag. 232.p
Pamylitiorum festiuitas qualis 238.m
Pancratiastes quidam quõ uires consenescentes studuerit tueri 88.p
παννύχις, lunæ epitheton 243.m
Pandectarum locus castigatus 296.f & pag. 297.p.361.m.362.p
Pandulphi Collenutij religio in annotandis ijs quæ legebat 26.p
Pandum & connexum 392.m
Panis bis pistus 311.f
Panis Christi qualis sit 496.p
Panes apud Catonẽ in Rerustica quales fuerint 200.m
Panici tumultus unde originem ducãt. pag 232.f
Pannonij quales cõuentus celebrent. pagina 511.m
Pantheam quantum miratus sit Araspis 331.p
Pantheræ gratitudo erga Philinũ, qui catulos eius in foueam lapsos exemerat 437.m
παντοκράτωρ cur deus uocatus 330.f
παντοπῶλες opus quod 341.f
Papaueratæ uestes unde dictæ sint 34
Papiniani laus in iuris peritia 544.p
Papyrius legum Curiatarum autor. pagina 543.p
πάπλωτον quid significet, & quomodo latinis proferri debeat 58.f
Paragaudes uestes 38.m
Parasangæ decempedes, trientales & dodrantales 311.m
παστὰς ἐβδομάδων 58.f
πάστασις, mercaturæ species 467.m
Parathronos in naui 309.m
Paraxamis quid 311.f
Parcarum mater Necessitas 398.m
πάρεια nauis quid 309.f
Parentes q alendi erãt filijs 344.m.f
Parentes pro omnibus maioribus usurpari 368.p.m
Parentibus quantum debeant liberi. pagina 128.p.m
Parhedri Imperatoris 338.m
Parhelij quõ generentur 435.f
Parietum iuxta materiem qualis sit æstimatio 24.m
παρόδιον in naui quid 309.m
Parones, naues 306.f
Paros nauis 307.m
Parrhasius quomodo inuidiã iudicum tulerit 335.f
παρρησιάζονται qui dicãtur 448.p
Partis appellatio quid significet 352.f
Partes totius quomodo proprie finiantur 459.p
Partitio quid et qualis sit 445.m
Partum non esse partem rei furtiuæ. pagina 353.p
πάρυφοι quid Græcis 34.f
Pascua quæ dicantur in tabulis censoriis 385.p
Passa uua, passum uinum, unde uocata. pag. 403.p.m
Patagium cur sic uocatum 37.p
Patera quæ mali pars 310.p
Paterna præfectura in familia qualis. pag. 468.m
Patientia, qualis & quanta uirtus. pagina 401.m
Patientia ex quibus parentibus nata 404.p. & quos habeat hostes, ibi.
Patientiæ remediũ 400.f. p.401.p
Patientiæ periculum sibi non accersendum 403.p
Patientiæ symbolum apud Aegyptios quale 401.m
Patris nomen quantum comprehendat. pag. 573.m
Patris familiãs ac regis non idem munus 457.m
Patris familiãs experientia & circumspectio qualis esse debeat 467.p.m
Patria cuiuis homini duplex 347.m
Patriæ amor & existimatio 557.p
Patriciæ adoptatus familæ, abijcit nomen obscurius 386.f
πάθος, qualis affectus 446.m
Patronum dici bifariam 368.f
Patronus unde dictus 573.m

Patroni appellatione & patrona intelligitur 368.m
Paulus Conſtabilis 513.m
Paulus Iouius, eiusq; hiſtoria Italica. pag. 101.f. & 109.f
Pauli legum ſcriptoris laus 544.p
Pauli III. Pont.max. uirtutes 216.m
Paulo III.põt.max. gratulatur 162.m
Pauperibus dandum 656.p.m
Pauperies quid 31.f
Paupertatem deã ueterib.cultã 2.f.3.p
Pauſaniam Lacedæmonium quid perdiderit 492.m
πωσίλυπος crater apud Sophoclẽ. pag. 425.m
Payni quis menſis Aegyptijs 45.m
Peculat⁹lex cur primũ,promulgata 16.m
Pecuniã ſellulariorũ opificũ,non ingenuorũ animorũ eſſe præmiũ 330.f
Pecunia quid ſignificet in leg. xij. tab. pag. 376.m
Pecunia unde dicta 361.p
Pecuniæ inuentio & cõmoditas 282.p
Pec.appellatio quæ cõplectatur 341.m
Pecuniæ uſus quõ introductus 165.p
Pecuniarium quæſtum nõ eſſe ex acquiſitione naturali ibidem
Pecuniarij quæſtus uicinitas cum œconomica 466.p
Pecuniarij quæſtus finis finem non habet, & quis eius ſcopus 466.p
πεδάλιον quid 309.f
Pedamentũ quid & Pedatæ uites 10.p
Peierare quid ſit 261.p.m
Pelagias purpuras, & pelagium dici purpureum 36.m
Pellucere ſegetes 378.m
πεμπάζεσθαι quid 244.m
Penes & apud differunt 374.m
Peniæ deſcriptio 612.m
Peniæ cum Poro concubitus 244.f
Petauriſtæ qui 311.p
πνευματικὴ cur dicta ſpiritus ſancti ſe (ſtiuitas 59.p
Penula 38.f
Penula & penulati 311.p
Penus in naui 311.f
Peneus fluuius cur Orci aquas ſibi permiſceri non ferat 43.p
Pep'um,ueſtis qualis 37.f
Peregrino quid in Rep. aliena faciendum 409.p
περιπεφαλαίαι in naui 309 p
Pericles quantus in oratoria 553.f
Pericles perſuadebat ſua oratiõe hominib.nõ uidiſſe ea quæ uiderãt 601.p
Periclis dictum de amicitia 419.m
Periclis fulgura & tonitrua 449.m
Periclymenon,herba quæ,eiusq; natura
Periodus orationis 451.m (390.p
Peripetaſmata quæ dicantur 365.m
περιστόναιον quid 310.p
περιστόναια in naui quid 309.f
Periſtroma, quæ ueſtis 33.f
Periſtromata quæ dicantur 365.m
περίξυρισια 310.p
Permutatio naturæ unde ſumpſerit exordium 464.f. 465.p
Peroratio oratoria 271.f
Peroratio qualis debeat eſſe 445.m
Peroratio ubi ſit prohibita 446.p
Perſæ olim regni ſortem hinniẽti equo commiſerunt 226.p
Perſarum frugalitas 231.p.& quos reges & ſacerdotes eligebant ibid.
Perſarũ myſticæ obſeruationes & philoſophia ibidem
Perſarum reges quomodo tractandi & adorandi olim 326.f.327.p
Perſarum regũ matutina ſalutatio qualis 334.p
Perſarũ rex quõ olim excitatus fuerit, item quõ educatus & inſtitutus 32.f
Perſici maris arbores quales 401.p
Perſea arbor cur Harpocrati ſacra
Perſecutio quid 359.p (333.m
Perſequi rem ſuã qs uideatur 372.p.m
Perſpicuitas in oratione uirtus præci-
Perſpicuitas oratio- (pua 272.p
ni quàm neceſſaria 447.p
Perſpicuitas unde ſit 447.m
Perſuaſionis mater inſcitia 410.m
Pertinacis Imp.canon frumentarius eo mortuo relictus 200.p
Pertinaciæ quando locus 651.p
Pertiſculo remigibus ſignum dabatur olim 306.p
Perticæ in nauibus 311.m
Pes excedens tres ſyllabas,pes an numerus dicatur,dubitat Cicero 207.m
Pedis ſuppoſitio ĩ agẽdis cauſis 452.m
Pedum ratio in oratione difficilior q̃ in uerſu,& qualis eorũ uſus ſit 448.f
Pedes tres ſyllabas excedẽtes,numeros uerius exiſtimandos q̃ pedes 448.f
Pedum uſus diuerſus autoribus in oratione 449.p
πέσσοι & peſſuli quid,& unde ſic uocitati 297.f
Peſtis remediũ ſuperſtitioſum 499.m
Peſtis tẽpore qualiter aga- (585.p
tur Ferrariæ 138.p.m
Peſtilenti cõtagioni quomodo ſuccurrendum 251.m
Petri Nicolai Caſtellani liber De animarum immortalitate 185.m
Petrus Alcyonius 104.f
Petrus Mantuanus,philoſophus 185.f
Petri Bembi præconia 73.m
Pexæ ueſtes,& pexati 38.m
Phædrus fluuius exiccatus 233.m
φαινόμενα Aſtronomorum 393.f
φαινοπροσωπεῖν quid 621.p
Phagrus piſcis Aegyptijs ſacerdotibus cur non tangatur 230
Phagro cur tantus honor inter piſces
Phalaricæ inſtructio 312.m (233.f
Phalcis in naue 309.p
Phalerus Athenienſium portus 315.f
Phalli conſecratio & feſtum 233.f
Phalli & Phallica feſta 238.m
Phamenoth menſis quis 45.m
Phaothi,menſis quis 45.p.m
Phari quid,& quomodo nauigantibus explorandæ 315.m
Pharus qualis in portu Alexãdriæ.ibi.
Pharus nunc Aegypto cõiuncta 239.f
Pharmuthi menſis 45.m
φάρυγξ quõ conuertatur à Theodoro
Phaſelli,naues 307.m (48.m.f
Phaſes lunæ quid 604.f
Phaſidis fluuij deſcriptio 292.p
Phaſmata quæ 427.m
φάσματα τῶν ἀστρων quid 359.f
Phidias pictor quõ Di- (360.m
ſcobulum expreſſerit 169.p
De Phidiæ pictura dictum 449.m
Philargyriæ deſcriptio 611.f
Φιλαυτία quantũ malum 27.p 327
Philemonis uota quæ 424.m
Philippides ἡμεροδρομίας uictoriam nunciãs interit ſubito 424.p
Philippus Macedo quõ Alexandrum ſilium curarit inſtituendum 161.p
Philippus Macedo quõ regibus duob. inter ſe diſſidentibus arbiter electus, utrunq; regno expulerit 413.p
Philippus Macedo quomodo ſalutari mane uoluerit 649.f
Philippi Macedonis modeſtia 334.p
L.Philippi dictum 72.f
Philonis architecti armamẽtariũ 315.f
Philoſophia quid 23.f
Philoſophia quatenus exercenda. pagina 125.m.128.m
Philoſ.nihil maius aut melius 271.p

Philosophia prima quid doceat 555.m
Philosophia quid Platoni, & eius utilitas 337.p
Philosophia, deorũ munus, & eius maiestas 555. pquotuplexq; sit 555.m
Philosophia cum dicitur, quæ eius pars intelligatur 555.m
Philosophiæ præstantia 128.m
Philosophiæ moralis præstantia. ibid.
Philosophiæ definitio 553.m
Philosophiæ munera quæ 318.f
Philosophiæ quæ pars semper exercenda 542.m
Philosophandum esse, & quõ 318.f
Philosophus absolutus quis 337.p
Philosophus cur nõ adeat magistratũ
Philosophum nec barba (545.f
nec pallium facit 229.f
Philosophi ueri qualis aiũs sit 545.p
Philosophorũ genus quale 637.m
Philosophorum tria genera 546.m
Philosophorũ statuæ quali habitu, & cur tali fuerint positæ 42.f.43.p
Philosophos nõ esse cogendos ad rempublicam capessendam 256.f
Phõs quid imprimis deceat 453.f
Philostrati pulcher locus latine redditus 292.p
Philotas quõ insons accusatus, tortus & occisus sit 286.m
Philotimiæ descriptio 611.f
Phobi descriptio 611.f
Phocionis uis in dicendo 443.p
Phocus Samius astrologiam nauticam descripsit 315.p
Phonascus quis dicatur 450.f
Phoni descriptio 611.f
Phormio coram Hannibale de re militari argumentans quid assecutus sit. pag. 574.f.575.p
φορτηγία, species mercaturæ 467.m
φόρτις, φορτηγικὸν & φορτικὸν nauigium 306.f
Phoson uestis qualis 37.f
Phraates aureis talis ludibrij causa donat Demetrium 292.f
Phrasis in quibus spectetur 447.p
Phrasim quomodo tibi & unde pares. pag. 446.f.447.p
Phrenetici quàm horreant remedia. pagina 335.p
φρόνησις unde dicta 245.m
Phroneseos pictura 491.p.f
Phrontis Agamemnonis gubernator. pag. 314.p
Phrygiæ uestis qui inuentores 34.p
Phrygiones unde dicti ibidem
Phrynim citharæ duas chordas ultra septem adiecisse 330.p
Phryxum ariete transfretasse, quid sibi uelit 306.m
φθίνουσ μὼν quæ dicatur portio
φθεὶρ quid 309.f (605.f
Phthoniæ descriptio 612.p
Phylacterium Isidis 247.m
Physcius Locrensis quale oraculum acceperit 569.p
Picis conficiendæ ratio 304.f
Pictæ uestæ quales 34.p
Pictores præstantissimos quatuor tantum coloribus immortalia opera expressisse 11.f
Pictores prisci quatuor coloribus contenti 73.m
Pietatis templum Romæ dicatũ 379.m
Pilam Iouis lusum fuisse 292.m
πίνακες χαλκοὶ 333.p
Pinastri materies & usus 306.m
Pindarus quam gratiam suis laudatoribus retulerit 190.p
Pindarũ integrã odam scripsisse ἄσιγμον 224.f
Pinna quid in naui 309.f
Pinnæ & pinnotheris societas 437.f
Pinus qualẽ præbeat materiem 302.f & pag. 306.m
Piratæ qui dicantur 210.m
Piratæ cur nõ seruandam fidem 261.p
Piratæ cur hũani generis hostes uocati
Piraticæ naues 307.p (420.f
Pircus Athenienſium olim uicus, postea nauale ibi factũ à Themistocle.
Pisces qui optimi 72.p (315.f
Pisces esse alsiosos 313.f
Piscibus quibus uescebantur Aegyptij
Piscibus quare Aegyptij (230.m
sacerdotes abstineant 230.m
Piscibus quõ illecebræ parentur. 313.f
Piscariæ quæ dicantur 348.m
Piscatoria munia & instrumenta quomodo uocentur 313.f
Pisistratus quõ liberis suis reconciliatus seditionẽ restinxerit 411.m
Piso quõ se tutat⁹ aduersus Cic. 363.m
Pisonis de studio literarũ sententia 2.p
Pistis quomodo picta 491.p
Pistris nauis quare sic appellata 306.m
Pitho, & eius templum 443.m
Pitholaus Veneris suadelæ antistes. pagina 596.p
Plagæ in naui 310.m
Plagas retento spiritu exceptas minus lædere 402.m
Plancæ nauium 305.f
Plantariorum apud ueteres æstimatio
πλαλλασμὸς quid 451.p (356.f
Plato ueritatis philosophus 260.f
Plato cur Reip. administrationem attingere noluerit 257.p
Plato quid in uita egerit 322.p.m
Platonis habitus qualis 42.f
Platõis in differẽdo amœnitas et uirtus
Platonis heroica amplitudo in oratione (185.m 273.p
Platonẽ pro loco ex eadem fidelia duos inalbare parietes 579.m
Plauti locus 34.f. 37.m.61.p & pag. 293.f.340.p
Plautini sales 258.f
Plebiscitorum origo unde 543.f
Plinius quõ autores perlegerit 26.p
Plinius Aristotelis quatenus potest, imitator est 50.m
Plinius q̃ diuersa dicat de lunæ cursu. pag. 608.f
Plinij locus explicatur, aut emendatur 4.p.34.f.38.f.53.p.61.f.170.f 562.m.570.f.571.m.574.m
Plinij mos in describendis fabulosis rebus 22.m
Plinij ingenium & dexteritas 320.p
Plinij iudiciũ de Cic. scriptis 263.m.f
C. Plinij historia naturæ, & eius laudes in scribendo 273.f
Plinij historia nat. quid tradat 555.m
Plinium suos libros non distinxisse in capita 48.p.53.p
Pliniomastiges refelluntur 52.p.m
Plinius quàm adhuc corruptus 274.p
πλίνθιον quid 296.p.297.f
πλώϊμοι naues 312.f
Ploteres qui 313.p
Plumatiles uel plũariæ uestes quæ 34.p
Plumbabulum piscatoris 313.f
Plures, quot comprendat 358.f
Plutarchi locus emendatus 568.m
Plutonis oraculum in Canopo 236.p
Plutonis colossus in Sinope ibidem
Plutonẽ & Serapin esse eundem. ibid.
Plutus cur oculis captus fingatur. pagina 110.m
Pluuia unde constet 427.f.428.p
πολύγυος, uestis 37.f
πολυβρόαβυ quid Demostheni 205.p
ποιεῖν & πράττειν differre 349.f

πόνησις & πρᾶξις quomõ differant. pag. 460.m
Poetarum cõmenta nugacia 234.p
Poetarum enthusiasmus 555.p
Poetas cur é Rep. sua Plato expulerit. pag. 476.f
Poetice in quo disciplinarum censu sit collocanda 555.p
Pœna æris grauis unde dicta 354.p
Pogonia quid 427.m
Polemi descriptio 612.p
Polij mirabilis natura & eius ratio. pagina 22.m
Polo histrioni quid acciderit 505.m
Polo terram subiectam esse habitabilem & fertilem 394.p
πολύχιον Memphim uocari 234.m
Polycletus quasnam expresserit imagines 209.m
Polycleti canon quis fuerit 275.m
Polycleti statuarij Doryphorus 202.f
Polycleti opus insigne 287.f (203
Polycratis Samij felicitas 580.f
Polymita quid 311.p
Polymita unde dicta sint 365.m
Polyphagiæ descriptio 612.m
Polypi ingenium 402.p.636.f
Polytele, nauis 307.p
Pomorum onera statim à iumentis sentiri, & nisi prius ostendantur, eis elicere sudorem 29.f. 30.p
Pompeius Magnus quomodo territus omine 560.p
Pompeius quẽ sibi imitandum proposuerit 331.f
Pompili uelificatio in mari 302.m
Pontifex Ro. quo die rosæ aureæ munere ornet aliquem amicum 538.f
Pontificibus cur immutentur nomina. pag. 566.p.572.m
Pontificiæ dignitatis imaginem tantũ superfuisse ante Iuliũ secundũ 526.f
Pontones, naues 307.f
Poppæ qui dicantur 565.p
Populi amorem quibus rebus princeps maxime alliciat in se 517.m
Populo Romano interdictum ne conueniret nisi Ianiculo custodia obfirmato 43.f
Popularis causa ad quem pertineat 345.m
Pori cũ Penia cõcubitus interpretatio
Porricere exta 378.m (244.f
Portentum unde dictum 359.f
Porthmia & porthmides naues 307.f
Portij Latrõis studiũ liter. quale 26.p
Portus pro uectigali portus 348.m
Portus unde dictus 373.p. & qd ibid.
Portuum duo genera 315.p
Portitores qui, & unde dicti 347.f
Portorium quid 308.p (373.p
Possessor incertus quis dicatur 361.f
Possessorum tria genera ibidem
Possessio cuius sit 352.m
Possessionum nostrarum duplex usus.
Posteritas describitur, & (464.f
quõ ei litandum sit 598.f
Posteritatem omnium rerum literis deberi 64.f
Postliminio reuersus quid iuris habeat
Postuerta dea 8.m (341.m
Potestates superiorum quõ terreantur
Potitij quomodo ab epulis Herculis excluſi (563.p
564.p
Præclauum, uestis 39.m
Prædatores urbani qui & quales. ibid.
Prædones qui sint 210.m
Prænestini coloni quõ iure municipali à Tiberio donati 349.p
Prænotio dei quid efficiat 397.p.m
Præpositionũ uis in cõpositiõe frãgitur
Præsligiorum uarios esse (40.f
modos 498.m.f
Prætexta, & Prætextati pueri siquid peccassent, quõ multabantur 39.f
Prætextatos olim anguillarum tergoribus esse uerberatos 378.f
Prætoris edictum quale fuerit 344.m
Prætorũ edicta quãdo cœperint 543.f
Prætoria nauis 307.m
πρόλησις quid 349.f
Pratũ quid & unde dictum 357.f
Pratorum necessitas & usus ibidem
Pratorum genera duo ibidem
& quomodo colenda 358.p
Prata seneſcere, et quõ restituẽda 358.p
πρόληξις quid 14.p.349.f
Precationum quanta sit uis 585.m
τὸ πρὸς πον in oratione quomodo seruandum 451.f
Prester quid 433.f
προεπισκοπὸι quid 297.f
Pridie uel tertio nonas, qualis locutio. pag. 605.p
Princeps, anima reipublicæ 60.p
Principis & tyrãni discrimen 647.m
Principi quæ necessaria in populi administratione 517.p
Principes publicanorum apud Pedianum qui 7.f
Principes qui maxime ad diuinitatem accedant 523.p
Principes quid imprimis deceat 537.p
Principia rerũ quæ sint 241.f. 242.p
Principia rerũ non esse in corporibus inanimatis statuenda 240.f
Priuata nulla esse é natura 257.p
Priuata seruari non posse, nisi publicis prius fuerit consultum 411.f
Priuationis conditio 624.m
Proastiæ situs & captiuitas 518.p
προβλήματα cur rerũ abditarũ per quisitiões uocarint philosophi 28.m.f
Probus quis existimandus 189.p
Probitatis quanta uis 422.m
Probrũ duplex, et qd sit 363.f. 364.p
Proceleusmaticus pes ũde ortus 313.m
Procidua poma quæ dicantur 357.m
Proconsul & pro consule dici 40.f
πρόκωπον 313.p
Procorũ Penelopes ludus qualis 299.f
Procurare fulmina 378.m
Procurare, uerbum pontificium 386.p
προκύπτουτος fabula 400.m
Prodromæ, naues 307.f
πρόδρομοι qui Græcis 44.f
Prodromi uenti quando flent 314.f & pag. 430.m
Proembolis in naui quid 309.p
Profectus indicia quæ 327.f. 328. 329
Profectum qui bene sperat, assequitur.
Profectus maximus unde (329.p
posit haberi ibidem
Proloquium quid 366.p
Prolytæ qui apud Iurisperitos 38.m
Prometheï sapiẽtia et prudẽtia 229.m
Prometheum ueneficium 501.p
Pronœæ fabula Stoicorum 479.p
Pronunciationis & actionis differentia 450.m
Pronũciationis rectæ quãta uis 450.m
Pronũciatione uitiosa q laborauerint et adhuc hodie laborẽt 442.f 443.p
Pronunciatum & statutum, idem Iure consultis 365.f
Pronunciatum quid dialecticis 366.p
Propagandi desiderium quomõ omnibus rebus insitum 362.m
προφυλακτικὴ, quæ medicinæ pars. pag. 455.f
Propria uerba, quæ dicãtur 272.p
Proprietas ad quem spectet 352.m
Proportiones numerorum inter se quæ sint 70.f. 71.p.m.f
Proreta, prorarius qui 313.p
Prorsam orationem & non prosam dicendum

cendum: item quæ ea sit 8.m
προσκυνεῖν quid 326.f
Proserpina quæ mystice 239.f
Proserpinæ peplum muribus contexi consuetum fuisse 34.f
προσονομασίαι 64.m
Prosopis herba qualis 619.m
Prospicere, de deo non proprie dici. pagina 397.m
Prosumiæ naues 307.m.308.p
Protagoram οὐδὲν διδαχθῆναι fuisse. pagina 477.m
Protagoræ facultas in dicendo 184.m
Protogenis æstimatio quō ab Apelle illustrata fuerit 417.p
προστόνοι, quid 310.f
Prouentus publici ex quibus rebus colligantur 347.f
Prudentis artificis conditio 212.p
Prudētis ab adulatore discrimē 402.p
Prudentum responsa unde introducta
Prudentia quid 260.f (543.f
& quod eius officiū. ibid. & 263.f
Prudentia qualis uirtus, & cur Socrates eius noīe oēs cōprēderit 258.m
Prudentia circa quæ uersetur 263.f
& 264.p.m. & ubi eius sedes. ibi.
Prudentia quomodo inter cæteras uirtutes emineat 444.f
Prudentiæ & scientiæ discrimen quod pag. 264 per totam
Prudentiæ pictura 491.p.f
Prudētiæ munus propriū quod 277.f
Pruina unde fiat 427.p.428.p
Prusias Bithyniæ rex quō populū Ro. agnouerit suum patronū 368.f
Prymnesium quid 310.f
Ψύφοι & Ψυθισμὰ quid 297.f
Pseudi descriptio 611.f
Psyches descriptio 610.f.611
Psychomantia 498.m
Ψυχοβόφοι pisces 313.f
Ψύλλα cur pulex dictus græcis 405.f
πλεραὶ & πλεύγιον nauis qd 309.f
Ptolemæus Lagi, salutādi formulas inuertit 424.f
Ptolemæus Soter quō Plutonis colossum inuestigauerit 236.p
Ptolemæi Mauritaniæ regis mensa celebris 483.m
πλώματα, id est lapsus 295.m
Ptychis in naui quid 309.p
Pubes iuuenū quare nigrescat 237.f
Publicum pro carcere 367.m
Publica esse duplicia 348.p
Publica bona quæ dici queant. pagina 347.p.m.f.348.p
Publicari quæ dicantur ibidem
Publicani qui dicantur 347.f
Publicanorū nomen inuisum, sed Reip. necessarium ibidem
Pudore quid liberet ingenuum animum 331.p
Pueris præsagiendi uim inesse 233.p
Pueritia quomodo ad literas alliciēda instituendaq; 160.m.f.161.p totū
Pulchritudo quid 267.m
Pulchritudinis flos 268.m
Pulchritudinem corporis & animi nō æque pensitari 461.f
Pulegium coronis esse accōmodum, & non carnarijs 14.f
Pulicis encomium 405.p.& inde
Pumiliōes quib. notis cognoscātur 13.p
Punctorū præscribendorū mos 371.m
Punctorū oratiōis rō & noīa 451.m
Pupilla cur potius ex aqua quàm ex aere facta 472.f
Pura hasta 34.m
Pura toga, quæ uestis 34.m
Purpuræ descriptio, et ubi habeat florē illū uestibus tincturæ expetitū 36.p
Purpuræ uiolaceæ, rubræ, tarentinæ, et dibaphæ tyriæ usus quando cœperit 36.p
Purpureæ & conchyliatæ uestes quomodo differant inter se 36.p
Purpureus sanguis cur Homero dictus
Purpurarij piscatores 313.f (35.m
Pyanepsion mensis, quis 247.f
πυλαόχος quis 238.p
Pyrguchi quid in naui 310.p
Pyrgus apud Horatium quid 293.f
Pyrites, lapis quis 313.f
Pyroboli 312.m
Pyrrhonis in tempestate maris σθένος 337.m
Pyrrhus Epirotarum rex quō splenetici dextri pedis pressura curarit
Pyrrhus Epirota quid à dis (7.m rogauerit 424.f
Pyrrhi pollicis usus in remedijs 588.m
Pyr. regis gēma natiua qualis 582.p
Pyrrhum Epirotarum regem, primū omnium tradidisse disciplinā militarem in tabula per calculos 298.m
Pyrrhica saltatio à quo inuēta 571.m
Pyrrichi ryparographi dicti picturæ sordidæ 209.m.212.p. 448.p
Pyrrhicus pictor unde ῥυπαρογράφος dictus 262.m.404.f
Pythagoras quomō numeros diuinitati consecrarit 70.m. eiusq; iuramentum ibidem
Pythagoras harmoniæ rationem quomodo deprehenderit 71.f
Pythagoras musicis modulis furiosum adolescentem pacauit 330.m
Pythagoræ cur aureū fœmur tribuatur
Pythagoræ præceptor, Oc- (42.f nupheus 231.m. & studiū eius. ibi.
Pythagorici numeris & figuris indidere nomina deorum 244.m.250.p
Pythagorici quibus dijs quas figuras attribuant 236.f
Pythagoricorum confirmatio 15.f
Pythagoræorum obseruatio omnium. pag. 559.p.561.p.m
Pythagoricos chromaticæ musicæ usum iterdixisse ppetuo edicto 330.m
πυθανάγκη quæ 284.m
Pyxideculæ nauticæ inuentum 312.p

Q (390.p

QVadrantal quid & quantū contineat 201.p
Quadrantalia unde dicta 295.p
Quadrantalis amphora ibidem
Quadratilla quibus exercitationib. animum leuarit 299.m
Quadrupedes uino assuefactæ cur unguibus careant 28.m
Quadriremi quis primo usus 301.f
Quæ tua sapientia, quæ tua humanitas, quanti te facio, orōes figuratæ 25.p
Quæstoria nauis 307.m
Quæstus faciendi ars duplex 463 & pag. 464.466.f
Qualitatis prædicamētū quale 454.m
Quāti se quisq; facere possit, et debeat
Quarta luna nati, qui exi- (267.p stimentur 334.f
Quartanæ febris conditio 143
Quaterniōis nūeri significatio 250.p
Quinarius numerus, &
Quinari 244.m
Quincunx ordo qualis 447.m
Quinquiremem quis inuenerit 301.f
Quintiliani locus castigatus 452.p
Quintiorum familiæ fœminas auro abstinuisse 580.f
Quis tam marē q̄ fœminā notat 338.f
Quisq; de mare & fœmina dici uetetibus ibidem
Quod felix, faustū, fortunatūq; sit, cur in aggrediēdis actiōib. præfatū 423.m

R

ℓ quomodo literæ & ius sibi usurparit. pag. 219.f
C. Rabirius quõ accusatus & quomodo liberatus fuerit 43.m
Rachel quid in sacris literis significet.
Radix cyclamini, quale amu- (14.p
letum 498.p
Radulana quid sit 305.p
Ramus aureus Vergilij quid significet. pag. 328.m
Rapere quid Iurisperitis signif. 343.f
Raptor proprie quis ibidem
Raphael Vrbinas insignis pictor & architectus 101.m
Raphael quam orbis regionẽ obtineat. pag. 14.p
Raphael unde dictus 31.p
Rasæ uestes 38.m
Rates & ratiarij qui 305.m
Rates qui primus inuenerit 301.f
Ratiariæ naues 307.f
Ratio rerũ non semp reddi potest 15.f
Ratio & forma quorundam nihil discrepant 32.p.m
Rationis & orationis consortiũ cur hominibus tributum à deo 271.p
Raudus cur æs dictum 575.f
Rebecca quid Theologis signif. 14.p
Recipere, quid Iureconsultis 28.m
Receptitius seruus & receptitia bona.
Reconciliationem obliuio- (ibid.
nis esse filiam 596.f
Recta tunica qualis undeq; dicta 34.m
Recuperatorium iudiciũ quale, & quo modo introductum 31.f
Recuperatores qui ibidem
Refert, unde compositum 6.m
Refractio quid 472.m
Refugimus aliquid tribus de causis. pagina 259.p.m
Regem quõ Aegyptij exprimãt 231.f
Regem natura alijs præcellere, genere autem esse parem 468.f
Reges dijs curæ esse 414.p
Reges Aegyptiorum mediocriter admodum bibisse 230.p
Reges quid maxime deceat 537.p
Regum imperium quale sit 458.m
Regũ priscorũ studia & gloriæ 155.f
Regilla uestis 37.m
Regillianus cur ad imperium accitus. pag. 565.f.566.p
Relationis prædicamentum quale. pagina 454.p
Religio quo auctior, co superstitioni uicinior 318.p
Remigandi ars unde desumpta 302.m
Remorum latitudinis qui inuentores
Remulco trahere quid, & (311.m
unde deductum 307.f
Renunciare possessioni quid 359.m
Repetundarum lex qua de causa primum lata 16.m
Replicationes quid sint, earumq; usus. pag. 343.m
Res quomodo inuentæ, & his uocabula quomodo addita 201.f
Res abesse quæ dicãtur 245.f.246.p
Rei appellatio quæ contineat 341.m & pag. 351.m
Rem amisisse quis dicatur 346.f
Rem nullam carere sua causa 337.p
Rerum incomprehensibilitatẽ unde conatus sit Arcesilas probare 498.f
Rerum principia non statuẽda in corporibus inanimatis 240.f
Rerum principia quæ sint, uariæ opiniones 241.f.242.p
Rerũ salus & uniuersum in quibus sita. pag. 563.f
Reipub. prouentus ex quibus rebus colligantur 347.f
Resecem malleolũ quẽ uocet Columella
Resinæ odoris uis 251.m (10.m
ῥύσις & ῥῆτυς unde dicta 446.f
Restituere quis intelligatur 359.p & quale uerbum sit ibidem
Restituere & restitutio quid 351.p
Restitui natalibus & ingenuitati. ibid.
Restitui quæ dicantur 577.p
Resurrectionis dies quando celebranda
Retinacula nauiũ 310.f (549.m
ῥῆτραι Lycurgi leges fuisse appella- Reus unde dictus 351.f (tas 616.p
Rheæ cum diuersis dis concubitus mysterium 232.p
Rheæ partus custodes qui 569.f
Rheginẽses disidiũ perdidisse 413.p
Rheno quid 311.p
Rhenones, uestes 38.m
Rhetoricæ partes quibus rebus assimilentur 443.m
Rhinocyra unde dicta 12.p
Rhinoteria quid 309.p
Rhinton cuiusmodi egerit fab. 451.p
Rhiza uestis 37.f
Rhodigina insula Estensi familiæ restituta opera Gallorum 533.m
Rhodij quomodo ab Artemisia, cuius regnum conabantur occupare, sint trucidati 21.p
Rhodiorũ Apollo quot formas induerit
Rhythmi orationũ 448.m (652.f
Rica & ricula quid 36.f
Ricardus Crocus 156.p
Ricardus Pacæus 155.m
Ridica quid 10.p
Risum pro deo ueteribus cultum 2.f
Riza quid in naui 309.f
Robertus Strozza 506.p
Roboris materies qualis 303.p
Rogo, uerbum ab amicitia submouendum 89.m
Roma cunctarũ gentiũ patria 347.m
Romæ appellatio quatenus se protendat 339.p
Romæ uberiorem ingeniorum prouentum & studiorum frugem esse quàm usquam 101.p
Romani cos qui exotica unguenta nundinabantur, urbe eiecerunt 263.m
Romani ubi habuerint sua naualia & classes pro tutela imperij 315.m
Romani Imperij & magnitudinis incrementi quæ causa fuerit, item quæ dissolutionis 413.m
Romani sibi ueram pronunciationem uendicant 442.f
Romani quõ primũ nauigationem didicerint 302.m
Romanorum ingenia qualia 287.f
Ro. opes ũde intantũ auctæ fuerit 16.m & ex quibus rebus reditus suos habuerint ibidem
Romulus in trabea usus purpura 36.p
Romulus quomodo aruorum sacerdotes instituerit 384.f
Ros unde generetur 427.f.428.p
Rosa Iunonis, lilij species 24.f
Rosæ ardentes apud Ouidium 35.m
Roscæ uestes ibidem
Roscius quales egerit fabulas 451.p
Rostratã coronãq; olim assequebatur
Rubor, color uirtutis, & cui (312
ætati conueniat 331.p
Rubricæ uis contra ignem 305.p
Rulla uestis 37.f
Ruso deus 8.f
Rustica officia dum fiũtur, quæ sunt. pag. 320.f
Rusticæ tribus in quibus urbis partib. habitarint 385.m
Ruta cæsa recipere, quid 28.p
Rutilij honestus animus 279.f

S

Σ. non habere locum in primis uerborum positionibus 227.p
Sacerdotũ diræ aduersam superbos. pagina 562.f.563
Sacerdotes, & duo corũ genera 378.f & pag. 379.p
Sacerdotia gentilitia unde orta 543.p
Sacra anchora 311.p
Sacra linea 298.p
Sacra gentilitia magnis constitisse sumptibus 352.p
Sacram doctrinã in numerorum & nominũ traditionem esse diuisam 31.m
Sacræ uoces quõ in abusum deductæ sint
Sacramẽta quæ dicãtur 563.m (30.m
Sacrosanctum quid 387.p
Sagitta quid 10.m
Sagum 39.m
Saisis 233.p
Salaria unde dicta sint 348.m
Salẽ cur Isiaci à cibis reiecerint 230.p
Salem in mensam afferre cur interdictum Aegyptijs 237.m
Salinarum uectigalia quis primus instituerit 16.m.347.f
Saliuæ hominis quanta uis insit 7.m
Salmoneus se deum coli uoluit 326.m
Saluatorẽ et saluare nõ dici latine 25.p
Saluius, Staterius & Valerius cur dicti primi censores 11.f
Salutandi uerba in initijs epistolarum quæ apud Græcos 423.f
Salutis augurium 568.p
Salutis augurium quomodo Romanis celebratum 425.p
Sambucus ubi optime prouenire, et cur dicatur 29.f
Samiorum omen quale 561.p
Samnitum hastæ 185.f
Sanctiones quõ sacrandæ 387.p
Sanguis terræ & Gygantum, uinum appellatur 12.m.f
Sanitas quomodo seruatur et quomodo amittitur 411.m
Sanitas quid 425.f
Sanitatis symbolũ Pythagoræ 424.m
Sapienti quid indecorum 184.f
Sapientia quid 260.m.f. 454.p
Sapinus quid 303.p
Sarabarra, uestes Parthorum 38.m
Saragis uestis 37.f
σκελοσοφόροι 300.p
Sarmentum quid 10.m
Sartum tectum quid dicatur 40.p
Satietatis & inscitiæ cõtentio 410.m
Satisaccipere quis dicatur 372.p
Satisdare cuius sit 372.p
Satisdatio quid complectatur 373.f
Saturni cum Rhea cõcubitus mysteriũ
Saturni lachryma, mare (232.p
dicitur Pythagoræis 237.m
Scalæ funariæ 311.p
Scalmus quæ nauis pars 309.m
Scaphæ exploratoriæ quomõ instruebantur 307.f
Scaphos & scapha 307.p
Scaporum ludus unde dictus, & qualis sit 298.f
Scarabæus sacer Aegyptijs 13.m
Scarabæorũ genus carere fœmĩa 249.m
σκαφηφάγος quãdo cœperit dici Hippocrates 630.m
Sceleraspices qui 622.f
Scena nauis 309.f
Sceptrũ regis quale fuerit Aegyptijs, & quid significarit 537.m
Q. Sceuola quomodo notatus 24.m
χεδία & schedicum quid 305.m
χοινίκι quid 310.f
χοιροβοσκοί qui 311.p
σκιαμαχία qualis exercitatio 325.f
Sciens & prudens quid differant. pagina 264. per totum
Scientia ex quibus pendeat 263.f & circa quæ uersetur 264.p
Scientia sine iustitia quid 648.m
Scientiam uniuersalibus præditam esse
Scientiarum cõnexio, & (264.f
gradus honorum quales 453.m.f
σκιοκρατούμενοι 326.m
Sciomantia 498.m
Sciomantia cur instituta 326.p
Sciographia pictorum ibidem
Sciothericis unde nomen 325.f
Scioterica horologia 389.f
Scipio Afric. cur Ro. tribus mulctarit cum esset creatus magistratus 538.f
Scipionis classis quàm subitò parata. pag. 304.p
Scipio Nasica, uir optim. dictus 190.m
Scipionis Nasicæ dictum 332.f
P. Scipio in uincula coniectus à Curiato 383.m
Scire unde sit 361.f
Scirpus quid, & ad qd utilis 44.p.m
Scirpare quid significet ibidem
Scirpiculæ falces ibidem
Scisima, fagi species, & cur reprobetur 411.p
Scordotis usus ad amuletum 498.p
Scortea penula 38.f
Scribentib. libros qd obseruandũ 27.p
Scriptores præcoces dãnantur 334.m
Scriptores graues quõ ludicris argumentis aliquando luserint, & quas quiq; hypotheses tractarint 87.f
Scriptorum ferè omnium (88.p
mos qualis 266.m
Scriptuarij qui dicantur 347.f
Scrupus quid 44.p
Scrupea cœna et scrupea meretrix. ibi.
Scrupulus seu scriptulus 201.p
Scutulata uestis qualis 34.m
Scutulæ quid ibidem
Scyllæ nauis unde ea appellatio 306.m
Scytale Laconica 443.p
Scythæ quur pulicis gracilitatem imitentur 408.p
Seculæ quid & unde nominatæ 358.m
Segetes lætas quid faciat 590.m
Segmentatæ uestes 39.m
Seipsum nosse, q̃ insignis uirtus 334.f
Seipsum intemperanter laudare, quàm turpe 334.m
Seleucidarum anchora 311.p
Sellularij uel Sedẽtarij in naui q 309.f
Selma nauis quid 309.f
Semen propinqui & cõsanguinei excitare recusanti quæ pœna apud Hebræos 364.p
Semisses quid, & homo semisis 74.m
Semiuocalium literarũ honor 219.p
Semiramis stolæ inuentrix 38.p
Senarij numeri apud ueteres obseruatio 200.f
Senator q̃s, quotq; ei⁹ præcepta 384.m
Senatoris laus unde pendeat ibid.
Senatori quæ necessaria cognitu. ibid.
Seneca qd in Ouidio criminatus fuerit
Senibus Venus offensa & (275.m
inconueniens 565.p.567.p
Sensilia cõmunia quæ uocẽtur 470.m
Sensoria quid, eorumq; descriptio. pagina 470.f. 471.p
Sẽsus uis quo collectior eo ualẽtior 5.m
Sensus uerba quomodo apud Græcos construantur 46.p
Sensus accidentia quàm uaria 469.f & pag. 470.p
Sẽsus quõ ad animã perueniãt 470.p
Sensus nostros facilime deludi 498.f
Sensus quib. elemẽtis cõparẽtur 470.f
Sensuũ præcipui qui. ibid. (471.p
& quis eorum usus ibidem

Sentẽtias antiquorũ & oratores et philosophos pro occasione probare & reprobare 578.f
Sententiarũ quæ chriæ dicuntur, qualis usus 447.f. & qui in his nimij fuer
Sepiæ astutia 636.f (rint. ibid.
Septenarij numeri nota apud Aegyptios Minerua 231.f
Sepulchrũ quando incipiat dici 380.m
Sepulchris qualis terra cõueniat 381.p
Sepulturæ genus antiquiss. qd' 380.m
Sequester quis Laberio 282.m
Sequi & duci quid iurisperitis 366.f
Serapis unde dictus 236.m (367.p & quot eius noĩa quidq; signif. ibi.
Serapidis oraculũ, qs esset deus 392.p
Serapin esse Plutonem 236.p
σόρευμ quid significet 236.m
Seriphij opĩo de Themistocle 557.m
Sermo cur homini dat⁹ 458.f.459 p
Seruij interpretatio reijcitur 438.m
Seruilij Vaciæ uita solitaria 404.m
Seruus quis dicatur 25.p
Seruus quis sit 460.m.462.p.m.f
Seruus aliquis an sit ex præscripto naturæ 460.f
Seruus instrumentum nobilissimum. pagina 349.f.460.p
Serui appellatione etiam famulam complecti 362.p
Serui fidele officium erga Paulum prætorium herum suum 582.f.583.p
Seruum unum uel duos non constituere familiam 362.f
Seruis quas artes non licuerit discere.
Seruis in libertatẽ uendica (553.m tis patronorum nomina indi 566.p & pag. 572.f.573.p.m.f
Seruilis disciplinæ ludum fuisse Syracusis 462.f. 463.p
Seruitus omnis an abhorreat à natura
Seruitutem seruire an ulli (460.f expediat ibid. & inde
Seruitutem esse duplicem 461.f
Sesostris quõ uictis à se populis testimonia fortitudinis aut ignauiæ dederit. pag. 20.f.368.m
Sestertij põdus et nota 577.m.578.p
Σύθ quid significet 242.m
Seuerus Cassius quantum memoriæ sit diffisus 597.p
Sexaginta numerum ad uiduas referri. pag. 583.f
Sextarius quid & cur dictus 200.f & pag. 201.p
Sextariũ tam aridis quàm liquidis conuenire 201.p.f
Sextula quid 200.f
Sex. Roscius Amerinus ab iniquis iudicibus ferè circumuentus 282.m
Sicani saxi patientia 401.p
Sicilire quid 358.p
Siculum mare Alcyonijs diebus tractabile 314.f
Siculorũ ioca & dictæ fuisse acuta. pagina 258.f
Sideritis lapis, os Hori dicitur 245.f
Sigalionis pictura 491.m.f
Sigeum promontoriũ unde nomen nactum 492.m
Sigismundus Estensis 513.f
Sigma literæ iniquitas & deformitas. pag. 223.m.f.224
Sigma à quibus literis suo deturbetur iure 218.219. 220. & quas ipsa uicissim expellat 226.227
Signari aurum, æs & argentũ quando cœptum 577.m
Signatores qui 360.f
Sil quid sit 12.p
Silaceus color quid 9.f
Silens luna quæ dicatur 9.f
Silentium quõ præstet oratiõi 648.m
Silentij encomium 491.p
Silentium & dignitatem & gratiam conciliat 333.p.m
Silentij disciplina quàm difficilis. ibid. & eius utilitas quanta ibidem
Silentiosi descriptio 491.m.f
Silentiosi dij duo 493.f
Silurum non esse sturionem 73.p
Simias latrunculis lusisse 297.f
Simias uini potu assuetas carere unguibus, & cur 28.m
Simonides Melicus quõ locorũ artem inuenerit 449.f. & quõ è ruina triclinij seruatus fuerit ibidem
Simultates intestinæ quando maxime cueniant 411.f
Sinis Pityocamptæ filia 62.m
Sinistra cur meliora dicantur 565.f
Sinopicis uestibus unde nomen 34.f
Siquis quandoq; utrunq; genus complectitur Iureconsultis 338.m
Sirenum cantus 187.p
Sirenum infelix cum Musis certamen.
Sirius quomodo inter (479.m astra constitutus 241.m.245.f
Siriũ à Græcis solem uocari 243.m
Sisenna imusitati sermõis affectator quo modo irrisus 443.m
Sisiræ uestes 38.f
Sistri interpretatio 246.p
Siti qui dicantur 380.m
στρογγύλοι & σίλληροι naues 307.m
Sitiens uel sicca luna quid 9.f
Sobolis producendæ desiderium omnibus innatum 457.f
Societas humana quàm arcta 364.p
Societas prima ex quib. cõstet 362.m
Societatẽ humanã q nõ turbãtur 421.p
Socrates cur à suis familiaribus asylus fuerit dictus 179.m
Socrates cur canem aut anserem iurarit 261.f
Socrates in uita quid gesserit 322.p
Socrates cur disputationes in utranq; partem introduxerit 388.p
Socrates ἔρως cur uocatus 578.m
Socratis patientia 402.f
Socratis studia 128.f
Socratis cur cana coma pingatur 42.f
Socrati quid uitio uertatur, quum in iudicium esset uocatus 283.m
Sol ἄκακμας quare dictus 394.f
Sol cur maior oriens & occidẽs, quàm aliàs existimetur 435.p
Solis cursus qualis 606.f. 607.p
Solis festiuitates 243.p.m (608.m
Solis functiones & præstantia 389.f
Solis lumen & cursus 549.p
Solis natiuitas apud Aegyptios mystica 231.f
Solis sphærã Typhoni adscribentes taxantur 242.f
Soli cur Hercules addatur 240.p
Soli sacrificantibus quid obseruandum. pag. 236.f
Solẽ aureo cubili dormientẽ ab ortu ad occasum ferri quõ intelligatur 394.f
Solstitia non iuxta ueterum obseruationem nunc fieri 548.m
Solida prius fluxis nata 202.p.m
Solon quem præceptorem in Aegypto habuerit 231.m
Solon in patriæ seditione indifferẽtem se gesit 402.p
Solonis leges quales 204.m
Solum, apud Cic. 63.m
Solum nauigij 309.p
Soluta p separatis interdũ accipi 368.f
Solutæ oratiõis libertas quãta 448.m
Solutus et nõ solutus qs dicatur 367.p
Somatiæ descriptio 611.m
Sonos numeris conuenire 71.f

σωφροσύνη unde dicta 264.f.330.f & pag. 425.m
Sorites non est fœminei generis 12.m
Sosigenes suam cõmentationem bis in disquitionem reuocauit 335.f
σωθι quis, ciusq; significatio 245.m
Sothis Aegyptijs astrum Isidis 234.f
σωτὴρ Græcis, seruator seu salutaris latine dicitur 25.p
σωτὴρ apud Homerum quid 310.f
Speculatoriæ naues, & quali colore fuerint 307.f
Speratinus ludus 295.m
Spes à Colatino consecrata 379.f
Spes plerunq; lubrica & incerta, maximeq; Romæ suos exercet ludos (175.f
σπόδιε βρασέως 311.p
Speusippus sororis Platõis fil. 455.m
Sphæra aplanete cur sit dicta 548.p
Sphingum in templorũ propylæis significatio 231.m
Sphragis seu terra sigillata quomõ fiat (581.m
Sphragistæ dicti Aegyptiorum sacerdotes 237.p
Spica quid & unde dicta 356.f
Spica mutica quæ ibidem
Spicula & spiculatores 300.p
Spina Aegyptia, qualis arbor 303.m
Spirationis instrumenta 49.p
Spissa uestis 37.f
σποδιδὴς uestis 35.p
Spolia Oceani q̃ Claudio Cæs. 297.f
Spondylus ostreorum quid 74.p
Spongia τὰ, quid 62.p
Spongotheræ, piscatores 313.f
Sponsæ qualis annulus olim mittebatur. pag. 580.m
Sponsio quid, ciusq; species 342.m
Sponsalia quomõ antiquitus celebrari solita ibidem
Sponsionum qualis mos antiquitus, & quid sponsio sit 282.f
Spuma lunaris 502.p
Staterium quid perdiderit 492.m
Stathmides quid 310.p
Statuarum quàm periculosa conditio. pag. 652.m
Statuminatio nauis quid 309.p
Status causæ qd et quotuplex 444.m
Status popularis et status principis quales, & quib. quisq; optãdus 647.m
Statutum & pronunciatũ idem 365.f
στέγαι, πρίστεγαι quid 305.f
Stega quid 310.p
σταλὶς in naui quid 309.f
Stellæ quõ cœlo affixæ sint 293.m
Stemmata quid antiquis 368.p
στεφανώματα quæ 14.f
Stephanus VI. Pontifex cur male audiat 535.p
στρέζειν quid 336.m
Sternomantia 498.p
Sternutantes cur salutemus 585.m
Stesichorius talorũ iactus quis, & cur sic uocatus 290.p
Stesichori sepulchrũ octangulare. ibid.
Stesichoro quomodo uisus sit restitutus 168.f
στιγμὴ quale punctum 451.m
Stimulus ad gloriam maximus quis. pagina 332.p
Stipare unde dictum, & quid 304.f
Stipare pro congerere 353.f
Stipes unde nuncupata 353.f
Stipendium unde dictum, & quãdo primo datum 353.f
Stipendij quantum militi in diem persolutum 354.p
Stipula, & stipula illecta qd 356.m.f
Stipulatio fit tripliciter 370.m
στεῖρα quid 309.p
Stoicorum ἀπαθέια 607.f
Stoici quàm iniurij sint in naturam. pagina 476.m. & inde
Stola uestis, & eius inuentrix 38.p
Stolonis Licinij lex, qua seipsum damnarat 385.f
Stolos in naui 309.p
Stolus quid significet 313.m
Stomachus quando redundare cognoscatur 50.f
Stomachus unde dictus 51.p
Stomachus quid proprie 47.m.f. & pag. 48.p.f. 50.m
Stragula uestis quidnam complectatur
Stragula in naui 310.m (365.p
Stragulum, quæ uestis 33.f
Stragulum nauticum 311.p
Strategia et stratiotides naues 307.m
Strategis nauis 307.m
Strigia, uestes 38.m
Stromata quæ Græcis dicantur 365.m
στρόγγυλαι πλοῖαι Macedonũ 307.p
στροφὴ quid 392.f
Strozzarum familiæ encomium 505
Strictiua poma quæ dicantur 357.m
Stringere pro colligere ibidem
Studium literarũ cur institutũ 321.p
Studia literarum intermittenda qui negant, q̃ stulte faciant 317.p.m.f
Studia quid possint in homine efficere, & quantus eorum sit abusus 317.f
Studijs nisi adsit modus, non esse studia 318. & deinceps
Studiorum modus quis sit 318.m
Studiorum quem non subitura sit pœnitentia ibidem
Studiorum quæ ratio cuiq; sequenda. pag. 25.f. & 26.p.m.f
Studiorum præstantia 64.f
Studijs immorandum, non immoriendum 26.m
Studijs immarcescẽtes quibus uitijs succumbant 321.m
Stulti quid proprium 619.m.f
Stultitia quibus rebus dissimulari possit 619.m
Stultitia cur sapiẽtiæ præferatur 635.f
Stultitiam qui simularint 619.m
Stultitiam non posse similari. ibidem
Stupa quid, & quis eius in nauium structura usus 304.f
Sturio, qualis piscis 68.m
Sturio unde potissimum uiuat 73.p
Suadæ medulla in quorum labris habitarit 443.m
Subminiæ uestes unde dictæ 34.f
Subscribere pro faucre cur dicatur. pagina 360.f
Subsignare, subsignatum, subsignatores quid, & subsignandi modus 360.f
Subsidiaria exactio 16.m
Subucula 37.p
Succento ibidem
Succula, machina 311.f
Suetonij locus 294.f
Sui seu aliorum de se, iudiciũ quomodo quis optime cognoscat 277.f
Suffibulum quid 36.f
Sulpitius quem imitandum sibi proposuerit 331.f
Sulpitius Strozza 506.p
Supellectili nauticæ quæ non sint annumeranda 310.m
Superbiã. solitudinis esse comitẽ 224.f
Superstitiosorum quorundam gestuum descriptio 568.f
Superuacanea esse recidenda 330.p
Supparus, quid 37.p
Sura Manilius in agendo quomodo reprehensus 452.m
Surculata uestis 34.f
Sus cur impurum animal censeatur Aegyptijs 230.f
Suis cum crocodilo amicitia ibidem

Suũ opa agros ꝓscindere Aegyp. ibid.
Subus animam pro sale datam. ibid.
Syenitæ, Aegyptij 230.m
Sylla quod genus literarum ignorasse dictus Cæsari, & eius eruditio 317.f
Syllæ dictum in Iulium Cæs. 39.m
Syllæ dictatoris annulus signatorius qualis 583.p
P. Sylla cur suum cadauer exuri uoluerit 380.m
Sylua cædua & pascua quæ dicatur. pag. 356.m.& f
Symbalotum cur sic dictum 34.f
Symbola, quæ nauis pars 310.p
Symbolum pro annulo 581.p
συμπαθεία quid 62.p. 438.m & pag. 482.p
συμπαθείας quanta uis 390 p
Sympathia rerũ qualis sit 437.p
Sympathia et apathia rerũ unde 410.f
Symphonia ex quibus constet 71.f
Symphoniaci pueri 313.m.f
σωάλλαγμα quid 349.m.350.m
σωαλλάττειν ibidem
συγκαταθέσεις quid 398.f
Syncretismus unde nomen inuenerit
Synidsios descriptio 612.p (412.f
σωνοία quid 238.p
Synthesis, uestis 39.f. & quid Iureconsultis ibidem

T

T. notã salutis fuisse Aegyptijs 227.f
Tabernariæ uestes 37.f
Tabula lusoria quid 296.p
Tactus, primus animantium sensus, & sine quo nullus constare sensus potest 202.m
Tactus cur animalibus maxime necessarius 470.p
Tænia quid 309.f
Tali Cretensis mollicies 403.p
Talus quid sit & quæ animalia eum habeant 278.f. 288.p
Talus qualis fuerit & quàm inuincibilis 476.f
Tali latera quot sint 288.p
Talum non esse homini datum 288.f
Talorum iactus quibus insigniti nominibus sint 290.p
Talorum ludum et pueris & senibus in usu fuisse 292.m
Ex Talis auguria capi 292.f
Talaris uestis 37.f
Talarius ludus quõ agebatur 289.f 290.p. & quõ eius missus uocati ibi.
Talionis reddendæ ritus 377.p
Tapetes in nauibus 311.p
Taphosiris in Busiride 234.m
Ταργάνη quid 225.m
Tarentina lana qualis 40.p
Tarquiniũ Priscũ aurea tunica triumphasse 39.f. & quõ filiũ qui hostem percusserat, donauerit ibidem
Tarsus quid 309.f
Tartarus quid Platoni 429.p
Tau quarũ literarũ locũ occupet & q̃ execrabilis litera 218.219.220
Taurum ferocientem caprifico cõpesci
Ταυτολογία, quale orationis uitium (29.m 255.f
Technatis seu Cnephatus, Menidem execratus cur sit .231.p
Telemachus munera remittens improbatur 106.p
Τελεσίγυη quæ interpũctio 451.m
Τέλιος numer⁹ dictus senarius 200.f
Τίμαιρον unde dictum 225.f
Themistoclis sententia de magistratus functione 419.m
Temperans & continens qd differant
Temperantia quid 265.f (259.p
Temperantiã cur σωφροσώνη græce uocarint 425.m
Temperantia cur prudentiæ conseruatrix dicta 264.f
Tempestatum præsagia 316.p
Templum quomodo dicabatur 386.f
Templa quibus cõstruenda sint ex leg. XII. tab. 543.p
Templorũ uariæ dispositiones 234.m
Templorũ ornatus qui deceat 380.p
Temp. ianuas leonũ hiatibus exornare, Aegyptiorũ inuentũ, & cur 238.f
Temporũ habere rationẽ, sapientis esse
Tempus quid 474.p (619.f
Temporis ortus 393.p
Temporis motus & impetus 547.p
Temporum cuiusq; ætatis fuisse semper querelas 16.m
Tentyritæ crocodilos fugant 405.f
Ter, significare sæpe 238.m
Terebinthus cur arborum stultissima dicatur 2.m
Terẽtij duo loci interpretati 204.m.f
Terminus uox æquiuoca 338.m
Terminis agrorũ festiuitas à Numa instituta 384.f
Ternarius numerus, & ternarius tetragonus 244.m
Ternarius numerus qd denotet 259.p
Ternarius num. absoluit uniuersitatem
Terra unde dicta 395.p (358.f
Terra cur ἄπειρον dicta 394.f
Terra cur pedes dei uocata 392.m
Terra integra quæ dicatur 356.m & pag. 357.p
Terra sigillata quõ conficiatur 581.m
Terræ magnitudo secundũ Eratosthenem 391.f
Terræmotus & cur proueniant. pagina 431.f. 432.p.m
Terræmotũ quæ signa præcedãt 432.f
Terræ mugitus, prodigiũ unde 432.f
Terræ situs qualis 389. & 390.p.m
Terrã odore præditã, cõtra quendam
Terræ odor qualis sit. ibid.f (53.m
Terram uolui & circumagi quibus rationibus probet 389. & sequentib.
Terrã esse perfossam iuxta Platonem, negatur 429.p
Terram cur olim conflagrasse putatũ. pag. 429.m
Terrã sacrum domiciliũ omniũ deorũ esse, ideo non consecrandam 380.p
Terram uolitare, adag. quid significet. pag. 394.p
Terram habitabilem fertilemq; esse sub polo 394.p
Tesqua loca 313.f
Tessera quid 294.m.f. 295.p
Tessera quadrantalis cur dicta 295.m
Tesseræ ex qua fiebant materia. 295.f
Tesseræ quid, & cur ex genista fiebant (296.p 3.f. 4.p
Tesserarum quis inuentor 294.m
Tesserarũ æstimatio quãta olim 294.m
Tesseris quot olim lusum sit 295.m
Tesseræ uestibus intextæ 39.m
Tessellatæ uestes ibidem
Testamentorũ tria genera Ro. 577.p
Testes suspecti 589.f
Testudini marinæ nec linguã esse neq; dentes 50.m
Testudines cornigeræ apud Troglodytas quomodo remigent 302.m
Τετρακτὺς Pythagoricorum 225.p & pag. 424.m
Tetradicis lignum apud Biblios cur colatur 233.m
Τετραγράμματον cur dei cognomen 59.p
θ. nocentes damnat 227.f
θ. literæ sedes occupata à lit. τ 219.f
Thalamegus nauis 307.p
Thalamus nauis pars quæ 309.m.f

Thalamij & Thalamitæ ibidem
Thalassicus 37.m
Thalassi⁹ cur ĩuocetur ĩ nuptijs 564.f
Θαλάσσια ὀχήματα & πορεῖα
Thales philosophus quo/ modo ditatus (307.m 467.f.468.p
Thales quali olim cauillo ab anicula notatus 264.m. 321.f
Thaletem primum Vrsæ ſyderis ambitum obſeruaſſe 315.p
Thalmuldicorum ſecta 41.f
Themis quid officij habeat 621.f
Themiſtocles quantum iuuerit Areopagitas 258.m
Themiſtocles cur ſibi artem obliuionis q̃ memoriæ præoptauerit 280.p
Themiſtocles ubi Athenis nauale fecerit & portus 315.f
Themiſtocles quàm fuerit gloriæ auidus 331.f
Themiſtoclem anno uno linguam Perſicam perdidiciſſe 450.m
Theodectes ĩ Phrynes patrocinio qualibus argumẽtationib. ſit uſus 279.p
Theodectis quanta memoria 450.m
Theodorus gulæ nomine ſtomachũ & œſophagum amplectitur 50.m
Theodori dictũ in ſuos diſcip. 247.p
Theodori locus male redditus. pagina 288.m.f. 289.m
Theodoſius Imp. Mutinenſibus ignauiæ ſimulachrum poſuit 21.p
Theodotus Tragicus cur oculis captus 494.m. & 582.m
Theopompus cur regiæ poteſtati Ephoros impoſuerit 316.f
Theopompus cur panico terrore corre ptus 494.m
Theopompi inſomnium 582.p
Theophraſtus cur ab Attica muliere hoſpes fuerit uocatus 446.f
Theophraſtus quam philoſophiæ partem tradiderit 555.p
θεωρία quid 14.p
θεὸς ἐκ μηχανῆς 208.f
θεσπῳδία, ſpecies magiæ 497.f
Theramenes cur Cothurnus dictus. pagina 290.p. & 402.p
Theriſtron, ueſtis 38.p
Theronis Hiſpaniæ regis profectio ad expugnãdũ Herculis templũ 571.f
Theſmophoria quomodo celebrentur Græcis 247.m
Thibiorum quanta natandi peritia. pagina 313.m
Thoas quomõ ſeruatus à draconc quem nutriuerat 438.p
Thorax ueſtis 38.f
Thoraciũ quid in naui 309.f.310.p
θὼθ menſis à θεὸθ denominatus. pagina 45.p
Thranos in naui & Thranitæ 309.m
Thraſybulus cicclis triginta tyrannis quam legem tulerit 412.f
Thriũ quõ interpret. Aegyptij 238.m
Thueris, pellex Typhonis 234.p
Tibæna ueſtis 37.f
Tibareni quomodo puerperarum uices egerint 620.m
Tiberius Cæſ. quod tempus tondendis pilis obſeruauerit 303.f
Tiberius pro imperio acquirẽdo ex talis augurium ſumpſit 242.f
Tiberio imperante ſummam fuiſſe accuſandi licentiam 582.f
Tibicinum certamen 332.f
Tibulli carmen explicatur 566.f
Tigni appellatione quid contineatur
Tignus quid proprie, & (374.p unde appellatus ibid.m
Tilia omnium materiarum calidiſsima
Timon Miſantropus cur (304.m ſic appellatus 420.m
Timon orator Athenienſiũ cur inuiſus. pag. 512.p
Timonis elogiũ de ſuſſpẽdio 634.p.m
Timotheus Mileſius quur Spartiatis adeo exoſus 330.m
Tinea pro pergula pronunciabat preculam 442.f
Timnunculi cũ colũbis amicitia 437.p
πόλω ὰ, lunæ epithetum 243.m
Titias deus quis 571.m
Titus Strozza 506.p
τόκος unde dictum 467.p
Tœcharchi qui ſint 313.m
Toga, ueſtis 37.p
Toga pura & uirilis qualis 34.m
Thonides Athenien. imperator, Lacedæmoniorum nauale exuſsit 315.f
Tonitru qd et quõ generetur 433.p.m
Tonſilla quid nautis 310.f
Tonus quid 72.p
Torpedinis uis ſtupefaciens 29.m
Torus, ueſtis 39.p
Torpor membri alicuius quõ curetur
Trabea, quorũ ueſtis 39.f (567.p
Trachali uocalitas 451.p
Trachelum, quæ mali pars 310.p
Traditio nexu, quid 354.m
Traditio nexu quõ fiebat 575.m.f
Traduces uites quæ 10.m
τράγος quaſdam naues Libibus dictas 306.f
Traianus Imperator uir optimus dictus 190.m
Tranſcendentia quæ dicantur 454.m
eorumq; natura ibidem
Translata uerba quæ 272.m
Trãslatio quãdo poſsit ĩtelligi 267.m
Tranſtra in naui quid 309.m
Tranſtrarij ibidem
Trapezus, & Trapezuntinum mel. pagina 111.f
Trechedipni qui dicantur 37.f.38.p
τριάρμενον Antigoni nauis 306.f
Tribunianum ſub nomine Iuſtiniani omnes propè antiquos ritus ſuſtuliſſe. pag. 366.m
Tributum unde dictum 353.f
Tributis omni ætate exhauſtos fuiſſe populos 16.m
Triclinares ueſtes 37.m
Triclinaria periſtromata quæ dicãtur
Trimodia ſatoria 201.m (33.f
Tridacna oſtrea cur ſic dicta 73.f
Tridẽs in numiſmatis qd ſignet 313.p
τριήρεως λὴς quis 313.p
Triginta, ad nuptias referri 583.f
Trigonon orthogonium quàm præſtans figura 244.m
Trimata, quid 309.m
Trinitatis ſanctæ indaginem ſupra hominis captum eſſe 131.f
Triremis à quo excogitata 301.f
Triremis, quadriremis, &c. unde dictæ
Triſtega quid 310.p (305.f
Tritici fertilitas 200.m
Tritonis appellatio unde 250.p
Triumphales ueſtes 34.p
Triumphantium mos 580.p.m
Trocta piſcis 73.p
τρόπος qualis ludus 294.p
Trophæa dedicata remouere, nephas
Tropis quid 309.p (21.m
Tryphallorũ Thraciæ populi ĩſtitutũ
Tropoter in naui quid 309.m (21.p
Tuber terræ quale amuletum 498.p
Tubis quare non utantur Buſiritæ & & Lycopolitæ 236.f
Tuciam ueſtalem cribro aquam tuliſſe. pag. 585.m
Tullus Hoſtilius primus purpura uſus in prætexta & latiore clauo 36.p
Tunica 37.p

Tunicarum

Tunicarum linearum usum unde simus mutuati, & cur 37.m
Turpe ignorare, turpe est 329.m
Turricula qd Martiali 293.f.296.m
Turulius luci uiolati quas pœnas dederit 355.f
Tussilago cur dicta sit Chamæleuce. pagina 44.p
Tutelæ damnatus quis dicatur, et quale probrum 364.m
Tutuli, uestis species 37.p
Tybi quis mensis 45.m
Tyches imperium 611.f
Typhis Argonautarum gubernator
Typhon unde dictus 245.f (314.p
Typhon, Isidis hostis, & quid significet 229.m
Typhon quales insidias in Osirim machinatus sit 232.m
Typhon ex fulgure, quid 433.m.f & quõ ab ecnephia differat. ibid.
Typhonis natiuitas 232.m
Typhonis & Hori inimicitia 234.p
Typhonis color et uis, eiusq; solennia. pag. 236.f
Typhonis lata interpretatio 237.m.f & 239.f.240.f. 242.m. 243
Typographis qualis uenia debeatur. pag. 569.m
Tyrãni et principis discrimen 647.m
Tyranni conditio 279.f
Tyrannorũ cõmendationes quales. ibi.
Tyriamethystus color quõ fiat 36.f
Tyrios iuxta Vrsæ ambitum nauigationem dirigere 315.p
Tyrius color quomodo fiat 36.m
Tyromantia quomodo fiebat 498.p
Tyronibus prima stipendia facientibus quomodo olim alba parma & pura hasta dabatur 34.m

V

VAdimonij deserti dãnari quàm graue fuerit 340.f
Valerius, Saluius & Staterius & similia nomina in delectu & censu cur prima 11.f
Valerius ob urbis arcanum nomen cuul gatum pœnas dedit 492.m
Valerius Homullus quõ Antonini Imp. curiositatem taxarit 409.p
Vapor quid, & unde fiat 427.m.f
Vapore quæ constant 427.f
Varioli pisces qui 72.m.73.p
M. Varro bibliothecæ Augusti Cæs. præfectus 120.f
M. Varronis locus explicatus 575.f
M. Varroni adhuc uiuenti statuã in bibliotheca Palatina positam esse. pagina 190.m. & 652.m
Vati & historico quædam esse communia 110.p
Vaticinandi species q̃ plurimæ 498.p
Vectigal, quid 308.p
Vectigalia qd, & unde dicãtur 347.f
Vectigalia publica quæ dicãtur 347.f
Vectigalium prouentus ex quibus rebus fuerit Romanis 16.m
Velificatio unde mutuata 302.m
Velum sustẽdere ex Ianiculo, q̃d 43.m
Vela seu uelaria in naui 310.m
Venationis utilitas & laus 17.p
Vendicare nobis quæ dicamur 222.m
Vendicandi modi duo 575.576
Veneficarum incantationes 500.501
Venetus color 37.m
Venetorum quàm peruersum iudicium nunc, & quantum à suis maioribus degenerarint 279.m
Venter & aluus multum differunt. pagina 49.f.50.p
Ventre quædam animalia carere 50.f
Venter ubi situs & cur 50.f.51.p.m
Ventriculus quid 49.f.51.m
Ventriculus quibus constet 51.m
Venti unde proueniant 430.p
Ventorũ cognitio quàm necessaria nautæ 314. p.f. & quæ eorum regiones sint ibidem
Ventorum situs & series qualis 431.p m.f. quæq; cuiusq; sit cõditio. ibid.
Ventorum motus qualis, & quãdo cessent 430.m
Venus ἀναδυομένη ad quod exẽplar picta dicatur 330.f
Veneris iactus quis 290.m.291.p
Veneri Elidensi cur testudo appicta. pag. 250.p
Verbum insolens, scopulus est 199.p
Verba legis, quid significet 342.p
Verba cur inuenta ibidem
Verba quædã in numero singulari plus significãt quàm in plurali 253.m.f
Verba primigenia et ꝓpria quæ 272.p
Verba qualia ad orationem eligenda. pag. 272.p.m
Verbenaca sortiri, Gallorum 498.m
Verbenacæ usus quis 386.f
Verecũdia uirtutis custos, cui ætati conueniat, & qui ea sint liberi 331.p
Vergiliarum occasus quando 314.f
Vergiliarum ortus & occasus 607.m
Vergilij locus interpretatur 3.p & pag. 340.m. 366.m
Vergilium fuisse omniũ disciplinarum peritum 23.f
Veris conditio 237.f
Veritas ex quibus audiatur 332.f
Veritas q̃ raro audiatur, & à quibus
Veritas Tẽporis filia 221.f (278.p
Veritatis quanta uis 479.m
Veritati laboranti omnes succurrant. pag. 453.f
Veritate nihil præclarius à dis dari, neq; ab hoĩbus accipi posse 229.p
Vermiculatæ uestes 39.m
Versoria, instrumentum nauticũ 312.p
Versuram facere quid 75.p
Versuum ratio constrictior 448.m
Verum à solo deo, ueri simile ab hominibus cognosci 445.p
Vespasianus unde sibi omen imperij ceperit 565.f
Vespasianũ Imp. cœco uisum restituisse saliua 7.m
Vesta, literaturæ parens 221.f
Vestæ & Vulcani risus quid 433.m
Vestæ cur extrema sint consecrata. pagina 392.m
Vestales quomodo olim in uirginiũ receptæ 566.p
Vestium cognomina ex uarijs rebus inuenta 35.p.m
Vestium colores præcipui qui 35.m
Vestium aliquot specicrum descriptio. pag. 33.m.& inde
Vexillum quãdo in Ianiculo & cur positum olim Romæ 43.m.f
Vicinia, qualis societas 458.p
Vicissitudinis in omnibus rebus suauitas & necessitas 286.f.287.p
Victimarum occidendarum mos apud Aegyptios 236.f.& 237.p
Victimarum cædendarũ ratio, & unde uocetur uictima 565.p
Victimariorum obseruatio 565.p
Victoria illustrissima quæ 647.f
Victoriæ cupido quanta 332.p.m
Victus, quas res cõplectatur 364.m.f
Vida ludum scaporum carmine descripsit 299.p
Viduarum cupediæ 74.p
Villa unde dicta 353.m
Villutum, quid uulgo 38.m
Vincentius Vaugris bibliopola Venetus 172.f.184.p

Vindiciæ unde dictæ 576.m
Vincarum dispositio quotuplex sit & qualis 10.p
Vinum cur Aegyptij diu non biberint.
Vinum cur sanguis terræ dictum sit Androcydi 230.p.m 12.m
& sanguis Gigantum ibidem
Vino cur Aegypti reges abstinuerint
Violenta quæ dici queant 12.f 261.f. 262.p
Virgæ in nubib. quõ generẽtur 436.p
Fl. Virginius quõ suum antisophistam taxarit 452.m
Virgo quæ dicatur 345.f
Virgo uiripotens & nubilis quæ. ibid.
Virgulata uestis qualis 34.f
Viri præstãtes quibus utãtur recreationibus dum ab operibus serijs uacãt. pag. 286.f.287.p
Viros bonos nõ posse inuidiã effugere
Viros claros Ioue natos putauit antiquitas 610.p 493.m
Virilis portio quæ dicatur Iurecõsultis
Virtus quid sit 259.m 174.f
Virtus qualis habitus sit, & cui inesse dicatur 336.m
Virtus, qualis possessio 555.f
Virtus duplex 171.f
Virtus perspecta efficacior quàm audita 199.m
Virtus omnis cur ad se alliciat 258.p
Virtus una absolutam complectitur felicitatem 327.f
Virtus sui non præmij gratia expetenda, & qualis res sit 1.m.f
Virtus omnis in mediocritate subsistit. pag. 318.p
Virtutis præmiũ aptissimũ quod 330.f
Virtutis templum Romæ 379.m
Virtutis conditio qualis 331.f
Virtutis amor si animo insiderit, quid efficiat 328.p
Virtutis radices amaras, fructus dulces esse ibidem
Virtutis quàm exacta statio 319.f
Virtutem potentia nixã plurimũ pollere 462.p
Virtutem in parte irrationali uersari
Virtutem nec naturalem, nec præter naturam esse. ibid. 260.p
Virtutem solam beatos facere 367.f
Virtutes quibus rebus Plato cõpararit
Virtutum decor & analogia 258.m 268.p.m.f. & 269.p
Virtutem affectans quomodo se comparare debeat ibidem
Virtutem matrem esse heroũ 328.p
Virt. alienæ cur sic uocẽtur 285.p.m
Virtutes nostras nõ prædicem⁹ 417.p
Virtutes quomodo sese mutuo nexu teneant 493.f
Virtutes quas præcipue colamus, & cur 528.m
Virtutum transformatio 623.m
Virtutum quis sit ordo 265.m
Virtutum quæ reliquis præstantiores. pag. 257.p.m
Vis q̃ exitiosa res in ciuitate 384.m
Vis quomodo multanda 384.f
Vim non longe abesse à uirtute unde descenderit 462.p
Vim dupliciter inferri 279.f
Viriũ corporis & animi nõ eadem ratio 579.p
Visus cur flectatur, & in qbus 472.m
Visus ratio 470.f. 471. 472 & pag. 473. 474. 475
Visus cæteris sensibus nobilior 262.m & pag. 470.m
Visus cur in tenebris cesset 471.f
Visum nostrũ quæ res refringãt 434.f
Vitilia unde dicta 308.p 435.p
Vita hominum qualis res 401.p
Vita quõ inculpabilis possit agi 285.p
Vita & uiuẽdi ratio animalibus uaria. pag. 463.f
Vita hominis cur athleticæ cõparetur
Vita simplex quantum homini conciliet gratiæ 422.f 331.p
Vitæ fructus quis maximus 321.p
Vitæ præsidia qb. bonis cõstent 281.m
Vitæ constantia quæ seruanda 647.f
Vitã hominis luctã esse 317.f. 336.p
Vitellij Cæs. luxus & nauigia 307.p
Vites unde primum natas existimarint Aegyptij 230.p.m
Vitium disponendarum propagandarumue ratio quotuplex & qualis, eiusq; uaria nomina 10.p.m.f
Vitium omne, immodicum est 318.p
Vitio omni carere, uitiosum est 268.p
Vitijs aliorũ non insultandum 417.p
Vitia quæ ĩ eloquẽtia uitãda 447.m.f
Viuere q̃ bene uiuere qui præoptãt, cuius rei studio teneantur 466.m
Viuiradix quid 10.m
Vlpiani in iuris cognitiõe laus 544.p
Vlyxes quas technas in Palamedem excogitauerit 285.f
Vmbilicus cur uentri affixus 51.p
Vmbra quid 337.m
Vmbra, & quid cius proprium, qualisq; eius uis 325. 326.m. & cum ea luctari quid sit ibidem
Vndulata uestis 34.m
Vnguis & ungulæ differentia 11.m
Vngues quid sint 28.f
Vnguibus cur careãt uino assuetæ quadrupedes 28.m
Vngulata uestis qualis 34.m
Vnguli olim dicebantur annuli 34.m
Vnum nihil natura produxit ad uarios usus accõmodatum 457.f.458.p
Vnum, cur significet Apollinem 250.p
Vnitas significatur Agypto per Apollinem 231.f
Vniuersitas rerum ex quibus rebus constet & conseruetur 241.f.242.p
Vniuersi forma iuxta Pythagoricos. pag. 393.p
Vniuersales ideæ à quibus introductæ, & nullas esse 453.f.455.p
Vniuersalia oĩa non percipi sensu posse. pag. 259.f
Vocalium literarum autoritas 219.p
Vocabulum omne ambiguũ esse 588.f
Vocabula in oratione quando nitescant præcipue 40.p.m
Voluntas hoĩs est actionũ modus 256.f
Voluntas hominis uariabilis & ambulatoria 282.f
Voluntaria quæ dicãtur 261.f.262.p
Voluptas quid 329.f
Voluptatis abstinentia qd indicet. ibid.
Voluptatis & laboris confinia 328.m
Voluptatis & mœroris quãta affinitas. pag. 194.m
Voluptatem nobis congenitam esse. pagina 259.m. & 262.m
Voluptas uera quæ 262.m. 650.f
Vorsa quæ dicatur 8.m
Voti humani summa, quæ 458.f
Vox in agendo quomodo rebus aptanda 451.p
Vox quomodo maxime in officio contineatur 451.m
Vox animantium aut iucunditatis aut molestiæ testimonium facit 458.f
Voces seu uocabula quid sint 365.f
Vocis unius incommoda pronunciatio olim actorem exibilabat auditorio
Vocis uitia, & quõ emendanda 272.f 450.f.451.p
Voces sententijs obsequantur, non contrà 369.p

Voces barbaræ ex quibus populis Italiæ inuectæ 273.p
Vocũ religio & obseruatio apud uete/ (res 11.f
ὄρφνος quid 309.f
Vrbis appellatio quid contineat 338.f
Vrbis nomen arcanũ cur Ro- (339.p
mani noluerint inuulgari 492.m
In Vrbe q sint. ibid. Ad urbẽ esse. ibi. m
Vrbes, & urbes ludere, quid 297.f
Vrbium status immutare, periculosum. pag. 537.m
Vriel cui regioni orbis præsit 14.p
Vrinator 313.p.m
Vrsa cœlestis, sydus Typhonis 234.f
Vrsæ ambitum quis primus obseruarit
Vsucapio quõ olim con/ (315.p
cludebatur 354.f. 576.f
Vsuræ centesimæ seu menstruæ quando erant persoluendæ 606.m
Vsuræ semisses, quæ 74.m
Vti frui quid 352.m
Vulcani risus quid 433.m
Vulcani tripedes quales 460.p
Vulgi opinio quatenus obseruanda 8.f
Vulturni flatus unde 314.m
Vxoris formam qualem Cato probaue/ rit 418.f
Vxorem tribus modis haberi 366.p
Vxores suas alijs prædicantes quantum insaniant 418.f
Vxoria præfectura qualis sit in familia. pag. 468.m

X

ξ. quomodo locum literæ σ inuaserit. pagina 219.f.221.f
Xantus color quis 435.f
Xenocratem quid ad philosophiam incitarit 333.p
Xenocratis deliniatio 43.p
Xenocrates quæsitus cur taceret, quid responderit 492.f.493.p
Xenophanes Colophonius quõ Aegyptios monuerit 248.p
Xenophilus quàm constanti salute fuerint usus tota uita 423.m
Xerampelinæ uestes 37.m
ξέσις quod mensuræ genus 200.f
Xerxes quõ Ponto compedes iniecerit
Xilãpelinæ uestes quæ 37.m (326.f
ξωτύρησις quid 222.p
Xystis uestis 38.p

Y

ὑγίεια, Aesculapij filia 42.m.f
ὑγίεια filia Aesculapij, & Palladis cognomen 425.p.f
ὑγιαίνειν qualis salutatio 424.p
ὕδατος πνεῦμα quid 432.f
ὗς Dionysus 238.p
ὑὸς unde deriuetur 238.p
ὑπὸ in compositione quid signif. 16.f
ὑπωμόσια oua 322.f
ὑπογραμματεῖς qui dicantur 60.p
ὑποθέσεις dialecticorum 353.p
ὑπόκρισις quid, & quanta eius uis. pagina 450.m
ὑποσιγμή, quale punctum 451.m
ὕσιριν uocari etiam Osirim 238.p
ὑστεροτόμοι qui dicantur 574.p

Z

ZEno oratoriam & dialecticam quomodo distinxerit 23.f
Zenon capparim honorauit 62.m
Zeno cur capparim iurarit 261.f
Zenon quid de suo & Theophrasti auditorio censuerit 328.p
Zeno quo aĩo naufragiũ tulerit 332.f
Zenoni frons cur contracta fingatur
Zephyri flatus unde 314.m (42.f
Zeta quõ locum τ σ occuperit 219.f
& quõ læsa sit à litera τ ibidem
Zeta quid mali acceperit ex cõmertio τθ σ 223.m
Zeta, mortuorum elementum ibidem
Ζήτησις festiuitas 243.p
Zeuxippus quali forma à statuarijs expressus, & cur 43.p
Ζῶα et ζωὴ ἐχούσας differ. 469.m
Zodiaci signorum motus 604.f
Zonarum diuisio 430.m
Ζωόφυτα quæ græcis dicãtur 362.m
Zoophyta quæ & quo sensu prædita.
Zopissa, quid sit 305.p (202.m
Zoroaster magus quando uixerit. pagina 241.m
Zygitæ in naui qui 309.m

FINIS

MENDARVM IN HOC OPERE CVM EXEMPLARIS VITIO, tum operarum incuria commissarum castigatio, ubi prior numerus paginam, posterior uersum signat.

Pagina 14. uersu 24. plantagini. pag. 17. uer. 37. forent. 38. 30. histricã. 41. penult. aboleretur. 50. 44. mordacis. 63. 10. uoluptatẽ 46. prorsam. 64. 29. Manũ. 66. 20. Nam contyledona aceptabulũ. 86. 24. reliquũ est ut me. 108. 27. coemptur ũ. 112. 18. necesse. 116. 29. ἀμείνω. 123. 33. existimamus. 141. 35. earum. 155. 29. noris & ære. 175. 34. prò positum. 200. 15. quotidie expendi posent. 201. 30. paulum 207. 8. coagmentationem. 211. 15. dicã, literarũ. 216. 19. Paulo, III. 223. 27. ξῖ atq; ψῖ. 246. 37. primitias. 247. penult. terræ. 250. 19. certæ. 282. 17. Nostro. 304. 17. apricis. 310. 20. trochlea. 311. 39. trochleæ. 320. 24. solis. 325. 37. enumerãt. 328. 19. integrã. 336. 49. integrũ. 340. 25. decebant. 349. 43. uerriculũ. 350. 36. factionẽ. 358. 19. lumeta. 369. 20. coniunctiue partes. 371. 9. potest, nisi. 393. 28 arcano. 401. 52. solis occasus. 403. 53. corporis mole. 404. 31. Pyrrhici. 422. 28. quo qui. 424. 1. χαίρειν uero. 427. 39. dicitur. 433. 34. causa. 436. 35. Mutuus amor. 458. 12. ὁμοῦπνος. 476. 13. pupilla. 481. 51. aquaq;. 492. 37. χαλκεῖον. 499. 3. thus. 506. 9. decus. 513. 22. Arnaldo. 44. metari. 517. 30. alimus. 522. 16. exertos. 527 16. lachrymabili. 531. 30. animus. 555. 34. Hæ sunt. 559. 4. Benuenij omen. 562. 19. enim. 575. 26. mancipo. 578. 20. Ita resp. 584. 33. λειχωχὸν. 589. 17. quod nos. 594. 36. quali. 601. 35. cõniuerẽt. 606. 8. luna solis. 12. ut quur id. 52. XXVIII. 610. 41. ferruminatæ. 622. penult. tuburcinones. 623. 26. cingulum. 626. 27. toto. 627. 35. interfœmineum. 628. 6. esse. 21. quidam. 633. 4. quarum. 634. 37. uis. 636. 31. renidet. 637. ult. Myrrha. 641. 23. carius. 649. 33. quàm indigentem. 39. tantum.

SERIES CHARTARVM

a a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z. A B C D
E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. A a B b
C c D d E e F f G g H h I i. *a a b b c c.*
Omnes terniones præter a. duernionem, & b b c c. quaterniones.

BASILEÆ PER HIER. FROBENIVM ET NIC.
EPISCOPIVM, MENSE MARTIO
M. D. XLIIII.

1912482